Italy

FONTES IURIS CANONICI SELECTI

[I. ECCLESIA ANTIQUISSIMA. — II. POTESTAS ECCLESIASTICA ET IMPERIUM CIVILE. — III. ORDINATIO. — IV. HIERARCHIA ORDINIS ET HIERARCHIA IURISDICTIONIS. — V. PONTIFEX ROMANUS. — VI. CARDINALES. — VII. CURIA ROMANA. — VIII. LEGATI PONTIFICII. — IX. METROPOLITAE. — X. EPISCOPI. — XI. CAPITULI. — XII. VICARII ET COADIUTORES EPISCOPORUM. — XIII. PAROCHI. — XIV. ORDINES ET CONGREGATIONES.]

COLLEGIT

PROF. DR. ANDREAS GALANTE.

OENIPONTE.

LIBRARIA ACADEMICA WAGNERIANA.

MCMVI.

OENIPONTE TYPIS WAGNERIANIS.

IN MEMORIAM

TULLII DE SARTORI-MONTECROCE.

LECTORI BENEVOLO.

Adolescentibus iuri operam dantibus vel maxime durum et difficile studium iuris canonici hoc efficitur, quod monumenta eius omnino distracta atque hic illic edita extant.

Neque enim facile factu est in huiusmodi parvo libello ea iuris canonici monumenta conflare, quae ad omnia Ecclesiae munera atque officia pertineant, quaeque saepius discipulis usui esse soleant.

Itaque quae iuris canonici monumenta totius fere ecclesiastici iuris fundamenta atque Ecclesiae institutionum historiae quasi fontes quidam esse videantur, haec tantum hoc in opere conferre institui atque edenda curavi. ea tamen in deligendis monumentis ratione usus ut auctores et tempora quam maxime inter se separata lectori benigno una praeberem eique quodam modo ante oculos ponerem.

Denique si modicum hoc opus meum saepe neglectis iuris canonici disciplinis prodesse poterit, omnia me quae facere institui, plane solvisse arbitrabor.

Andreas Galante.

Dabam Oeniponte mense Januario MCMVI.

ABBREVIATIONES ET OPERA QUAE CREBRIUS AFFERUNTUR.

Corpus iur. can. ed. Friedberg. = *Corpus iuris canonici.* Editio Lipsiensis secunda . . . instruxit Emil Friedberg. Lipsiae 1881—1886.

Bullarium Magnum Romanum = *Bullarium Magnum Romanum a Leone Magno usque ad Benedictum XIII.* Luxemburgi 1728 seq.

Bullarium Romanum Ed. Taurinensis. = *Bullarium Diplomatum et Privilegiorum Sanctorum Romanorum Pontificum.* Editio Taurinensis. Augustae Taurinorum 1850 seq.

Friedberg, *Lehrbuch* = Friedberg, *Lehrbuch des katholischen und evangelischen Kirchenrechts.* 6. Aufl. Leipzig 1903. [Friedberg-Ruffini, *Trattato del diritto ecclesiastico cattolico ed evangelico.* Torino 1893].

Funk, *O. P. A.* = *Opera Patrum Apostolicorum.* ed. Funk. Tübingen 1881 seq.

Hinschius, *Kirchenrecht.* = Hinschius, *Das Kirchenrecht der Katholiken und Protestanten in Deutschland.* Berlin 1869 seq.

Jaffé-Wattenbach, = *Regesta Pontificum Romanorum ab condita ecclesia ad annum post Christum natum MCXCVIII.* Ed. Jaffé. Editionem secundam correctam et auctam auspiciis G. Wattenbach curaverunt Löwenfeld, Kaltenbrunner, Ewald. Lipsiae 1888.

Patr. Ap. Opera = *Opera Patrum Apostolicorum.* Edid. Gebhardt, Harnack, Zahn. Leipzig 1876 seq.

Potthast, = Potthast, *Regesta Pontificum Romanorum inde ab anno post Chr. n. MCXCVIII ad annum MCCCIV.* Berolini 1874—1875.

Sägmüller, *Lehrbuch.* = Sägmüller, *Lehrbuch des katholischen Kirchenrechts.* Freiburg i. B. 1904.

Scherer, *Kirchenrecht.* = Scherer, *Handbuch des Kirchenrechtes.* Graz 1886 seq.

Stutz, *Kirchenrecht.* = Stutz, *Kirchenrecht.* (Holtzendorff's, *Encyclopädie der Rechtswissenschaft.* 6., der Neubearbeitung 1. Aufl. Berlin 1904. II. p. 808—972.)

NB. * Asteriscus denotat editiones a quibus singulos fontes repetii.

▬▬▬▬▬ (pag. 119) denotat interruptionem ordinis temporis.

In decretalibus ex editione lipsiensi secunda Corporis iuris canonici desumptis *italici* typi *partes decisas,* † partes a Raymundo de Peñaforte omissas denotant.

INDEX SYNOPTICUS.

I. ECCLESIA ANTIQUISSIMA.

II. POTESTAS ECCLESIASTICA ET IMPERIUM CIVILE.

III. ORDINATIO.

A) *Sacramentum Ordinis.*

B) *Incapacitas.*

C) *Irregularitas et defectu natalium.*

D) *Irregularitas et defectu corporis.*

IV. HIERAR. ORDINIS ET HIERAR. IURISDICTIONIS.

A) *Potestas ordinis.*

B) *Potestas iurisdictionis.*

α) Iurisdictio delegata.

β) Conservatores.

V. PONTIFEX ROMANUS.

A) *Primatus.*

VI. CARDINALES.

VII. CURIA ROMANA.

VIII. LEGATI PONTIFICII.

IX. METROPOLITAE.

X. EPISCOPI.

XI. CAPITULI.

XII. VICARII ET COADIUTORES EPISCOPORUM.

XIII. PAROCHI.

XIV. ORDINES ET CONGREGATIONES.

I. ECCLESIA ANTIQUISSIMA.

Bickel, *Geschichte des kanonischen Rechtes.* Giessen 1843. Ritschl, *Die Entstehung der altkatholischen Kirche.* Bonn 1857. Döllinger, *Christenthum und Kirche in der Zeit der Grundlegung.* Regensburg 1860. Idem, *Das Papsthum.* München 1892. Rothe, *Die Anfänge der christlichen Kirche und ihre Verfassung.* Wittemberg 1873. Hagemann, *Die röm. Kirche und ihr Einfluss auf Disciplin und Dogma in den ersten drei Jahrhunderten.* Berlin 1864. Probst, *Kirchliche Disciplin in den drei ersten Jahrhunderten.* Tübingen 1873. Weizäcker, *Das apostolische Zeitalter der christlichen Kirche.* Freiburg 1892. Winterstein, *Der Episcopat in den drei ersten christlichen Jahrhunderten.* Leipzig und Wien 1886. Loening, *Die Gemeindeverfassung des Urchristenthums.* Halle 1889. Hatch, *The Organisation of the Early Christian Churches.* Oxford and Cambridge 1881. Killen, *The Ancient Church.* London 1889. Duchesne, *Origines du culte chrétien.* Paris 1897[2]. Sobkowski, *Episcopat und Presbyteriat in den ersten christlichen Jahrhunderten.* Würzburg 1893. Réville, *Les origines de l'épiscopat.* Paris 1894. Gobet, *De l'origine de l'épiscopat.* Fribourg 1898. Wirgmann, *The Constitutional Authority of Bishops in the Cath. Church.* New-York 1899. Dunin-Borkowski, *Studien zur ältesten Literatur über den Ursprung des Episkopats.* Freiburg 1900 *(Hist. Jahrb. der Görresgesell.* XXI.). Semeria, *Dogma gerarchia e culto nella chiesa primitiva.* Roma 1900. Falconer, *From Apostle to Priest.* Edinburgh 1900. Mariano, *Il Cristianesimo nei primi secoli.* Firenze 1902. Batifol, *Études d'histoire et de Théologie.* Paris 1902. Harnack, *Die Mission und Ausbreitung des Christenthums in den ersten drei Jahrhunderten.* Leipzig 1902. Friedberg, §§ 5—9. Sohm, *Kirchenrecht.* T. I. Harnack, *Dogmengeschichte.* T. I. 300—754. K. Müller, *Kirchengeschichte.* I. 23—50. Hergenröther, *Kirchengeschichte,* 71—106.

---

1. DOCTRINA XII APOSTOLORUM.

Editio princeps: Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων..... Ὑπὸ Φιλοθέου Βρυεννίου, μητροπολίτου Νικομηδείας. Ἐν Κωνσταντινουπόλει 1883. — Editores et interpretes: Harnack, *Die Lehre der zwölf Apostel.* Leipzig 1884. Id. *Die Apostellehre und die jüdischen beiden Wege.* Ibid. 1886. Funk, *Opera patrum apostolicorum, I. Ed. nova Doctr. XII Apost. adaucta.* Tubingae, 1887. * Idem, *Doctrina XII Apostolorum.* Ibid. e. a. Sabatier, Διδαχὴ τῶν δώδεκα ἀποστόλων. *La Didaché ou l'enseignement des douze apôtres.* Paris 1885. Jacquier, *La Doctrine des douze apôtres.* Paris 1901. Maiocchi, *La dottrina dei dodici apostoli.* Ed. 2. Modena 1887. Chiappelli, *Studi di antica letteratura cristiana.* Torino 1887. Comba, in *Rivista cristiana,* XIII, Firenze 1885. Romestin, *The Teaching of the Twelfe Apostles.* Oxford, London 1884. Spence, *The Teaching of the Twelfe Apostles.* Londini 1885. Hitchcock and Brown, *The Teaching of the Twelfe Apostles.* New-York 1885. Schaft, *The oldest Church Manual called the Teaching of the Twelfe Apostles.* Ed. 3, New-York 1889.

ΔΙΔΑΧΗ
ΤΩΝ ΔΩΔΕΚΑ ΑΠΟΣΤΟΛΩΝ.

Διδαχὴ κυρίου διὰ τῶν δώδεκα ἀποστόλων τοῖς ἔθνεσιν.

Ι. Ὁδοὶ δύο εἰσί, μία τῆς ζωῆς καὶ μία τοῦ θανάτου, διαφορὰ δὲ πολλὴ μεταξὺ τῶν δύο ὁδῶν. 2. Ἡ μὲν οὖν ὁδὸς τῆς ζωῆς ἐστιν αὕτη· πρῶτον ἀγαπήσεις τὸν θεὸν τὸν ποιήσαντά σε, δεύτερον τὸν πλησίον σου ὡς σεαυτόν· πάντα δὲ ὅσα ἐὰν θελήσῃς μὴ γίνεσθαί σοι, καὶ σὺ ἄλλῳ μὴ ποίει. 3. Τούτων δὲ τῶν λόγων ἡ διδαχή ἐστιν αὕτη· Εὐλογεῖτε τοὺς καταρωμένους ὑμῖν καὶ προσεύχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν ὑμῶν, νηστεύετε δὲ ὑπὲρ τῶν διωκόντων ὑμᾶς· ποία γὰρ χάρις, ἐὰν ἀγαπᾶτε τοὺς ἀγαπῶντας ὑμᾶς; οὐχὶ καὶ τὰ ἔθνη τὸ αὐτὸ ποιοῦσιν; Ὑμεῖς δὲ ἀγαπᾶτε τοὺς μισοῦντας ὑμᾶς, καὶ οὐχ ἕξετε ἐχθρόν. 4. Ἀπέχου τῶν σαρκικῶν καὶ σωματικῶν ἐπιθυμιῶν. Ἐάν τίς σοι δῷ ῥάπισμα εἰς τὴν δεξιὰν σιαγόνα, στρέψον αὐτῷ καὶ τὴν ἄλλην, καὶ ἔσῃ τέλειος· ἐὰν ἀγγαρεύσῃ σέ τις μίλιον ἕν, ὕπαγε μετ' αὐτοῦ δύο· ἐὰν ἄρῃ τις τὸ ἱμάτιόν σου, δὸς αὐτῷ καὶ τὸν χιτῶνα· ἐὰν λάβῃ τις ἀπὸ σοῦ τὸ σόν, μὴ ἀπαίτει· οὐδὲ γὰρ δύνασαι· 5. Παντὶ τῷ αἰτοῦντί σε δίδου καὶ μὴ ἀπαίτει· πᾶσι γὰρ θέλει δίδοσθαι ὁ πατὴρ ἐκ τῶν ἰδίων χαρισμάτων. Μακάριος ὁ διδοὺς κατὰ τὴν ἐντολήν· ἀθῷος γάρ ἐστιν. Οὐαὶ τῷ

DOCTRINA
DUODECIM APOSTOLORUM.

[F. X. Funkii, latina ex graecis versio.] [1])

Doctrina Domini per duodecim apostolos gentibus tradita.

I. Duae viae sunt, altera vitae et altera mortis, sed multum interest inter duas vias. 2. Via igitur lucis haec est: *primum diliges Deum, qui te creavit, deinde proximum tuum sicut te ipsum; omnia* vero, *quaecunque* non *vis* tibi fieri, nec tu alteri facias, 3. Doctrina autem horum verborum haec est: *Benedicite maledicentibus vobis* et *orate pro inimicis vestris,* ieiunate *pro persequentibus vos; quae* enim *gratia, si diligitis eos, qui vos diligunt? Nonne et gentes idem faciunt?* Vos autem *diligite eos, qui oderunt vos,* neque inimicum habebitis 4. *Abstine a carnalibus* et corporalibus *cupiditatibus.* Si quis tibi plagam intulerit *in dexteram maxillam, praebe illi et alteram,* et *eris perfectns; si* quis *angariaverit te mille passus, vade cum illo duo milia:* si quis sustulerit *pallium tuum* da *ei et tunicam;* si quis abstulerit a te, *quod tuum est, ne repetas;* neque enim potes. 5. *Omni petenti te tribue neque repetas;* omnibus enim pater vult tribui ex suis donis. Beatus, qui dat secundum mandatum; innocens enim est. Vae ei, qui accipit; etenim si quis indigens quidem accipit, innocens erit; qui autem non indigens accipit, rationem reddet, quare acceperit et ad quid; in vinculis con-

[1]) F. X. Funkio, viro clarissimo, nec non H. Lauppio bibliopolae Tubingae, quum benigno eorum permissu factum sit, ut latinam hic versionem addi liceret, singulares, ut par est, gratias verbis amplissimis agimus. [A. G.]

λαμβάνοντι· εἰ μὲν γὰρ χρείαν ἔχων λαμβάνει τις, ἀθῷος ἔσται· ὁ δὲ μὴ χρείαν ἔχων δώσει δίκην, ἵνα τί ἔλαβε καὶ εἰς τί· ἐν συνοχῇ δὲ γενόμενος ἐξετασθήσεται περὶ ὧν ἔπραξε, καὶ οὐκ ἐξελεύσεται ἐκεῖθεν, μέχρις οὗ ἀποδῷ τὸν ἔσχατον κοδράντην. 6. Ἀλλὰ καὶ περὶ τούτου δὲ εἴρηται· Ἱδρωσάτω ἡ ἐλεημοσύνη σου εἰς τὰς χεῖράς σου, μέχρις ἂν γνῷς, τίνι δῷς.

II. Δευτέρα δὲ ἐντολὴ τῆς διδαχῆς· 2. Οὐ φονεύσεις, οὐ μοιχεύσεις, οὐ παιδοφθορήσεις, οὐ πορνεύσεις, οὐ κλέψεις, οὐ μαγεύσεις, οὐ φαρμακεύσεις οὐ φονεύσεις τέκνον ἐν φθορᾷ οὐδὲ γεννηθέντα ἀποκτενεῖς, οὐκ ἐπιθυμήσεις τὰ τοῦ πλησίου. 3. Οὐκ ἐπιορκήσεις, οὐ ψευδομαρτυρήσεις, οὐ κακολογήσεις, οὐ μνησικακήσεις. 4. Οὐκ ἔσῃ διγνώμων οὐδὲ δίγλωσσος· παγὶς γὰρ θανάτου ἡ διγλωσσία. 5. Οὐκ ἔσται ὁ λόγος σου ψευδής, οὐ κενός, ἀλλὰ μεμεστωμένος πράξει. 6. Οὐκ ἔσῃ πλεονέκτης οὐδὲ ἅρπαξ οὐδὲ ὑποκριτὴς οὐδὲ κακοήθης οὐδὲ ὑπερήφανος. Οὐ λήψῃ βουλὴν πονηρὰν κατὰ τοῦ πλησίου σου. 7. Οὐ μισήσεις πάντα ἄνθρωπον, ἀλλὰ οὓς μὲν ἐλέγξεις, [οὓς δὲ ἐλεήσεις], περὶ δὲ ὧν προσεύξῃ, οὓς δὲ ἀγαπήσεις ὑπὲρ τὴν ψυχήν σου.

III. Τέκνον μου, φεῦγε ἀπὸ παντὸς πονηροῦ καὶ ἀπὸ παντὸς ὁμοίου αὐτοῦ. 2. Μὴ γίνου ὀργίλος, ὁδηγεῖ γὰρ ἡ ὀργὴ πρὸς τὸν φόνον, μηδὲ ζηλωτὴς μηδὲ ἐριστικὸς μηδὲ θυμικός· ἐκ γὰρ τούτων ἁπάντων φόνοι γεννῶνται. 3. Τέκνον μου, μὴ γίνου ἐπιθυμητής, ὁδηγεῖ γὰρ ἡ ἐπιθυμία πρὸς τὴν πορνείαν, μηδὲ αἰσχρολό-

stitutus inquiretur de eis, quae fecit, neque *exibit inde, donec reddiderit novissimum quadrantem.* 6. Sed de hac re quoque dictum est: *Sudato eleemosyna tua in manibus tuis, donec cognoveris, cui des.*

II. Secundum autem mandatum doctrinae: 2. *Non occides, non adulterium facies,* pueros non corrumpes, non fornicaberis, *non furaberis,* non incantabis, venenum non miscebis, non interficies foetum in abortione neque interimes infantem natum, *non concupisces quae sunt proximi tui.* 3. *Non periurabis, non falsum testimonium dabis,* non maledices, iniuriae acceptae non recordaberis. 4. Non eris duplicis sententiae nec bilinguis; laqueus enim mortis lingua duplex. Non erit sermo tuus mendax neque inanis, sed repletus opere. 6. Non eris avarus neque rapax neque hypocrita neque malignus neque superbus; non capies malum consilium adversus proximum tuum. 7. Non oderis quemquam, sed alios argues, [aliorum misereberis], pro aliis orabis, alios amabis plus quam animam tuam.

III. Fili mi, fuge omne malum et quodcunque ei simile est. 2. Ne fias iracundus, ducit enim ira ad caedem, neque vehemens neque litigiosus neque violentus; ex his omnibus enim caedes nascuntur. 3. Fili mi, ne fias concupiscens, ducit enim concupiscentia ad fornicationem, neque verbis turpibus utaris neque oculum extol-

γος μηδὲ ὑψηλόφθαλμος· ἐκ γὰρ τούτων ἁπάντων μοιχεῖαι γεννῶνται. 4. Τέκνον μου, μὴ γίνου οἰωνοσκόπος, ἐπειδὴ ὁδηγεῖ εἰς τὴν εἰδωλολατρίαν, μηδὲ ἐπαοιδὸς, μηδὲ μαθηματικὸς μηδὲ περικαθαίρων, μηδὲ θέλε αὐτὰ βλέπειν· ἐκ γὰρ τούτων ἁπάντων εἰδωλολατρία γεννᾶται. 5. Τέκνον μου, μὴ γίνου ψεύστης, ἐπειδὴ ὁδηγεῖ τὸ ψεῦσμα εἰς τὴν κλοπήν, μηδέ φιλάργυρος μηδὲ κενόδοξος· ἐκ γὰρ τούτων ἁπάντων κλοπαὶ γεννῶνται. 6. Τέκνον μου, μὴ γίνου γόγγυσος, ἐπειδὴ ὁδηγεῖ εἰς τὴν βλασφημίαν, μηδὲ αὐθάδης μηδὲ πονηρόφρων· ἐκ γὰρ τούτων ἁπάντων βλασφημίαι γεννῶνται. 7. Ἴσθι δε πραΰς, ἐπεὶ οἱ πραεῖς κληρονομήσουσι τὴν γῆν. 8. Γίνου μακρόθυμος καὶ ἐλεήμων καὶ ἄκακος καὶ ἡσύχιος καὶ ἀγαθὸς καὶ τρέμων τοὺς λόγους διὰ παντός, οὓς ἤκουσας. 9. Οὐχ ὑψώσεις σεαυτὸν οὐδέ δώσεις τῇ ψυχῇ σου θράσος. Οὐ κολληθήσεται ἡ ψυχή σου μετὰ ὑψηλῶν, ἀλλὰ μετὰ δικαίων καὶ ταπεινῶν ἀναστραφήσῃ. 10. Τὰ συμβαίνοντά σοι ἐνεργήματα ὡς ἀγαθὰ προσδέξῃ, εἰδώς, ὅτι ἄτερ θεοῦ οὐδὲν γίνεται.

las; ex his omnibus enim adulteria nascuntur. 4. Fili mi, ne fias auspex. quoniam id ducit ad idololatriam, neque incantator neque mathematicus neque magus, neque ea velis videre; ex his enim omnibus idololatria nascitur. 5. Fili mi, ne fias mendax, quia mendacium ducit ad furtum, neque argenti neque inanis gloriae cupidus; ex his enim omnibus furta nascuntur. 6. Fili mi, ne fias morosus, quoniam id ducit ad blasphemiam, neque insolens neque improbus; ex his enim omnibus blasphemiae nascuntur. 7. Sis vero mansuetus, quoniam *mansueti hereditabunt terram.* 8. Fias longanimis et misericors et sincerus et quietus et bonus et contremiscens semper ad verba, quae audivisti. 9. Non exaltabis te ipsum neque animae tuae dabis insolentiam. Non adhaerebit anima tua superbis, sed iustis et humilibus uteris. 10. Quae tibi eveniunt, ea tanquam bona accipies, conscius, sine Deo nihil fieri.

IV. Τέκνον μου, τοῦ λαλοῦντός σοι τὸν λόγον τοῦ θεοῦ μνησθήσῃ νυκτὸς καὶ ἡμέρας, τιμήσεις δὲ αὐτὸν ὡς κύριον· ὅθεν γὰρ ἡ κυριότης λαλεῖται, ἐκεῖ κύριός ἐστιν. 2. Ἐκζητήσεις δὲ καθ' ἡμέραν τὰ πρόσωπα τῶν ἁγίων, ἵνα ἐπαναπαῇς τοῖς λόγοις αὐτῶν. 3. Οὐ ποιήσεις σχίσμα, εἰρηνεύσεις δὲ μαχομένους· κρινεῖς δικαίως, οὐ λήψῃ πρόσωπον ἐλέγξαι ἐπὶ παραπτώμασιν. 4. Οὐ διψυχήσεις, πότερον ἔσται ἢ οὔ.

IV. Fili mi, qui loquitur tibi verbum Dei, eius recordaberis nocte ac die, timebis eum sicut Dominum; unde enim dominium dicitur, ibi Dominus est. 2. Requires cotidie vultus sanctorum, ut requiescas in verbis eorum. 3. Non facies dissidium, sed pacabis pugnantes; iudicabis iuste, non accipies personam in arguendis cuiuspiam lapsibus. 4 Non ambiges, utrum futurum sit necne.

5. Μὴ γίνου πρὸς μὲν τὸ λαβεῖν ἐκτείνων τὰς χεῖρας, πρὸς δὲ τὸ δοῦναι συσπῶν. 6. Ἐὰν ἔχῃς διὰ τῶν χειρῶν σου, δώσεις λύτρωσιν ἁμαρτιῶν σου. 7. Οὐ διστάσεις δοῦναι οὐδὲ διδοὺς γογγύσεις· γνώσῃ γάρ, τίς ἐστιν ὁ τοῦ μισθοῦ καλὸς ἀνταποδότης. 8. Οὐκ ἀποστραφήσῃ τὸν ἐνδεόμενον, συγκοινωνήσεις δὲ πάντα τῷ ἀδελφῷ σου καὶ οὐκ ἐρεῖς ἴδια εἶναι· εἰ γὰρ ἐν τῷ ἀθανάτῳ κοινωνοί ἐστε, πόσῳ μᾶλλον ἐν τοῖς θνητοῖς;

9. Οὐκ ἀρεῖς τὴν χεῖρά σου ἀπὸ τοῦ υἱοῦ σου ἢ ἀπὸ τῆς θυγατρός σου, ἀλλὰ ἀπὸ νεότητος διδάξεις τὸν φόβον τοῦ θεοῦ. 10. Οὐκ ἐπιτάξεις δούλῳ σου ἢ παιδίσκῃ, τοῖς ἐπὶ τὸν αὐτὸν θεὸν ἐλπίζουσιν, ἐν πικρίᾳ σου, μήποτε οὐ μὴ φοβηθήσονται τὸν ἐπ' ἀμφοτέροις θεόν· οὐ γὰρ ἔρχεται κατὰ πρόσωπον καλέσαι, ἀλλ' ἐφ' οὓς τὸ πνεῦμα ἡτοίμασεν. 11. Ὑμεῖς δὲ δοῦλοι ὑποταγήσεσθε τοῖς κυρίοις ὑμῶν ὡς τύπῳ θεοῦ ἐν αἰσχύνῃ καὶ φόβῳ.

12. Μισήσεις πᾶσαν ὑπόκρισιν καὶ πᾶν ὃ μὴ ἀρεστὸν τῷ κυρίῳ. 13. Οὐ μὴ ἐγκαταλίπῃς ἐντολὰς κυρίου, φυλάξεις δὲ ἃ παρέλαβες, μήτε προστιθεὶς μήτε ἀφαιρῶν. 14. Ἐν ἐκκλησίᾳ ἐξομολογήσῃ τὰ παραπτώματά σου, καὶ οὐ προσελεύσῃ ἐπὶ προσευχήν σου ἐν συνειδήσει πονηρᾷ. Αὕτη ἐστὶν ἡ ὁδὸς τῆς ζωῆς.

V. Ἡ δὲ τοῦ θανάτου ὁδός ἐστιν αὕτη· πρῶτον πάντων πονηρά ἐστι καὶ κατάρας μεστή· φόνοι, μοιχεῖαι, ἐπιθυμίαι, πορνεῖαι, κλοπαί, εἰδωλολατρίαι, μαγεῖαι, φαρμακίαι, ἁρπαγαί, ψευδομαρτυρίαι, ὑποκρίσεις,

5. Noli porrigere manus tuas ad accipiendum, ad dandum vero contrahere. 6. Si quid habes per manus tuas, dabis pretium ad redimenda peccata tua. 7. Non dubitabis dare neque murmurabis, cum das; cognosces autem, quis sit bonus mercedis retributor. 8. Non repudiabis indigentem, communicabis autem in omnibus cum fratre tuo nec quidquam dices proprium: nam si in immortalibus consortes estis, quanto magis in mortalibus?

9. Non auferes manum tuam a filio tuo vel a filia tua, sed a pueritia docebis eos timorem Dei. 10. Non imperabis in amaritudine tua servo tuo vel ancillae, qui in eundem Deum sperant, ne forte non timeant Deum, qui super utrumque est: non enim venit secundum personam vocare, sed ad eos, quos spiritus praeparavit. 11. Vos autem servi subicimini dominis vestris tanquam imagini Dei in verecundia et timore.

12. Oderis omnem hypocrisin et quodcunque displicet Domino. 13. Ne derelinquas *mandata Domini, custodies* vero, quae accepisti, *neque addens, neque demens.* 14. In ecclesia confiteberis peccata tua, neque accedes ad orationem tuam in conscientia mala. Haec est via vitae.

V. Mortis vero via haec est: primum omnium mala est ac maledictionis plena: *caedes, adulteria,* concupiscentiae, *fornicationes, furta,* idololatriae, magiae, veneficia, rapinae, *falsa testimonia,* simulationes, cor

διπλοκαρδία, δόλος, ὑπερηφανία, κακία, αὐθάδεια, πλεονεξία, αἰσχρολογία, ζηλοτυπία, θρασύτης, ὕψος, ἀλαζονεία· 2. διῶκται ἀγαθῶν, μισοῦντες ἀλήθειαν, ἀγαπῶντες ψεῦδος, οὐ γινώσκοντες μισθὸν δικαιοσύνης, οὐ κολλώμενοι ἀγαθῷ οὐδὲ κρίσει δικαίᾳ, ἀγρυπνοῦντες οὐκ εἰς τὸ ἀγαθόν, ἀλλ' εἰς τὸ πονηρόν· ὧν μακρὰν πραΰτης καὶ ὑπομονή, μάταια ἀγαπῶντες, διώκοντες ἀνταπόδομα, οὐκ ἐλεοῦντες πτωχόν, οὐ πονοῦντες ἐπὶ καταπονουμένῳ, οὐ γινώσκοντες τὸν ποιήσαντα αὐτούς, φονεῖς τέκνων, φθορεῖς πλάσματος θεοῦ ἀποστρεφόμενοι τὸν ἐνδεόμενον, καταπονοῦντες τὸν θλιβόμενον, πλουσίων παράκλητοι, πενήτων ἄνομοι κριταί, πανθαμάρτητοι· ῥυσθείητε, τέκνα, ἀπὸ τούτων ἁπάντων.

duplex, *dolus, superbia, malitia,* arrogantia, *avaritia,* turpiloquium, invidia, insolentia, fastus, *ostentatio;* 2. bonorum persecutores, osores veritatis, amatores mendacii, non cognoscentes mercedem iustitiae, non *adhaerentes bono* neque iudicio iusto, vigilantes non ad bonum, sed ad malum, a quibus longe abest mansuetudo et patientia, qui *diligunt inania, sectantur remunerationem,* non miserentur inopis, non laborant de afflicto, non cognoscentes creatorem suum, *liberorum interemptores,* in abortione corrumpentes creaturam Dei, aversantes egenum, opprimentes afflictum, divitum advocati, pauperum iniqui iudices, omnibus peccatis inquinati; liberemini, filii, ab his omnibus.

VI. Ὅρα, μή τις σε πλανήσῃ ἀπὸ ταύτης τῆς ὁδοῦ τῆς διδαχῆς, ἐπεὶ παρεκτὸς θεοῦ σε διδάσκει. 2. Εἰ μὲν γὰρ δύνασαι βαστάσαι ὅλον τὸν ζυγὸν τοῦ κυρίου, τέλειος ἔσῃ· εἰ δ' οὐ δύνασαι, ὃ δύνῃ, τοῦτο ποίει. 3. Περὶ δὲ τῆς βρώσεως, ὃ δύνασαι βάστασον· ἀπὸ δὲ τοῦ εἰδωλοθύτου λίαν πρόσεχε· λατρεία γάρ ἐστι θεῶν νεκρῶν.

VI. Vide, ne quis te abducat ab hac via doctrinae, quoniam praeter Deum te docet. 2. Si enim totum iugum Domini portare potes, perfectus eris; si vero non potes, facias id, quod potes. 3. Quod ad cibum attinet, quod potes porta; immolata autem simulacrorum valde declina; servitus enim sunt deorum mortuorum.

VII. Περὶ δὲ τοῦ βαπτίσματος, οὕτω βαπτίσατε· ταῦτα πάντα προειπόντες, βαπτίσατε εἰς τὸ ὄνομα τοῦ πατρὸς καὶ τοῦ υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐν ὕδατι ζῶντι. 2. Ἐὰν δὲ μὴ ἔχῃς ὕδωρ ζῶν, εἰς ἄλλο ὕδωρ βάπτισον· εἰ δ' οὐ δύνασαι ἐν ψυχρῷ, ἐν θερμῷ. 3. Ἐὰν δὲ ἀμφότερα μὴ ἔχῃς, ἔκχεον εἰς τὴν κεφαλὴν τρὶς ὕδωρ εἰς ὄνομα πατρὸς καὶ υἱοῦ καὶ ἁγίου πνεύματος. 4. Πρὸ δὲ τοῦ βαπτίσματος

VII. De baptismo autem, sic baptizate; haec omnia postquam antea dixistis, *baptizate in nomine patris et filii et spiritus sancti* in aqua viva. 2. Sin autem non habes aquam vivam, in alia aqua baptiza; si non potes in frigida, in calida. 3. Sin autem neutram habes, effunde in caput ter aquam *in nomine patris et filii et spiritus sancti.* 4. Ante baptismum ieiunato baptizans et baptizandus et si qui alii possunt; baptizandum au-

προνηστευσάτω ὁ βαπτίζων καὶ ὁ βαπτιζόμενος καὶ εἴ τινες ἄλλοι δύνανται· κελεύσεις δὲ νηστεῦσαι τὸν βαπτιζόμενον πρὸ μιᾶς ἢ δύο.

tem iube ieiunare unum vel duos dies antea.

VIII. Αἱ δὲ νηστεῖαι ὑμῶν μὴ ἔστωσαν μετὰ τῶν ὑποκριτῶν· νηστεύουσι γὰρ δευτέρᾳ σαββάτων καὶ πέμπτῃ· ὑμεῖς δὲ νηστεύσατε τετράδα καὶ παρασκευήν. 2. Μηδὲ προσεύχεσθε ὡς οἱ ὑποκριταί, ἀλλ' ὡς ἐκέλευσεν ὁ κύριος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ αὐτοῦ, οὕτω προσεύχεσθε· Πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τῷ οὐρανῷ, ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου, ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου, γενηθήτω τὸ θέλημά σου ὡς ἐν οὐρανῷ καὶ ἐπὶ γῆς· τὸν ἄρτον ἡμῶν τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον, καὶ ἄφες ἡμῖν τὴν ὀφειλὴν ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν, καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμόν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ· ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ δύναμις καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. 3. Τρὶς τῆς ἡμέρας οὕτω προσεύχεσθε.

VIII. *Ieiunia vero* vestra ne fiant *cum hypocritis;* ieiunant enim secunda post sabbatum et quinta; vos autem ieiunate quarta et sexta. 2. Neque *orate sicut hypocritae,* sed sicut praecepit Dominus in Evangelio suo, *ita orate: Pater noster, qui es in caelis, sanctificetur nomen tuum, adveniat regnum tuum, fiat voluntas tua sicut in caelo et in terra; panem nostrum cotidianum da nobis hodie, et dimitte nobis debitum nostrum, sicut et nos dimittimus debitoribus nostris, et ne nos inducas in tentationem, sed libera nos a malo,* quoniam tua est virtus et gloria in saecula. 3. Ter in die sic orate.

IX. Περὶ δὲ τῆς εὐχαριστίας, οὕτως εὐχαριστήσατε· 2. πρῶτον περὶ τοῦ ποτηρίου· Εὐχαριστοῦμέν σοι, πάτερ ἡμῶν, ὑπὲρ τῆς ἁγίας ἀμπέλου Δαβὶδ τοῦ παιδός σου, ἧς ἐγνώρισας ἡμῖν διὰ Ἰησοῦ τοῦ παιδός σου· σοὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. 3. Περὶ δὲ τοῦ κλάσματος· Εὐχαριστοῦμέν σοι, πάτερ ἡμῶν, ὑπὲρ τῆς ζωῆς καὶ γνώσεως, ἧς ἐγνώρισας ἡμῖν διὰ Ἰησοῦ τοῦ παιδός σου· σοὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. 4. Ὥσπερ ἦν τοῦτο τὸ κλάσμα διεσκορπισμένον ἐπάνω τῶν ὀρέων καὶ συναχθὲν ἐγένετο ἕν, οὕτω συναχθήτω σου ἡ ἐκκλησία ἀπὸ τῶν περάτων τῆς γῆς εἰς τὴν σὴν βασιλείαν· ὅτι σοῦ ἐστιν

IX. Quod ad gratiarum actionem attinet, sic gratias agite; 2. primum de calice: Gratias tibi agimus, pater noster, pro sancta vite David pueri tui, quam indicasti nobis per Iesum puerum tuum; gloria tibi in saecula. 3. De pane fracto autem: Gratias tibi agimus, pater noster, pro vita et scientia, quam indicasti nobis per Iesum puerum tuum; gloria tibi in saecula. 4. Sicut hic panis fractus dispersus erat supra montes et collectus factus est unus, ita colligatur ecclesia tua a finibus terrae in regnum tuum; quoniam tua est gloria et virtus per Iesum Christum in saecula. 5. Nemo autem edat neque bibat a vestra gratiarum

ἡ δόξα καὶ ἡ δύναμις διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ εἰς τοὺς αἰῶνας. 5. Μηδεὶς δὲ φαγέτω μηδὲ πιέτω ἀπὸ τῆς εὐχαριστίας ὑμῶν, ἀλλ' οἱ βαπτισθέντες εἰς ὄνομα κυρίου· καὶ γὰρ περὶ τούτου εἴρηκεν ὁ κύριος· Μὴ δῶτε τὸ ἅγιον τοῖς κυσί.

actione, nisi qui baptizati sunt in nomine Iesu; de hoc etenim dixit Dominus: *Ne date sanctum canibus.*

X. Μετὰ δὲ τὸ ἐμπλησθῆναι οὕτως εὐχαριστήσατε· 2. Εὐχαριστοῦμέν σοι, πάτερ ἅγιε, ὑπὲρ τοῦ ἁγίου ὀνόματός σου, οὗ κατεσκήνωσας ἐν ταῖς καρδίαις ἡμῶν, καὶ ὑπὲρ τῆς γνώσεως καὶ πίστεως καὶ ἀθανασίας, ἧς ἐγνώρισας ἡμῖν διὰ Ἰησοῦ τοῦ παιδός σου· σοὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. 3. Σύ, δέσποτα παντοκράτορ, ἔκτισας τὰ πάντα ἕνεκεν τοῦ ὀνόματός σου, τροφήν τε καὶ ποτὸν ἔδωκας τοῖς ἀνθρώποις εἰς ἀπόλαυσιν, ἵνα σοι εὐχαριστήσωσιν, ἡμῖν δὲ ἐχαρίσω πνευματικὴν τροφὴν καὶ ποτὸν καὶ ζωὴν αἰώνιον διὰ τοῦ παιδός σου. 4. Πρὸ πάντων εὐχαριστοῦμέν σοι, ὅτι δυνατὸς εἶ· σοὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. 5. Μνήσθητι, κύριε, τῆς ἐκκλησίας σου τοῦ ῥύσασθαι αὐτὴν ἀπὸ παντὸς πονηροῦ καὶ τελειῶσαι αὐτὴν ἐν τῇ ἀγάπῃ σου, καὶ σύναξον αὐτὴν ἀπὸ τῶν τεσσάρων ἀνέμων τὴν ἁγιασθεῖσαν, εἰς τὴν σὴν βασιλείαν, ἣν ἡτοίμασας αὐτῇ· ὅτι σοῦ ἐστιν ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. 6. Ἐλθέτω χάρις καὶ παρελθέτω ὁ κόσμος οὗτος. Ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβίδ. Εἴ τις ἅγιός ἐστιν, ἐρχέσθω· εἴ τις οὐκ ἔστι, μετανοείτω· μαρὰν ἀθά· ἀμήν. 7. Τοῖς δὲ προφήταις ἐπιτρέπετε εὐχαριστεῖν, ὅσα θέλουσιν.

X. Postquam autem impleti estis, sic gratias agite: 2. Gratias tibi agimus, pater sancte, pro sancto nomine tuo, quod fecisti ut habitet in cordibus nostris, et pro scientia et fide et immortalitate, quam indicasti nobis per Iesum puerum tuum; gloria tibi in saecula. 3. Tu, Domine omnipotens, *creasti omnia* propter nomen tuum, et cibum potumque dedisti hominibus ad fruendum, ut tibi gratias agant, nobis autem largitus es spiritualem cibum et potum et vitam aeternam per puerum tuum. 4. Ante omnia gratias tibi agimus, quod potens es; gloria tibi in saecula. 5. Recordare, Domine, ecclesiae tuae, ut eam liberes ab omni malo eamque perficias in caritate tua, *et collige* eam *a quattuor ventis* sanctificatam in regnum tuum, quod ei parasti, quoniam tua est virtus et gloria in saecula. 6. Adveniat gratia et praetereat mundus hic. *Hosanna filio David.* Si quis sanctus est, accedat; si quis non est, paenitentiam agat. *Maranatha,* Amen. 7. Prophetis vero permittite gratias agere, quantas volunt.

XI. Ὃς ἂν οὖν ἐλθὼν διδάξῃ ὑμᾶς ταῦτα πάντα τὰ προειρημένα, δέξασθε αὐτόν· 2. ἐὰν δὲ αὐτὸς

XI. Qui igitur ad vos veniens docuerit vos haec omnia praedicta, eum suscipite. 2. Sin autem doctor ipse

ὁ διδάσκων στραφεὶς διδάσκῃ ἄλλην διδαχὴν εἰς τὸ καταλῦσαι, μὴ αὐτοῦ ἀκούσητε· εἰς δὲ τὸ προσθεῖναι δικαιοσύνην καί γνῶσιν κυρίου, δέξασθε αὐτὸν ὡς κύριον.

3. Περὶ δὲ τῶν ἀποστόλων καὶ προφητῶν, κατὰ τὸ δόγμα τοῦ εὐαγγελίου οὕτω ποιήσατε. 4. Πᾶς δὲ ἀπόστολος ἐρχόμενος πρὸς ὑμᾶς δεχθήτω ὡς κύριος· 5. οὐ μενεῖ δὲ εἰ μὴ ἡμέραν μίαν· ἐάν δὲ ᾖ χρεία, καὶ τὴν ἄλλην· τρεῖς δὲ ἐὰν μείνῃ, ψευδοπροφήτης ἐστίν. 6. Ἐξερχόμενος δὲ ὁ ἀπόστολος μηδὲν λαμβανέτω εἰ μὴ ἄρτον, ἕως οὗ αὐλισθῇ· ἐὰν δὲ ἀργύριον αἰτῇ, ψευδοπροφήτης ἐστί.

7. Καὶ πάντα προφήτην λαλοῦντα ἐν πνεύματι οὐ πειράσετε οὐδὲ διακρινεῖτε· πᾶσα γὰρ ἁμαρτία ἀφεθήσεται, αὕτη δὲ ἡ ἁμαρτία οὐκ ἀφεθήσεται. 8. Οὐ πᾶς δὲ ὁ λαλῶν ἐν πνεύματι προφήτης ἐστίν, ἀλλ' ἐὰν ἔχῃ τοὺς τρόπους κυρίου. Ἀπὸ οὖν τῶν τρόπων γνωσθήσεται ὁ ψευδοπροφήτης καὶ ὁ προφήτης. 9. Καὶ πᾶς προφήτης ὁρίζων τράπεζαν ἐν πνεύματι, οὐ φάγεται ἀπ' αὐτῆς, εἰ δὲ μήγε, ψευδοπροφήτης ἐστί. 10. Πᾶς δὲ προφήτης διδάσκων τὴν ἀλήθειαν, εἰ ἃ διδάσκει οὐ ποιεῖ, ψευδοπροφήτης ἐστί. 11. Πᾶς δὲ προφήτης δεδοκιμασμένος ἀληθινός, ποιῶν εἰς μυστήριον κοσμικὸν ἐκκλησίας, μὴ διδάσκων δὲ ποιεῖν, ὅσα αὐτὸς ποιεῖ, οὐ κριθήσεται ἐφ' ὑμῶν. μετὰ θεοῦ γὰρ ἔχει τὴν κρίσιν· ὡσαύτως γὰρ ἐποίησαν καὶ οἱ ἀρχαῖοι προφῆται. 12. Ὃς δ' ἂν εἴπῃ ἐν πνεύματι· Δός μοι ἀργύρια ἢ ἕτερά τινα, οὐκ ἀκού-

perversus doceat aliam doctrinam, ita ut dissolvat, ne eum audite; si vero docet, ita ut addat iustitiam et scientiam Domini, suscipite eum sicut Dominum.

3. Quod autem apostolos attinet et prophetas, secundum decretum Evangelii sic facite. 4. Omnis apostolus veniens ad vos suscipiatur sicut Dominus; 5. non autem manebit nisi unum diem, si opus est et alterum; tres autem si maneat, pseudopropheta est. 6. Abiens vero apostolus nihil accipiat nisi panem, donec devertat; si argentum poscit, pseudopropheta est.

7. Et omnem prophetam loquentem in spiritu ne tentate neque discernite; *omne* enim *peccatum remittetur,* hoc autem peccatum *non remittetur.* 8. Non omnis, qui loquitur in spiritu, propheta est, sed si habet mores Domini; ex moribus igitur cognoscetur pseudopropheta et propheta. 9. Et nullus propheta decernens mensam in spiritu edet ab ea, nisi pseudopropheta est. 10. Omnis autem propheta docens veritatem, si quae docet non facit, pseudopropheta est. 11. Omnis vero propheta probatus verus, qui facit congregationes in mysterium mundanum, nec vero docet omnia facienda esse, quae ipse facit, non iudicabitur apud vos; cum Deo enim habet iudicium; eodem enim modo egerant et veteres prophetae. 12. Qui autem dixerit in spiritu: Da mihi argentum et alia quaedam, ne eum audiatis; si vero dixerit, ut pro aliis indigentibus detur, nemo eum iudicet.

σεσθε αὐτοῦ· ἐὰν δὲ περὶ ἄλλων ὑστερούντων εἴπῃ δοῦναι, μηδεὶς αὐτὸν κρινέτω.

XII. Πᾶς δὲ ὁ ἐρχόμενός ἐν ὀνόματι κυρίου δεχθήτω· ἔπειτα δὲ δοκιμάσαντες αὐτὸν γνώσεσθε, σύνεσιν γὰρ ἕξετε δεξιὰν καὶ ἀριστεράν. 2. Εἰ μὲν παρόδιός ἐστιν ὁ ἐρχόμενος, βοηθεῖτε αὐτῷ, ὅσον δύνασθε· οὐ μενεῖ δὲ πρὸς ὑμᾶς εἰ μὴ δύο ἢ τρεῖς ἡμέρας, ἐὰν ᾖ ἀνάγκη. 3. Εἰ δὲ θέλει πρὸς ὑμᾶς καθίσαι, τεχνίτης ὤν, ἐργαζέσθω καὶ φαγέτω. 4. Εἰ δὲ οὐκ ἔχει τέχνην, κατὰ τὴν σύνεσιν ὑμῶν προνοήσατε, πῶς μὴ ἀργὸς μεθ' ὑμῶν ζήσεται Χριστιανός. 5. Εἰ δ' οὐ θέλει οὕτω ποιεῖν, χριστέμπορός ἐστί· προσέχετε ἀπὸ τῶν τοιούτων.

XII. Omnis, qui *venit in nomine Domini,* suscipiatur; postea autem probantes eum cognoscetis, intellectum enim habebitis diiudicantem dexteram et sinistram. 2. Si quidem veniens transiens est, adiuvate eum quantum potestis; non manebit autem apud vos nisi duos vel tres dies, si necessarium est. 3. Si vero apud vos considere vult et artifex est, laborato et edito. 4. Sin non exercet artem, pro prudentia vestra curate, ne piger vobiscum vivat Christianus. 5. Si non vult ita facere, a Christo lucrum quaerit; attendite a talibus.

XIII. Πᾶς δὲ προφήτης ἀληθινός, θέλων καθίσαι πρὸς ὑμᾶς, ἄξιός ἐστι τῆς τροφῆς αὐτοῦ. 2. Ὡσαύτως διδάσκαλος ἀληθινός ἐστιν ἄξιος καὶ αὐτὸς ὥσπερ ὁ ἐργάτης τῆς τροφῆς αὐτοῦ· 3. Πᾶσαν οὖν ἀπαρχὴν γεννημάτων ληνοῦ καὶ ἅλωνος, βοῶν τε καὶ προβάτων λαβὼν δώσεις τὴν ἀπαρχὴν τοῖς προφήταις· αὐτοὶ γάρ εἰσιν οἱ ἀρχιερεῖς ὑμῶν. 4. Ἐὰν δὲ μὴ ἔχητε προφήτην, δότε τοῖς πτωχοῖς. 5. Ἐὰν σιτίαν ποιῇς, τὴν ἀπαρχὴν λαβὼν δὸς κατὰ τὴν ἐντολήν. 6. Ὡσαύτως κεράμιον οἴνου ἢ ἐλαίου ἀνοίξας, τὴν ἀπαρχὴν λαβὼν δὸς τοῖς προφήταις· 7. ἀργυρίου δὲ καὶ ἱματισμοῦ καὶ παντὸς κτήματος λαβὼν τὴν ἀπαρχὴν ὡς ἂν σοι δόξῃ, δὸς κατὰ τὴν ἐντολήν.

XIII. Omnis verus propheta, volens considere apud vos, *dignus est cibo suo.* 2. Similiter doctor verus et ipse *dignus* est sicut *operarius cibo suo.* 3. Omnes ergo primitias provenientes e torculari, area et bobus atque ovibus sumes, ac dabis primitias prophetis; ipsi enim sunt summi sacerdotes vestri. 4. Sin autem non habetis prophetam, date pauperibus. 5. Si panem facis, sume primitias et da secundum praeceptum. 6. Similiter si urceum vini vel olei aperis, sume primitias et da prophetis. 7. Argenti et vestimenti omnisque possessionis sume primitias, sicut tibi placet, et da secundum praeceptum.

XIV. Κατὰ κυριακὴν δὲ κυρίου συναχθέντες κλάσατε ἄρτον καὶ εὐχαριστήσατε, προεξομολογησάμενοι τὰ παραπτώματα ὑμῶν, ὅπως

XIV. Die dominica autem convenientes frangite panem et gratias agite, postquam delicta vestra confessi estis, ut sit mundum sacrificium vestrum.

καθαρὰ ἡ θυσία ὑμῶν ᾖ. 2. Πᾶς δὲ ἔχων τὴν ἀμφιβολίαν μετὰ τοῦ ἑταίρου αὐτοῦ μὴ συνελθέτω ὑμῖν, ἕως οὗ διαλλαγῶσιν, ἵνα μὴ κοινωθῇ ἡ θυσία ὑμῶν· 3. αὕτη γάρ ἐστιν ἡ ῥηθεῖσα ὑπὸ κυρίου. Ἐν παντὶ τόπῳ καὶ χρόνῳ προσφέρειν μοι θυσίαν καθαράν· ὅτι βασιλεὺς μέγας εἰμί, λέγει κύριος, καὶ τὸ ὄνομά μου θαυμαστὸν ἐν τοῖς ἔθνεσι.

Omnis vero, cui est controversia cum amico suo, ne conveniat vobiscum, donec reconciliati sunt, ne inquinetur sacrificium vestrum. 3. Hoc enim est dictum a Domino: *In omni loco* et tempore *offeratur mihi sacrificium mundum, quoniam rex magnus sum, dicit Dominus, et nomen meum mirabile in gentibus.*

XV. Χειροτονήσατε οὖν ἑαυτοῖς ἐπισκόπους καὶ διακόνους ἀξίους τοῦ κυρίου, ἄνδρας πραεῖς καὶ ἀφιλαργύρους καὶ ἀληθεῖς καὶ δεδοκιμασμένους· ὑμῖν γὰρ λειτουργοῦσι καὶ αὐτοὶ τὴν λειτουργίαν τῶν προφητῶν καὶ διδασκάλων. 2. Μὴ οὖν ὑπερίδητε αὐτούς· αὐτοὶ γάρ εἰσιν οἱ τετιμημένοι ὑμῶν μετὰ τῶν προφητῶν καὶ διδασκάλων.

XV. Constituite igitur vobis episcopos et diaconos dignos Domino, viros mansuetos et argenti non cupidos et veraces et probatos; vobis enim ministrant et ipsi ministerium prophetarum et doctorum. 2. Ne igitur contemnatis eos; ipsi enim sunt honorati inter vos una cum prophetis et doctoribus.

3. Ἐλέγχετε δὲ ἀλλήλους μὴ ἐν ὀργῇ, ἀλλ' ἐν εἰρήνῃ, ὡς ἔχετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ· καὶ παντὶ ἀστοχοῦντι κατὰ τοῦ ἑτέρου μηδεὶς λαλείτω μηδὲ παρ' ὑμῶν ἀκουέσθω, ἕως οὗ μετανοήσῃ. 4. Τὰς δὲ εὐχὰς ὑμῶν καὶ τὰς ἐλεημοσύνας καὶ πάσας τὰς πράξεις οὕτω ποιήσατε, ὡς ἔχετε ἐν τῷ εὐαγγελίῳ τοῦ κυρίου ἡμῶν.

3. Arguite autem vos invicem, non in ira, sed in aequanimitate, sicut habetis in Evangelio; et si quis adversus alium deliquerit, nemo loquatur cum eo, neque apud vos audiatur, donec paenitentiam egerit. 4. Orationes vestras et eleemosynas omnesque actiones ita facite, sicut habetis in Evangelio Domini nostri.

XVI. Γρηγορεῖτε ὑπὲρ τῆς ζωῆς ὑμῶν· οἱ λύχνοι ὑμῶν μὴ σβεσθήτωσαν, καὶ αἱ ὀσφύες ὑμῶν μὴ ἐκλυέσθωσαν, ἀλλὰ γίνεσθε ἕτοιμοι· οὐ γὰρ οἴδατε τὴν ὥραν, ἐν ᾗ ὁ κύριος ἡμῶν ἔρχεται. 2. Πυκνῶς δὲ συναχθήσεσθε ζητοῦντες τὰ ἀνήκοντα ταῖς ψυχαῖς ὑμῶν· οὐ γὰρ ὠφελήσει ὑμᾶς ὁ πᾶς χρόνος τῆς πίστεως ὑμῶν, ἐὰν μὴ ἐν τῷ ἐσχάτῳ καιρῷ τελειωθῆτε. 3. Ἐν γὰρ ταῖς ἐσχάταις ἡμέραις πληθυνθήσονται οἱ ψευδοπροφῆται καὶ οἱ φθορεῖς, καὶ

XVI. *Vigilate* pro vita vestra; *lucernae vestrae* ne deleantur, *neque lumbi vestri* solvantur, sed *parati estote; ignoratis* enim *horam, in qua Dominus noster veniet.* 2. Crebro autem convenietis, quaerentes quae spectant ad animas vestras; nihil enim proderit vobis omne tempus fidei vestrae, nisi in tempore novissimo perfecti fueritis. 3. Namque in diebus novissimis multiplicabuntur falsi prophetae et corruptores, et convertentur oves in lupos, et caritas con-

στραφήσονται τὰ πρόβατα εἰς λύκους, καὶ ἡ ἀγάπη στραφήσεται εἰς μίσος· 4. αὐξανούσης γὰρ τῆς ἀνομίας μισήσουσιν ἀλλήλους καὶ διώξουσι καὶ παραδώσουσι, καὶ τότε φανήσεται ὁ κοσμοπλάνος ὡς υἱὸς θεοῦ καὶ ποιήσει σημεῖα καὶ τέρατα, καὶ ἡ γῆ παραδοθήσεται εἰς χεῖρας αὐτοῦ, καὶ ποιήσει ἀθέμιτα, ἃ οὐδέποτε γέγονεν ἐξ αἰῶνος. 5. Τότε ἥξει ἡ κτίσις τῶν ἀνθρώπων εἰς τὴν πύρωσιν τῆς δοκιμασίας, καὶ σκανδαλισθήσονται πολλοὶ καὶ ἀπολοῦνται, οἱ δὲ ὑπομείναντες ἐν τῇ πίστει αὐτῶν σωθήσονται ἀπ' αὐτοῦ τοῦ καταθέματος. 6. Καὶ τότε φανήσεται τὰ σημεῖα τῆς ἀληθείας· πρῶτον σημεῖον ἐκπετάσεως ἐν οὐρανῷ, εἶτα σημεῖον φωνῆς σάλπιγγος, καὶ τὸ τρίτον ἀνάστασις νεκρῶν· 7. οὐ πάντων δέ, ἀλλ' ὡς ἐρρέθη· Ἥξει ὁ κύριος καὶ πάντες οἱ ἅγιοι μετ' αὐτοῦ. 8. Τότε ὄψεται ὁ κόσμος τὸν κύριον ἐρχόμενον ἐπάνω τῶν νεφελῶν τοῦ οὐρανοῦ.

vertetur in odium. 4. Cum enim aucta fuerit iniquitas, odio se invicem habebunt et persequentur et prodent; ac tum apparebit orbis deceptor tanquam filius Dei et faciet *signa et prodigia*, et terra tradetur in manus eius, et faciet iniqua, quae nunquam facta sunt a saeculis. 5. Tum veniet creatura hominum in ignem probationis, *et scandalizabuntur multi* atque peribunt; *qui vero perseveraverint* in fide sua, *salvabuntur* ex maledicto ipso. 6. *Tuncque apparebunt signa* veritatis; primum signum caeli aperti, deinde *signum tubae,* et tertium resurrectio mortuorum, 7. neque vero omnium, sed sicut dictum est: *Veniet Dominus et omnes sancti cum eo.* 8. *Tunc videbit* mundus Dominum *venientem supra nubes caeli.*

2. CLEMENS ROMANUS.

Ad Corinthios epistula I.

* *Patr. Ap. Opera,* I. 1. ed. 2. Funk, *O. P. A.* T. 1. Lightfoot, *Apostolic Fathers,* P. I. 1, p. 14 seq. Knopf, in *Texte u. Unters.* N. S., V, 1. Leipzig 1899. Harnack, *Altchr. Liter.* II, 1. 438—450. Bardenhewer, § 8. Duchesne, *Liber pontificalis,* I, p. LXXI—LXXXIII. Funk, *Abh. u. Unt.,* I. 308—329. R. A. Lipsius, *De Clementis Romani Epistola ad Corinthios priore disquisitio.* Lipsiae 1885. Bruell, *Der erste Brief des Clemens von Rom an die Korinther und seine geschichtliche Bedeutung.* Freiburg i. B. 1893. Wrede, *Untersuchungen zum ersten Clemensbrief.* Göttingen 1891. Courtois, *L'Épitre de Clement de Rome.* Montauban 1894. Bang, *Studien über Clemens Romanus* in *Theol. Studien und Kritiken.* LXXI (1898) 431—86. Loening, *Gemeindeverfassung* pag. 114—138. Stahl, *Patristische Untersuchungen,* I. Leipzig 1901. Scherer, *Der erste Clemensbrief an die Corinther nach seiner Bedeutung für die Glaubenslehre etc.* Regensburg 1902.

XXXVII. Στρατευσώμεθα οὖν, ἄνδρες ἀδελφοί, μετὰ πάσης εκτενείας ἐν τοῖς ἀμώμοις προστάγμασιν αὐτοῦ. 2. κατανοήσωμεν τοὺς στρα-

XXXVII. Militemus igitur, viri fratres, omnibus viribus sub inculpatis eius praeceptis. 2. consideremus milites qui sub ducibus nostris merent,

τευομένους τοῖς ἡγουμένοις ἡμῶν, πῶς εὐτάκτως, πῶς εὐείκτως, πῶς ὑποτεταγμένως ἐπιτελοῦσιν τὰ διατασσόμενα. 3. οὐ πάντες εἰσὶν ἔπαρχοι οὐδὲ χιλίαρχοι οὐδὲ ἑκατόνταρχοι οὐδὲ πεντηκόνταρχοι οὐδὲ τὸ καθεξῆς, ἀλλ' ἕκαστος ἐν τῷ ἰδίῳ τάγματι τὰ ἐπιτασσόμενα ὑπὸ τοῦ βασιλέως καὶ τῶν ἡγουμένων ἐπιτελεῖ. 4. οἱ μεγάλοι δίχα τῶν μικρῶν οὐ δύνανται εἶναι, οὔτε οἱ μικροὶ δίχα τῶν μεγάλων· σύγκρασίς τις ἐστὶν ἐν πᾶσιν, καὶ ἐν τούτοις χρῆσις· 5. Λάβωμεν τὸ σῶμα ἡμῶν· ἡ κεφαλὴ δίχα τῶν ποδῶν οὐδέν ἐστιν, οὕτως οὐδὲ οἱ πόδες δίχα τῆς κεφαλῆς· τὰ δὲ ἐλάχιστα μέλη τοῦ σώματος ἡμῶν ἀναγκαῖα καὶ εὔχρηστά εἰσιν ὅλῳ τῷ σώματι· ἀλλὰ πάντα συνπνεῖ καὶ ὑποταγῇ μιᾷ χρῆται εἰς τὸ σώζεσθαι δλον τὸ σῶμα.

quam ordinate, quam oboedienter, quam submisse imperata exsequantur. 3. non omnes sunt praefecti neque chiliarchae neque centuriones neque quinquagenarii et sic deinceps, unusquisque vero in suo ordine et statione quae a rege et ducibus imperantur peragit. 4. magni sine parvis et parvi sine magnis consistere nequeunt; mixti sunt omnes, et inde utilitas. 5. Exemplo nobis sit corpus nostrum. caput sine pedibus nihil est, prout neque pedes sine capite; minima autem corporis nostri membra universo corpori necessaria et utilia sunt; immo cuncta conspirant et una se subiciunt, ut salvum sit totum corpus.

XL. Προδήλων οὖν ἡμῖν ὄντων τούτων, καὶ ἐγκεκυφότες εἰς τὰ βάθη τῆς θείας γνώσεως, πάντα τάξει ποιεῖν ὀφείλομεν ὅσα ὁ δεσπότης ἐπιτελεῖν ἐκέλευσεν κατὰ καιροὺς τεταγμένους· 2. τάς τε προσφορὰς καὶ λειτουργίας ἐπιτελεῖσθαι, καὶ οὐκ εἰκῆ ἢ ἀτάκτως ἐκέλευσεν γίνεσθαι, ἀλλ' ὡρισμένοις καιροῖς καὶ ὥραις· 3. ποῦ τε καὶ διὰ τίνων ἐπιτελεῖσθαι θέλει, αὐτὸς ὥρισεν τῇ ὑπερτάτῳ αὐτοῦ βουλήσει, ἵν' ὁσίως πάντα γινόμενα ἐν εὐδοκήσει εὐπρόσδεκτα εἴη τῷ θελήματι αὐτοῦ. 4. Οἱ οὖν τοῖς προστεταγμένοις καιροῖς ποιοῦντες τὰς προσφορὰς αὐτῶν εὐπρόσδεκτοί τε καὶ μακάριοι· τοῖς γὰρ νομίμοις τοῦ δεσπότου ἀκολουθοῦντες οὐ διαμαρτάνουσιν. 5. τῷ γὰρ ἀρχιερεῖ ἴδιαι λειτουρ-

XL. Cum igitur haec nobis sint manifesta et in profunda divinae cognitionis nos introspexerimus, cuncta ordine debemus facere quae nos dominus statutis temporibus peragere iussit: 2. oblationes scilicet et officia sacra diligenter perfici, neque temere vel inordinate fieri praecepit, sed statutis temporibus et horis. 3. idem ubi eas et a quibus celebrari vult, ipse excelsissima sua voluntate definivit, ut religiose omnia secundum eius beneplacitum adimpleta accepta essent voluntati eius. 4. Qui ergo adsignatis temporibus oblationes suas faciunt, accepti et beati sunt; domini enim mandata sequentes non aberrant. 5. summo quippe sacerdoti sua munera tributa sunt, sacerdotibus locus proprius adsignatus est, et Levitis sua

γίαι δεδομέναι εἰσίν, καὶ τοῖς ἱερεῦσιν ἴδιος ὁ τόπος προστέτακται, καὶ Λευίταις ἴδιαι διακονίαι ἐπικεινται· ὁ λαϊκὸς ἄνθρωπος τοῖς λαϊκοῖς προστάγμασιν δέδεται.

ministeria incumbunt. homo laicus praeceptis laicis constringitur.

XLII. Οἱ ἀπόστολοι ἡμῖν εὐηγγελίσθησαν ἀπὸ τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἀπὸ τοῦ θεοῦ ἐξεπέμφθη. 2. ὁ Χριστὸς οὖν ἀπὸ τοῦ θεοῦ, καὶ οἱ ἀπόστολοι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ· ἐγένοντο οὖν ἀμφότερα εὐτάκτως ἐκ θελήματος θεοῦ. 3. παραγγελίας οὖν λαβόντες καὶ πληροφορηθέντες διὰ τῆς ἀναστάσεως τοῦ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ πιστωθέντες ἐν τῷ λόγῳ τοῦ θεοῦ, μετὰ πληροφορίας πνεύματος ἁγίου ἐξῆλθον εὐεὐαγγελιζόμενοι τὴν βασιλείαν τοῦ θεοῦ μέλλειν ἔρχεσθαι. 4. κατὰ χώρας οὖν καὶ πόλεις κηρύσσοντες καθίστανον τὰς ἀπαρχὰς αὐτῶν, δοκιμάσαντες τῷ πνεύματι, εἰς ἐπισκόπους καὶ διακόνους τῶν μελλόντων πιστεύειν. 5. καὶ τοῦτο οὐ καινῶς· ἐκ γὰρ δὴ πολλῶν χρόνων ἐγέγραπτο περὶ ἐπισκόπων καὶ διακόνων. οὕτως γάρ που λέγει ἡ γραφή· Καταστήσω τοὺς ἐπισκόπους αὐτῶν ἐν δικαιοσύνῃ καὶ τοὺς διακόνους αὐτῶν ἐν πίστει.

XLII. Apostoli nobis evangelii praedicatores facti sunt a domino Iesu Christo, Iesus Christus missus est a deo. 2. Christus igitur a deo, et apostoli a Christo; et factum est utrumque ordinatim ex voluntate dei. 3. itaque acceptis mandatis et per resurrectionem domini Iesu Christi plena certitudine imbuti deique verbo confirmati, cum certa spiritus sancti fiducia egressi sunt adnunciantes regni dei adventum. 4. per regiones igitur et urbes verbum praedicantes primitias earum spiritu cum probassent, constituerunt episcopos et diaconos eorum qui credituri erant. 5. neque hoc quidem novum institutum fuit; multis enim retro saeculis de episcopis et diaconis scriptum est. sic enim alicubi dicit scriptura: *Constituam episcopos eorum in iustitia et diaconos eorum in fide.*

XLIII. Καὶ τί θαυμαστὸν εἰ οἱ ἐν Χριστῷ πιστευθέντες παρὰ θεοῦ ἔργον τοιοῦτο κατέστησαν τοὺς προειρημένους; ὅπου καὶ ὁ μακάριος πιστὸς θεράπων ἐν ὅλῳ τῷ οἴκῳ Μωϋσῆς τὰ διατεταγμένα αὐτῷ πάντα ἐσημειώσατο ἐν ταῖς ἱεραῖς βίβλοις, ᾧ καὶ ἐπηκολούθησαν οἱ λοιποὶ προφῆται, συνεπιμαρτυροῦντες τοῖς ὑπ' αὐτοῦ νενομοθετημένοις. 2. ἐκεῖνος γάρ, ζήλου ἐμπε-

XLIII. Et quid mirum eos quibus in Christo a deo hoc munus commissum fuit praedictos constituisse? cum beatus Moses, *fidelis servus in universa domo,* omnia quae ipsi mandata erant in sacris libris notaverit; quem ceteri prophetae secuti sunt, iis quae ab ipso sancita sunt testimonium pariter perhibentes. 2. ille enim, cum aemulatio pro sacerdotio incidisset et tribus inter se dissentirent

σόντος περὶ τῆς ἱερωσύνης καὶ στασιαζουσῶν τῶν φυλῶν ὁποία αὐτῶν εἴη τῷ ἐνδόξῳ ὀνόματι κεκοσμημένη, ἐκέλευσεν τοὺς δώδεκα φυλάρχους προσενεγκεῖν αὐτῷ ῥάβδους ἐπιγεγραμμένας ἑκάστης φυλῆς κατ᾽ ὄνομα· καὶ λαβὼν αὐτὰς ἔδησεν καὶ ἐσφράγισεν τοῖς δακτυλίοις τῶν φυλάρχων, καὶ ἀπέθετο αὐτὰς εἰς τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου ἐπὶ τὴν τράπεζαν τοῦ θεοῦ· 3. καὶ κλείσας τὴν σκηνὴν ἐσφράγισεν τὰς κλεῖδας ὡσαύτως ὡς καὶ τὰς ῥάβδους. 4. καὶ εἶπεν αὐτοῖς· Ἄνδρες ἀδελφοί, ἧς ἂν φυλῆς ἡ ῥάβδος βλαστήσῃ, ταύτην ἐκλέλεκται ὁ θεὸς εἰς τὸ ἱερατεύειν καὶ λειτουργεῖν αὐτῷ. 5. πρωΐας δὲ γενομένης συνεκάλεσεν πάντα τὸν Ἰσραήλ, τὰς ἑξακοσίας χιλιάδας τῶν ἀνδρῶν, καὶ ἐπεδείξατο τοῖς φυλάρχοις τὰς σφραγῖδας, καὶ ἤνοιξεν τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου καὶ προεῖλε τὰς ῥάβδους· καὶ εὑρέθη ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν οὐ μόνον βεβλαστηκυῖα, ἀλλὰ καὶ καρπὸν ἔχουσα. 6. τί δοκεῖτε, ἀγαπητοί; οὐ προῄδει Μωϋσῆς τοῦτο μέλλειν ἔσεσθαι; μάλιστα ᾔδει· ἀλλ᾽ ἵνα μὴ ἀκαταστασία γένηται ἐν τῷ Ἰσραήλ, οὕτως ἐποίησεν, εἰς τὸ δοξασθῆναι τὸ ὄνομα τοῦ ἀληθινοῦ καὶ μόνου κυρίου· ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν.

quaenam illarum glorioso illo nomine ornanda esset, iussit duodecim tribuum principes adferre sibi virgas quae uniuscuiusque tribus nomen inscriptum haberent. quas cum accepisset, in fasciculum legavit et annulis principum tribuum signavit, et in tabernaculo testimonii super mensam dei deposuit eas. 3. clausoque tabernaculo claves similiter atque virgas signavit, 4. et dixit eis: Viri fratres, cuius tribus virga germinaverit, hanc elegit deus quae ipsi sacra faciat et ministret. 5. mane autem facto congregavit universum populum Israel, sexcenta milia virorum, et tribuum principibus sigilla ostendit, et tabernaculum testimonii aperuit et virgas protulit. et inventa est virga Aaronis non tantum germinasse, sed et fructum ferre, 6. quid, dilecti, vobis videtur? an hoc futurum non praesciverat Moses? maxime noverat; verum ne seditio in populo Israel oriretur ita fecit, ut nomen veri et solius domini glorificaretur; cui sit gloria in saecula saeculorum. amen.

XLIV. Καὶ οἱ ἀπόστολοι ἡμῶν ἔγνωσαν διὰ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ὅτι ἔρις ἔσται ἐπὶ τοῦ ὀνόματος τῆς ἐπισκοπῆς. 2. διὰ ταύτην οὖν τὴν αἰτίαν πρόγνωσιν εἰληφότες τελείαν κατέστησαν τοὺς προειρημένους, καὶ μεταξὺ ἐπινομὴν ἔδωκαν ὅπως ἐὰν κοιμηθῶσιν, δια-

XLIV. Apostoli quoque nostri per Iesum Christum dominum nostrum cognoverunt, contentionem de episcopatu orituram; 2. ob eam ergo causam, perfecta praescientia praediti, constituerunt praedictos, ac deinceps dispositionem dederunt ut cum illi decessissent, ministerium eorum alii

δέξωνται ἕτεροι δεδοκιμασμένοι ἄνδρες τὴν λειτουργίαν αὐτῶν. 3. τοὺς οὖν κατασταθέντας ὑπ' ἐκείνων ἢ μεταξὺ ὑφ' ἑτέρων ἐλλογίμων ἀνδρῶν συνευδοκησάσης τῆς ἐκκλησίας πάσης, καὶ λειτουργήσαντας ἀμέμπτως τῷ ποιμνίῳ τοῦ Χριστοῦ μετὰ ταπεινοφροσύνης, ἡσύχως καὶ ἀβαναύσως, μεμαρτυρημένους τε πολλοῖς χρόνοις ὑπὸ πάντων, τούτους οὐ δικαίως νομίζομεν ἀποβάλλεσθαι τῆς λειτουργίας. 4. ἁμαρτία γὰρ οὐ μικρὰ ἡμῖν ἔσται, ἐὰν τοὺς ἀμέμπτως καὶ ὁσίως προσενεγκόντας τὰ δῶρα τῆς ἐπισκοπῆς ἀποβάλωμεν. 5. μακάριοι οἱ προοδοιπορήσαντες πρεσβύτεροι, οἵτινες ἔγκαρπον καὶ τελείαν ἔσχον τὴν ἀνάλυσιν· οὐ γὰρ εὐλαβοῦνται μή τις αὐτοὺς μεταστήσῃ ἀπὸ τοῦ ἱδρυμένου αὐτοῖς τόπου. 6. ὁρῶμεν γὰρ ὅτι ἐνίους ὑμεῖς μετηγάγετε καλῶς πολιτευσαμένους ἐκ τῆς ἀμέμπτως αὐτοῖς τετιμημένης λειτουργίας.

viri probati exciperent. 3. itaque qui constituti sunt ab illis vel deinceps ab aliis viris electis consentiente universa ecclesia, quique inculpate gregi Christi deservierunt cum humilitate, quiete, nec illiberaliter, et longo tempore ab omnibus testimonium praeclarum reportarunt, hos iudicamus munere suo non iuste deici. 4. nec enim leve erit peccatum nostrum, si eos qui sancte et sine reprehensione munera obtulerunt episcopatu eicimus. 5. beati seniores viam prius emensi, qui fructuosam perfectamque dissolutionem consecuti sunt; non enim verentur ne quis eos transferat de loco ipsis constituto. 6. videmus enim vos nonnullos probe administrantes ab officio quo inculpabiliter ac legitime honorati erant removisse.

3. IGNATIUS ANTIOCHENUS.

* *Patr. Ap. Opera,* II. Funk, *O. P. A.* Tom. I. 173. Lightfoot, *Apost. Fath.* II. Harnack, *Altchr. Liter.* II. 1. 381—406. Bardenhewer, § 9. Nirschl, *Die Theologie des heil. Ignatius.* Mainz 1880. Goltz, *Ignatius von Antiochien als Christ und Theologe.* Leipzig 1894. (*Texte u. Unters.* XII. 3). Bruston, *Ignace d'Antioche: ses épîtres sa vie, sa théologie.* Paris 1897. Reville, *Études sur les origines de l'épiscopat. La valeur du temoignage d'Ignace d'Antioche.* Paris 1891. Idem, *Origines de l'Épiscopat,* I. 442—520. Mariano, in *Scritti vari,* T. V, Firenze 1902, p. 390—403.

a) Epistula ad Ephesios.

IV. Ὅθεν πρέπει ὑμῖν συντρέχειν τῇ τοῦ ἐπισκόπου γνώμῃ, ὅπερ καὶ ποιεῖτε. τὸ γὰρ ἀξιονόμαστον ὑμῶν πρεσβυτέριον, τοῦ θεοῦ ἄξιον, οὕτως συνήρμοσται τῷ ἐπισκόπῳ, ὡς χορδαὶ κιθάρᾳ. διὰ τοῦτο ἐν τῇ ὁμονοίᾳ ὑμῶν καὶ συμφώνῳ ἀγάπῃ Ἰησοῦς Χριστὸς ᾄδεται. 2. καὶ οἱ

IV. Unde decet vos concurrere episcopi sententiae, quod et facitis. digne nominabile enim vestrum presbyterium deo dignum, sic concordatum est episcopo ut chordae citharae. propter hoc in consensu vestro et consona caritate Iesus Christus canitur. 2. sed et singuli chorus facti estis, ut

κατ' ἄνδρα δὲ χορὸς γίνεσθε, ἵνα σύμφωνοι ὄντες ἐν ὁμονοίᾳ, χρῶμα θεοῦ λαβόντες ἐν ἑνότητι ᾄδετε ἐν φωνῇ μιᾷ διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ τῷ πατρί, ἵνα ὑμῶν καὶ ἀκούσῃ καὶ ἐπιγινώσκῃ, δι' ὧν εὖ πράσσετε, μέλη ὄντας τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ. χρήσιμον οὖν ἐστὶν, ὑμᾶς ἐν ἀμώμῳ ἑνότητι εἶναι, ἵνα καὶ θεοῦ πάντοτε μετέχετε.

VI. 1. Καὶ ὅσον βλέπει τις σιγῶντα ἐπίσκοπον, πλειόνως αὐτὸν φοβείσθω· πάντα γὰρ ὃν πέμπει ὁ οἰκοδεσπότης εἰς ἰδίαν οἰκονομίαν, οὕτως δεῖ ἡμᾶς αὐτὸν δέχεσθαι, ὡς αὐτὸν τὸν πέμψαντα. τὸν οὖν ἐπίσκοπον δῆλον ὅτι ὡς αὐτὸν τὸν κύριον δεῖ προσβλέπειν.

consoni exsistentes in consensu, melos dei accipientes in unitate cantetis in voce una per Iesum Christum patri, ut et vos audiat et cognoscat, per quem bonum operamini, membra exsistentes filii ipsius. utile igitur est, vos in immaculata unitate esse, ut et deo semper participetis.

VI. 1. Et quantum videt quis tacentem episcopum, plus ipsum timeat. omnem enim, quem mittit dominus in propriam dispensationem, sic oportet nos ipsum recipere, ut ipsum mittentem. episcopum igitur manifestum quoniam ut ipsum dominum oportet respicere. [l. c. pag. 8—11.]

b) Epistula ad Magnesios.

IV. Πρέπον οὖν ἐστὶν, μὴ μόνον καλεῖσθαι Χριστιανοὺς, ἀλλὰ καὶ εἶναι· ὥσπερ καί τινες ἐπίσκοπον μὲν καλοῦσιν, χωρὶς δὲ αὐτοῦ πάντα πράσσουσιν. οἱ τοιοῦτοι δὲ οὐκ εὐσυνείδητοί μοι εἶναι φαίνονται, διὰ τὸ μὴ βεβαίως κατ' ἐντολὴν συναθροίζεσθαι.

VI. Ἐπεὶ οὖν ἐν τοῖς προγεγραμμένοις προσώποις τὸ πᾶν πλῆθος ἐθεώρησα ἐν πίστει καὶ ἠγάπησα, παραινῶ, ἐν ὁμονοίᾳ θεοῦ σπουδάζετε πάντα πράσσειν, προκαθημένου τοῦ ἐπισκόπου εἰς τύπον θεοῦ καὶ τῶν πρεσβυτέρων εἰς τύπον συνεδρίου τῶν ἀποστόλων καὶ τῶν διακόνων, τῶν ἐμοὶ γλυκυτάτων, πεπιστευμένων διακονίαν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃς πρὸ αἰώνων παρὰ πατρὶ ἦν καὶ ἐν τέλει ἐφάνη. 2. Πάντες οὖν, ὁμοήθειαν θεοῦ λαβόντες, ἐντρέπεσθε ἀλλήλους, καὶ μηδεὶς κατὰ

IV. Decens igitur est non solum vocari Christianos, sed et esse, quemadmodum quidam episcopum quidem vocant, sine ipso autem omnia operantur. tales autem non bonae conscientiae mihi esse videntur propter non firmiter secundum praeceptum congregari.

VI. Quia igitur in praescriptis personis omnem multitudinem speculatus sum in fide et dilectione, moneo in concordia dei studere omnia operari, praesidente episcopo in loco dei et presbyteris in loco consessionis apostolorum et diaconis mihi dulcissimis habentibus creditam ministrationem Iesu Christi, qui ante saecula apud patrem erat et in fine apparuit. 2. Omnes igitur eandem consuetudinem dei accipientes veneremur adinvicem, et nullus secundum carnem aspiciat proximum, sed in Iesu Christo

σάρκα βλεπέτω τὸν πλησίον, ἀλλ' ἐν Ἰησοῦ Χριστῷ ἀλλήλους διὰ παντὸς ἀγαπᾶτε. μηδὲν ἔστω ἐν ὑμῖν, ὃ δυνήσεται ὑμᾶς μερίσαι, ἀλλ' ἑνώθητε τῷ ἐπισκόπῳ καὶ τοῖς προκαθημένοις εἰς τύπον καὶ διδαχὴν ἀφθαρσίας.

VII. Ὥσπερ οὖν ὁ κύριος ἄνευ τοῦ πατρὸς οὐδὲν ἐποίησεν, ἡνωμένος ὤν, οὔτε δι' ἑαυτοῦ, οὔτε διὰ τῶν ἀποστόλων· οὕτως μηδὲ ὑμεῖς ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου καὶ τῶν πρεσβυτέρων μηδὲν πράσσετε· μηδὲ πειράσητε εὔλογόν τι φαίνεσθαι ἰδίᾳ ὑμῖν, ἀλλ' ἐπὶ τὸ αὐτό. μία προσευχή, μία δέησις, εἷς νοῦς, μία ἐλπὶς ἐν ἀγάπῃ, ἐν τῇ χαρᾷ τῇ ἀμώμῳ, ὅ ἐστιν Ἰησοῦς Χριστὸς, οὗ ἄμεινον οὐδέν ἐστιν. 2. πάντες ὡς εἰς ἕνα ναὸν συντρέχετε θεοῦ, ὡς ἐπὶ ἓν θυσιαστήριον, ἐπὶ ἕνα Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ἀφ' ἑνὸς πατρὸς προελθόντα καὶ εἰς ἕνα ὄντα καὶ χωρήσαντα.

adinvicem semper diligite. nihil sit in vobis, quod possit vos partiri, sed uniamini episcopo et praesidentibus in typum et doctrinam incorruptionis.

VII. Quemadmodum igitur dominus sine patre nihil fecit, unitus exsistens, neque per se ipsum, neque per apostolos, sic neque vos sine episcopo et presbyteris aliquid operemini; neque tentetis rationabile aliquid apparere proprie vobis, sed in id ipsum; una oratio, una deprecatio, unus intellectus, una spes in caritate, in gaudio incoinquinato, quod est Christus Iesus, quo melius nihil est. 2. omnes ut in unum templum concurrite dei, ut in unum altare, in unum Iesum Christum, ab uno patre exeuntem et in unum exsistentem et revertentem. [l. c. pag. 32—35.]

c) Epistula ad Trallianos.

II. Ὅταν γὰρ τῷ ἐπισκόπῳ ὑποτάσσησθε ὡς Ἰησοῦ Χριστῷ, φαίνεσθέ μοι οὐ κατὰ ἀνθρώπους ζῶντες, ἀλλὰ κατὰ Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν δι' ἡμᾶς ἀποθανόντα ἵνα πιστεύσαντες εἰς τὸν θάνατον αὐτοῦ τὸ ἀποθανεῖν ἐκφύγητε. 2. Ἀναγκαῖον οὖν ἐστὶν, ὥσπερ ποιεῖτε, ἄνευ τοῦ ἐπισκόπου μηδὲν πράσσειν ὑμᾶς· ἀλλ' ὑποτάσσεσθε καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ, ὡς τοῖς ἀποστόλοις Ἰησοῦ Χριστοῦ, τῆς ἐλπίδος ἡμῶν, ἐν ᾧ διάγοντες εὑρεθησόμεθα. 3. Δεῖ δὲ καὶ τοὺς διακόνους ὄντας μυστηρίων Ἰησοῦ Χριστοῦ κατὰ πάν-

II. Cum enim episcopo subiecti estis ut Iesu Christo, videmini mihi non secundum homines viventes, sed secundum Iesum Christum, propter vos mortuum, ut credentes in mortem ipsius mori effugiatis. 2. Necessarium igitur est, quemadmodum facitis, sine episcopo nihil operari vos, sed subiici presbyterio ut apostolis Iesu Christi, spei nostrae, in quo conversantes inveniamur. 3. Oportet autem et diaconos, ministros exsistentes mysteriorum Iesu Christi, secundum omnem modum omnibus placere. non enim ciborum et potuum sunt

τα τρόπον πᾶσιν ἀρέσκειν. οὐ γὰρ βρωμάτων καὶ ποτῶν εἰσὶν διάκονοι, ἀλλ' ἐκκλησίας θεοῦ ὑπηρέται. δέον οὖν αὐτοὺς φυλάσσεσθαι τὰ ἐγκλήματα ὡς πῦρ.

ministri, sed ecclesiae dei ministri. opportunum igitur, vos observare accusationes ut ignem.

III. 1. Ὁμοίως πάντες ἐντρεπέσθωσαν τοὺς διακόνους ὡς Ἰησοῦν Χριστὸν, ὡς καὶ τὸν ἐπίσκοπον, ὄντα τύπον τοῦ πατρὸς, τοὺς δὲ πρεσβυτέρους ὡς συνέδριον θεοῦ καὶ ὡς σύνδεσμον ἀποστόλων. χωρὶς τούτων ἐκκλησία οὐ καλεῖται.

III. 1. Similer et omnes revereantur diaconos ut mandatum Iesu Christi, et episcopum ut Iesum Christum, exsistentem filium patris, presbyteros autem ut concilium dei et coniunctionem apostolorum. sine his ecclesia non vocatur. [l. c. pag. 44—47.]

d) Epistula ad Smyrnaeos.

VIII. Πάντες τῷ ἐπισκόπῳ ἀκολουθεῖτε, ὡς Ἰησοῦς Χριστὸς τῷ πατρὶ, καὶ τῷ πρεσβυτερίῳ ὡς τοῖς ἀποστόλοις· τοὺς δὲ διακόνους ἐντρέπεσθε, ὡς θεοῦ ἐντολήν. μηδεὶς χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου τι πρασσέτω τῶν ἀνηκόντων εἰς τὴν ἐκκλησίαν. ἐκείνη βεβαία εὐχαριστία ἡγείσθω, ἡ ὑπὸ τὸν ἐπίσκοπον οὖσα, ἢ ᾧ ἂν αὐτὸς ἐπιτρέψῃ. 2. ὅπου ἂν φανῇ ὁ ἐπίσκοπος, ἐκεῖ τὸ πλῆθος ἔστω· ὥσπερ ὅπου ἂν ᾖ Χριστὸς Ἰησοῦς, ἐκεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία. οὐκ ἐξόν ἐστιν χωρὶς τοῦ ἐπισκόπου οὔτε βαπτίζειν οὔτε ἀγάπην ποιεῖν· ἀλλ' ὃ ἂν ἐκεῖνος δοκιμάσῃ, τοῦτο καὶ τῷ θεῷ εὐάρεστον, ἵνα ἀσφαλὲς ᾖ καὶ βέβαιον πᾶν ὃ πράσσεται.

VIII. Omnes episcopum sequimini, ut Iesus Christus patrem, et presbyterium ut apostolos; diaconos autem revereamini ut dei mandatum. nullus sine episcopo aliquid operetur eorum quae conveniunt in ecclesiam. illa firma gratiarum actio reputetur, quae sub episcopo est, vel quam utique ipse concesserit. 2. ubi utique apparet episcopus, illic multitudo sit, quemadmodum utique ubi est Christus Iesus, illic catholica ecclesia. non licitum est sine episcopo neque baptizare neque agapen facere, sed quod utique ille probaverit, hoc et deo beneplacitum, ut stabile sit et firmum omne quod agitur. [l. c. pag. 90—93.]

4. POLYCARPUS.

* *Patr. Ap. Opera,* II. p. 119, 127. Funk, *O. P. A.* Tom. 1. 266. Lightfoot, *Apost. Fath.* II. Vizzini, *Bibl. SS. Patrum,* Ser. II, Tom. 2. Funk, *Die Echtheit der Ignatianischen Briefe.* Tübingen 1883. p. 14—42. Bardenhewer, § 10. Harnack, *Altchr. Liter.* II. 1. 334—336. Idem, *Zu Polycarp ad Philipp.* 11 *(Miscellen* in *Texte u. Unters.* N. F. Tom. V. 3.)

Epistula ad Philippenses.

V. 2. Ὁμοίως διάκονοι ἄμεμπτοι κατενώπιον αὐτοῦ τῆς δικαιοσύνης,

V. 2. Similiter diaconi inculpabiles sint in conspectu iustitiae eius,

ὡς θεοῦ καὶ Χριστοῦ διάκονοι, καὶ οὐκ ἀνθρώπων· μὴ διάβολοι, μὴ δίλογοι, ἀφιλάργυροι, ἐγκρατεῖς περὶ πάντα, εὔσπλαγχνοι, ἐπιμελεῖς, πορευόμενοι κατὰ τὴν ἀλήθειαν τοῦ κυρίου, ὃς ἐγένετο διάκονος πάντων· ᾧ ἐὰν εὐαρεστήσωμεν ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, ἀποληψόμεθα καὶ τὸν μέλλοντα, καθὼς ὑπέσχετο ἡμῖν ἐγεῖραι ἡμᾶς ἐκ νεκρῶν, καὶ ὅτι, ἐὰν πολιτευσώμεθα ἀξίως αὐτοῦ, καὶ συμβασιλεύσομεν αὐτῷ, εἴγε πιστεύομεν.

VI. Καὶ οἱ πρεσβύτεροι δὲ εὔσπλαγχνοι, εἰς πάντας ἐλεήμονες, ἐπιστρέφοντες τὰ ἀποπεπλανημένα, ἐπισκεπτόμενοι πάντας ἀσθενεῖς, μὴ ἀμελοῦντες χήρας ἢ ὀρφανοῦ ἢ πένητος· ἀλλὰ προνοοῦντες ἀεὶ τοῦ καλοῦ ἐνώπιον θεοῦ καὶ ἀνθρώπων, ἀπεχόμενοι πάσης ὀργῆς, προσωποληψίας, κρίσεως ἀδίκου, μακρὰν ὄντες πάσης φιλαργυρίας, μὴ ταχέως πιστεύοντες κατά τινος, μὴ ἀπότομοι ἐν κρίσει, εἰδότες ὅτι πάντες ὀφειλέται ἐσμὲν ἁμαρτίας.

sicut dei et Christi ministri et non hominum, non criminatores neque detractores neque avari, sed omnia tolerantes, in omnibus misericordes, diligentes in omnibus, ambulantes in veritate domini, qui factus est minister omnium; cui si complaceamus in hoc saeculo, percipiemus ea, quae futura sunt, secundum quod promisit resuscitare nos a mortuis; et si digne eo conversati fuerimus, et si crediderimus, conregnabimus cum eo.

VI. Et presbyteri simplices, in omnibus misericordes, omnes ab errore convertentes, omnes infirmos visitantes, viduas et pupillos et pauperes non neglegentes, sed semper *providentes bona coram deo et hominibus.* abstinete vos ab omni iracundia, a iudicio iniusto; longe estote ab omni avaritia. non cito consentiatis adversus aliquem, ne praevaricemini in iudicio, scientes quia debitores sumus peccati. [l. c. pag. 118—121.]

XI. Nimis contristatus sum pro Valente, qui presbyter factus est aliquando apud vos, quod sic ignoret is locum, qui datus est ei. moneo itaque, ut abstineatis vos ab avaritia et sitis casti et veraces. abstinete vos ab omni malo. 2. qui autem in his non potest se gubernare, quomodo alii pronuntiat hoc? si quis non abstinuerit se ab avaritia, ab idololatria coinquinabitur, et tanquam inter gentes iudicabitur, qui ignorant iudicium domini. *aut nescimus, quia sancti mundum iudicabunt?* sicut Paulus docet. 3. ego autem nihil tale sensi in vobis vel audivi, in quibus laboravit beatus Paulus, qui estis in principio epistulae eius. de vobis etenim gloriatur in omnibus ecclesiis, quae deum solae tunc cognoverant: nos autem nondum noveramus. 4. valde ergo, fratres, contristor pro illo et pro coniuge eius, quibus det dominus poenitentiam veram. sobrii ergo estote et vos in hoc; *et non sicut inimicos tales existimetis,* sed sicut passibilia membra et errantia eos revocate, ut omnium vestrum corpus salvetis. hoc enim agentes, vos ipsos aedificatis. [l. c. pag. 127.]

5. IUSTINUS.

* Migne, *Patr. Gr.* VI, (col. 327—440). Otto, *Corpus Apologetarum Christ. saec.* II. Jena 1876. I. 184. Krüger, *Sammlung ausgewählter kirchen- u. dogmengeschichtlicher Quellenschriften etc.* Heft I. Freiburg u. Leipzig 1896². Harnack, *Altchristl. Liter.* I. 99—114. Idem, *Die Ueberlieferung der griech. Apologeten etc.* (*Texte u. Unters.* I, 1. p. 130—195.) Bardenhewer, § 17. Wehofer, in *Röm. Quartalschrift, Ergänzungsheft* VI.

Apologia I pro Christianis.

67. Ἡμεῖς δὲ μετὰ ταῦτα λοιπὸν ἀεὶ τούτων ἀλλήλους ἀναμιμνήσκομεν· καὶ οἱ ἔχοντες τοῖς λειπομένοις πᾶσιν ἐπικουροῦμεν, καὶ σύνεσμεν ἀλλήλοις ἀεί. Ἐπὶ πᾶσί τε οἷς προσφερόμεθα, εὐλογοῦμεν τὸν Ποιητὴν τῶν πάντων διὰ τοῦ Υἱοῦ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ καὶ διὰ Πνεύματος τοῦ ἁγίου. καὶ τῇ τοῦ ἡλίου λεγομένῃ ἡμέρᾳ πάντων κατὰ πόλεις ἢ ἀγροὺς μενόντων ἐπὶ τὸ αὐτὸ συνέλευσις γίνεται, καὶ τὰ ἀπομνημονεύματα τῶν ἀποστόλων, ἢ τὰ συγγράμματα τῶν προφητῶν ἀναγινώσκεται, μέχρις ἐγχωρεῖ. Εἶτα παυσαμένου τοῦ ἀναγινώσκοντος, ὁ προεστὼς διὰ λόγου τὴν νουθεσίαν καὶ πρόκλησιν τῆς τῶν καλῶν τούτων μιμήσεως ποιεῖται. Ἔπειτα ἀνιστάμεθα κοινῇ πάντες, καὶ εὐχὰς πέμπομεν· καὶ ὡς προέφημεν, παυσαμένων ἡμῶν τῆς εὐχῆς, ἄρτος προσφέρεται καὶ οἶνος καὶ ὕδωρ· καὶ ὁ προεστὼς εὐχὰς ὁμοίως καὶ εὐχαριστίας, ὅση δύναμις αὐτῷ, ἀναπέμπει, καὶ ὁ λαὸς ἐπευφημεῖ λέγων τὸ Ἀμήν· καὶ ἡ διάδοσις καὶ ἡ μετάληψις ἀπὸ τῶν εὐχαριστηθέντων ἑκάστῳ γίνεται, καὶ τοῖς οὐ παροῦσι διὰ τῶν διακόνων πέμπεται. Οἱ εὐποροῦντες δὲ καὶ βουλόμενοι, κατὰ προαίρεσιν ἕκαστος τὴν ἑαυτοῦ, ὃ βούλεται δίδωσι. καὶ τὸ συλλεγόμενον παρὰ τῷ προεστῶτι

67. Ex illo tempore haec semper nobis invicem in memoriam revocamus; et qui habemus, indigentibus omnibus subvenimus, et semper una sumus. Atque in omnibus oblationibus laudamus creatorem omnium per Filium ejus Jesum Christum et per Spiritum sanctum. Ac solis, ut dicitur, die omnium sive urbes sive agros incolentium in eundem locum fit conventus. et commentaria apostolorum, aut scripta prophetarum leguntur, quoad licet per tempus. Deinde, ubi lector desiit, is qui praeest admonitionem verbis et adhortationem ad res tam praeclaras imitandas suscipit. Postea omnes simul consurgimus, et preces emittimus; atque, ut jam diximus, ubi desiimus praecari, panis affertur et vinum et aqua: et qui praeest, preces et gratiarum actiones totis viribus emittit, et populus acclamat, *Amen,* et eorum, in quibus gratiae actae sunt, distributio fit et communicatio unicuique praesentium, et absentibus per diaconos mittitur. Qui abundant et volunt, suo arbitrio, quod quisque vult, largiuntur, et quod colligitur apud eum, qui praeest, deponitur, ac ipse subvenit pupillis et viduis, et iis qui vel ob morbum, vel aliam ob causam egent, tum etiam iis qui in vinculis sunt et advenientibus peregre hospitibus; uno verbo om-

ἀποτίθεται, καὶ αὐτὸς ἐπικουρεῖ ὀρφανοῖς τε καὶ χήραις, καὶ τοῖς διὰ νόσον, ἢ δι' ἄλλην αἰτίαν λειπομένοις, καὶ τοῖς ἐν δεσμοῖς οὖσι, καὶ τοῖς παρεπιδήμοις οὖσι ξένοις, καὶ ἁπλῶς πᾶσι τοῖς ἐν χρείᾳ οὖσι κηδεμὼν γίνεται. Τὴν δὲ τοῦ ἡλίου ἡμέραν κοινῇ πάντες τὴν συνέλευσιν ποιούμεθα· ἐπειδὴ πρώτη ἐστὶν ἡμέρα, ἐν ᾗ ὁ Θεὸς, τὸ σκότος καὶ τὴν ὕλην τρέψας, κόσμον ἐποίησε, καὶ Ἰησοῦς Χριστὸς ὁ ἡμέτερος Σωτὴρ τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ἐκ νεκρῶν ἀνέστη. Τῇ γὰρ πρὸ τῆς Κρονικῆς ἐσταύρωσαν αὐτόν· καὶ τῇ μετὰ τὴν Κρονικὴν, ἥτις ἐστὶν ἡλίου ἡμέρα, φανεὶς τοῖς ἀποστόλοις αὐτοῦ καὶ μαθηταῖς, ἐδίδαξε ταῦτα, ἅπερ εἰς ἐπίσκεψιν καὶ ὑμῖν ἀνεδώκαμεν.

nium indigentium curam suscipit. Die autem solis omnes simul convenimus, tum quia prima haec dies est, qua Deus, cum tenebras et materiam vertisset, mundum creavit, tum quia Jesus Christus Salvator noster eadem die ex mortuis resurrexit. Pridie enim Saturni eum crucifixerunt, et postridie ejusdem diei, id est Solis die, apostolis suis et discipulis visus ea docuit, quae vobis quoque consideranda tradidimus. [l. c. col. 429—432.]

6. IRENAEUS.

* *S. Irenaei quae supersunt omnia*, ed. Stieren. Lipsiae 1853. (I. p. 427.) Harnack, *Altchr. Liter.* II. 1. p. 320—333. Idem, *Das Zeugnis des Irenäus über das Ansehen der röm. Kirche. (Sitzungsber. der k. Preuss. Akad.* 1893, 939—955.) Funk, *Abh. u. Unters.* I. 1—23. Mercati, *Note di letteratura biblica e cristiana antica.* Roma 1901. p. 241—243. Bardenhewer, § 34. Freppel, *St. Irénée.* Paris 1886[3] Gouilloud, *St. Irénée et son temps.* Lyon 1876.

Contra omnes haereticos.

Lib. III cap. 3: 1. Traditionem itaque apostolorum in toto mundo manifestatam in omni ecclesia adest respicere omnibus, qui vera velint videre, et habemus annumerare eos, qui ab apostolis instituti sunt episcopi in ecclesiis, et successores eorum usque ad nos, qui nihil tale docuerunt neque cognoverunt, quale ab his deliratur. Etenim si recondita mysteria scissent apostoli, quae seorsim et latenter ab reliquis perfectos docebant, his vel maxime traderent ea quibus etiam ipsas ecclesias committebant. Valde enim perfectos et irreprehensibiles in omnibus eos volebant esse, quos et successores relinquebant, suum ipsorum locum magisterii tradentes; quibus emendate agentibus fieret magna utilitas, lapsis autem summa calamitas.

2. Sed quoniam valde longum est in hoc tali volumine omnium ecclesiarum enumerare successiones; maximae et antiquissimae et omnibus cognitae, a gloriosissimis duobus apostolis Petro et

Paulo Romae fundatae et constitutae ecclesiae, eam quam habet ab apostolis traditionem et annuntiatam hominibus fidem, per successiones episcoporum pervenientem usque ad nos indicantes, confundimus omnes eos, qui quoquo modo, vel per sibiplacentiam vel vanam gloriam vel per caecitatem et malam sententiam praeterquam oportet colligunt. Ad hanc enim ecclesiam propter potentiorem [potiorem?] principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos qui sunt undique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea quae est ab apostolis traditio. [l. c. pag. 427—430.]

7. CANONES ECCLESIASTICI SS. APOSTOLORUM.

* Funk, *Doctrina XII Apostol.* (p. 50—73). Harnack, *Lehre der zwölf Aposteln.* p. 225. Idem, *Die Quellen der sogen. Apostol. Kirchenordnung* (in *Texte u. Unters.* III. 5). Funk, *Abh. u. Unters.* II. p. 236. I. B. Card. Pitra, *Iuris ecclesiastici graecorum historia et monumenta.* Romae 1864. I. 75—88. Hatch, *The Organisation etc.* p. 73.

ΚΑΝΟΝΕΣ ΕΚΚΛΗΣΙΑΣΤΙΚΟΙ ΤΩΝ ΑΓΙΩΝ ΑΠΟΣΤΟΛΩΝ.

XVI. Πέτρος εἶπεν· Ἐὰν ὀλιγανδρία ὑπάρχῃ καὶ μήπου πλῆθος τυγχάνῃ τῶν δυναμένων ψηφίσασθαι περὶ ἐπισκόπου ἐντὸς δεκαδύο ἀνδρῶν, εἰς τὰς πλησίον ἐκκλησίας, ὅπου τυγχάνει πεπηγυῖα, γραφέτωσαν, ὅπως ἐκεῖθεν ἐκλεκτοὶ τρεῖς ἄνδρες παραγενόμενοι δοκιμῇ δοκιμάσωσι τὸν ἄξιον ὄντα, εἴ τις φήμην καλὴν ἔχει ἀπὸ τῶν ἐθνῶν, εἰ ἀναμάρτητος ὑπάρχει, εἰ φιλόπτωχος, εἰ σώφρων, μὴ μέθυσος, μὴ πόρνος, μὴ πλεονέκτης ἢ λοίδορος ἢ προσωπολήπτης καὶ τὰ τούτοις ὅμοια. 2. Καλὸν μὲν εἶναι ἀγύναιος, εἰ δὲ μή, ἀπὸ μιᾶς γυναικός, παιδείας μέτοχος, δυνάμενος τὰς γραφὰς ἑρμηνεύειν, εἰ δὲ ἀγράμματος, πραῢς ὑπάρχων, καὶ τῆς ἀγάπης εἰς πάντας περισσευέτω, μήποτε περί τινος ἐλεγχθεὶς ὁ ἐπίσκοπος ἀπὸ τῶν πολλῶν γενηθείη.

XVII. Ἰωάννης εἶπεν· Ὁ κατασταθεὶς ἐπίσκοπος, εἰδὼς τὸ προσε-

CANONES ECCLESIASTICI SANCTORUM APOSTOLORUM.

XVI. Petrus dixit: Si paucitas hominum accidit neque iam copia adest eorum, qui suffragium de episcopo inter duodecim viros eligendo facere valent, ad ecclesias proximas, si quae constituta est, litterae scribantur, ut inde viri tres electi advenientes probe probent, quis dignus sit, an bonam habeat famam apud gentiles, an insons exsistat, an pauperum studiosus, an prudens, non ebriosus, non fornicator, non avarus vel contumeliosus vel personarum acceptor et cetera id genus. 2. Bonum quidem est, eum esse sine uxore; sin minus, unius uxoris sit; doctrinae sit particeps, idoneus Scripturarum interpres; si vero litterarum expers sit, mitis sit et caritate erga omnes superabundet, ne unquam de aliqua re episcopus a multis arguatur.

XVII. Ioannes dixit: Qui institutus fuit episcopus, considerato studio ac

χὲς καὶ φιλόθεον τῶν σὺν αὐτῷ, καταστήσει οὓς ἐὰν δοκιμάσῃ πρεσβυτέρους δύο.

XVIII. Πάντες ἀντεῖπον, ὅτι οὐ δύο, ἀλλὰ τρεῖς· εἴκοσι γὰρ καὶ τέσσαρές εἰσι πρεσβύτεροι, δώδεκα ἐκ δεξιῶν καὶ δώδεκα ἐξ εὐωνύμων. 2. Ἰωάννης εἶπεν· Καλῶς ὑπεμνήσατε, ἀδελφοί· οἱ μὲν γὰρ ἐκ δεξιῶν δεχόμενοι ἀπὸ τῶν ἀρχαγγέλων τὰς φιάλας προσφέρουσι τῷ δεσπότῃ, οἱ δὲ ἐξ ἀριστερῶν ἐπέχουσι τῷ πλήθει τῶν ἀγγέλων. 3. Δεῖ οὖν εἶναι τοὺς πρεσβυτέρους ἤδη κεχρονικότας ἐπὶ τῷ κόσμῳ, τρόπῳ τινὶ ἀπεχομένους τῆς πρὸς γυναῖκας συνελεύσεως, εὐμεταδότους εἰς τὴν ἀδελφότητα, πρόσωπον ἀνθρώπου μὴ λαμβάνοντας, συμμύστας τοῦ ἐπισκόπου καὶ συνεπιμάχους, συναθροίζοντας τὸ πλῆθος, προθυμουμένους τὸν ποιμένα. 4. Οἱ δὲ ἐκ δεξιῶν πρεσβύτεροι προνοήσονται τῶν ἐπισκόπων πρὸς τὸ θυσιαστήριον, ὅπως τιμήσωσι καὶ ἐντιμηθῶσιν, εἰς ὃ ἂν δέῃ. Οἱ ἐξ ἀριστερῶν πρεσβύτεροι προνοήσονται τοῦ πλήθους, ὅπως εὐσταθὴς καὶ ἀθόρυβος εἴη, πρῶτον μεμαθηκὼς ἐν πάσῃ ὑποταγῇ. 5. Εἰ δέ τις νουθετούμενος αὐθαδῶς ἀποκριθῇ, τὸ ἓν ποιήσαντες οἱ ἐπὶ τῷ θυσιαστηρίῳ τὸν τοιοῦτον μετὰ ἴσης βουλῆς, ὃ ἂν ᾖ ἄξιον, δικασάτωσαν, ἵνα καὶ οἱ λοιποὶ φόβον ἔχωσι, μήποτε ἑνὸς πρόσωπον λάβωσι, καὶ ἐπὶ πλεῖον νεμηθῇ ὡς γάγγραινα, καὶ αἰχμαλωτισθῶσι οἱ πάντες.

XIX. Ἰάκωβος εἶπεν· Ἀναγνώστης καθιστανέσθω πρῶτον δοκιμῇ δεδοκιμασμένος, μὴ γλωσσοκόπος, μὴ μέθυσος μηδὲ γελωτολόγος, εὔ-

caritate eorum, qui cum eo sunt, instituet duos presbyteros, quos probaverit.

XVIII. Omnes oblocuti sunt: Non duos, sed tres; viginti enim et quattuor sunt seniores, duodecim a dextris et duodecim a sinistris. 2. Ioannes dixit: Bene admonuistis, fratres. Qui enim a dextris sunt, accipientes ab archangelis phialas offerunt Domino; qui autem a sinistris, praesunt multitudini angelorum. 3. Oportet igitur presbyteros iam aetate provectos esse in mundo, aliquo abstinentes modo a mulierum corsortio, promptos ad largiendum fratribus, personam hominis non accipientes, cum episcopo consortes mysterii ac pugnae, congregantes multitudinem, studiose prosequentes pastorem. 4. Qui a dextris sunt seniores, episcopis providebunt in sacrificio, ut honorent et honorentur, quantum opus sit. Qui a sinistris sunt seniores, providebunt plebi, ut quieta et sine tumultu sit, primum erudita in omni subiectione. 5. Si quis autem monitus arroganter responderit, qui ad altare sunt, in unum convenientes in talem cum aequo consilio, quod iustum est, decernant, ut et reliqui metum habeant, ne ullius unquam personam accipiant et malum accrescat ut cancer et capiantur omnes.

XIX. Iacobus dixit: Lector instituatur, qui primum probe fuerit probatus, non lingua mordax, non ebrius neque scurrilia effutiens, bonis mo-

τροπος, εὐπειθής, εὐγνώμων, ἐν ταῖς κυριακαῖς συνόδοις πρῶτος σύνδρομος, εὐήκοος, διηγητικός, εἰδώς, ὅτι εὐαγγελιστοῦ τόπον ἐργάζεται· ὁ γὰρ ἐμπιπλῶν ὦτα μὴ νοοῦντος ἔγγραφος λογισθήσεται παρὰ τῷ θεῷ.

ribus, oboediens, intellegens, in conventibus dominicis primus accurrens, qui facile audiatur et prompte legat, memor evangelistae loco se operari. Qui enim aures implet non intellegentis, inscriptus putabitur apud Deum.

XX. Ματθαῖος εἶπεν· Διάκονοι καθιστάσθωσαν [τρεῖς]· γέγραπται. Ἐπὶ τριῶν σταθήσεται πᾶν ῥῆμα κυρίου. 2. Ἔστωσαν δεδοκιμασμένοι πάσῃ διακονίᾳ, μεμαρτυρημένοι παρὰ τοῦ πλήθους, μονόγαμοι, τεκνοτρόφοι, σώφρονες, ἐπιεικεῖς, ἥσυχοι, μὴ γόγγυσοι, μὴ δίγλωσσοι, μὴ ὀργίλοι, ὀργὴ γὰρ ἀπόλλυσιν ἄνδρα φρόνιμον, μὴ πρόσωπον πλουσίου λαμβάνοντες μηδὲ πένητα καταδυναστεύοντες μηδὲ οἴνῳ πολλῷ χρώμενοι, εὔσκυλτοι· 3. τῶν κρυφίων ἔργων καλοὶ προτρεπτικοί, ἐπαναγκάζοντες τοὺς ἔχοντας τῶν ἀδελφῶν ἁπλοῦν τὰς χεῖρας, καὶ αὐτοὶ εὐμετάδοτοι, κοινωνικοί, πάσῃ τιμῇ καὶ ἐντροπῇ καὶ φόβῳ τιμώμενοι ἀπὸ τοῦ πλήθους, ἐπιμελῶς προσέχοντες τοῖς ἀτάκτως περιπατοῦσιν, οὓς μὲν νουθετοῦντες, οὓς δὲ παρακαλοῦντες, οὓς δὲ ἐπιτιμῶντες· τοὺς δὲ καταφρονοῦντας τελέως παραπεμπόμενοι, εἰδότες, ὅτι οἱ ἀντίλογοι καὶ καταφρονηταὶ καὶ λοίδοροι Χριστῷ ἀντετάξαντο.

XX. Matthaeus dixit: Diaconi instituantur [tres]; scriptum est: In tribus stabit omne verbum Domini. 2. Sint probati in omni ministerio, testimonium habentes a plebe, unius uxoris viri, filiorum nutritores, prudentes, modesti, placidi, non murmurantes, non bilingues, non iracundi. ira enim perdit virum sapientem, non personam divitis accipientes neque pauperem opprimentes neque vino multo indulgentes, agiles; 3. qui ad occulta opera bene adhortentur, cogant opulentos inter fratres, ut manus expandant, et ipsi sint munifici, largitores, omni honore et verecundia et timore honorentur a plebe, diligenter attendant in eos, qui inordinate circumeunt, alios admonentes, alios consolantes, alios increpantes, eos qui omnia omnino spernunt missos facientes, memores contradictores et contemptores et calumniatores Christo restitisse.

XXI. Κηφᾶς εἶπεν· Χῆραι καθιστανέσθωσαν τρεῖς· αἱ δύο προσμένουσαι τῇ προσευχῇ περὶ πάντων τῶν ἐν πείρᾳ καὶ πρὸς τὰς ἀποκαλύψεις περὶ οὗ ἂν δέῃ· 2. μία δε παρεδρεύουσα ταῖς ἐν ταῖς νόσοις πειραζομέναις, εὐδιάκονος ᾖ, νηπτική, τὰ δέοντα ἀπαγγέλλουσα τοῖς πρεσβυτέροις, μὴ αἰσχροκερδής, μὴ

XXI. Cephas dixit: Viduae instituantur tres; duae perseverent in oratione pro omnibus, qui in tentatione sunt, et revelationum causa, si quae opus sunt; 2. una adsidens mulieribus morbo tentatis, bona ministra, sobria, necessaria nuntians presbyteris, non turpis lucri cupida, non multo vino dedita, ut possit vigilare

οἴνῳ πολλῷ προσέχουσα, ἵνα δύνηται νήφειν πρὸς τὰς νυκτερινὰς ὑπηρεσίας, καὶ εἴ τις ἑτέρα βούλοιτο ἐργαγαθεῖν· καὶ γὰρ ταῦτα πρῶτα κυρίου θησαυρίσματά εἰσιν ἀγαθά.

XXII. Ἀνδρέας εἶπεν· Διάκονοι ἐργάται τῶν καλῶν ἔργων νυχθήμερον ἐπελεύσονται πανταχοῦ, μήτε πένητα ὑπεροπτεύοντες μήτε πλούσιον προσωποληπτοῦντες, ἐπιγνώσονται τὸν θλιβόμενον, καὶ ἐκ τῆς λογίας οὐ παραπέμψονται· 2. ἐπαναγκάσουσι τοὺς δυναμένους ἀποθησαυρίζειν εἰς ἔργα ἀγαθά, προορῶντας τοὺς λόγους τοῦ διδασκάλου ἡμῶν. Εἴδετέ με πεινῶντα καὶ οὐκ ἐθρέψατέ με· οἱ γὰρ καλῶς διακονήσαντες καὶ ἀμέμπτως τόπον ἑαυτοῖς προσποιοῦνται τὸν ποιμενικόν.

XXIII. Φίλιππος εἶπεν· Ὁ λαϊκὸς τοῖς λαϊκοῖς πράγμασι περιπειθέσθω ὑποτασσόμενος τοῖς παρεδρεύουσι τῷ θυσιαστηρίῳ. 2. Ἕκαστος τῷ ἰδίῳ τόπῳ ἀρεσκέτω τῷ θεῷ, μὴ φιλεχθροῦντες ἀλλήλοις περὶ τῶν τεταγμένων, ἕκαστος ἐν ᾧ ἐκλήθη παρὰ τῷ θεῷ. 3. Ὁ ἕτερος τοῦ ἑτέρου τὸν δρόμον μὴ παρατεμνέσθω· οὐδὲ γὰρ οἱ ἄγγελοι παρὰ τὸ διατεταγμένον αὐτοῖς οὐδὲν ἕτερον ἐξελίσσουσιν.

XXIV. Ἀνδρέας εἶπεν· Εὔχρηστόν ἐστιν, ἀδελφοί, ταῖς γυναιξὶ διακονίαν καταστῆσαι.

XXV. Πέτρος εἶπεν· Ἐφθάσαμεν τάξαντες· περὶ δὲ τῆς προσφορᾶς τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος ἀκριβῶς μηνύσωμεν.

XXVI. Ἰωάννης εἶπεν· Ἐπελάθεσθε, ἀδελφοί, ὅτε ᾔτησεν ὁ διδάσκαλος τὸν ἄρτον καὶ τὸ ποτή-

in nocturnis ministeriis, et si quae alia benefacere velit; etenim hi primi Domini thesauri sunt boni.

XXII. Andreas dixit: Diaconi operatores bonorum operum, noctu dieque circumibunt ubique, neque pauperem despicientes neque divitis personam accipientes, agnoscent oppressum neque a collecta excludent; 2. eos vero, quibus facultates sunt, cogent in bonis operibus thesaurizare, considerantes verba magistri nostri: Vidistis me esurientem, et non nutristis me. Qui enim bene ministraverunt et inculpabiliter, locum sibi vindicant pastoralem.

XXIII. Philippus dixit: Laicus negotiis saecularibus inserviat, eis subditus, qui altari adsident. 2. Unusquisque proprio suo loco placeat Deo, alius alii non succensens propter institutum ordinem, unusquisque, in quo vocatus est a Domino. 3. Alter alterius cursum ne intercipiat. Neque enim angeli praeter id, quod ipsis praeceptum est, quidquam aliud praeoccupant.

XXIV. Andreas dixit: Utile est, fratres, mulieribus ministerium assignare.

XXV. Petrus dixit: Iam statuimus; de oblatione vero corporis et sanguinis accurate commonefaciamus.

XXVI. Ioannes dixit: Obliti estis, fratres, quod magister, cum panem et calicem rogaret eisque benediceret

ριον καὶ ηὐλόγησεν αὐτὰ λέγων· Τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου καὶ τὸ αἷμα, ὅτι οὐκ ἐπέτρεψε ταύταις συστῆναι ἡμῖν. 2. Μάρθα εἶπεν· Διὰ Μαριάμ, ὅτι εἶδεν αὐτὴν μειδιῶσαν. Μαρία εἶπεν· Οὐκέτι ἐγέλασα· προέλεγε γὰρ ἡμῖν, ὅτε ἐδίδασκεν, ὅτι τὸ ἀσθενὲς διὰ τοῦ ἰσχυροῦ σωθήσεται.

XXVII. Κηφᾶς εἶπεν· Ἐνίων μέμνησθε δέ, ὅτι ταῖς γυναιξὶ μὴ ὀρθαῖς πρέπει προσεύχεσθαι, ἀλλὰ ἐπὶ τῆς γῆς καθεζομέναις.

XXVIII. Ἰάκωβος εἶπεν· Πῶς οὖν δυνάμεθα περὶ γυναικῶν διακονίας ὁρίσαι, εἰ μή τι διακονίαν ἵνα ἐπισχύσωσι ταῖς ἐνδεομέναις;

XXIX. Φίλιππος εἶπεν· Τοῦτο, ἀδελφοί, περὶ τῆς μεταδόσεως. Ὁ ποιῶν ἔργον ἑαυτῷ θησαυρὸν καλὸν περιποιεῖται· ὁ γὰρ θησαυρίζων ἐν τῇ βασιλείᾳ ἔγγραφος ἐργάτης λογισθήσεται παρὰ τῷ θεῷ.

XXX. Πέτρος εἶπεν· Ταῦτα, ἀδελφοί, οὐχ ὡς ἐξουσίαν τινὸς ἔχοντες πρὸς ἀνάγκην, ἀλλ' ἐπιταγὴν ἔχοντες παρὰ κυρίου ἐρωτῶμεν ὑμᾶς φυλάξαι τὰς ἐντολάς, μηδὲν ἀφαιροῦντας ἢ προστιθέντας, ἐν τῷ ὀνόματι κυρίου ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

dicens: Hoc est corpus meum ac sanguis, his non permisit nobiscum stare. 2. Martha dixit: Propter Mariam, quoniam vidit eam subridentem. Maria ait: Non amplius risi; praedixit enim nobis, quando docebat, fore ut infirmum per validum salvaretur.

XXVII. Cephas dixit: Aliqua autem memineritis, quod mulieres non decet stando orare, sed super terram sedentes.

XXVIII. Iacobus dixit: Quomodo igitur possumus de mulierum ministerio decernere, nisi ministerium, quo valeant mulieribus egenis inservire?

XXIX. Philippus dixit: Hoc, fratres, de dando. Qui opus facit, sibi thesaurum bonum adquirit. Qui enim thesaurizat in regno, inscriptus operarius putabitur apud Deum.

XXX. Petrus dixit: Haec, fratres, non tanquam potestatem alicuius habentes ad cogendum, sed mandatum habentes a Domino rogamus vos, ut custodiatis praecepta, nihil auferentes vel addentes, in nomine Domini nostri, cui gloria in saecula. Amen. [l. c. pag. 58—73.]

8. QUINTUS SEPTIMIUS FLORENS TERTULLIANUS.

* *Opera omnia,* rec. Oehler. Lipsiae 1854. Freppel, *Tertullien.* Paris 1886 Hauck, *Tertullians Leben und Schriften.* Erlangen 1878. Nöldeken, *Tertullian.* Gotha 1890. v. Hartel, *Patristische Studien* (in *Sitzungsber. d. Wiener Akad.* 1890). Bigelmair, *Die Beteiligung der Christen am öffentlichen Leben in vorconstantinischer Zeit.* München 1902. Harnack, *Altchristl. Lit.* I. 667—687. Bardenhewer. § 50. Guignewert, *Tertullien, Étude sur ses sentiments a l' égard de l' Empire et de la société civil.* Paris 1901.

a) Apologeticum.

Cap. II. Si certum est denique nos nocentissimos esse, cur a vobis ipsis aliter tractamur quam pares nostri, id est ceteri nocentes, cum eiusdem noxae eadem tractatio deberet intervenire? Quodcunque dicimur, cum

alii dicuntur, et proprio ore et mercenaria advocatione utuntur ad innocentiae suae commendationem. Respondendi, altercandi facultas patet, quando nec liceat indefensos et inauditos omnino damnari. Sed Christianis solis nihil permittitur loqui quod causam purget, quod veritatem defendat, quod iudicem non faciat iniustum, sed illud solum expectatur quod odio publico necessarium est, confessio nominis, non examinatio criminis: quando, si de aliquo nocente cognoscatis, non statim confesso eo nomen homicidae vel sacrilegi vel incesti vel publici hostis, ut de nostris elogiis loquar, contenti sitis ad pronuntiandum, nisi et consequentia exigatis, qualitatem facti, numerum, locum, modum, tempus, conscios, socios. De nobis nihil tale, cum aeque extorqueri oporteret quod cum falso iactatur, quot quisque iam infanticidia degustasset, quot incesta contenebrasset, qui coci, qui canes adfuissent. O quanta illius praesidis gloria, si eruisset aliquem, qui centum iam infantes comedisset! Atquin invenimus inquisitionem quoque in nos prohibitam. Plinius enim Secundus cum provinciam regeret, damnatis quibusdam Christianis, quibusdam gradu pulsis, ipsa tamen multitudine perturbatus, quid de cetero ageret, consuluit tunc Traianum imperatorem, adlegans praeter obstinationem non sacrificandi nihil aliud se de sacramentis eorum conperisse quam coetus antelucanos ad canendum Christo et deo, et ad confoederandam disciplinam, homicidium, adulterium, fraudem, perfidiam et cetera scelera prohibentes. Tunc Traianus rescripsit hoc genus inquirendos quidem non esse, oblatos vero puniri oportere. O sententiam necessitate confusam! Negat inquirendos ut innocentes, et mandat puniendos ut nocentes. Parcit et saevit, dissimulat et animadvertit. Quid temetipsam, censura, circumvenis? Si damnas, cur non et inquiris? si non inquiris, cur non et absolvis? Latronibus vestigandis per universas provincias militaris statio sortitur. In reos maiestatis et publicos hostes omnis homo miles est; ad socios, ad conscios usque inquisitio extenditur. Solum Christianum inquiri non licet, offerri licet, quasi aliud esset actura inquisitio quam oblationem. Damnatis itaque oblatum quem nemo voluit requisitum, qui, puto, iam non ideo meruit poenam, quia nocens est, sed quia non requirendus inventus est. Itaque nec in illo ex forma malorum iudicandorum agitis erga nos, quod ceteris negantibus tormenta adhibetis ad confitendum, solis Christianis ad negandum, cum, si malum esset, nos quidem negaremus, vos vero confiteri tormentis compelleretis. Neque enim ideo non putaretis requirenda quaestionibus scelera, quia certi essetis admitti ea ex nominis confessione, qui hodie de confesso homicida, scientes homicidium quid sit, nihilominus ordinem extorquetis admissi. Quo perversius, cum praesumatis de sceleribus nostris ex nominis confessione, cogitis tormentis de confessione decedere, ut negantes nomen pariter utique negemus et scelera, de quibus ex confessione nominis praesumpseratis. Sed, opinor, non vultis nos perire, quos pessimos creditis. Sic enim soletis dicere ho-

micidae: Nega, laniari iubere sacrilegum, si confiteri perseveraverit. Si non ita agitis circa nos nocentes, ergo nos innocentissimos iudicatis, cum quasi innocentissimos non vultis in ea confessione perseverare, quam necessitate, non iustitia damnandam a vobis sciatis. Vociferatur homo: Christianus sum. Quod est dicit; tu vis audire quod non est. Veritatis extorquendae praesides de nobis solis mendacium elaboratis audire. Hoc sum, inquit, quod quaeris an sim. Quid me torques in perversum? Confiteor, et torques: quid faceres, si negarem? Plane aliis negantibus non facile fidem accommodatis: nobis, si negaverimus, statim creditis. Suspecta sit vobis ista perversitas, ne qua vis lateat in occulto, quae vos adversus formam, adversus naturam iudicandi, contra ipsas quoque leges ministret. Nisi fallor enim, leges malos erui iubent, non abscondi, confessos damnari praescribunt, non absolvi. Hoc senatusconsulta, hoc principum mandata definiunt. Hoc imperium, cuius ministri estis, civilis, non tyrannica dominatio est. Apud tyrannos enim tormenta etiam pro poena adhibebantur: apud vos soli quaestioni temperatur. Vestram illis servate legem usque ad confessionem necessariam, et iam si confessione praeveniantur, vacabunt: sententia opus est: debito poenae nocens expungendus est, non eximendus. Denique nemo illum gestit absolvere. Non licet hoc velle, ideo nec cogitur quisquam negare. Christianum hominem omnium scelerum reum, deorum, imperatorum, legum, morum, naturae totius inimicum existimas, et cogis negare, ut absolvas quem non poteris absolvere nisi negaverit. Praevaricaris in leges. Vis ergo neget se nocentem, ut eum facias innocentem, et quidem invitum iam, nec de praeterito reum. Unde ista perversitas, ut etiam illud non recogitetis, sponte confesso magis credendum esse quam per vim neganti? vel ne compulsus negare non ex fide negarit et absolutus ibidem post tribunal de vestra rideat aemulatione iterum Christianus? Cum igitur in omnibus nos aliter disponitis quam ceteros nocentes, ad unum contendendo, ut de eo nomine excludamur (excludimur enim si faciamus quae faciunt non Christiani), intellegere potestis non scelus aliquod in causa esse, sed nomen, quod quaedam ratio aemulae operationis insequitur hoc primum agens, ut homines nolint scire pro certo quod se nescire pro certo sciunt. Ideo et credunt de nobis quae non probantur, et nolunt inquiri, ne probentur non esse quae malunt credidisse, ut nomen illius aemulae rationis inimicum praesumptis, non probatis criminibus de sua sola confessione damnetur. Ideo torquemur confitentes et punimur perseverantes et absolvimur negantes, quia nominis proelium est. Denique quid de tabella recitatis illum Christianum? Cur non et homicidam? Si homicida Christianus, cur non et incestus vel quodcunque aliud esse nos creditis? In nobis solis pudet aut piget ipsis nominibus scelerum pronuntiare? Christianus si nullius criminis nomine reus est, valde incestum, si solius nominis, crimen est.

Cap. XXXIX. Corpus sumus de conscientia religionis et disciplinae unitate et spei foedere. Coimus in coetum et congregationem, ut ad deum quasi manu facta precationibus ambiamus orantes. Haec vis deo grata est. Oramus etiam pro imperatoribus, pro ministris eorum et potestatibus, pro statu saeculi, pro rerum quiete, pro mora finis. Coimus ad litterarum divinarum commemorationem, si quid praesentium temporum qualitas aut praemonere cogit aut recognoscere. Certe fidem sanctis vocibus pascimus, spem erigimus, fiduciam figimus, disciplinam praeceptorum nihilominus inculcationibus densamus; ibidem etiam exhortationes, castigationes et censura divina. Nam et iudicatur magno cum pondere, ut apud certos de dei conspectu, summumque futuri iudicii praeiudicium est, si quis ita deliquerit, ut a communicatione orationis et conventus et omnis sancti commercii relegetur. Praesident probati quique seniores, honorem istum non pretio, sed testimonio adepti. Neque enim pretio ulla res dei constat. Etiam si quod arcae genus est, non de honoraria summa quasi redemptae religionis congregatur. Modicam unusquisque stipem menstrua die, vel cum velit, et si modo velit, et si modo possit, apponit; nam nemo compellitur, sed sponte confert. Haec quasi deposita pietatis sunt. Nam inde non epulis nec potaculis nec ingratiis voratrinis dispensatur, sed egenis alendis humandisque et pueris ac puellis re ac parentibus destitutis, iamque domesticis senibus, item naufragis, et si qui in metallis, et si qui in insulis vel in custodiis, dumtaxat ex causa dei sectae, alumni confessionis suae fiunt.

Cap. XLII. Sed alio quoque iniuriarum titulo postulamur, et infructuosi in negotiis dicimur. Quo pacto homines vobiscum degentes, eiusdem victus, habitus, instructus, eiusdem ad vitam necessitatis? Neque enim Brachmanae aut Indorum gymnosophistae sumus, silvicolae et exules vitae. Meminimus gratiam debere nos deo, domino, creatori: nullum fructum operum eius repudiamus: plane temperamus, ne ultra modum aut perperam utamur. Itaque non sine foro, non sine macello, non sine balneis, tabernis, officinis, stabulis, nundinis vestris ceterisque commerciis cohabitamus in hoc saeculo. Navigamus et nos vobiscum et militamus et rusticamur et mercatus proinde miscemus, artes, opera nostra publicamus usui vestro, Quomodo infructuosi videmur negotiis vestris, cum quibus et de quibus vivimus, non scio. Sed si caerimonias tuas non frequento, attamen et illa die homo sum. Non lavor diluculo Saturnalibus, ne et noctem et diem perdam, attamen lavor honesta hora et salubri, quae mihi et calorem et sanguinem servet; rigere et pallere post lavacrum mortuus possum. Non in publico Liberalibus discumbo, quod bestiariis supremam coenantibus mos est, attamen ubi de copiis tuis coeno. Non emo capiti coronam. Quid tua interest, emptis nihilominus floribus quomodo utar? Puto gratius esse liberis et solutis et undique vagis. Sed etsi in coronam coactis, nos coronam naribus novimus; viderint qui per capillum odorantur. Spectaculis non con-

venimus; quae tamen apud illos coetus venditantur si desideravero, liberius de propriis locis sumam. Thura plane non emimus. Si Arabiae queruntur, sciant Sabaei pluris et carioris suas merces Christianis sepeliendis profligari quam deis fumigandis. Certe, inquitis, templorum vectigalia cotidie decoquunt: stipes quotusquisque iam iactat? Non enim sufficimus et hominibus et deis vestris mendicantibus opem ferre, nec putamus aliis quam petentibus inpertiendum. Denique porrigat manum Iupiter et accipiat, cum interim plus nostra misericordia insumit vicatim quam vestra religio templatim. Sed cetera vectigalia gratias Christianis agent ex fide dependentibus debitum, qua alieno fraudando abstinemus, ut, si ineatur quantum vectigalibus pereat fraude et mendacio vestrarum professionum, facile ratio haberi possit, unius speciei querela compensata pro commodo ceterarum rationum.

Cap. XLIII. Plane confitebor, quinam, si forte, vere de sterilitate Christianorum conqueri possint. Primi erunt lenones, perductores, aquarioli, tum sicarii, venerarii, magi, item aruspices, arioli, mathematici. His infructuosos esse magnus est fructus. Et tamen quodcunque dispendium est rei vestrae per hanc sectam, cum aliquo praesidio conpensari potest. Quanti habetis, non dico qui iam de vobis daemonia excutiant, non dico iam qui pro vobis quoque vero deo preces sternant, quia forte non creditis, sed a quibus nihil timere possitis? [l. c. pag. 61, 129, 136 seq.]

b) De corona.

Cap. I. Proxime factum est: Liberalitas praestantissimorum imperatorum expungebatur in castris, milites laureati adibant. Quidam illic magis dei miles ceteris constantior fratribus, qui se duobus dominis servire posse praesumpserant, solus libero capite, coronamento in manu otioso, vulgato iam et ista disciplina Christiano, relucebat. Denique singuli designare, eludere eminus, infrendere cominus. Murmur tribuno defertur; et persona iam ex ordine decesserat. Statim tribunus, Cur, inquit, tam diversus habitus? Negavit ille sibi cum ceteris licere. Causas expostulatus, Christianus sum, respondit. O militem gloriosum in deo! Suffragia exinde, et res ampliata, et reus ad praefectos. Ibidem gravissimas penulas posuit, relevari auspicatus, speculatoriam morosissimam de pedibus absolvit, terrae sanctae insistere incipiens, gladium nec dominicae defensioni necessarium reddidit, laurea et de manu deruit, et nunc rufatus sanguinis sui spe, calceatus de evangelii paratura, succinctus acutiore verbo dei, totus de apostolo armatus et de martyrii candida melius coronatus donativum Christi in carcere expectat. Exinde sententiae super illo, nescio an Christianorum — non enim aliae ethnicorum, ut de abrupto et praecipiti et mori cupido, qui de habitu interrogatus nomini negotium fecerit, solus scilicet fortis inter tot fratres commilitones, solus Christianus. Plane superest, ut etiam martyria recusare meditentur qui prophetias eiusdem spiritus sancti respuerunt. Musitant de-

nique tam bonam et longam sibi pacem periclitari. Nec dubito quosdam scripturas emigrare, sarcinas expedire, fugae accingi de civitate in civitatem. Nullam enim aliam evangelio memoriam curant. Novi et pastores eorum in pace leones, in proelio cervos. Sed de questionibus confessionum alibi docebimus. At nunc quatinus et illud opponunt: Ubi autem prohibemur coronari? hanc magis localem substantiam causae praesentis aggrediar, ut et qui ex sollicitudine ignorantiae quaerunt intruantur, et qui in defensionem delicti contendunt, revincantur, ipsi vel maxime Christiani laureati, quibus id solum questio est, quasi aut nullum aut incertum saltem haberi possit delictum quod patiatur quaestionem. Nec nullum autem nec incertum hinc interim ostendam. [l. c. pag. 223.]

c) Ad scapulam.

Cap. II. Nos unum deum colimus, quem omnes naturaliter nostis, ad cuius fulgura et tonitrua contremiscitis, ad cuius beneficia gaudetis. Ceteros et ipsi putatis deos esse quos nos daemonas scimus. Tamen humani iuris et naturalis potestatis est unicuique quod putaverit colere, nec alii obest aut prodest alterius religio. Sed nec religionis est cogere religionem, quae sponte suscipi debeat, non vi, cum et hostiae ab animo libenti expostulentur. Ita etsi nos compuleritis ad sacrificandum, nihil praestabitis diis vestris. Ab invitis enim sacrificia non desiderabunt, nisi si contentiosi sunt; contentiosus autem deus non est. Denique qui est verus, omnia sua ex aequo et profanis et suis praestat, ideoque et iudicium constituit aeternum de gratis et ingratis. Tamen nos, quos sacrilegos existimatis, nec in furto umquam deprehendistis, nedum in sacrilegio. Omnes autem, qui templa dispoliant et per deos iurant et eosdem colunt, et Christiani non sunt et sacrilegi tamen deprehenduntur. Longum est, si retexamus, quibus aliis modis et derideantur et contemnantur omnes dii ab ipsis cultoribus suis. Sic et circa maiestatem imperatoris infamamur, tamen numquam Albiniani nec Nigriani vel Cassiani inveniri potuerunt Christiani, sed idem ipsi qui per genios eorum in pridie usque iuraverant, qui pro salute eorum hostias et fecerant et voverant, qui Christianos saepe damnaverant, hostes eorum sunt reperti. Christianus nullius est hostis, nedum imperatoris, quem sciens a deo suo constitui necesse est ut et ipsum diligat et revereatur et honoret et salvum velit cum toto Romano imperio, quousque saeculum stabit: tamdiu enim stabit. Colimus ergo et imperatorem sic quomodo et nobis licet et ipsi expedit, ut hominem a deo secundum et quicquid est a deo consecutum et solo deo minorem. Hoc et ipse volet. Sic enim omnibus maior est, dum solo vero deo minor est. Sic et ipsis diis maior est, dum et ipsi in potestate sunt eius. Itaque et sacrificamus pro salute imperatoris, sed deo nostro et ipsius, sed quomodo praecepit deus, pura prece. Non enim eget deus, conditor universitatis, odoris aut sanguinis alicuius. Haec enim daemoniorum pabula

sunt. Daemones autem non tantum respuimus, verum et revincimus et cottidie traducimus et de hominibus expellimus, sicut plurimis notum est. Ita nos magis oramus pro salute imperatoris, ab eo eam postulantes qui praestare potest. Et utique ex disciplina patientiae divinae agere nos satis manifestum esse vobis potest, cum tanta hominum multitudo, pars paene maior civitatis cuiusque, in silentio et modestia agimus, singuli forte noti magis quam omnes, nec aliunde noscibiles quam de emendatione vitiorum pristinorum. Absit enim, ut indigne feramus ea nos pati quae optamus, aut ultionem a nobis aliquam machinemur, quam a deo expectamus. [l. c. pag. 297—298.]

d) De baptismo.

Cap. XVII. Superest ad concludendam materiolam de observatione quoque dandi et accipiendi baptismi commonefacere. Dandi quidem habet ius summus sacerdos, qui est episcopus; dehinc presbyteri et diaconi, non tamen sine episcopi auctoritate, propter ecclesiae honorem, quo salvo salva pax est. Alioquin etiam laicis ius est. Quod enim ex aequo accipitur, ex aequo dari potest. Nisi episcopi iam aut presbyteri aut diaconi, vocantur discentes. Domini sermo non debet abscondi ab ullo. Proinde et baptismus, aeque dei census, ab omnibus exerceri potest. Sed quanto magis laicis disciplina verecundiae et modestiae incumbit, cum ea maioribus competant, ne sibi adsumant dicatum episcopi officium! Episcopatus aemulatio schismatum mater est. Omnia licere dixit sanctissimus apostolus, sed non omnia expedire. Sufficiat scilicet in necessitatibus ut utaris, sicubi aut loci aut temporis aut personae condicio compellit. Tunc enim constantia succurrentis excipitur, cum urget circumstantia periclitantis, quoniam reus erit perditi hominis, si supersederit praestare quod libere potuit. Petulantiae autem mulier, quae usurpavit docere, utique non etiam tinguendi ius sibi pariet, nisi si quae nova bestia evenerit similis pristinae, ut, quemadmodum illa baptismum auferebat, ita aliqua per se eum conferat. Quodsi quae Pauli perperam scripta sunt exemplum Theclae ad licentiam mulierum docendi tinguendique defendunt, sciant in Asia presbyterum qui eam scripturam construxit, quasi titulo Pauli de suo cumulans, convictum atque confessum id se amore Pauli fecisse loco decessisse. Quam enim fidei proximum videretur, ut is docendi et tinguendi daret feminae potestatem qui ne discere quidem constanter mulieri permisit? Taceant, inquit, et domi maritos suos consulant. [l. c. pag. 350—351.]

e) De exortatione castitatis.

Cap. VII. Cur autem de pristinis exemplis non ea potius agnoscamus quae cum posterioribus communicant de disciplina et formam vetustatis ad novitatem transmittunt? Ecce enim in vetere lege animadverto castratam licentiam saepius nubendi. Cautum in Levitico: Sacerdotes mei non plus nubent.

Possum dicere etiam illud plus esse quod semel non est. Quod non unum est, numerus est. Denique post unum incipit numerus. Unum autem est omne quod semel est. Sed Christo servabatur, sicut in ceteris, ita in isto quoque legis plenitudo. Inde igitur apud nos plenius atque instructius praescribitur unius matrimonii esse oportere qui alleguntur in ordinem sacerdotalem. Usque adeo quosdam memini digamos loco deiectos. Sed dices: Ergo ceteris licet, quos excipit. Vani erimus, si putaverimus quod sacerdotibus non liceat laicis licere. Nonne et laici sacerdotes sumus? Scriptum est: Regnum quoque nos et sacerdotes deo et patri suo fecit. Differentiam inter ordinem et plebem constituit ecclesiae auctoritas, et honor per ordinis consessum sanctificatus. Adeo ubi ecclesiastici ordinis non est consessus, et offers et tinguis et sacerdos es tibi solus. Sed ubi tres, ecclesia est, licet laici. Unusquisque enim sua fide vivit, nec est personarum exceptio apud deum; quoniam non auditores legis iustificantur a domino, sed factores, secundum quod et apostolus dicit. Igitur si habes ius sacerdotis in temetipso ubi necesse est, habeas oportet etiam disciplinam sacerdotis, ubi necesse sit habere ius sacerdotis. Digamus tinguis? digamus offers? Quanto magis laico digamo capitale est agere pro sacerdote, cum ipsi sacerdoti digamo facto auferatur agere sacerdotem? Sed necessitati, inquis, indulgetur. Nulla necessitas excusatur quae potest non esse. Noli denique digamus deprehendi, et non committis in necessitatem administrandi quod non licet digamo. Omnes nos deus ita vult dispositos esse, ut ubique sacramentis eius obeundis apti simus. Unus deus, una fides, una et disciplina. Usque adeo nisi et laici ea observent per quae presbyteri alleguntur, quomodo erunt presbyteri qui de laicis alleguntur? Ergo pugnare debemus ante laicum iussum a secundo matrimonio abstinere, dum presbyter esse non alius potest quam laicus semel fuerit maritus. [l. c. pag. 418—420.]

f) De virginibus velandis.

Cap. IX. Videamus nunc, an sicut naturae et causae argumenta virgini quoque competere monstravimus, ita etiam disciplinae ecclesiasticae praescripta de muliere in virginem spectant. Non permittitur mulieri in ecclesia loqui, sed nec docere, nec tinguere, nec offerre, nec ullius virilis muneris, nedum sacerdotalis officii sortem sibi vindicare. Quaeramus, an aliquid horum virgini liceat. Si virgini non licet, sed in omnibus eadem condicione subicitur, et necessitas humilitatis cum muliere censetur, unde illi unum hoc licebit quod omni feminae non licet? Quid praerogativae meretur adversus condicionem suam, si qua virgo est, et carnem suam sanctificare proposuit? Idcirco velaminis venia fit illi, ut in ecclesiam notabilis et insignis introeat, ut honorem sanctitatis in libertate capitis ostendat? Potuit dignius honorari aliqua praerogativa virilis aut gradus aut officii. Plane scio alicubi virginem in viduatu

ab annis nondum viginti collocatam. Cui si quid refrigerii debuerat episcopus, aliter utique salvo respectu disciplinae praestare potuisset, ne tale nunc miraculum, ne dixerim monstrum, in ecclesia denotaretur, virgo vidua, hoc quidem portentuosior, quod nec qua vidua caput texit, utrumque se negans, et virginem, quae vidua deputetur, et viduam, quae virgo dicatur. Sed ea auctoritate illic sedet intecta qua et virgo, ad quam sedem praeter annos sexaginta non tantum univirae, id est nuptae, aliquando eliguntur, sed et matres, et quidem educatrices filiorum, scilicet ut experimentis omnium affectuum structae et facile norint ceteras et consilio et solatio iuvare et ut nihilominus ea decucurrerint per quae femina probari potest. Adeo nihil virgini ad honorem de loco permissum est. [l. c. pag. 524.]

g) De praescriptione haereticorum.

Cap. XX. Christus Iesus, dominus noster, permittat dicere interim, quisquis est, cuiuscunque dei filius, cuiuscunque materiae homo et deus, cuiuscunque fidei praeceptor, cuiuscunque mercedis repromissor, quid esset, quid fuisset, quam patris voluntatem administraret, quid homini agendum determinaret, quamdiu in terris agebat, ipse pronuntiabat sive populo palam sive discentibus seorsum, ex quibus duodecim praecipuos lateri suo allegerat, destinatos nationibus magistros. Itaque uno eorum decusso reliquos undecim digrediens ad patrem post resurrectionem iussit ire et docere nationes tinguendas in patrem et in filium et in spiritum sanctum. Statim igitur apostoli, quos haec appellatio missos interpretatur, assumpto per sortem duodecimo Matthia in locum Iudae ex auctoritate prophetiae, quae est in psalmo David, consecuti promissam vim spiritus sancti ad virtutes et eloquium, primo per Iudaeam contestata fide in Iesum Christum et ecclesiis institutis, dehinc in orbem profecti eandem doctrinam eiusdem fidei nationibus promulgaverunt. Et perinde ecclesias apud unamquamque civitatem condiderunt, a quibus traducem fidei et semina doctrinae ceterae exinde ecclesiae mutuatae sunt et cottidie mutuantur, ut ecclesiae fiant. Ac per hoc et ipsae apostolicae deputabuntur ut suboles apostolicarum ecclesiarum. Omne genus ad originem suam censeatur necesse est. Itaque tot ac tantae ecclesiae una est illa ab apostolis prima, ex qua omnes. Sic omnes primae et omnes apostolicae, dum una omnes probant unitate communicatio pacis et appellatio fraternitatis et contesseratio hospitalitatis, quae iura non alia ratio regit quam eiusdem sacramenti una traditio. [l. c. pag. 561—562.]

Cap. XXXII. Ceterum si quae audent interserere se aetati apostolicae, ut ideo videantur ab apostolis traditae quia sub apostolis fuerunt, possumus dicere: Edant ergo origines ecclesiarum suarum, evolvant ordinem episcoporum suorum, ita per successionem ab initio decurrentem, ut primus ille episcopus aliquem ex apostolis vel apostolicis viris, qui tamen cum apostolis perseveravit, habuerit auctorem et antecessorem. Hoc enim modo ecclesiae

3*

apostolicae census suos deferunt, sicut Smyrnaeorum ecclesia Polycarpum ab Ioanne collocatum refert, sicut Romanorum Clementem a Petro ordinatum itidem. Perinde utique et ceterae exhibent quos ab apostolis in episcopatum constitutos apostolici seminis traduces habeant. Confingant tale aliquid haeretici. Quid enim illis post blasphemiam inlicitum est? Sed etsi confinxerint, nihil promovebunt. Ipsa enim doctrina eorum cum apostolica comparata ex diversitate et contrarietate sua pronuntiabit neque apostoli alicuius auctoris esse neque apostolici, quia sicut apostoli non diversa inter se docuissent, ita et apostolici non contraria apostolis edidissent. Nisi illi qui ab apostolis didicerunt aliter praedicaverunt. Ad hanc itaque formam probabuntur ab illis ecclesiis, quae licet nullum ex apostolis vel apostolicis auctorem suum proferant, ut multo posteriores, quae denique cottidie instituuntur, tamen in eadem fide conspirantes non minus apostolicae deputantur pro consanguinitate doctrinae. Ita omnes haereses ad utramque formam a nostris ecclesiis provocatae probent se quaqua putant apostolicas. Sed adeo nec sunt nec probare possunt quod non sunt, nec recipiuntur in pacem et communicationem ab ecclesiis quoquo modo apostolicis, scilicet ob diversitatem sacramenti nullo modo apostolicae. [l. c. pag. 570—571.]

Cap. XLI. Non omittam ipsius etiam conversationis haereticae descriptionem, quam futilis, quam terrena, quam humana sit, sine gravitate, sine auctoritate, sine disciplina, ut fidei suae congruens. Inprimis quis catechumenus, quis fidelis, incertum est; pariter adeunt, pariter audiunt, pariter orant, etiam ethnici, si supervenerint; sanctum canibus et porcis margaritas, licet non veras, iactabunt. Simplicitatem volunt esse prostrationem disciplinae, cuius penes nos curam lenocinium vocant. Pacem quoque passim cum omnibus miscent. Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent. Omnes tument, omnes scientiam pollicentur. Ante sunt perfecti catechumeni quam edocti. Ipsae mulieres haereticae, quam procaces! quae audeant docere, contendere, exorcismos agere, curationes repromittere, forsitan et tingere. Ordinationes eorum temerariae, leves, inconstantes. Nunc neophytos conlocant, nunc saeculo obstrictos, nunc apostatas nostros, ut gloria eos obligent, quia veritate non possunt. Nusquam facilius proficitur quam in castris rebellium, ubi ipsum esse illic promereri est. Itaque alius hodie episcopus, cras alius, hodie diaconus qui cras lector, hodie presbyrer qui cras laicus. Nam et laicis sacerdotalia munera iniungunt. [l. c. pag. 578.]

9. THASCIUS CAECILIUS CYPRIANUS.

* *S. Thasci Caecilii Cypriani opera omnia*, rec. Hartel, (*Corpus script. eccl. lat.* Vol. III. Partes 1—3). Vindobonae 1868. Rettberg, *Cyprianus*. Göttingen 1831. Freppel, *St. Cyprien*. Paris 1890[2]. Peters, *Der hl. Cyprian*. Regensburg 1877. Fechtrup, *Der hl. Cyprian*. Münster 1878. Benson, *Cyprian*. London 1897. Monceaux, *Histoire littéraire de l'Afrique chrétienne;* Tom. II. *St. Cy-*

prien et son temps. Paris 1902. Harnack, *Altch. Lit.* I. p. 697—701. Bardenhewer, § 41. Peters, *Die Lehre des hl. Cyprian von der Einheit der Kirche.* Luxemburg 1870. Reinkens, *Idem.* Würzburg 1873. Ritschl, *Cyprian von Karthago und die Verfassung der Kirche.* Göttingen 1885. Goetz, *Das Christenthum Cyprians.* Giessen 1896. Melardi, *S. Cipriano.* Potenza 1901. Ritschl, *De Epistulis Cyprianicis.* Halle 1885. Soden, *Die Cyprianische Briefsammlung; Geschichte ihrer Entstehung und Ueberlieferung* (in *Texte u. Unters.* N. Folge, X. 3) Leipzig 1904.

a) De unitate Ecclesiae.

c. 4. loquitur Dominus ad Petrum [Math. 16. 18. sq.]: *ego tibi dico,* inquit, *quia tu es Petrus et super istam petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferorum non uincent eam. dabo tibi claues regni caelorum: et quae ligaueris super terram erunt ligata et in caelis, et quaecunque solueris super terram erunt soluta et in caelis.* super unum aedificat ecclesiam, et quamuis apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuat et dicat: *sicut misit me pater et ego mitto uos. accipite Spiritum sanctum: si cuius remiseritis peccata, remittentur illi; si cuius tenueritis, tenebuntur,* tamen ut unitatem manifestaret, unitatis eiusdem originem ab uno incipientem sua auctoritate disposuit. hoc erant utique et ceteri apostoli quod fuit Petrus, pari consortio praediti et honoris et potestatis, sed exordium ab unitate proficiscitur, ut ecclesia Christi una monstretur. quam unam ecclesiam etiam in cantico canticorum Spiritus sanctus ex persona Domini designat et dicit: *una est columba mea, perfecta mea, una est matri suae, electa genitrici suae.* hanc ecclesiae unitatem qui non tenet tenere se fidem credit? qui ecclesiae renititur et resistit in ecclesia se esse confidit? quando et beatus apostolus Paulus hoc idem doceat et sacramentum unitatis ostendat dicens: *unum corpus et unus spiritus, una spes uocationis uestrae, unus dominus, una fides, unum baptisma, unus Deus.* [Eph. 4. 4 sq.]

c. 5. Quam unitatem tenere firmiter et uindicare debemus, maxime episcopi qui in ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indiuisum probemus. nemo fraternitatem mendacio fallat, nemo fidem ueritatis perfida praeuaricatione corrumpat. episcopatus unus est, cuius a singulis in solidum pars tenetur. ecclesia una est quae in multitudinem latius incremento fecunditatis extenditur, quomodo solis multi radii sed lumen unum, et rami arboris multi sed robur unum tenaci radice fundatum, et cum de fonte uno riui plurimi defluunt, numerositas licet diffusa uideatur exundantis copiae largitate, unitas tamen seruatur in origine. auelle radium solis a corpore, diuisionem lucis unitas non capit: ab arbore frange ramum, fractus germinare non poterit: a fonte praecide riuum, praecisus arescit. sic et ecclesia Domini luce perfusa per orbem totum radios suos porrigit: unum tamen lumen est quod ubique diffunditur, nec unitas corporis separatur. ramos suos in uniuersam terram copia ubertatis extendit,

profluentes largiter riuos latius pandit: unum tamen caput est et origo una et una mater fecunditatis successibus copiosa: illius fetu nascimur, illius lacte nutrimur, spiritu eius animamur.

c. 6. Adulterari non potest sponsa Christi, incorrupta est et pudica. unam domum nouit, unius cubiculi sanctitatem casto pudore custodit. haec nos Deo seruat, haec filios regno quos generauit adsignat. quisque ab ecclesia segregatus adulterae iungitur a promissis ecclesiae separatur, nec perueniet ad Christi praemia qui reliquit ecclesiam Christi. alienus est, profanus est, hostis est. habere non potest Deum patrem qui ecclesiam non habet matrem. si potuit euadere quisque extra arcam Noe fuit, et qui extra ecclesiam foris fuerit euadit. monet Dominus et dicit: qui non est mecum aduersus me est, et qui non mecum colligit spargit. qui pacem Christi et concordiam rumpit aduersus Christum facit: qui alibi praeter ecclesiam colligit Christi ecclesiam spargit. dicit Dominus: ego et pater unum sumus. et iterum de Patre et Filio et Spiritu sancto scriptum est: et tres unum sunt. et quisquam credit hanc unitatem de diuina firmitate uenientem, sacramentis caelestibus cohaerentem scindi in ecclesia posse et uoluntatum conlidentium diuortio separari? Hanc unitatem qui non tenet, non tenet Dei legem, non tenet Patris et Filii fidem, uitam non tenet et salutem. [l. c. Pars I. pag. 212—215.]

b) Sententiae Episcoporum numero LXXXVII[1] (de haereticis baptizandis).

Cum in unum Cartaginem conuenissent kalendis Septembribus episcopi plurimi ex prouincia Africa, Numidia, Mauritania cum presbyteris et diaconibus, praesentibus etiam plebis maxima parte, et lectae essent litterae Iubaiani ad Cyprianum factae, item Cypriani ad Iubaianum rescriptae de haereticis baptizandis quidque postmodum Cypriano Iubaianus idem rescripserit, Cyprianus dixit: audistis collegae dilectissimi, quid mihi Iubaianus coepiscopus noster scripserit consulens mediocritatem nostram de inlicito et profano haereticorum baptismo quidque ego ei rescripserim, censens scilicet quod semel adque iterum et saepe censuimus haereticos ad ecclesiam uenientes ecclesiae baptismo baptizari et sanctificari oportere. item lectae sunt uobis et aliae Iubaiani litterae quibus pro sua sincera et religiosa deuotione ad epistulam nostram rescribens non tantum consensit, sed etiam instructum se esse confessus gratias egit. superest ut de hac ipsa re singuli quid sentiamus proferamus neminem iudicantes aut a iure comunicationis aliquem si diuersum senserit amouentes. neque enim quisquam nostrum episcopum se episcoporum constituit aut tyrannico terrore ad obsequendi

[1]) Concilium Carthaginense sub Cypriano Septimum anno p. Chr. N. CCLVI habitum.

necessitatem collegas suos adigit, quando habeat omnis episcopus pro licentia libertatis et potestatis suae arbitrium proprium tamque iudicari ab alio non possit, quam nec ipse possit alterum iudicare. sed expectemus uniuersi iudicium Domini nostri Iesu Christi qui unus et solus habet potestatem et praeponendi nos in ecclesiae suae gubernatione et de actu nostro iudicandi. [l. c. I. pag. 435—436.]

c) Epistulae.

Ep. 33. I. Dominus noster, cuius praecepta metuere et seruare debemus, episcopi honorem et ecclesiae suae rationem disponens, in Euangelio loquitur et dicit Petro: *ego tibi dico quia tu es Petrus, et super istam petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferorum non uincent eam: et tibi dabo claues regni caelorum, et quae ligaueris super terram erunt ligata et in coelis, et quaecumque solueris super terram erunt soluta et in caelis* [*Matth.* XVI, 18, 19]. Inde per temporum et successionum uices episcoporum ordinatio et ecclesiae ratio decurrit, ut ecclesia super episcopos constituatur et omnis actus ecclesiae per eosdem praepositos gubernetur. cum hoc ita diuina lege fundatum sit, miror quosdam audaci temeritate sic mihi scribere uoluisse ut ecclesiae nomine litteras facerent, quando ecclesia in episcopo et clero et in omnibus stantibus sit constituta. absit enim nec Domini misericordia et potestas eius inuicta patiatur ut ecclesia esse dicatur lapsorum numerus, cum scriptum sit: *Deus non est mortuorum, sed uiuorum* [*Matth.* XXII, 32]. omnes quidem uiuificari optamus, et ut in statum pristinum restituantur precibus nostris et gemitibus oramus. si autem quidam lapsi ecclesiam se uolunt esse, et si apud illos atque in illis est ecclesia, quid superest quam ut ipsi rogentur a nobis ut nos ad ecclesiam dignentur admittere? summissos ergo et quietos et uerecundos esse oportet eos qui delicti sui memores satisfacere Deo debent, nec Ecclesiae nomine litteras facere, cum se magis sciant ecclesiae scribere.

II. Scripserunt autem mihi quidam de lapsis humiles et mites et trementes et metuentes Deum et qui in ecclesiis semper gloriose et granditer operati sunt et opus suum numquam Domino inputauerunt, scientes illum dixisse: *et cum haec feceritis, dicite: serui superuacui sumus; quod debuimus facere, fecimus* [*Luc.* XIII. 10]. quae illi cogitantes, et quamuis libello a martyribus accepto, ut tamen ad Dominum satisfactio ipsa admitti possit, orantes scripserunt mihi se delictum suum cognoscere et paenitentiam ueram agere, nec ad pacem temere aut inportune properare, sed exspectare praesentiam nostram, dicentes pacem quoque ipsam, si eam nobis praesentibus acceperint, dulciorem sibi futuram. quibus quantum gratulatus sim Dominus testis est, qui dignatus est ostendere quid eiusmodi et tales serui de eius bonitate mereantur. quas litteras cum nuper acceperim, et nunc aliud scripsisse uos legerim, peto discernatis desideria uestra, et

quicumque estis qui has litteras nunc misistis, nomina uestra libello subiciatis et libellum cum singulorum nominibus ad me transmittatis. ante est enim scire quibus rescribere habeam. tunc ad singula quae scripsistis pro loci et actus nostri mediocritate rescribam. opto uos, fratres charissimi, semper bene ualere et secundum Domini disciplinam quiete et tranquille agere. ualete. [l. c. pag. 566—568.]

Ep. 38. I. Cyprianus presbyteris et diaconibus item plebi universae salutem. In ordinationibus clericis, fratres carissimi, solemus uos ante consulere et mores ac merita singulorum communi consilio ponderare. sed exspectanda non sunt testimonia humana cum praecedunt diuina suffragia. Aurelius frater noster, inlustris, adulescens, a Domino iam probatus et Deo carus est, in annis adhuc nouellus, sed in uirtutis ac fidei laude prouectus, minor in aetatis suae indole, sed maior in honore: gemino hic agone certauit, bis confessus et bis confessionis suae uictoria gloriosus, et quando uicit in cursu factus extorris et cum denuo certamine fortiore pugnauit triumphator et uictor in proelio passionis. quotiens aduersarius provocare seruos Dei uoluit, totiens promptissimus ac|fortissimus miles et pugnauit et uicit. parum fuerat sub oculis ante paucorum, quando extorris fiebat, congressum fuisse: meruit et in foro congredi clariore uirtute, ut post magistratus et proconsulem uinceret, post exilium tormenta superaret. nec inuenio quid in eo praedicare plus debeam, gloriam uulnerum, an uerecundiam morum, quod honore uirtutis insignis est, an quod pudoris admiratione laudabilis? ita et dignitate excelsus est et humilitate summissus, ut appareat illum diuinitus reseruatum qui ad ecclesiasticam disciplinam ceteris esset exemplo, quomodo serui Dei in confessione uirtutibus uincerent, post confessionem moribus eminerent.

II. Merebatur talis clericae ordinationis ulteriores gradus et incrementa maiora, non de annis suis, sed de meritis aestimandus. sed interim placuit ut ab officio lectionis incipiat, quia et nihil magis congruit uoci quae Deum gloriosa praedicatione confessa est quam celebrandis diuinis lectionibus personare, post uerba sublimia quae Christi martyrium prolocuta sunt euangelium Christi legere unde martyres fiunt, ad pulpitum post catastam uenire, illic fuisse conspicuum gentilium multitudini, hic a fratribus conspici, illic auditum esse cum miraculo circumstantis populi, hic cum gaudio fraternitatis audiri. hunc igitur, fratres dilectissimi, a me et a collegis qui praesentes aderant ordinatum sciatis. quod uos scio et libenter amplecti et optare tales in ecclesia nostra quam plurimos ordinari. et quoniam semper gaudium properat, nec potest moras ferre laetitia, dominico legit interim nobis, id est auspicatus est pacem, dum dedicat lectionem. uos orationibus frequenter insistite, et preces nostras uestris precibus adiuuate, ut Domini

misericordia fauens nobis cito plebi suae et sacerdotem reddat incolumem et martyrem cum sacerdote lectorem. opto uos, fratres carissimi, [in Deo Patre et Christo Iesu] semper bene ualere. [l. c. pag. 579—581.]

Ep. 7. Cyprianus presbyteris et diaconibus, fratribus carissimis, salutem. Saluto uos, fratres carissimi, per Dei gratiam incolumis, optans cito ad uos uenire, ut desiderio tam meo quam uestro et omnium fratrum satisfiat. oportet nos tamen paci communi consulere et interdum, quamuis cum taedio animi nostri deesse uobis, ne praesentia nostri inuidiam et uiolentiam gentilium prouocet, et simus auctores rumpendae pacis, qui nos magis quieti omnium consulere debemus. quando ergo uos scripseritis rebus compositis me uenire debere, aut si ante dignatus fuerit Dominus ostendere, tunc ad uos ueniam. ubi enim mihi aut melius possit esse aut laetius quam illic ubi me Deus et credere voluit et crescere? uiduarum et infirmorum et omnium pauperum curam peto diligenter habeatis. sed et peregrinis, si qui indigentes fuerint, sumptus suggeratis de quantitate mea propria quam apud Rogatianum compresbyterum nostrum dimisi. quae quantitas ne forte iam uniuersa erogata sit, misi eidem per Naricum acoluthum aliam portionem, ut largius et promptius circa laborantes fiat operatio. opto uos, fratres carissimi, semper bene ualere [et nostri meminisse. fraternitatem uestram meo nomine salutate, et ut nostri memores sint admonete]. [l. c. pag. 484—485.]

Ep. 43. V. [Cyprianus plebi uniuersae] Clamat et dicit Deus: *nolite audire sermones pseudoprophetarum, quoniam uisiones cordis eorum frustrantur eos. locuntur, sed non ab ore Domini. dicunt eis qui abiciunt uerbum Domini: pax erit uobis.* [Hier. 23, 16, 17.] pacem nunc offerunt qui ipsi non habent pacem nec ecclesiam lapsos reducere et reuocare permittunt qui de ecclesia recesserunt. Deus unus est et Christus unus et una ecclesia et cathedra una super Petrum Domini uoce fundata. aliud altare constitui aut sacerdotium nouum fieri praeter unum altare et unum sacerdotium non potest. quisque alibi collegerit spargit. adulterum est, impium est, sacrilegum est quodcumque humano furore instituitur ut dispositio diuina uioletur. procul ab huiusmodi hominum contagione discedite et sermones eorum uelut cancer et pestem fugiendo uitate praemonente Domino et dicente: *caeci sunt duces caecorum. caecus autem caecum ducens simul in foueam cadent.* [Math. 13, 14.] intercedunt precibus nostris quas nobiscum diebus ac noctibus Deo funditis ut eum iusta satisfactione placetis. intercedunt lacrimis nostris, quibus commissi delicti crimen abluitis. intercedunt paci quam uere et fideliter de Domini misericordia postulatis,

nesciunt scriptum esse: *et propheta ille aut somnium somnians, ille qui locutus est, ut errare te faceret a Domino Deo tuo.* [Deut. 13, 15.] nemo uos, fratres, errare a Domini uiis faciat. nemo uos Christianos ab euangelio Christi rapiat, nemo filios ecclesiae de ecclesia tollat. pereant sibi soli qui perire uoluerunt, extra ecclesiam soli remaneant qui de ecclesia recesserunt, soli cum episcopis non sint qui contra episcopos rebellarunt, coniurationis suae paenas soli subeant qui olim secundum uestra suffragia, nunc secundum Dei iudicia sententiam coniurationis et malignitatis suae subire meruerunt. [l. c. pag. 593—595.]

Ep. 59 [Cornelio fratri] V.: quales putas esse eos qui sacerdotum hostes et contra ecclesiam catholicam rebelles nec praemonentis Domini comminatione nec futuri iudicii ultione terrentur? neque enim aliunde haereses obortae sunt aut nata sunt schismata quam quando sacerdoti Dei non obtemperatur nec unus in ecclesia ad tempus sacerdos et ad tempus iudex uice Christi cogitatur: cui si secundum magisteria diuina obtemperaret fraternitas uniuersa, nemo aduersum sacerdotum collegium quicquam moueret, nemo post diuinum iudicium, post populi suffragium, post coepiscoporum consensum, iudicem se non iam episcopis sed Deo faceret, nemo discidio unitatis Christi ecclesiam scinderet, nemo sibi placens ac tumens seorsum foris haeresim nouam conderet: nisi si ita est aliquis sacrilegae temeritatis ac perditae mentis, ut putet sine Dei iudicio fieri sacerdotem, cum Dominus in euangelio suo dicat: *nonne duo passeres asse ueneunt et neuter eorum cadit in terram sine patris uoluntate?* [Math. 10. 29.]

[1] XIV. nauigare audent et ad Petri cathedram adque ad ecclesiam principalem, unde unitas sacerdotalis exorta est, ab schismaticis et profanis litteras ferre nec cogitare eos esse Romanos quorum fides apostolo praedicante laudata est, ad quos perfidia habere non possit accessum. quae autem causa ueniendi et pseudoepiscopum contra episcopos factum nuntiandi? aut enim placet illis quod fecerunt et in suo scelere perseuerant; aut si displicet et recedunt, sciunt quo reuertantur. nam cum statutum sit ab omnibus nobis et aequum sit pariter ac iustum ut uniuscuiusque causa illic audiatur ubi est crimen admissum, et singulis pastoribus portio gregis sit adscripta quam regat unusquisque et gubernet rationem sui actus Domino redditurus, oportet utique eos .. agere illic causam suam ubi et accusatores habere et testes sui criminis possint. [l. c. pag. 671, 683.]

Ep. 66. VIII: etsi contumax ac superba obaudire nolentium multitudo discedat, ecclesia tamen a Christo non recedit, et illi sunt ecclesia plebs sacerdoti adunata et pastori suo grex adhaerens. Unde scire debes

episcopum in ecclesia esse et ecclesiam in episcopo et si qui cum episcopo non sit in ecclesia non esse, et frustra sibi blandiri eos qui pacem cum sacerdotibus dei non habentes obrepunt et latenter apud quosdam communicare se credunt, quando ecclesia quae catholica una est scissa non sit neque diuisa, sed sit utique conexa et cohaerentium sibi inuicem sacerdotum glutino copulata. [l. c. pag. 733.]

10. DIDASCALIA APOSTOLORUM.

[Didascaliae Apostolorum fragmenta veronensia latina.]

* *Didascaliae Apostolorum Fragmenta Ueronensia latina. Primum edidit* Edmundus Hauler. Fasciculus Prior, Lipsiae MCM. Boetticher (Lagarde), *Didascalia Apostolorum syriacc.* Lipsiae 1854. Bunsen, *Analecta Ante-Nicaena.* Londini 1854. Funk, *Die apostolischen Constitutionen.* Rottenburg 1891, pag. 40—50. Idem, *La Date de la Didascalie des Apôtres* in *Revue d'Histoire Ecclesiastique,* 1901. pag. 798—809. Nau, in *Canoniste contemporain,* 1900—1902. Achelis und Flemming, *Die sirische Didascalia übersetzt und erklärt.* Leipzig 1904. (*Texte und Unters.* N. Folge, X. 2). Harnack, *Altchr. Lit.* I. p. 515—518. Bardenhewer, § 46.

IX Pastor, qui con | stituitur in uisitatione praesbyterii et in ecclesiis omnib(us) et parrociis, oportet eu(m) sine qu[a]erella esse, inreprehensibilem, alienum ab omni iniquitate, uirum non minus annorum cinquaginta, quoniam per quandam rationem iuuenilis luxurias et diabolica uitia aufugisse iam uidetur et ab eis, quae a falsis fratribus in multos iactantur, blasfemiis, qui ignorant uerbum D(e)i, quod in euuangelio est: Quoniam, inquid, qui dixerit uerbum otiosum, reddet rationem pro eo d(omi)no in die iudicii. De uerbis enim tuis, ait, iustificaberis et de uerbis tuis condemnaberis. Sit igitur, si possibile est, ad omnia eruditus; et si sine litteris est, sed notitiam habens uerbi diuini et stabilis aetate. Si autem in parocia modica ordinandus est episcopus et non inuenitur, qui tempora aetatis iam transisse uideatur et testimonium habere et sapiens, est autem iuuenis et testimonium habet ab his, qui cum eodem sunt, quia dignus est ad episcopatum, et per iuuenilem aetatem per mansuetudi-

nem et bonam conuersationem senectutem ostendit, probetur et, si ab omnib(us) tale testimonium habet, constituatur episcopus in pace. Nam et Salomon duodecim annorum constitutus regnauit

X in Istrahel et Iosias in iustitia octo annoru(m) constitutus regnauit, similiter et Io[si]as, cum esset septem annorum, regnauit. Unde, etiamsi iuuenis est, tamen ut mansuetus sit, timidus et quietus, quoniam dicit per Eseia(m) d(om)in(u)s D(eu)s: *Super quem respiciam, nisi super mansuetum et quietum et trementem uerba mea semper?* Similiter et in euangelio dicit ita: *Beati mansueti, quia ipsi hereditabunt terram.* Sit autem et misericors, quoniam dicit: *Beati misericordes, quia ipsis miserebitur D(eu)s.* Similiter et pacificus, quoniam iterum dicit: *Beati pacifici, quoniam fili D(e)i uocabuntur.* Sit autem et sine malitia et iniquitate et malignitate, quoniam dicit iterum: *Beati mundo corde, quia ipsi uidebunt D(eu)m.* Sit ergo sobrius, castus, ornatus, non turbulentus, non uino multo deditus, non percussor, sed innocens, non litigiosus, non auarus; non neofitus, ut non infletur et in iudicium incidat, quoniam: *Omnis, qui se exaltat, humiliabitur.* Talem decet esse episcopu(m), unius uxoris uirum, curam domus suae bene agentem. Ita ergo probetur, cum manus inpositionis accepit, et sic ordinetur in episcopatum, si est castus, si uxorem castam aut fidelem habuit aut habet, si filios caste educauit et erudiens produxit, si [h]ii, qui intra domum eius sunt, reuerentur eum et honorant eum et omnes [et omnes] subditi illi sunt. Si enim, qui secundum carnem illius proprii sunt, seditionem faciunt aduersum eum et non parent ei, ...

. . . .

XI Non enim credimus, fratres, lotum quemquam adhuc agere gentilium execrandas iniquitates, quoniam notum est omnibus, quod, si quis peccauerit iniquum aliquid post baptismum, hic in gehenna condemnatur. Suspicamur autem et blasfemari nos a gentilibus eo, quod iam non eis miscemur nec compopulamur cum eis. Et per falsitatem gentilium ueritatem fratres nostri adsecuti sunt, de quibus dictum est in euuangelio: Beati eritis, cum inproperauerint uobis et dixerint omne malum contra uos mentientes. Gaudete et laetamini, quoniam merces uestra magna est in caelis; sic enim persecuti sunt profetas. Si quis ergo blasfematur per mendacium, beatus est, quoniam temptatur. Dicit enim scriptura: Uir, qui non est temptatus, non est probatus a D(e)o. Si qui autem conuictus fuerit, quia egit aliquit iniquum, qui talis est, non est Chr(ist)ianus, magis autem per hypocrisim d(omi)no mentitus est. Unde ab his, qui tales sunt, cum conuicti fuerint, uerius cum fiducia se abstineat episcopus, qui sine offensione est et non accipiat personam. Si autem et ipse non est bonae conscientiae et personam acceperit propter quoddam turpe lucrum et pepercerit ei, qui inique peccat, et permittit eum in ecclesia manere, hic conquinauit ecclesiam suam ad D(eu)m et ad homines et multos neofitos et catecuminos et iuuenes et iuniores puellas perdet cum eo. Per intemperantiam | suam

XII sine sensu effecti, uidentes enim, qui talis est, inter se incipient discernere aput se et imitari eum, et ipsi scandalizabitur, et participes esse et infirmitatis eius peribunt cum eo. Si autem uiderit hic, qui peccat, episcopum et diaconos innocentes et alienos a crimine et gregem mundu(m) constitutum, primum quidem non u-

surpat contemnere et ingredi in synagogam per conscientiam suam semet ipsum repraehendens; si autem inuentus fuerit inerubidus et non confundatur et ingressus fuerit ecclesiam, arguitur et corripitur ab episcopo; circumspiciens singulos et in nullo offendiculum inueniens tam episcopum quam eos, qui cum eo sunt, confusus cum grandi reuerentia et fletu egredietur pacifice stupens, et manet mundatus grex et ille egrediens flebit ad D(eu)m et penitebit de his, quae egit, et habebit spem et tota grex, cum uiderit lacrimas illius, correptionem aput se sentit, quoniam qui peccat perit. Propterea igitur, o episcope, festina, ut mundus sis ex operibus, et agnoscere locum tuum, quoniam in omnipotentis uirtute positus es, obseruans similitudinem D(e)i omnipotentis. Et ita in ecclesia sede uerbum faciens quasi potestatem habens iudicare pro D(e)o eos, qui peccauerunt, quoniam uobis episcopis dictum est per euuangelium: *Quodcumque ligaueritis super terra(m), erit ligatum et in caelo.* Iudica, episcope, cum fiducia ut D(eu)s, sed paenitentes

— — — — — — — — —

— — — — — — — — — [l. c. pag. 14—19.]

XXV tholica sacrosancta ecclesia, *regale sacerdotium, multitudo sancta, plebs adoptata*, ecclesia magna, sponsa exornata d(omi)no D(e)o. Quae primum dicta sunt, tu nunc audi: delibationes et decumae primitiua sunt principi sacerdotum Chr(ist)o et ministris eius. Decumae salutaris initium † omnis decuma. Audite, sacra et catholica ecclesia, quae decem plagas aufugisti et decem uerba accepisti et legem didicisti et fidem tenuisti, quae decimam cognouisti et in id io[i]ta credidisti in initio nominis et in finem in gloriam eius

confirmata es. Quae tunc erant sacrificia modo sunt orationes et praecationes et gratiarum actiones; quae tunc fuerunt primitiuae et decumae et delibationes et dona nunc sunt prosforae, q(uae) per episcopos offeruntur d(omi)no D(e)o in remissione peccatorum. Isti enim primi sacerdotes uestri; qui tunc erant Leuitae modo sunt diacones, praesbyteri, uiduae et orfani. Primus uero sacerdos uobis e[s]t Leuita episcopus: hic est, qui uerbum uobis ministrat et mediator uester est; hic est rex uester potens; hic est magister et post D(eu)m per aquam regenerans pater uester. Hic locum D(e)i sequens sicuti D(eu)s honoretur a uobis, quoniam episcopus in typum D(e)i praesedet uobis. Diaconus autem in typum Chr(ist)i adstat; ergo diligatur a uobis. Diaconissa uero in typum s(an)c(t)i sp(iritu)s honoretur a uobis. Praesbyteri etiam in typum apostolorum spectentur a uobis; uiduae et orfani in ty-

XXVI pum altaris putentur autem a uobis. Sicuti ergo non licebat eum, qui non erat Leuita, offerre aliquid aut accedere ad altarem sine sacerdote, ita et uos sine episcopo nolite aliquid facere. Si quis autem sine episcopo facit aliquid, in uano illud facit; non enim illi inputabitur in opus, quia non decet absque sacerdotem aliquid facere. Prosforas ergo uestras sacerdoti oderite siue per uos ipsos siue per diacones; quiq(ue) suscipiet et, ut decet, diuidet unicuiq(ue). Episcopus enim optime nouit eos, qui tribulantur, et unicuiq(ue) dat secundum dispensationem, ut non unus aut frequenter et in ipso die aut in ipsa hebdomada accipiat, alius autem nec semel. Horum aliquem tribulari cognoscit sacerdos magis; sicut dispensatur, D(eu)s facit et cum ipso, sicut decet. His iterum, qui agapam desiderant facere et petunt aniculas, hanc, qua(m)

scit tribulari, frequenter etiam mittat. Et haec pars, quae ex consuetudine sacerdoti debetur, separetur, etiamsi non est praesens in agapis et erogationibus, in honorem omnipotentis D(e)i. Sicut ergo unicuique praesbyterarum datur, duplum dabitur singulis diaconibus in sacerdotio Chr(ist)i; quadruplum autem ei, qui praeest, tamquam in omnipotentis gloria. Si quis autem et praesbyteros uoluerit honorare, duplum sicuti diaconibus dabit illis; nam et ipsi tamquam apostoli et consiliarii honorentur episcopi et corona ecclesiae. Sunt enim consilium et curia ecclesiae.

— — — — — — — — — —

— — — — — — — [l. c. pag. 36—39.]

XXXV et Maria Iacobi et Ioseph mater et mater filiorum Zebedei. Tu ergo in aliis rebus diaconissam necessariam habebis, et ut eas gentilium domos ingredia[n]tur, ubi uos accedere non potestis propter fideles mulieres, et ut eis, quae infirmantur, ministret, quae necessantur. Et in balneis iterum eas, quae meliorant, ut laue[n]t. [Qualis debet esse diaconus.] Diacones sint in actib(ús) similes episcopis suis, sed exercitatiores et non malum adpetentes lucrum, ut bene ministrent; secundum multitudinem ecclesiae sufficientes erunt, ut et senioribus mulieribus, quae iam non possunt, fratrib(us) et sororib(us), quae in infirmitate detinentur, possint placere in celeritate ministeria sua conplentes. Et mulier circa mulieres festinabit, diaconus uero, quoniam uir est, et circa uiros et ad peregrinationem et ministerium et seruitium ad iussionem episcopi paratissimus et mobilis sit. Ita ergo unusquisq(ue) proprium agnoscat locum, in festinatione inpleto et unum sentiendo, unu(m)

spirantes et d(omi)no corpora in una anima portantes cognoscite, quantum sit ministerium diaconiae, sicuti dicit d(omi)n(u)s D(eu)s in euangelio: Qui uult esse inter uos maior, sit uester diaconus, et qui uult esse inter uos primus, sit uester seruus, sicut filius hominis non uenit ministrari, sed ministrare et dare animam suam redemptionem pro multis. [Matth. 20, 26 — 28] Ita ergo et uos diaconos oportet facere,

XXXVI ut, si necessitas uos exegerit et animam pro fratre ponere, per ministerium uestrum ponatis nolite dubitare. Nec enim d(omi)n(u)s et saluator noster haesitabat seruiens nobis, sicut et per Eseiam mandatum est: Iustificare iustum bene seruientem multis. [Esai. 53, 11] Si ergo d(omi)n(u)s caeli et terrae nobis seruiit et omnia passus est propter nos et sustinuit, quomodo non magis nos oportet hoc facere pro fratribus, quia discipuli eius sumus et locum Chr(ist)i sortiti? Nam et in euangelio inuenietis scriptum, quomodo d(omi)n(u)s noster succingens se linteum et accipiens in pelue aquam recumbentibus omnibus nobis ueniens lauit pedes nostros et detersit de linteo. Hoc autem faciens ostendebat fraternam caritatem, ut et nos inuicem hoc faciamus. Si ergo d(omi)n(u)s hoc fecit, uos, diacones, nolite dubitare, ut superinponentes et infirmis hoc faciatis, quia operarii ueritatis estis, Chr(ist)i exemplo succincti. Ministrate igitur cum dilectione, non murmurantes nec dubitantes; nam si ita agitis, secundum hominem facitis ea et non secundum D(eu)m et mercedem uestram similem diaconiae uestrae accipie(n)tis in die uisitationis. Oportet ergo uos, diacones, uisitare omnes, qui egent. Et de his, qui tribulantur, renuntiate episcopo. Et debes anima eius esse et eritis ad omnia excussior et obaudiens ei. [l. c. pag. 49—52.]

11. CONCILIUM ILLIBERITANUM ANNO 306 [?] HABITUM.

* Hefele, *Conciliengeschichte.* Freiburg i. B. 1873[2]. T. 1. Mansi, *Sacrorum Conciliorum nova et amplissima Collectio.* Florentiae et Venetiis 1759—98. Tom. II. pag. 57—397. Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum saec. IV. V. VI. VII.* Berolini 1839. T. II. pag. 1—12. Teyada y Ramiro, *Coléccion de canones y de todos los concilios de la Iglesia de España y de America.* Madrid 1859—63. Tom. I. Maassen, *Geschichte der Quellen etc.* pag. 216. Menendez y Pelayo, *Historia de los heterodoxos.* Madrid 1880. Altamira, *Historia de España y de la Civilisacion española.* Barcelona 1900. I. 122—127. Hergenroether, *Kirchengeschichte.* I. 303—316. Duchesne, *Le concile d' Elvire et les „flamines" crétiens* (in *Bibliotheque de l' École des hautes études.* 1887, pag. 159—174). Maassen, *Geschichte der Quellen etc.* pag. 216. Gams, *Kirchengeschichte Spaniens.* Regensburg 1862 seq. II. pag. 1—136.

Can. I. *De his, qui post baptismum idolis immolaverunt.* Placuit inter eos: Qui post fidem baptismi salutaris adulta aetate ad templum idoli idola[tra]turus accesserit et fecerit, quod est crimen capitale, quia est summi sceleris, placuit nec in finem eum communionem accipere.

Can. II. *De sacerdotibus gentilium qui post baptismum immolaverunt.* Flamines, qui post fidem lavacri et regenerationis sacrificaverunt, eo quod geminaverint scelera, accedente homicidio, vel triplicaverint facinus cohaerente moechia, placuit eos nec in finem accipere communionem.

Can. III. *De eisdem si idolis munus tantum dederunt.* Item flamines qui non immolaverint, sed munus tantum dederint, eo quod se a funestis abstinuerint sacrificiis, placuit in finem eis praestare communionem, acta tamen legitima poenitentia. Item ipsi si post poenitentiam fuerint moechati, placuit ulterius his non esse dandam communionem, ne illusisse de dominica communione videantur.

Can. IV. *De eisdem si catechumeni adhuc immolant quando baptizentur.* Item flamines si fuerint catechumeni et se a sacrificiis abstinuerint, post triennii tempora placuit ad baptismum admitti debere.

Can. V. *Si domina per zelum ancillam occiderit.* Si qua foemina furore zeli accensa flagris verberaverit ancillam suam, ita ut intra tertium diem animam cum cruciatu effundat, eo quod incertum sit voluntate an casu occiderit; si voluntate, post septem annos, si casu, post quinquennii tempora, acta legitima poenitentia, ad communionem placuit admitti; quod si intra tempora constituta fuerit infirmata, accipiat communionem. [c. 43. Dist. L.]

Can. VI. *Si quicumque per maleficium hominem interfecerit.* Si quis vero maleficio interficiat alterum, eo quod sine idolatria perficere scelus non potuit, nec in finem impertiendam illi esse communionem.

Can. VII. *De poenitentibus moechiae si rursus moechaverint.* Si quis forte fidelis post lapsum moechiae, post tempora constituta, acta poenitentia, denuo fuerit fornicatus, placuit nec in finem habere eum communionem.

Can. VIII. *De foeminis quae relictis viris suis aliis nubunt.* Item foeminae, quae nulla praecedente causa reliquerint viros suos et alteris se copulaverint, nec in finem accipiant communionem. [c. 8. C. XXXII. q. 7.]

Can. IX. *De foeminis quae adulteros maritos relinquunt et aliis nubunt.* Item foemina fidelis, quae adulterum maritum reliquerit fidelem et alterum ducit, prohibeatur ne ducat; si duxerit, non prius accipiat communionem, nisi [is] quem reliquit, de saeculo exierit, nisi forsitan necessitas infirmitatis dare compulerit.

Can. X. *De relicta catechumeni si alterum duxerit.* Si ea, quam catechumenus relinquit, duxerit maritum, potest ad fontem lavacri admitti: hoc et circa foeminas catechumenas erit observandum Quodsi fuerit fidelis, quae ducitur ab eo qui uxorem inculpatam reliquit, et quum scierit illum habere uxorem, quam sine causa reliquit, placuit in finem huiusmodi dari communionem.

Can. XI. *De catechumena si graviter aegrotaverit.* Intra quinquennii autem tempora catechumena si graviter fuerit infirmata, dandum ei baptismum placuit non denegari.

Can. XII. *De mulieribus quae lenocinium fecerint.* Mater vel parens vel quaelibet fidelis, si lenocinium exercuerit, eo quod alienum vendiderit corpus vel potius suum, placuit eam nec in finem accipere communionem.

Can. XIII. *De virginibus Deo sacratis si adulteraverint.* Virgines, quae se Deo dicaverunt, si pactum perdiderint virginitatis atque eidem libidini servierint, non intelligentes quid admiserint, placuit nec in finem eis dandam esse communionem. Quodsi semel persuasae aut infirmi corporis lapsu vitiatae omni tempore vitae suae huiusmodi foeminae egerint poenitentiam, ut abstineant se a coitu, eo quod lapsae potius videantur, placuit eas in finem communionem accipere debere. [c. 27. C. XXVII. q. 1.]

Can. XIV. *De virginibus saecularibus si moechaverint.* Virgines, quae virginitatem suam non custodierint, si eosdem, qui eas violaverint, duxerint et tenuerint maritos, eo quod solas nuptias violaverint, post annum sine poenitentia reconciliari debebunt; vel si alios cognoverint viros, eo quod moechatae sunt, placuit per quinquennii tempora acta legitima poenitentia admitti eas ad communionem oportere.

Can. XV. *De coniugio eorum, qui ex gentilitate veniunt.* Propter copiam puellarum gentilibus minime in matrimonium dandae sunt virgines Christianae, ne aetas in flore tumens in adulterium animae resolvatur.

Can. XVI. *De puellis fidelibus ne infidelibus coniungantur.* Haeretici si se transferre noluerint ad ecclesiam catholicam, ne ipsis catholicas dandas esse puellas; sed neque Iudaeis neque haereticis dare placuit, eo quod nulla possit esse societas fideli cum infideli: si contra interdictum fecerint parentes, abstineri per quinquennium placet.

Can. XVII. *De his, qui filias suas sacerdotibus gentilium coniungunt.* Si qui forte sacerdotibus idolorum filias suas iunxerint, placuit nec in finem eis dandam esse communionem.

Can. XVIII. *De sacerdotibus et ministris si moechaverint.* Episcopi, presbyteres et diacones si in ministerio positi detecti fuerint quod sint moechati, placuit propter scandalum et propter profanum crimen nec in finem eos communionem accipere debere.

Can. XIX. *De clericis negotia et nundinas sectantibus.* Episcopi, presbyteres et diacones de locis suis negotiandi causa non discedant, nec circumeuntes provincias quaestuosas nundinas sectentur; sane ad victum sibi conquirendum aut filium aut libertum aut mercenarium aut amicum aut quemlibet mittant, et si voluerint negotiari, intra provinciam negotientur.

Can. XX. *De clericis et laicis usurariis.* Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit eum degradari et abstineri. Si quis etiam laicus accepisse probatur usuras, et promiserit correptus iam se cessaturum nec ulterius exacturum, placuit ei veniam tribui; si vero in ea iniquitate duraverit, ab ecclesia esse proiiciendum. [c. 5. Dist. 47.]

Can. XXI. *De his, qui tardius ad ecclesiam accedunt.* Si quis in civitate positus tres dominicas ad ecclesiam non accesserit, pauco tempore abstineatur, ut correptus esse videatur.

Can. XXII. *De catholicis in haeresim transeuntibus, si revertantur.* Si quis de catholica ecclesia ad haeresim transitum fecerit rursusque recurrerit, placuit huic poenitentiam non esse denegandam eo quod cognoverit peccatum suum; qui etiam decem annis agat poenitentiam, cui post decem annos praestari communio debet; si vero infantes fuerint transducti, quod non suo vitio peccaverint, incunctanter recipi debent.

Can. XXIII. *De temporibus ieiuniorum.* Ieiunii superpositiones per singulos menses placuit celebrari, exceptis diebus duorum mensium Iulii et Augusti propter quorundam infirmitatem.

Can. XXIV. *De his, qui in peregre baptizantur, ut ad clerum non veniant.* Omnes qui in peregre fuerint baptizati, eo quod eorum minime sit cognita vita, placuit ad clerum non esse promovendos in alienis provinciis. [c. 4. Dist. 98.]

Can. XXV. *De epistolis communicatoriis confessorum.* Omnis qui attulerit litteras confessorias, sublato nomine confessoris, eo quod omnes sub hac nominis gloria passim concutiant simplices, communicatoriae ei dandae sunt literae.

Can. XXVI. *Ut omni sabbato ieiunetur.* Errorem placuit corrigi, ut omni sabbati die superpositiones celebremus.

Can. XXVII. *De clericis, ut extraneas foeminas in domo non habeant.* Episcopus vel quilibet alius clericus aut sororem aut filiam virginem dicatam Deo tantum secum habeat; extraneam nequaquam habere placuit.

Can. XXVIII. *De oblationibus eorum, qui non communicant.* Episcopum placuit ab eo, qui non communicat, munus accipere non debere.

Can. XXIX. *De energumenis, qualiter habeantur in ecclesia.* Energumenus qui ab erratico spiritu exagitatur, huius nomen neque ad altare cum oblatione esse recitandum, nec permittendum ut sua manu in ecclesia ministret.

Can. XXX. *De his, qui post lavacrum moechati sunt, ne subdiacones fiant.* Subdiaconos eos ordinari non debere, qui in adolescentia sua fuerint moechati, eo quod postmodum per subreptionem ad altiorem gradum promoveantur: vel si qui sunt in praeteritum ordinati, amoveantur.

Can. XXXI. *De adolescentibus, qui post lavacrum moechati sunt.* Adolescentes, qui post fidem lavacri salutaris fuerint moechati, cum duxerint uxores, acta legitima poenitentia placuit ad communionem eos admitti.

Can. XXXII. *De excommunicatis presbyteris, ut* [l. *de presbyteris, ut excommunicatis*] *in necessitate communionem dent.* Apud presbyterum, si quis gravi lapsu in ruinam mortis inciderit, placuit agere poenitentiam non debere, sed potius apud episcopum; cogente tamen infirmitate necesse est presbyterem communionem praestare debere, et diaconem si ei iusserit sacerdos.

Can. XXXIII. *De episcopis et ministris, ut ab uxoribus abstineant.* Placuit in totum prohibere episcopis, presbyteris et diaconibus vel omnibus clericis positis in ministerio abstinere se a coniugibus suis et non generare filios; quicumque vero fecerit, ab honore clericatus exterminetur.

Can. XXXIV. *Ne cerei in coemeteriis incendantur.* Cereos per diem placuit in coemeterio non incendi, inquietandi enim sanctorum spiritus non sunt. Qui haec non observaverint, arceantur ab ecclesiae communione.

Can. XXXV. *Ne foeminae in coemeteriis pervigilent.* Placuit prohiberi ne foeminae in coemeterio pervigilent, eo quod saepe sub obtentu orationis latenter scelera committunt.

Can. XXXVI. *Ne picturae in ecclesia fiant.* Placuit picturas in ecclesia esse non debere, ne quod colitur et adoratur in parietibus depingatur.

Can. XXXVII. *De energumenis non baptizatis.* Eos qui ab immundis spiritibus vexantur, si in fine mortis fuerint constituti, baptizari placet; si fideles fuerint, dandam esse communionem. Prohibendum etiam, ne lucernas hi publice accendant; si facere contra interdictum voluerint, abstineantur a communione.

Can. XXXVIII. *Ut in necessitate et fideles baptizent.* Loco peregre navigantes aut si ecclesia proxima non fuerit, posse fidelem, qui lavacrum suum integrum habet nec sit bigamus, baptizare in necessitate infirmitatis positum catechumenum, ita ut si supervixerit ad episcopum eum perducat, ut per manus impositionem perfici possit.

Can. XXXIX. *De gentilibus, si in discrimine baptizari expetunt.* Gentiles si in infirmitate desideraverint sibi manum imponi, si fuerit eorum ex aliqua parte honesta vita, placuit eis manum imponi et fieri Christianos.

Can. XL. *Ne id, quod idolothytum est, fideles accipiant.* Prohiberi placuit, ut quum rationes suas accipiunt possessores, quidquid ad idolum datum fuerit, accepto non ferant: si post interdictum fecerint, per quinquennii spatia temporum a communione esse arcendos.

Can. XLI. *Ut prohibeant domini idola colere servis suis.* Admoneri placuit fideles, ut in quantum possunt prohibeant ne idola in domibus suis habeant; si vero vim metuunt servorum, vel se ipsos puros conservent; si non fecerint, alieni ab ecclesia habeantur.

Can. XLII. *De his qui ad fidem veniunt, quando baptizentur.* Eos qui ad primam fidem credulitatis accedunt, si bonae fuerint conversationis, intra biennium temporum placuit ad baptismi gratiam admitti debere, nisi infirmitate compellente coëgerit ratio velocius subvenire periclitanti vel gratiam postulanti.

Can. XLIII. *De celebratione Pentecostes.* Pravam institutionem emendari placuit iuxta auctoritatem scripturarum, ut cuncti diem pentecostes celebremus, ne si quis non fecerit, novam haeresim induxisse notetur.

Can. XLIV. *De meretricibus paganis, si convertantur.* Meretrix, quae aliquando fuerit et postea habuerit maritum, si postmodum ad credulitatem venerit, incunctanter placuit esse recipiendam.

Can. XLV. *De catechumenis, qui ecclesiam non frequentant.* Qui aliquando fuerit catechumenus et per infinita tempora nunquam ad ecclesiam accesserit, si eum de clero quisque cognoverit esse Christianum, aut testes aliqui extiterint fideles, placuit ei baptismum non negari, eo quod veterem hominem dereliquisse videatur.

Can. XLVI. *De fidelibus, si apostaverint quamdiu poeniteant.* Si quis fidelis apostata per infinita tempora ad ecclesiam non accesserit, si tamen aliquando fuerit reversus nec fuerit idolator, post decem annos placuit eum communionem accipere.

Can. XLVII. *De eo, qui uxorem habens saepius moechatur.* Si quis fidelis habens uxorem non semel sed saepe fuerit moechatus, in fine mortis est conveniendus; quod si se promiserit cessaturum, detur ei communio; si resuscitatus rursus fuerit moechatus, placuit ulterius non ludere eum de communione pacis.

Can. XLVIII. *De baptizatis ut nihil accipiat clerus.* Emendari placuit, ut hi qui baptizantur, ut fieri solebat, nummos in concha non mittant, ne sacerdos quod gratis accepit pretio distraehere videatur. Neque pedes eorum lavandi sunt a sacerdotibus vel clericis. [c. 104. C. I. q. 1.]

Can. XLIX. *De frugibus fidelium, ne a Iudaeis benedicantur.* Admoneri placuit possessores, ut non patiantur fructus suos, quos a Deo per-

cipiunt cum gratiarum actione, a Iudaeis benedici, ne nostram irritam et infirmam faciant benedictionem; si quis post interdictum facere usurpaverit, penitus ab ecclesia abiiciatur.

Can. L. *De Christianis, qui cum Iudaeis vescuntur.* Si vero quis clericus vel fidelis cum Iudaeis cibum sumpserit, placuit eum a communione abstineri, ut debeat emendari.

Can. LI. *De haereticis, ut ad clerum non promoveantur.* Ex omni haeresi fidelis si venerit, minime est ad clerum promovendus; vel si qui sunt in praeteritum ordinati, sine dubio deponantur.

Can. LII. *De his, qui in ecclesia libellos famosos ponunt.* Hi qui inventi fuerint libellos famosos in ecclesia ponere anathematizentur. [c. 3. C. V. q. 1.]

Can. LIII. *De episcopis, qui excommunicato alieno communicant.* Placuit cunctis, ut ab eo episcopo quis recipiat communionem, a quo abstentus in crimine aliquo quis fuerit; quod si alius episcopus praesumpserit eum admitti, illo adhuc minime faciente vel consentiente a quo fuerit communione privatus, sciat se huiusmodi causas inter fratres esse cum status sui periculo praestaturum.

Can. LIV. *De parentibus, qui fidem sponsaliorum frangunt.* Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tempore abstineantur; si tamen idem sponsus vel sponsa in gravi crimine fuerint deprehensi, erunt excusati parentes: si in iisdem fuerit vitium et polluerint se, superior sententia servetur. [c. 1. C. XXXI. q. 3.]

Can. LV. *De sacerdotibus gentilium, qui iam non sacrificant.* Sacerdotes, qui tantum coronas portant, nec sacrificant nec de suis sumptibus aliquid ad idola praestant, placuit post biennium accipere communionem.

Can. LVI. *De magistratibus et duumviris.* Magistratu[*m*] vero uno anno quo agit duumviratum, prohibendum placet, ut se ab ecclesia cohibeat.

Can. LVII. *De his, qui vestimenta ad ornandam pompam dederunt.* Matronae vel earum mariti vestimenta sua ad ornandam saeculariter pompam non dent; et si fecerint, triennio abstineantur.

Can. LVIII. *De his, qui communicatorias literas portant, ut de fide interrogentur.* Placuit ubique et maxime in eo loco, in quo prima cathedra constituta est episcopatus, ut interrogentur hi qui communicatorias literas tradunt, an omnia recte [se] habeant suo testimonio comprobata.

Can. LIX. *De fidelibus, ne ad Capitolium causa sacrificandi ascendant.* Prohibendum, ne quis Christianus ut gentilis ad idolum Capitolii causa sacrificandi ascendat et videat; quod si fecerit, par crimine teneatur; si fuerit fidelis, post decem annos acta poenitentia recipiatur.

Can. LX. *De his, qui destruentes idola occiduntur.* Si quis idola fregerit et ibidem fuerit occisus, quatenus in evangelio scriptum non est neque invenietur sub apostolis unquam factum, placuit in numerum eum non recipi martyrum.

Can. LXI. *De his, qui duabus sororibus copulantur.* Si quis post obitum uxoris suae sororem eius duxerit, et ipsa fuerit fidelis, quinquennium a communione placuit abstineri, nisi forte velocius dari pacem necessitas coëgerit infirmitatis.

Can. LXII. *De aurigis et pantomimis si convertantur.* Si auriga aut pantomimus credere voluerint, placuit ut prius artibus suis renuntient, et tunc demum suscipiantur, ita ut ulterius ad ea non revertantur, qui si facere contra interdictum tentaverint, proiiciantur ab ecclesia.

Can. LXIII. *De uxoribus, quae filios ex adulterio necant.* Si qua per adulterium absente marito suo conceperit, idque post facinus occiderit, placuit, nec in finem dandam esse communionem, eo quod geminaverit scelus.

Can. LXIV. *De foeminis, quae usque ad mortem cum alienis viris adulterant.* Si qua usque in finem mortis suae cum alieno viro fuerit moechata, placuit, nec in finem dandam ei esse communionem. Si vero eum reliquerit, post decem annos accipiat communionem acta legitima poenitentia.

Can. LXV. *De adulteris uxoribus clericorum.* Si cuius clerici uxor fuerit moechata et scierit eam maritus suus moechari et non eam statim proiecerit, nec in finem accipiat communionem; ne ab his qui exemplum bonae conversationis esse debent, ab eis videantur scelerum magisteria procedere.

Can. LXVI. *De his, qui privignas suas ducunt.* Si quis privignam suam duxerit uxorem, eo quod sit incestus, placuit nec in finem dandam esse communionem.

Can. LXVII. *De coniugio catechumenae foeminae.* Prohibendum ne qua fidelis vel catechumena aut comatos aut viros cinerarios habeant; quaecumque hoc fecerint, communione arceantur.

Can. LXVIII. *De catechumena adultera, quae filium necat.* Catechumena, si per adulterium conceperit et praefocaverit, placuit eam in fine baptizari.

Can. LXIX. *De viris coniugatis postea in adulterium lapsis.* Si quis forte habens uxorem semel fuerit lapsus, placuit eum quinquennium agere debere poenitentiam et sic reconciliari, nisi necessitas infirmitatis coëgerit ante tempus dari communionem; hoc et circa foeminas observandum.

Can. LXX. *De foeminis, quae consciis maritis adulterant.* Si cum conscientia mariti uxor fuerit moechata, placuit nec in finem dandam ei communionem; si vero eam reliquerit, post decem annos accipiat communionem, si eam cum sciret adulteram aliquo tempore in domo sua retinuit.

Can. LXXI. *De stupratoribus puerorum.* Stupratoribus puerorum nec in finem dandam esse communionem.

Can. LXXII. *De viduis moechis si eundem postea maritum duxerint.* Si qua vidua fuerit moechata et eundem postea habuerit maritum, post quinquennii tempus acta legitima poenitentia placuit eam communioni reconci-

liari; si alium duxerit relicto illo, nec in finem dandam esse communionem; vel si fuerit ille fidelis quem accipit, communionem non accipiet, nisi post decem annos acta legitima poenitentia, vel si infirmitas coëgerit velocius dari communionem. [c. 7. C. XXXI. q. 1.]

Can. LXXIII *De delatoribus.* Delator si quis extiterit fidelis, et per delationem eius aliquis fuerit proscriptus vel interfectus, placuit eum nec in finem accipere communionem; si levior causa fuerit, intra quinquennium accipere poterit communionem; si catechumenus fuerit, post quinquennii tempora admittetur ad baptismum. [c. 6. C. V. q. 6.]

Can. LXXIV. *De falsis testibus.* Falsus testis prout est crimen abstinebitur. Si tamen non fuerit mortale quod obiecit et probaverit, quod non tacuerit, biennii tempore abstinebitur; si autem non probaverit convento clero, placuit per quinquennium abstineri.

Can. LXXV. *De his, qui sacerdotes vel ministros accusant nec probant.* Si quis autem episcopum vel presbyterum vel diaconum falsis criminibus appetierit et probare non potuerit, nec in finem dandam ei esse communionem.

Can. LXXVI. *De diaconibus, si ante honorem peccasse probantur.* Si quis diaconum se permiserit ordinari, et postea fuerit detetectus in crimine mortis quod aliquando commiserit, si sponte fuerit confessus, placuit eum acta legitima poenitentia post triennium accipere communionem; quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta poenitentia accipere communionem laicam debere.

Can. LXXVII. *De baptizatis, qui nondum confirmati moriuntur.* Si quis diaconus regens plebem sine episcopo vel presbytero aliquos baptizaverit, episcopus eos per benedictionem perficere debebit; quod si ante de saeculo recesserint, sub fide qua quis credidit poterit esse iustus.

Can. LXXVIII. *De fidelibus coniugatis, si cum Iudaea vel gentili moechatae* (l. *moechati) fuerint.* Si quis fidelis habens uxorem, cum Iudaea vel gentili fuerit moecatus, a communione arceatur; quod si alius eum detexerit, post quinquennium acta legitima poenitentia poterit dominicae sociari communioni.

Can. LXXIX. *De his, qui tabulam ludunt.* Si quis fidelis aleam, id est tabulam, luserit nummis, placuit eum abstineri; et si emendatus cessaverit, post annum poterit communioni reconciliari.

Can. LXXX. *De libertis.* Prohibendum, ut liberti, quorum patroni in saeculo fuerint, ad clerum non promoveantur. [c. 24. Dist. LIV.]

Can. LXXXI. *De foeminarum epistolis.* Ne foeminae suo potius absque maritorum nominibus laicis scribere audeant, quae fideles sunt, vel litteras alicuius pacificas ad suum solum nomen scriptas accipiant. [Hefele, l. c. I. pag. 155—192.]

12. CONCILIUM ARELATENSE PRIMUM ANNO 314 HABITUM.

* Hefele, *Conciliengeschichte.* I. 201—216. Mansi, o. c. T. II. p. 463—468. Bruns, o. c. II. 107—111. K. Mueller, *Kirchengeschichte.* I. 178. Hergenroether, *Kirchengeschichte,* I. 410. Maassen, *Geschichte der Quellen etc.* pag. 188—190.

Domino sanctissimo fratri Silvestro Marinus vel coetus episcoporum, qui adunati fuerunt in oppido Arelatensi. Quid decrevimus communi consilio caritati tuae significamus, ut omnes sciant quid in futurum observare debeant.

Can. I. *Ut uno die et tempore pascha celebretur.* Primo loco de observatione paschae domini, ut uno die et uno tempore per omnem orbem a nobis observetur et iuxta consuetudinem litteras ad omnes tu dirigas.

Can. II. *Ut ubi quisque ordinatur, ibi permaneat.* De his, qui in quibuscumque locis ordinati fuerint ministri, in ipsis locis perseverent.

Can. III. *Ut qui in pace arma proiiciunt excommunicentur.* De his, qui arma proiiciunt in pace, placuit abstineri eos a communione.

Can. IV. *Ut aurigae, dum agitant, excommunicentur.* De agitatoribus qui fideles sunt, placuit eos quamdiu agitant a communione separari.

Can. V. *Ut theatrici, quandiu agunt, excommunicentur.* De theatricis, et ipsos placuit quamdiu agunt a communione separari.

Can. VI. *Ut in infirmitate conversi manus impositionem accipiant.* De his, qui in infirmitate credere volunt, placuit iis debere manum imponi.

Can VII. *De fidelibus, qui praesides fiunt vel rem publicam agere volunt.* De praesidibus, qui fideles ad praesidatum prosiliunt, placuit, ut cum promoti fuerint, litteras accipiant ecclesiasticas communicatorias, ita tamen ut in quibuscumque locis gesserint, ab episcopo eiusdem loci cura illis agatur, et cum coeperint contra disciplinam agere, tum demum a communione excludantur. Similiter et de his, qui rem publicam agere volunt.

Can. VIII. *De baptismo eorum, qui ab haeresi convertuntur.* De Afris, quod propria lege sua utuntur ut rebaptizent, placuit, ut si ad ecclesiam aliquis de haeresi venerit, interrogent eum symbolum; et si perviderint eum in patre et filio et spiritu sancto esse baptizatum, manus ei tantum imponatur ut accipiat spiritum sanctum. Quod si interrogatus non responderit hanc trinitatem, baptizetur.

Can. IX. *Ut qui confessorum literas afferunt, alias accipiant.* De his, qui confessorum litteras afferunt, placuit, ut sublatis iis litteris alias accipiant communicatorias.

Can. X. *Ut is, cuius uxor adulteraverit aliam illa vivente non accipiat.* De his, qui coniuges suas in adulterio deprehendunt, et iidem sunt adolescentes fideles et prohibentur nubere, placuit, ut in quantum possit consilium iis detur, ne viventibus uxoribus suis, licet adulteris, alias accipiant.

Can. XI. *De puellis, quae gentilibus iunguntur.* De puellis fidelibus, quae gentilibus iunguntur, placuit, ut aliquanto tempore a communione separentur.

Can. XII. *Ut clerici foeneratores excommunicentur.* De ministris, qui foenerant, placuit eos iuxta formam divinitus datam a communione abstineri.

Can. XIII. *De iis, qui scripturas sacras, vasa dominica vel nomina fratrum tradidisse dicuntur.* De his, qui scripturas sanctas tradidisse dicuntur vel vasa dominica vel nomina fratrum suorum, placuit nobis, ut quicumque eorum ex actis publicis fuerit detectus, non verbis nudis, ab ordine cleri amoveatur. Nam si iidem aliquos ordinasse fuerint deprehensi, et hi quos ordinaverunt rationales subsistunt, non illis obsit ordinatio. Et quoniam multi sunt, qui contra ecclesiasticam regulam pugnare videntur et per testes redemptos putant se ad accusationem admitti debere, omnino non admittantur, nisi, ut supra diximus, actis publicis docuerint.

Can. XIV. *Ut qui falso accusant fratres suos, usque ad exitum excommunicentur.* De his, qui falso accusant fratres suos, placuit eos usque ad exitum non communicare.

Can. XV. *Ut diacones non offerant.* De diaconibus, quos cognovimus multis locis offerre, placuit minime fieri debere.

Can. VVI. *Ut ubi quisque fuit excommunicatus, ibi communionem consequatur.* De his, qui pro delicto suo a communione separantur, placuit, ut in quibuscumque locis fuerint exclusi, in iisdem communionem consequantur.

Can. XVII. *Ut nullus episcopus alium conculcet episcopum.* Ut nullus episcopus alium episcopum inculcet.

Can. XVIII. *De diaconibus urbicis, ut sine conscientia presbyterorum nihil agant.* De diaconibus urbicis, ut non sibi tantum praesumant, sed honorem presbyteris reservent, ut sine conscientia ipsorum nihil tale faciant.

Can. XIX. *Ut peregrinis episcopis locus sacrificandi detur.* De episcopis peregrinis, qui in urbem solent venire, placuit iis locum dari, ut offerant,

Can. XX. *Ut sine tribus episcopis nullus episcopus ordinetur.* De his, qui usurpant sibi, quod soli debeant episcopos ordinare, placuit, ut nullus hoc sibi praesumat nisi assumptis secum aliis septem episcopis. Si tamen non potuerit septem, infra tres non audeat ordinare.

Can. XXI. *Ut presbyteri aut diacones, qui ad alia loca se transferunt, deponantur.* De presbyteris aut diaconibus, qui solent dimittere loca sua in quibus ordinati sunt, et ad alia loca se transferunt, placuit, ut iis locis ministrent, quibus praefixi sunt. Quod si relictis locis suis ad alium se locum transferre voluerint, deponantur.

Can. XXII. *De apostatis, qui in infirmitate communionem petunt.* De his, qui apostatant et nunquam se ad ecclesiam repraesentant, ne quidem poenitentiam agere quaerunt, et postea infirmitate accepti petunt communio-

nem, placuit iis non dandam communionem, nisi revaluerint et egerint dignos fructus poenitentiae. [Hefele l. c. pag. 205—216.]

18. CONCILIUM NICAENUM PRIMUM ANNO 325 HABITUM.

* Pitra, *Iuris eccl. graecor. Hist. et Mon.*, I. 426—440. Hefele, *Conciliengeschichte*, I. 252—435. Mansi, o. c. II. 1062 seq. Bruns, o. c. I. 14—20. Turner, *Ecclesiae Occidentalis Monumenta Iuris Antiquissima.* Oxonii MDCCCXCIX. Fasciculi primi pars prior (pag. 35—96: *Nomina episcoporum*). Bayle, *L'Arianismo e il concilio di Nicea.* Milano 1884. Revillout, *Le concile de Nicée d'après les textes coptes etc.* Paris 1899. Braun, *De Sancta Nicaena Synodo.* Münster i. W. 1898 (*Kirchengeschichtliche Studien* IV, 3). Lias, *The Nicene Creed.* London 1897. Seeck, *Untersuchungen zur Geschichte des nicänischen Concils* (in *Zeitschrift für Kirchengeschichte*, 1896, 1—71; 319—362). Funk, *Abh. u. Unters.* I. 39—86; 87—121. K. Mueller, *Kirchengeschichte.* I. 321. Hergenroether, *Kirchengeschichte.* I. 352—356. Maassen, *Geschichte der Quellen etc.* pag. 8—65.

Tit. I. De his qui seipsos abscidunt. — II. De Neophytis. — III. Quae mulieres cum sacerdotibus commorentur. — IV. De ordinatione episcoporum. — V. De excommunicatis. — VI. De primatibus episcoporum. — VII. De honore episcopi hierosolymitani. — VIII. De his qui se catharos, id est mundos appellant. — IX. De his qui ad sacerdotium sine examine promoventur. — X. De his qui in persecutionibus negaverunt et postmodum ad clericatum promoti sunt. — XI. De his qui propter necessitatem aliquam negaverunt et iterum ad saeculum reversi perpessi sunt. — XII. De his qui renuntiaverunt et excommunicati a saeculo recedunt. — XIII. De his qui in obitu positi communionem deposcunt. — XIV. De diaconibus ne corpus Domini tradant, vel ante presbyteros communicent. — XV. De clericis temere ab ecclesia recedentibus. — XVI. De his qui in quibus promoti sunt ecclesiis non morantur. — XVII. De clericis alienis sine proprii episcopi licentia non ordinandis. — XVIII. De clericis qui usuras accipiunt. — XIX. De his qui ab errore Pauli samosateni refugiunt, et de diaconissis. — XX. De non flectendo genu.

Canones.

I. Εἴ τις ἐν νόσῳ ὑπὸ ἰατρῶν ἐχειρουργήθη, ἢ ὑπὸ βαρβάρων ἐξετμήθη, οὗτος μενέτω ἐν τῷ κλήρῳ· εἰ δέ τις ὑγιαίνων ἑαυτὸν ἐξέτεμεν, τοῦτον καὶ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεταζόμενον πεπαῦσθαι προσήκει, καὶ ἐκ τοῦ δεῦρο μηδένα τῶν τοιούτων χρῆναι προάγεσθαι· ὥσπερ δὲ τοῦτο πρόδηλον, ὅτι περὶ τῶν ἐπιτηδευόντων τὸ πρᾶγμα καὶ τολμώντων ἑαυτοὺς ἐκτέμνειν εἴρηται· οὕτως εἴ

I. Si quis a medicis per languorem desectus est aut a barbaris abscisus, hic in clero permaneat. Si quis autem se sanus abscidit, hunc, et in clero constitutum, abstinere conveniet, et deinceps nullum debere talium promoveri. Sicut autem hoc claret, quod de his qui hanc rem affectant vel audent, qua semetipsos abscidere dictum sit: sic eos, quos aut barbari aut domini castraverunt, inveniuntur autem

¹) Versio latina Dionysio exiguo interprete. Cfr. Maassen, o. c. pag. 12—25.

τινες ὑπὸ βαρβάρων ἢ δεσποτῶν εὐνουχίσθησαν, εὑρίσκοιντο δὲ ἄλλως ἄξιοι, τοὺς τοιούτους εἰς κλῆρον προσίεται ὁ κανών.

alias dignissimi, tales ad clerum admittit regula. [c. 7. Dist. LV; c. 3. X. I. 20.]

II. Ἐπειδὴ πολλὰ ἤτοι ὑπὸ ἀνάγκης ἢ ἄλλως ἐπειγομένων τῶν ἀνθρώπων ἐγένετο παρὰ τὸν κανόνα τὸν ἐκκλησιαστικὸν, ὥστε ἀνθρώπους ἀπὸ ἐθνικοῦ βίου ἄρτι προσελθόντες τῇ πίστει, καὶ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ κατηχηθέντας εὐθὺς ἐπὶ τὸ πνευματικὸν λουτρὸν ἄγειν, καὶ ἅμα τῷ βαπτισθῆναι προσάγειν εἰς ἐπισκοπὴν ἢ πρεσβυτερεῖον· καλῶς ἔδοξεν ἔχειν, τοῦ λοιποῦ μηδὲν τοιοῦτο γίνεσθαι· καὶ γὰρ καὶ χρόνου δεῖ τῷ κατηχουμένῳ, καὶ μετὰ τὸ βάπτισμα δοκιμασίας πλείονος· σαφὲς γὰρ τὸ ἀποστολικὸν γράμμα τὸ λέγον· Μὴ νεόφυτον, ἵνα μὴ τυφωθεὶς. εἰς κρίμα ἐμπέσῃ καὶ παγίδα τοῦ διαβόλου. εἰ δὲ προϊόντος τοῦ χρόνου ψυχικόν τι ἁμάρτημα εὑρεθῇ περὶ τὸ πρόσωπον, καὶ ἐλέγχοιτο ὑπὸ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων, πεπαύσθω ὁ τοιοῦτος τοῦ κλήρου· ὁ δὲ παρὰ ταῦτα ποιῶν, ὡς ὑπεναντία τῇ μεγάλῃ συνόδῳ θρασυνόμενος, αὐτὸς κινδυνεύσει περὶ τὸν κλῆρον.

II. Quoniam plura, aut per necessitatem, aut alias cogentibus hominibus, adversus ecclesiasticam facta sunt regulam, ut homines ex gentili vita nuper accedentes ad fidem, et instructos brevi tempore, mox ad lavacrum spiritale perducerent, simulque ut baptizati sunt, etiam ad episcopatum, vel ad presbyterium promoverent: optime placuit, nihil tale de reliquo fieri. Nam et tempore opus est ei qui catechizatur, et post baptisma probatione quamplurima. Manifesta est enim apostolica Scriptura, quae dicit: „Non neophytum, ne in superbiam elatus in iudicium incidat et laqueum diaboli". Si vero processu temporis aliquod delictum animae circa personam reperiatur huiusmodi, et a duobus vel tribus testibus arguatur, a clero talis abstineat. Si quis autem praeter haec fecerit, quasi contra magnum concilium se efferens, ipse de clericatus honore periclitabitur.

III. Ἀπηγόρευσεν καθόλου ἡ μεγάλη σύνοδος, μήτε ἐπισκόπῳ μήτε πρεσβυτέρῳ μήτε διακόνῳ μήτε ὅλως τινὶ τῶν ἐν τῷ κλήρῳ ἐξεῖναι συνείσακτον ἔχειν, πλὴν εἰ μὴ ἄρα μητέρα ἢ ἀδελφὴν ἢ θείαν, ἢ ἃ μόνα πρόσωπα πᾶσαν ὑποψίαν διαπέφευγε.

III. Interdixit per omnia magna synodus, non episcopo, non presbytero, non diacono, non alicui omnino, qui in clero est, licere subintroductam habere mulierem: nisi forte matrem, aut sororem, aut amitam, vel eas tantum personas quae suspiciones effugiunt.

IV. Ἐπίσκοπον προσήκει μάλιστα μὲν ὑπὸ πάντων τῶν ἐν τῇ ἐπαρχίᾳ καθίστασθαι· εἰ δὲ δυσχερὲς εἴη τὸ τοιοῦτο, ἢ διὰ κατεπείγουσαν ἀνάγκην ἢ διὰ μῆκος ὁδοῦ, ἐξάπαντος

IV. Episcopum convenit maxime quidem ab omnibus qui sunt in provincia episcopis formari. Si autem hoc difficile fuerit, aut propter instantem necessitatem, aut propter itineris lon-

τρεῖς ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένους, συμψήφων γινομένων καὶ τῶν ἀπόντων καὶ συντιθεμένων διὰ γραμμάτων, τότε τὴν χειροτονίαν ποιεῖσθαι· τὸ δὲ κῦρος τῶν γινομένων δίδοσθαι καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν τῷ μητροπολίτῃ.

gitudinem, tribus tamen omnimodis in idipsum convenientibus, et absentibus quoque episcopis pari modo decernentibus, et per scripta consentientibus, tunc ordinatio celebretur. Firmitas autem eorum quae geruntur per unamquamque provinciam, metropolitano tribuatur episcopo.

V. Περὶ τῶν ἀκοινωνήτων γενομένων, εἴτε τῶν ἐν τῷ κλήρῳ εἴτε ἐν λαϊκῷ τάγματι, ὑπὸ τῶν καθ' ἑκάστην ἐπαρχίαν ἐπισκόπων κρατείτω ἡ γνώμη κατὰ τὸν κανόνα τὸν διαγορεύοντα, τοὺς ὑφ' ἑτέρων ἀποβληθέντας ὑφ' ἑτέρων μὴ προσίεσθαι. ἐξεταζέσθω δὲ, μὴ μικροψυχίᾳ ἢ φιλονεικίᾳ ἤ τινι τοιαύτῃ ἀηδίᾳ τοῦ ἐπισκόπου ἀποσυνάγωγοι γεγένηνται· ἵνα οὖν τοῦτο τὴν πρέπουσαν ἐξέτασιν λαμβάνῃ, καλῶς ἔχειν ἔδοξεν, ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καθ' ἑκάστην ἐπάρχίαν δὶς τοῦ ἔτους συνόδους γίνεσθαι, ἵνα κοινῇ πάντων τῶν ἐπισκόπων τῆς ἐπαρχίας ἐπὶ τὸ αὐτὸ συναγομένων, τὰ τοιαῦτα ζητήματα ἐξετάζοιτο, καὶ οὕτως οἱ ὁμολογουμένως προσκεχρουκότες τῷ ἐπισκόπῳ κατὰ λόγον ἀκοινώνητοι παρὰ πᾶσιν εἶναι δόξωσι, μέχρις ἂν τῷ κοινῷ τῶν ἐπισκόπων δόξῃ τὴν φιλανθρωποτέραν ὑπὲρ αὐτῶν ἐκθέσθαι ψῆφον· αἱ δὲ σύνοδοι γινέσθωσαν, μία μὲν πρὸ τῆς τεσσαρακοστῆς, ἵνα πάσης μικροψυχίας ἀναιρουμένης τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρηται τῷ θεῷ, δευτέρα δὲ περὶ τὸν τοῦ μετοπώρου καιρόν.

V. De his qui communione privantur, seu ex clero, seu ex laico ordine, ab episcopis pro unaquaque provincia, sententia regularis obtineat: ut hi qui abiiciuntur ab aliis, ab aliis non recipiantur. Requiratur autem, ne pusillanimitate, aut contentione, vel alio quolibet episcopi vitio videatur a congregatione seclusus. Ut hoc ergo decentius inquiratur, bene placuit, annis singulis, per unamquamque provinciam bis in anno concilia celebrari: ut communiter omnibus simul episcopis provinciae congregatis, discutiantur huiusmodi quaestiones. Et sic, qui suo peccaverunt evidenter episcopo, excommunicati rationabiliter ab omnibus aestimentur: usquequo, vel in communi, vel eidem episcopo placeat humaniorem pro talibus ferre sententiam. Concilia vero celebrentur, unum quidem ante Quadragesimam Paschae, ut omni dissensione sublata munus offeratur Deo purissimum: secundum vero, circa tempus autumni.

VI. Τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω τὰ ἐν Αἰγύπτῳ καὶ Λιβύῃ καὶ Πενταπόλει, ὥστε τὸν Ἀλεξανδρείας ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν τὴν

VI. Antiqua consuetudo servetur per Aegyptum, Libyam, et Pentapolim, ita ut Alexandrinus episcopus horum omnium habeat potestatem. Quia et

ἐξουσίαν, ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐστιν· ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ Ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις· καθόλου δὲ πρόδηλον ἐκεῖνο, ὅτι εἴ τις χωρὶς γνώμης τοῦ μητροπολίτου γένοιτο ἐπίσκοπος, τὸν τοιοῦτον ἡ μεγάλη σύνοδος ὥρισε μὴ δεῖν εἶναι ἐπίσκοπον· ἐὰν μέντοι τῇ κοινῇ πάντων ψήφῳ, εὐλόγῳ οὔσῃ καὶ κατὰ κανόνα ἐκκλησιαστικὸν, δύο ἢ τρεῖς δι' οἰκείαν φιλονεικίαν ἀντιλέγωσι, κρατείτω ἡ τῶν πλειόνων ψῆφος.

urbis Romae episcopo parilis mos est. Similiter autem et apud Antiochiam, caeterasque provincias, suis privilegia serventur Ecclesiis. Illud autem generaliter clarum est, quod si quis praeter sententiam metropolitani fuerit factus episcopus, hunc magna synodus definivit episcopum esse non oportere. Sin autem communi cunctorum decreto rationabili, et secundum ecclesiasticam regulam comprobato, duo aut tres, propter contentiones proprias, contradicunt, obtineat sententia plurimorum. [c. 6. Dist. LXV; c. 8. Dist. LXIV; c. 1. Dist. LXV.]

VII. Ἐπειδὴ συνήθεια κεκράτηκε καὶ παράδοσις ἀρχαία, ὥστε τὸν ἐν Αἰλίᾳ ἐπίσκοπον τιμᾶσθαι, ἐχέτω τὴν ἀκολουθίαν τῆς τιμῆς, τῇ μητροπόλει σωζομένου τοῦ οἰκείου ἀξιώματος.

VII. Quia consuetudo obtinuit, et antiqua traditio, ut Aeliae episcopus honoretur, et habeat honoris consequentiam, salva etiam metropoli propria dignitate. [c. 7. Dist. LXV.]

VIII. Περὶ τῶν ὀνομαζόντων μὲν ἑαυτοὺς Καθαρούς ποτε, προσερχομένων δὲ τῇ καθολικῇ καὶ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ, ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε χειροθετουμένους αὐτοὺς μένειν οὕτως ἐν τῷ κλήρῳ· πρὸ πάντων δὲ τοῦτο ὁμολογῆσαι αὐτοὺς ἐγγράφως προσήκει, ὅτι συνθήσονται καὶ ἀκολουθήσουσι τοῖς τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας δόγμασι· τοῦτ' ἔστι καὶ διγάμοις κοινωνεῖν καὶ τοῖς ἐν τῷ διωγμῷ παραπεπτωκόσιν· ἐφ' ὧν καὶ χρόνος τέτακται, καὶ καιρὸς ὥρισται· ὥστε αὐτοὺς ἀκολουθεῖν ἐν πᾶσι τοῖς δόγμασι τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας· ἔνθα μὲν οὖν πάντες, εἴτε ἐν κώμαις, εἴτε ἐν πόλεσιν αὐτοὶ μόνοι εὑρίσκοιντο χειροτονηθέντες, οἱ εὑρισκόμενοι ἐν τῷ κλήρῳ ἔσονται ἐν τῷ αὐτῷ σχήματι· εἰ δὲ

VIII. De his qui se cognominant catharos, id est mundos, si aliquando venerint ad Ecclesiam catholicam, placuit sancto et magno concilio ut impositionem manus accipientes, sic in clero permaneant. Haec autem prae omnibus eos scriptis convenit profiteri, quod catholicae et apostolicae Ecclesiae dogmata suscipiant, et sequantur: id est, et bigamis se communicare, et his qui in persecutione prolapsi sunt, erga quos et spatia constituta sunt, et tempora definita: ut ita Ecclesiae catholicae et apostolicae placita sequantur in omnibus. Ubicumque vero, sive in municipiis, seu in civitatibus ipsi soli reperti fuerint ordinati, qui inveniuntur in clero, in eodem habitu perseverent: ubi autem catholicae ecclesiae episcopo, vel presbytero constituto quidam ex illis ad-

τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου ὄντος προσέρχονταί τινες, πρόδηλον, ὡς ὁ μὲν ἐπίσκοπος τῆς ἐκκλησίας ἕξει τὸ ἀξίωμα τοῦ ἐπισκόπου, ὁ δὲ ὀνομαζόμενος παρὰ τοῖς λεγομένοις Καθαροῖς ἐπίσκοπος τὴν τοῦ πρεσβυτέρου τιμὴν ἕξει· πλὴν εἰ μὴ ἄρα δοκοίη τῷ ἐπισκόπῳ, τῆς τιμῆς τοῦ ὀνόματος αὐτὸν μετέχειν· εἰ δὲ τοῦτο αὐτῷ μὴ ἀρέσκοι, ἐπινοήσει τόπον ἢ χωρεπισκόπου ἢ πρεσβυτέρου, ὑπὲρ τοῦ ἐν τῷ κλήρῳ ὅλως δοκεῖν εἶναι, ἵνα μὴ ἐν τῇ πόλει δύο ἐπίσκοποι ὦσιν.

veniunt, certum est quod episcopus ecclesiae habebit episcopi dignitatem. Is autem qui nominatur apud eos episcopus, honorem presbyteri possidebit, nisi forte placuerit episcopo nominis eum honore censeri. Si vero hoc ei minime placuerit, providebit ei aut chorepiscopatus, aut presbyterii locum, ut in clero prorsus esse videatur: ne in una civitate duo episcopi probentur existere.

IX. Εἴ τινες ἀνεξετάστως προσήχθησαν πρεσβύτεροι, ἢ ἀνακρινόμενοι ὡμολόγησαν τὰ ἡμαρτημένα αὐτοῖς, καὶ ὁμολογησάντων αὐτῶν, παρὰ κανόνα κινούμενοι ἄνθρωποι τοῖς τοιούτοις χεῖρα ἐπιτεθείκασι· τούτους ὁ κανὼν οὐ προσίεται. τὸ γὰρ ἀνεπίληπτον ἐκδικεῖ ἡ καθολικὴ ἐκκλησία.

IX. Si qui presbyteri sine examine sunt provecti, vel, cum discuterentur, peccata sua confessi sunt, et homines, contra canones commoti, manus confessis imponere tentaverunt, tales regula non admittit, quia quod irreprehensibile est catholica defendit Ecclesia. [c. 4. Dist. LXXXI; c. 7. Dist. XXIV.]

X. Ὅσοι προεχειρίσθησαν τῶν παραπεπτωκότων κατὰ ἄγνοιαν, ἢ καὶ προειδότων τῶν προχειρισαμένων, τοῦτο οὐ προκρίνει τῷ κανόνι τῷ ἐκκλησιαστικῷ· γνωσθέντες γὰρ καθαιροῦνται.

X. Quicumque de lapsis ad ordinem cleri promoti sunt per ignorantiam, vel per ordinantium dissimulationem, hoc ecclesiasticae non praeiudicat regulae, cogniti namque deponantur. [c. 5. Dist. LXXXI; c. 60 Dist. L.]

XI. Περὶ τῶν παραβάντων χωρὶς ἀνάγκης ἢ χωρὶς ἀφαιρέσεως ὑπαρχόντων ἢ χωρὶς κινδύνου ἤ τινος τοιούτου, ὃ γέγονεν ἐπὶ τῆς τυραννίδος Λικινίου· ἔδοξε τῇ συνόδῳ, κἂν ἀνάξιοι ἦσαν φιλανθρωπίας, ὅμως χρηστεύσασθαι εἰς αὐτούς· ὅσοι οὖν γνησίως μεταμέλονται, τρία ἔτη ἐν ἀκροωμένοις ποιήσουσιν οἱ πιστοί, καὶ ἑπτὰ ἔτη ὑποπεσοῦνται· δύο δὲ ἔτη χωρὶς προσφορᾶς κοινωνήσουσι τῷ λαῷ τῶν προσευχῶν.

XI. De his qui praeter necessitatem praevaricati sunt, aut praeter oblationem facultatum, aut praeter periculum, vel aliquid huiusmodi, quod factum est sub tyrannide Licinii: placuit synodo, quamvis humanitate probentur indigni, tamen eis benevolentiam commodari. Quicumque ergo veraciter poenitudinem gerunt, tribus annis fideles inter audientes habeantur: et sex annis omni se contritione deiiciant, duobus autem annis sine

oblatione populo in oratione communicent.

XII. Οἱ δὲ προσκληθέντες μὲν ὑπὸ τῆς χάριτος, καὶ τὴν πρώτην ὁρμὴν ἐνδειξάμενοι, καὶ ἀποθέμενοι τὰς ζώνας, μετὰ δὲ ταῦτα ἐπὶ τὸν οἰκεῖον ἔμετον ἀναδραμόντες ὡς κύνες, ὡς τινὰς καὶ ἀργύρια προέσθαι, καὶ βενεφικίοις κατορθῶσαι τὸ ἀναστρατεύσασθαι· οὗτοι δέκα ἔτη ὑποπιπτέτωσαν μετὰ τὸν τῆς τριετοῦς ἀκροάσεως χρόνον· ἐφ' ἅπασι δὲ τούτοις προσήκει ἐξετάζειν τὴν προαίρεσιν, καὶ τὸ εἶδος τῆς μετανοίας· ὅσοι μὲν γὰρ καὶ φόβῳ καὶ δάκρυσι καὶ ὑπομονῇ καὶ ἀγαθοεργίαις τὴν ἐπιστροφὴν ἔργῳ καὶ οὐ σχήματι ἐπιδείκνυνται, οὗτοι πληρώσαντες τὸν χρόνον τὸν ὡρισμένον τῆς ἀκροάσεως, εἰκότως τῶν εὐχῶν κοινωνήσουσι, μετὰ τοῦ ἐξεῖναι τῷ ἐπισκόπῳ, καὶ φιλανθρωπότερόν τι περὶ αὐτῶν βουλεύσασθαι. ὅσοι δὲ ἀδιαφόρως ἤνεγκαν, καὶ τὸ σχῆμα τοῦ μὴ εἰσιέναι εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀρκεῖν αὐτοῖς ἡγήσαντο πρὸς τὴν ἐπιστροφὴν, ἐξάπαντος πληρούτωσαν τὸν χρόνον.

XII. Quicumque vocati per gratiam, primum quidem impetum monstraverunt deponentes militiae cingulum: postmodum vero ad proprium vomitum sunt relapsi, ita ut quidam et pecunias tribuerent, et beneficiis militiam repeterent, hi decem annis post triennii tempus (quo inter audientes erunt) in afflictione permaneant. Sed in his omnibus propositum et speciem poenitentiae convenit explorare: quotquot enim metu, et lacrymis, atque poenitentia, vel bonis operibus rebus ipsis conversionem suam, non simulatione, demonstrant: hi definitum tempus auditionis implentes, tum demum fidelibus in oratione communicent, postmodum vero licebit episcopo de his aliquid humanius cogitare. Quicumque vero indifferenter tulerunt, et aditum introeundi Ecclesiam sibi arbitrati sunt ad conversionem posse sufficere, hi definitum modis omnibus tempus implebunt.

XIII. Περὶ δὲ τῶν ἐξοδευόντων ὁ παλαιὸς καὶ κανονικὸς νόμος φυλαχθήσεται καὶ νῦν, ὥστε, εἴ τις ἐξοδεύοι, τοῦ τελευταίου καὶ ἀναγκαιοτάτου ἐφοδίου μὴ ἀποστερεῖσθαι· εἰ δὲ ἀπογνωσθεὶς καὶ κοινωνίας πάλιν τυχὼν, πάλιν ἐν τοῖς ζῶσιν ἐξετασθῇ, μετὰ τῶν κοινωνούντων τῆς εὐχῆς μόνης ἔστω. καθόλου δὲ καὶ περὶ παντὸς οὑτινοσοῦν ἐξοδεύοντος, αἰτοῦντος τοῦ μετασχεῖν εὐχαριστίας, ὁ ἐπίσκοπος μετὰ δοκιμασίας ἐπιδότω.

XIII. De his qui ad exitum veniunt, etiam nunc lex antiqua regularisque servabitur, ita ut si quis egreditur e corpore, ultimo et necessario viatico minime privetur. Quod si desperatur, et consecutus communionem oblationisque particeps factus, iterum convaluerit, sit inter eos qui communionem orationis tantummodo consequuntur. Generaliter autem omni cuilibet in exitu posito, et poscenti sibi communionis gratiam tribui, episcopus probabiliter (*al.* postquam probaverit) ex oblatione dare debebit.

XIV. Περὶ τῶν κατηχουμένων καὶ παραπεσόντων ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ καὶ μεγάλῃ συνόδῳ, ὥστε τριῶν ἐτῶν αὐτοὺς ἀκροωμένους μόνον, μετὰ ταῦτα εὔχεσθαι μετὰ τῶν κατηχουμένων.

XIV. De catechumenis, [qui etiam lapsi sunt], sancto et magno concilio placuit, ut tribus annis sint inter audientes tantummodo, posthaec autem cum catechumenis orent.

XV. Διὰ τὸν πολὺν τάραχον καὶ τὰς στάσεις τὰς γινομένας ἔδοξε- παντάπασι περιαιρεθῆναι τὴν συνήθειαν, τὴν παρὰ τὸν κανόνα εὑρεθεῖσαν ἔν τισι μέρεσιν, ὥστε ἀπὸ πόλεως εἰς πόλιν μὴ μεταβαίνειν μήτε ἐπίσκοπον μήτε πρεσβύτερον μήτε διάκονον. εἰ δέ τις μετὰ τὸν τῆς ἁγίας καὶ μεγάλης συνόδου ὅρον τοιούτῳ τινὶ ἐπιχειρήσειεν, ἢ ἐπιδοίη ἑαυτόν πράγματι τοιούτῳ, ἀκυρωθήσεται ἐξάπαντος τὸ κατασκεύασμα, καὶ ἀποκατασταθήσεται τῇ ἐκκλησίᾳ, ᾗ ὁ ἐπίσκοπος ἢ ὁ πρεσβύτερος ἐχειροτονήθη.

XV. Propter multam perturbationem et seditiones quae fiunt, placuit consuetudinem omnimodis amputari, quae, praeter regulam, in quibusdam partibus videtur admissa: ita ut de civitate ad civitatem, non episcopus, non presbyter, non diaconus transferatur. Si quis autem, post definitionem sancti et magni concilii, tale quid agere tentaverit, et se huiuscemodi negotio manciparit, hoc factum prorsus in irritum ducatur, et restituatur ecclesiae cui fuit episcopus, aut presbyter, aut diaconus ordinatus.

XVI. Ὅσοι ῥιψοκινδύνως μήτε τὸν φόβον τοῦ θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχοντες, μήτε τὸν ἐκκλησιαστικὸν κανόνα εἰδότες, ἀναχωρήσουσι τῆς ἐκκλησίας, πρεσβύτεροι ἢ διάκονοι ἢ ὅλως ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι· οὗτοι οὐδαμῶς δεκτοὶ ὀφείλουσιν εἶναι ἐν ἑτέρᾳ ἐκκλησίᾳ, ἀλλὰ πᾶσαν αὐτοῖς ἀνάγκην ἐπάγεσθαι χρὴ, ἀναστρέφειν εἰς τὰς ἑαυτῶν παροικίας, ἢ ἐπιμένοντας ἀκοινωνήτους εἶναι προσήκει. εἰ δὲ καὶ τολμήσειέ τις ὑφαρπάσαι τὸν τῷ ἑτέρῳ διαφέροντα, καὶ χειροτονῆσαι ἐν τῇ αὑτοῦ ἐκκλησίᾳ, μὴ συγκατατιθεμένου τοῦ ἰδίου ἐπισκόπου, οὗ ἀνεχώρησεν ὁ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενος, ἄκυρος ἔσται ἡ χειροτονία.

XVI. Quicumque temere, ac periculose, neque timorem Dei prae oculis habentes, nec ecclesiasticam regulam agnoscentes, discedunt ab ecclesia, presbyteri aut diaconi, vel quicumque sub regula prorsus existunt, hi nequaquam debent in aliam ecclesiam recipi, sed omnem necessitatem convenit illis imponi, ut ad suas parochias revertantur; quod si non fecerint, oportet eos communione privari. Si quis autem ad alium pertinentem audacter invadere, et in sua ecclesia ordinare tentaverit, non consentiente episcopo a quo discessit is qui regulae mancipatur: ordinatio huiuscemodi irrita comprobetur.

XVII. Ἐπειδὴ πολλοὶ ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζόμενοι τὴν πλεονεξίαν καὶ τὴν αἰσχροκέρδειαν διώκοντες ἐπελά-

XVII. Quoniam multi, sub regula constituti, avaritiam et turpia lucra sectantur, oblitique divinae Scriptu-

θοντο τοῦ θείου γράμματος λέγοντος· Τὸ ἀργύριον αὐτοῦ οὐκ ἔδωκεν ἐπὶ τόκῳ· καὶ δανείζοντες ἑκατοστὰς ἀπαιτοῦσιν· ἐδικαίωσεν ἡ ἁγία και μεγάλη σύνοδος, ὡς, εἴ τις εὑρεθείη μετὰ τὸν ὅρον τοῦτον τόκους λαμβάνων ἐκ μεταχειρίσεως ἢ ἄλλως μετερχόμενος τὸ πρᾶγμα ἢ ἡμιολίας ἀπαιτῶν ἢ ὅλως ἕτερόν τι ἐπινοῶν αἰσχροῦ κέρδους ἕνεκα, καθαιρεθήσεται τοῦ κλήρου καὶ ἀλλότριος τοῦ κανόνος ἔσται.

rae, dicentis: «Qui pecuniam suam non dedit ad usuram», mutuum dantes centesimas exigunt: iuste censuit sancta et magna synodus, ut si quis inventus fuerit, post hanc definitionem, usuras accipiens, aut ex adinventione aliqua, vel quolibet modo negotium transigens, aut hemiolia, id est sescupla exigens, vel aliquid tale prorsus excogitans turpis lucri gratia, deiiciatur a clero, et alienus existat a regula.

XVIII. Ἦλθεν εἰς τὴν ἁγίαν καὶ μεγάλην σύνοδον, ὅτι ἔν τισι τόποις καὶ πόλεσι τοῖς πρεσβυτέροις τὴν εὐχαριστίαν οἱ διάκονοι διδόασιν, ὅπερ οὔτε ὁ κανὼν οὔτε ἡ συνήθεια παρέδωκε, τοὺς ἐξουσίαν μὴ ἔχοντας προσφέρειν τοῖς προσφέρουσι διδόναι τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ. κἀκεῖνο δὲ ἐγνωρίσθη, ὅτι ἤδη τινὲς τῶν διακόνων καὶ πρὸ τῶν ἐπισκόπων τῆς εὐχαριστίας ἅπτονται· ταῦτα μὲν οὖν ἅπαντα περιῃρήσθω· καὶ ἐμμενέτωσαν οἱ διάκονοι τοῖς ἰδίοις μέτροις, εἰδότες ὅτι τοῦ μὲν ἐπισκόπου ὑπηρέται εἰσί, τῶν δὲ πρεσβυτέρων ἐλάττους τυγχάνουσι· λαμβανέτωσαν δὲ κατὰ τὴν τάξιν τὴν εὐχαριστίαν μετὰ τοὺς πρεσβυτέρους, ἢ τοῦ ἐπισκόπου διδόντος αὐτοῖς ἢ τοῦ πρεσβυτέρου. ἀλλὰ μηδὲ καθῆσθαι ἐν μέσῳ τῶν πρεσβυτέρων ἐξέστω τοῖς διακόνοις· παρὰ κανόνα γὰρ καὶ παρὰ τάξιν ἐστὶ τὸ γινόμενον. εἰ δέ τις μὴ θέλοι πειθαρχεῖν καὶ μετὰ τούτους τοὺς ὅρους, πεπαύσθω τῆς διακονίας.

XVIII. Pervenit ad sanctum magnumque concilium, quod in quibusdam locis et civitatibus, presbyteris gratiam sacrae communionis diaconi porrigant; quod nec regula, nec consuetudo tradidit, ut ab his, qui potestatem non habent offerendi, illi qui offerunt, Christi corpus accipiant. Nec non et illud innotuit, quod quidam diaconi ante episcopos sacra oblata contingant. Haec igitur omnia resecentur, et in sua diaconi mensura permaneant: scientes quod episcoporum quidem ministri sint, inferiores autem presbyteris habeantur per ordinem. Ergo post presbyteros gratiam sacrae communionis accipiant, aut episcopo eis, aut presbytero porrigente. Sed nec sedere in medio presbyterorum diaconis liceat; quia si hoc fiat, praeter regulam et ordinem probatur existere. Si quis autem etiam post has definitiones obedire noluerit, a ministerio cessare debebit.

XIX. Περὶ τῶν Παυλιανισάντων, εἶτα προσφυγόντων τῇ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ, ὅρος ἐκτέθειται, ἀναβαπτί-

XIX. De Paulianistis ad Ecclesiam catholicam confugientibus, definitio prolata est, ut baptizentur omnimodis.

ζεσθαι αὐτοὺς ἐξάπαντος· εἰ δέ τινες ἐν τῷ παρεληλυθότι χρόνῳ ἐν τῷ κλήρῳ ἐξητάσθησαν, εἰ μὲν ἄμεμπτοι καὶ ἀνεπίληπτοι φανεῖεν, ἀναβαπτισθέντες χειροτονείσθωσαν ὑπὸ τοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας ἐπισκόπου· εἰ δὲ ἡ ἀνάκρισις ἀνεπιτηδείους αὐτοὺς εὑρίσκοι, καθαιρεῖσθαι αὐτοὺς προσήκει. ὡσαύτως δὲ καὶ περὶ τῶν διακονισσῶν, καὶ ὅλως περὶ τῶν ἐν τῷ κανόνι ἐξεταζομένων, ὁ αὐτὸς τύπος παραφυλαχθήσεται. ἐμνήσθημεν δὲ διακονισσῶν τῶν ἐν τῷ σχήματι ἐξετασθεισῶν, ἐπεὶ μηδὲ χειροθεσίαν τινὰ ἔχουσιν, ὥστε ἐξάπαντος ἐν τοῖς λαϊκοῖς αὐτὰς ἐξετάζεσθαι.

Si qui autem de his praeterito tempore fuerint in clero, si quidem immaculati et irreprehensibiles apparuerint, baptizati ordinentur ab episcopo Ecclesiae catholicae; quod si discussio incongruos eos invenerit, abiici tales conveniet. Similiter autem et de diaconissis, et omnino de his qui sub regula versantur, haec forma servabitur. Meminimus autem de diaconissis, quae in eodem habitu esse probantur, quod non habeant aliquam manus impositionem, et ideo modis omnibus eas inter laicos deputari.

XX. Ἐπειδή τινές εἰσιν ἐν τῇ κυριακῇ γόνυ κλίνοντες καὶ ἐν ταῖς τῆς πεντηκοστῆς ἡμέραις· ὑπὲρ τοῦ πάντα ἐν πάσῃ παροικίᾳ φυλάττεσθαι, ἑστῶτας ἔδοξε τῇ ἁγίᾳ συνόδῳ τὰς εὐχὰς ἀποδιδόναι τῷ θεῷ.

XX. Quoniam sunt quidam in die dominico genuflectentes, et in diebus Pentecostes; ut omnia in universis locis consonanter observentur, placuit sancto concilio stantes Domino vota persolvere.

Decretum de sancto Paschate.

Πέπρακται δὲ οὕτως τὰ δόξαντα πᾶσι τοῖς ἐν τῇ ἱερᾷ συνόδῳ συνελθοῦσιν, ἐν ταῖς ἡμέραις τοῦ θεοσεβοῦς καὶ μεγάλου Κωνσταντίνου, ὃς οὐ μόνον συνήγαγε τοὺς προγεγραμμένους ἐπισκόπους εἰς ταὐτόν, εἰρήνην ποιούμενος τῷ ἔθνει ἡμῶν, ἀλλὰ γὰρ καὶ συμπαρὼν τῇ τούτων ὁμηγύρει συνεξετάζει τὰ συμφέροντα τῇ καθολικῇ Ἐκκλησίᾳ· ἐπειδὴ τοίνυν, ἐξεταζομένου τοῦ πράγματος περὶ τοῦ δεῖν συμφώνως ἄγειν τὸ Πάσχα ἅπασαν τὴν ὑπὸ οὐρανὸν ηὑρέθη τὰ τρία μέρη τῆς οἰκουμένης συμφώνως ποιοῦντα Ῥωμαίοις καὶ Ἀλεξανδρεῦσιν, ἓν δὲ καὶ μόνον κλίμα τῆς ἀνατολῆς ἀμφι-

Ita autem actum est uti visum est omnibus in sacra synodo convenientibus, sub diebus religiosi atque magni Constantini, qui non coegit solum supra scriptos episcopos in unum, pacem genti nostrae faciens, sed etiam adfuit eorumdem conventui, collatisque consiliis, expendit quae in catholicae Ecclesiae bonum spectabant; Postquam igitur id deliberatum diligenter fuit, utrum necesse esset concentu unanimi peragi Pascha ab universa sub coelo Ecclesia, et inventum est tres totius orbis partes in unum consentire cum Romanis et Alexandrinis, unam vero orientalem plagam esse dissonam; visum est, qualibet

σβητοῦν· ἔδοξε, πάσης ζητήσεως περιαιρεθείσης καὶ ἀντιλογίας, οὕτως ἄγειν καὶ τοὺς ἀδελφοὺς τοὺς ἐν τῇ ἀνατολῇ ὡς ἄγουσι Ῥωμαῖοι καὶ Ἀλεξανδρεῖς καὶ οἱ λοιποὶ πάντες, πρὸς τὸ πάντας ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ ὁμοφώνως ἀναπέμπειν τὰς εὐχὰς τῇ ἁγίᾳ ἡμέρᾳ τοῦ Πάσχα. Καὶ ὑπέγραψαν οἱ τῆς ἀνατολῆς ὡς διαφωνοῦντες πρὸς τοὺς ἄλλους.

sublata quaestione et contradictione, eodem more agendum esse fratribus Orientis, quo modo agunt Romani et Alexandrini atque caeteri omnes, ut cuncti in una die, unanima mente sursum emittant preces in illa sancta die Pascatis.

Et subscripserunt qui ab Oriente erant, eo quod a caeteris erant dissentientes.

Symbolum Nicaeni Concilii.

Πιστεύομεν εἰς ἕνα Θεὸν πατέρα παντοκράτορα, πάντων ὁρατῶν τε καὶ ἀοράτων ποιητήν. Καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, γεννηθέντα ἐκ τοῦ Πατρὸς, μονογενῆ, τουτέστιν ἐκ τῆς οὐσίας τοῦ Πατρὸς, Θεὸν ἐκ Θεοῦ, φῶς ἐκ φωτὸς, Θεὸν ἀληθινὸν ἐκ Θεοῦ ἀληθινοῦ, γεννηθέντα, οὐ ποιηθέντα, ὁμοούσιον τῷ Πατρὶ, δι' οὗ τὰ πάντα ἐγένετο, τά τε ἐν τῷ οὐρανῷ καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς· τὸν δι' ἡμᾶς τοὺς ἀνθρώπους καὶ διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν καθελθόντα, καὶ σαρκωθέντα καὶ ἐνανθρωπήσαντα, παθόντα, καὶ ἀναστάντα τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ, καὶ ἀνελθόντα εἰς τοὺς οὐρανούς, καὶ ἐν δεξιᾷ τοῦ Πατρὸς καθήμενον, καὶ ἐρχόμενον πάλιν κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. Καὶ εἰς τὸ Πνεῦμα τὸ Ἅγιον.

Τοὺς δὲ λέγοντας ὅτι ἦν πότε ὅτε οὐκ ἦν, καὶ πρὶν γεννηθῆναι, οὐκ ἦν, καὶ ὅτι ἐξ οὐκ ὄντων ἐγένετο, ἢ ἐξ ἑτέρας ὑποστάσεως ἢ οὐσίας φάσκοντας εἶναι, ἢ τρεπτὸν, ἢ ἀλλοιωτὸν τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ, τούτους ἀναθεματίζει καθολικὴ καὶ ἀποστολικὴ Ἐκκλησία.

Credimus in unum Deum, Patrem omnipotentem, omnium visibilium et invisibilium factorem; et in unum Dominum Iesum Christum, natum ex Patre, unigenitum, hoc est ex substantia Patris, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, homoousion, hoc est eiusdem cum Patris substantia, per quem omnia facta sunt quae in coelo et quae in terra; qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit, et incarnatus est, et homo factus, passus est, et resurrexit tertia die, ascendit in coelum, unde venturus est iudicare vivos et mortuos; et in Spiritum Sanctum.

Eos autem qui dicunt: Erat tempus quando non erat, et priusquam nasceretur non erat, et quia ex nullis subsistentibus factus est, aut ex alia substantia vel essentia dicunt esse τρεπτὸν, hoc est convertibilem aut mutabilem Filium Dei, hos anathematizat catholica et apostolica Ecclesia.

II. POTESTAS ECCLESIASTICA ET IMPERIUM CIVILE.

A) *Usque ad Constantinum Magnum.*

Friedberg, *Die Grenzen zwischen Staat und Kirche und die Garantie gegen ihre Verletzung.* Tübingen 1872, pagg. 3 sq. Geffcken, *Staat u. Kirche in ihrem Verhältniss geschichtlich entwickelt.* Berlin 1875, Cap. V. Maassen, *Neun Capitel über freie Kirche u. Gewissensfreiheit.* Graz 1870. pag. 23 sq. Loening, *Geschichte des deutschen Kirchenrechtes.* Strassburg 1878. I. pag. 20 sq. Keim, *Rom u. das Christenthum.* Berlin 1881. Horoy, *Des rapports du sacerdoce avec l' autorité civile.* Paris 1882. Doulcet, *Essai sur les rapports de l' Église Chrétienne avec l' État romain.* Paris 1883. Aubé, *L' Église et l' État dans la secondé moitié du IIIe siècle.* Paris 1884. Crivellucci, *Storia delle relazioni fra lo Stato e la Chiesa.* Bologna 1886. I. 1–79. Plocque, *De la condition de l' Église sous l' Empire Romain.* Paris 1888. Neumann, *Der römische Staat und die allgemeine Kirche bis auf Diocletian.* Leipzig 1890. Allard, *Histoire des persecutions de l' Église pendant les deux premiers siècles.* Paris 1893². Ramsay, *The Church in the Roman Empire before a. 170.* London 1898⁵. Conrat (Cohn), *Die Christenverfolgungen im römischen Reiche vom Standpunkte des Juristen.* Leipzig 1897. Weiss, *Die Christenverfolgungen.* München 1899. Allard, *Le Christianisme et l' Empire romain de Néron a Theodose.* Paris 1902². Friedberg, *Lehrbuch* § 10. Stutz, *Kirchenrecht.* § 7.

---

14. C. SUETONIUS TRANQUILLUS.

* Suetonius, *Quae supersunt omnia.* ed. Roth, Leipzig 1858, p. 161. Schuerer, *Geschichte des jüdischen Volkes im Zeitalter Jesu Christi.* Leipzig 1886, II. 2. 508. Mariano, *Giudaismo, paganismo, impero romano.* Firenze 1901.

Vita Claudii 25.

Judaeos impulsore Chresto assidue tumultuantes Roma expulit . . . Dryidarum religionem apud Gallos dirae immanitatis et tantum civibus sub Augusto interdictam, penitus abolevit; contra sacra Eleusinia etiam transferre ex Attica Romam conatus est, templumque in Sicilia Veneris Erycinae vetustate conlapsum ut ex aerario populi Rom. reficeretur, auctor fuit.

15. C. CORNELIUS TACITUS.

* Tacitus, *Opera,* ed. Halm. Leipzig 1883, I. p. 301. Schiller, *Geschichte des römischen Kaiserreiches unter der Regierung des Nero.* Berlin 1872.

Idem, *Ein Problem der Tacituserklärung (Commentationes philologae in honorem, Mommseni)* Berlin 1877, pag. 41. Weizsaeker, *Ueber die älteste röm. Christengemeinde (Jahrbücher für deutsche Theologie,* 1876). Neumann, *Der röm. Staat etc.* I. 4. Arnold, *Die Neronische Christenverfolgung.* Leipzig 1888. Semeria, *Il primo sangue Cristiano.* Roma 1897. Callewert, in *Revue d'hist. eccles.* XXI. 771—797. Allard, *Le christianisme et l'empire romain de Neron Theodose.* Paris 1901². Berthaud, *L'incendie de Rome et la critique contemporaine.* Toulouse 1901. Abbatescianni, *I primi cristiani e Nerone.* Bari 1901. Chiappelli, *L'odium humani generis dei cristiani e Nerone.* Napoli 1901. Coen, in *Atene e Roma.* III. n. 23. Costanzi, in *Bollettino di filologia classica.* VII. n. 6. Idem, in *Atene e Roma* IV. n. 27. De Crescenzio, *Nerone incendiario e i primi cristiani.* Napoli 1901. Ferrara, *L'incendio di Roma e i primi cristiani.* Torino 1901. Pascal, *Atene e Roma.* IV. n. 27. Ramorino, *L'incendio neroniano e la persecuzione dei cristiani.* Firenze 1901. Sabatini, *I primi cristiani e Nerone.* Roma 1901.

Annales XV. 44.

Et haec quidem humanis consiliis providebantur. Mox petita dis piacula aditique Sibullae libri, ex quibus supplicatum Volcano et Cereri Proserpinaeque ac propitiata Juno per matronas, primum in Capitolio, deinde apud proximum mare, unde hausta aqua templum et simulacrum deae perspersum est; et sellisternia ac pervigilia celebravere feminae, quibus mariti erant. Sed non ope humana, non largitionibus principis aut deum placamentis decedebat infamia, quin iussum incendium crederetur. Ergo abolendo rumori Nero subdidit reos et quaesitissimis poenis affecit, quos per flagitia invisos vulgus Christianos appellabat. Auctor nominis eius Christus Tiberio imperitante per procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat; repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum erumpebat, non modo per Judaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam, quo cuncta undique atrocia aut pudenda confluunt celebranturque. Igitur primum correpti qui fatebantur, deinde indicio eorum multitudo ingens haud perinde in crimine incendii, quam odio humani generis convicti sunt. Et pereuntibus addita ludibria, ut ferarum tergis contecti laniatu canum interirent, multi crucibus adfixi aut flamma usti, aliique, ubi defecisset dies, in usum nocturni luminis urerentur. Hortos suos ei spectaculo Nero obtulerat et circense ludicrum edebat, habitu aurigae permixtus plebi vel curriculo insistens. Unde quamquam adversus sontes et novissima exempla meritos miseratio oriebatur, tamquam non utilitate publica sed in saevitiam unius desumerentur. [l. c. I. 301.]

16. C. PLINIUS ET TRAIANUS IMPERATOR.

• Plinius jun., ed. Keil. Leipzig 1870. pag. 307. Maassen, *Die Gründe des Kampfes zwischen d. heidn. röm. Staat u. d. Christenthum.* Wien 1882. Mommsen, *Das Religionsfrevel nach römischem Rechte* (in *Hist. Zeitschr.* 1890, 388 seq.). Le Blant, *Les persécutions et les Martyrs aux premiers siècles de notre ère.* Paris 1893. Guérin, in *Nouv. Revue hist.* 1895, 601, 713 seq. Schanz, *Geschichte der röm. Literatur.* München 1899². II. 2. pag. 275. Conrat, o. c. p. 2 sq.

Ep. X. 96 (97). C. Plinius Traiano Imperatori. Sollemne est mihi, domine, omnia de quibus dubito ad te referre. Quis enim potest melius vel cunctationem meam regere vel ignorantiam instruere?

Cognitionibus de Christianis interfui numquam: ideo nescio quid et quatenus aut puniri soleat aut quaeri. 2. Nec mediocriter haesitavi sitne aliquod discrimen aetatum an quamlibet teneri nihil a robustioribus differant, detur paenitentiae venia an ei, qui omnino Christianus fuit, desisse non prosit, nomen ipsum, si flagitiis careat, an flagitia cohaerentia nomini puniantur. Interim [in] iis, qui ad me tamquam Christiani deferebantur, hunc sum secutus modum. 3. Interrogavi ipsos, an essent Christiani. Confitentes iterum ac tertio interrogavi, supplicium minatus: perseverantes duci iussi. Neque enim dubitabam, qualecumque esset quod faterentur, pertinaciam certe et inflexibilem obstinationem debere puniri. 4. Fuerunt alii similis amentiae, quos, quia cives Romani erant, adnotavi in urbem remittendos. Mox ipso tractatu, ut fieri solet, diffundente se crimine plures species inciderunt. 5. Propositus est libellus sine auctore multorum nomina continens. Qui negabant esse se Christianos aut fuisse, cum praeeunte me deos appellarent et imagini tuae, quam propter hoc iusseram cum simulacris numinum adferri, ture ac vino supplicarent, praeterea male dicerent Christo, quorum nihil posse cogi dicuntur qui sunt re vera Christiani, dimittendos esse putavi. 6. Alii ab indice nominati esse se Christianos dixerunt et mox negaverunt; fuisse quidem, sed desisse, quidam ante triennium, quidam ante plures annos, non nemo etiam ante viginti. [Hi] quoque omnes et imaginem tuam deorumque simulacra venerati sunt [ii] et Christo male dixerunt. 7. Adfirmabant autem hanc fuisse summam vel culpae suae vel erroris, quod essent soliti stato die ante lucem convenire carmenque Christo quasi deo dicere secum invicem seque sacramento non in scelus aliquod obstringere, sed ne furta, ne latrocinia, ne adulteria committerent, ne fidem fallerent, ne depositum appellati abnegarent: quibus peractis morem sibi discedendi fuisse, rursusque [coeundi] ad capiendum cibum, promiscuum tamen et innoxium; quod ipsum facere desisse post edictum meum, quo secundum mandata tua hetaerias esse vetueram. 8. Quo magis necessarium credidi ex duabus ancillis, quae ministrae dicebantur, quid esset veri et per tormenta quaerere. Nihil aliud inveni quam superstitionem pravam, immodicam. 9. Ideo dilata cognitione ad consulendum te decucurri. Visa est enim mihi res digna consultatione, maxime propter periclitantium numerum. Multi enim omnis aetatis, omnis ordinis, utriusque sexus etiam, vocantur in periculum et vocabuntur. Neque civitates tantum sed vicos etiam atque agros superstitionis istius contagio pervagata est; quae videtur sisti et corrigi posse. 10. Certe satis constat prope iam desolata templa coepisse celebrari et sacra sollemnia diu intermissa repeti pastumque venire victimarum, cuius adhuc rarissimus emptor inveniebatur. Ex quo facile est opinari, quae turba hominum emendari possit, si sit paenitentiae locus.

Traianus Plinio. Actum quem debuisti, mi Secunde, in excutiendis causis eorum, qui Christiani ad te delati fuerant, secutus es. Neque enim in universum aliquid, quod quasi certam formam habeat, constitui potest. Conquirendi non sunt: si deferantur et arguantur, puniendi sunt, ita tamen, ut qui negaverit se Christianum esse idque re ipsa manifestum fecerit, id est supplicando dis nostris, quamvis suspectus in praeteritum, veniam ex paenitentia impetret. Sine auctore vero propositi libelli [in] nullo crimine locum habere debent. Nam et pessimi exempli nec nostri saeculi est. [l. c. pag. 307—308.]

17. M. MINUCIUS FELIX.

* M. Minucii Felicis, *Octavius,* ed. Halm. Vindobonae 1867 (*Corpus script. eccl.* T. II). Hartel, in *Zeitschrift für die österr. Gymnasien*, XX. 348—68. Behr, *Der Octavius des M. Minucius Felix in seinem Verhältnis zu Ciceros Büchern de natura Deorum.* Gera 1870. De Félice, *Étude sur l'Octavius de Minucius Felix.* Blois 1880. Kuen, *Der Octavius des Minucius Felix, eine heidnisch-philosophische Auffassung vom Christenthum.* Leipzig 1882. Waltzing, *Bibliographie raisonnée de Minucius Félix* (in *Le Musée Belge,* 1902. pag. 216—261). Bardenhewer, § 24.

Octavius.

[Cecilius ait]:

Cap. 7. Nec tamen temere (ausim enim interim et ipse concedere et sic melius errare) maiores nostri aut obseruandis auguriis aut extis consulendis aut instituendis sacris aut delubris dedicandis operam nauauerunt. specta de libris memoriam: iam eos deprehendes initiasse ritus omnium religionum, uel ut remuneraretur diuina indulgentia, uel ut auerteretur imminens ira aut iam tumens et saeuiens placaretur. testis mater Idaea, quae aduentu suo et probauit matronae castitatem et urbem metu hostili liberauit: testes equestrium fratrum in lacu, sicut *se* ostenderant, statuae consecratae, qui anheli spumantibus equis atque fumantibus de Perse uictoriam eadem die qua fecerant nuntiauerunt: testis ludorum offensi Iouis de somnio plebei hominis iteratio; et Deciorum deuotio rata testis est: testis et Curtius, qui equitis sui uel mole uel honore hiatum profundae uoraginis coaequauit. frequentius etiam quam uolebamus deorum praesentiam contempta auspicia contestata sunt. sic Allia nomen infaustum, sic Claudi et Iuni non proelium in Poenos, sed ferale naufragium est, et ut Trasymenus Romanorum sanguine et maior esset et decolor, spreuit auguria Flaminius, et ut Parthos signa repeteremus, dirarum inprecationes Crassus et meruit et inrisit. omitto uetera quae multa sunt, et de deorum natalibus, donis, muneribus neglego carmina poetarum, praedicta etiam de oraculis fata transilio, ne uobis antiquitas nimium fabulosa uideatur. intende templis ac delubris deorum, quibus Romana ciuitas et protegitur et ornatur: magis sunt augusta numinibus incolis, praesentibus, inquilinis quam cultu, insignibus et muneribus opulenta. inde adeo pleni et mixti deo uates futura praecerpunt, dant cautelam

periculis, morbis medellam, spem adflictis, opem miseris, solacium calamitatibus, laboribus leuamentum. etiam per quietem deos uidemus, audimus, agnoscimus, quos impie per diem negamus, nolumus, peieramus. [l. c. p. 10.]

Cap. 8. Itaque cum omnium gentium de dis inmortalibus, quamuis incerta sit uel ratio uel origo, maneat tamen firma consensio, neminem fero tanta audacia tamque inreligiosa nescio qua prudentia tumescentem, qui hanc religionem tam uetustam, *tam* utilem, tam salubrem dissoluere aut infirmare nitatur. sit licet ille Theodorus Cyrenaeus, uel qui prior Diagoras Melius, cui atheon cognomen adposuit antiquitas, qui uterque nullos deos adseuerando timorem omnem, quo humanitas regitur, uenerationemque penitus sustulerunt: numquam tamen in hac inpietatis disciplina simulatae philosophiae nomine atque auctoritate pollebunt. cum Abderiten Protagoram Athenienses uiri consulte potius quam profane de diuinitate disputantem et expulerint suis finibus et in contione eius scripta deusserint, quid homines (sustinebitis enim me impetum susceptae actionis liberius exerentem) homines, inquam, deploratae, inlicitae ac desperatae factionis grassari in deos non ingemescendum est? qui de ultima faece collectis imperitioribus et mulieribus credulis sexus sui facilitate labentibus plebem profanae coniurationis instituunt, quae nocturnis congregationibus et ieiuniis sollemnibus et inhumanis cibis non sacro quodam, sed piaculo foederatur, latebrosa et lucifuga natio, in publicum muta, in angulis garrula: templa ut busta despiciunt, deos despuunt, rident sacra, miserentur miseri *ipsi,* si fas est, sacerdotum, honores et purpuras despiciunt, ipsi seminudi, pro mira stultitia et incredibilis audacia! spernunt tormenta praesentia, dum incerta metuunt et futura, et dum mori post mortem timent, interim mori non timent: ita illis pauorem fallax spes solacio rediuiuo blanditur. [l c. pag. 11.]

Cap. 9. Ac iam, ut fecundius nequiora proueniunt, serpentibus in dies perditis moribus per uniuersum orbem sacraria ista taeterrima impiae coitionis adolescunt. eruenda prorsus haec et execranda consensio. occultis se notis et insignibus noscunt et amant mutuo paene antequam nouerint: passim etiam inter eos uelut quadam libidinum religio miscetur: ac se promisce appellant fratres et sorores, ut etiam non insolens stuprum intercessione sacri nominis fiat incestum. ita eorum uana et demens superstitio sceleribus gloriatur. nec de ipsis, nisi subsisteret ueritas, maxime nefaria et honore praefanda sagax fama loqueretur. audio eos turpissimae pecudis caput [asini] consecratum inepta nescio qua persuasione uenerari: digna et nata religio talibus moribus! alii eos ferunt ipsius antistitis ac sacerdotis colere genitalia et quasi parentis sui adorare naturam: nescio an falsa, certe occultis ac nocturnis sacris adposita suspicio: et qui hominem summo supplicio pro facinore punitum et crucis ligna feralia eorum caerimonias fabulatur, congruentia perditis sceleratisque tribuit altaria, ut id colant quod merentur. iam de initiandis tirunculis fabula tam detestanda quam nota est.

infans farre contectus, ut decipiat incautos, adponitur ei qui sacris inbuatur. is infans a tirunculo farris superficie quasi ad innoxios ictus prouocato caecis occultisque uulneribus occiditur. huius, pro nefas! sitienter sanguinem lambunt, huius certatim membra dispertiunt, hac foederantur hostia, hac conscientia sceleris ad silentium mutuum pignerantur. haec sacra sacrilegiis omnibus taetriora. et de conuiuio notum est; passim omnes locuntur, id etiam Cirtensis nostri testatur oratio. ad epulas sollemni die coeunt cum omnibus liberis, sororibus, matribus, sexus omnis homines et omnis aetatis. illic post multas epulas, ubi conuiuium caluit et incestae libidinis ebriatis feruor exarsit, canis, qui candelabro nexus est, iacta offulae ultra spatium lineae, qua uinctus est, ad impetum et saltum prouocatur. sic euerso et extincto conscio lumine inpudentibus tenebris nexus infandae cupiditatatis inuoluunt per incertum sortis, etsi non omnes opera, conscientia tamen pariter incesti, quoniam uoto uniuersorum adpetitur quicquid accidere potest in actu singulorum. [l. c. pag. 12.]

Cap. 10. Multa praetereo consulto: nam et haec nimis multa sunt, quae aut omnia aut pleraque [omnium] uera declarat ipsius prauae religionis obscuritas. cur etenim occultare et abscondere quicquid illud colunt magnopere nituntur, cum honesta semper publico gaudeant, scelera secreta sint? cur nullas aras habent, templa nulla, nulla nota simulacra, numquam palam loqui, numquam libere congregari, nisi illud, quod colunt et interprimunt, aut puniendum est aut pudendum? unde autem uel quis ille aut ubi deus unicus, solitarius, destitutus, quem non gens libera, non regna, non saltem Romana superstitio nouerunt? Iudaeorum sola et misera gentilitas unum et ipsi deum, sed palam, sed templis, aris, uictimis caerimoniisque coluerunt, cuius adeo nulla uis nec potestas est, ut sit Romanis numinibus cum sua sibi natione captiuus. at iam Christiani quanta monstra, quae portenta confingunt! Deum illum suum, quem nec ostendere possunt nec uidere, in omnium mores, actus omnium, uerba denique et occultas cogitationes diligenter inquirere: discurrentem scilicet atque ubique praesentem molestum illum uolunt, inquietum, inpudenter etiam curiosum, siquidem adstat factis omnibus, locis omnibus intererrat, cum nec singulis inseruire possit per uniuersa districtus nec uniuersis sufficere in singulis occupatus. [l. c. pag. 14.]

Cap. 11. Quid? quod toto orbi et ipsi mundo cum sideribus suis minantur incendium, ruinam moliuntur, quasi aut naturae diuinis legibus constitutus aeternus ordo turbetur aut rupto elementorum omnium foedere et caelesti conpage diuisa moles ista, qua continetur et cingitur, subruatur. nec hac furiosa opinione contenti aniles fabulas adstruunt et adnectunt: renasci se ferunt post mortem et cineres et fauillas et nescio qua fiducia mendaciis suis inuicem credunt: putes eos iam reuixisse. anceps malum et gemina dimentia, caelo et astris, quae sic relinquimus, ut inuenimus, in-

teritum denuntiare, sibi mortuis *et* extinctis, qui sicut nascimur et interimus, aeternitatem repromittere! inde uidelicet et execrantur rogos et damnant ignium sepulturas, quasi non omne corpus, etsi flammis subtrahatur, annis tamen et aetatibus in terram resoluatur, nec intersit, utrum ferae diripiant an maria consumant an humus contegat an flamma subducat, cum cadaueribus omnis sepultura, si sentiunt, poena sit, si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate medicina. hoc errore decepti beatam sibi ut bonis et perpetem uitam mortuis pollicentur, ceteris ut iniustis poenam sempiternam. multa ad haec subpetunt, ni festinet oratio. iniustos ipsos magis nec laboro, iam docui: quamquam, etsi iustos darem, culpam tamen uel innocentiam fato tribui sententia est plurimorum, etiam uestra consensio est. nam quicquid agimus, ut alii fato, ita uos deo addicitis: sic sectae uestrae non spontaneos cupere, sed electos. igitur iniquum iudicem fingitis qui sortem in hominibus puniat, non uoluntatem. uellem tamen sciscitari, utrumne cum corporibus *an sine corporibus*, et corporibus quibus, ipsisne an innouatis resurgatur? sine corpore? hoc, quod sciam, neque mens neque anima nec uita est. ipso corpore? sed iam ante dilapsum est. alio corpore? ergo homo nouus nascitur, non prior ille reparatur. et tamen tanta aetas abiit, saecula innumera fluxerunt: quis unus ullus ab inferis uel Protesilai sorte remeauit, horarum saltem ** permisso commeatu, uel ut exemplo crederemus? omnia ista figmenta male sanae opinionis et inepta solacia a poetis fallacibus in dulcedinem carminis lusa a uobis nimium credulis in deum uestrum turpiter reformata sunt. [l. c. pag. 15]

18. ORIGENES.

* Migne, *Patr. Graeca.* T. VI. col. 927 seq. Koetschau, *Die griechischen christlichen Schriftsteller der ersten drei Jahrhundert: Origenes.* 1—2, Leipzig 1899. Idem, *Die Überlieferung der Bücher des Origenes gegen Celsus (Texte u. Unters.* VI. 1). Leipzig 1889. Kreppel, *Origène.* Paris 1886³. Boehringer, *Die griechischen Väter des 3. u. 4. Jahrh.* I. *Clemens u. Origenes.* Zürich 1869. Aubè, *Hist. des persèc.* II. *La polémique à la fin du II. siècle.* Keim, *Celsus wahres Wort.* Zürich 1873. Pelegaud, *Celse.* Paris 1879. Patrick, *The Apology of Origen in reply to Celsus.* London 1892. Muth, *Der Kampf des heidn. Philosophen Celsus gegen das Christenthum.* Mainz 1899. Bigelmair, *Betheiligung der Christen etc.* 85, 101, 110, 135, 170. Harnack, *Altchr. Lit.* I, 403—405; 835—842. Bardenhewer, § 49.

Κατὰ Κέλσου.

III. 7. Ὁμοίως δὲ ψεῦδος τὸ, «Αἰγυπτίους ὄντας ἀπὸ στάσεως τὴν ἀρχὴν εἰληφέναι τοὺς Ἑβραίους»· καὶ τὸ· «Ἰουδαίους ὄντας ἄλλους κατὰ τοὺς Ἰησοῦ χρόνους ἐστασιακέναι πρὸς τὸ κοινὸν τῶν Ἰουδαίων, καὶ τῷ Ἰησοῦ κατηκολουθηκέναι».

Contra Celsum.

III. 7. Ut autem falsum est «Hebraeos, cum Aegyptii genere essent, debere seditioni suae societatis initium»; ita nec id quoque verum, «Judaeos alios Jesu aetate seditionem contra commune Judaeorum conscivisse et Jesum fuisse consectatos». Nihil

Οὐδὲν γὰρ στάσεως ἔργον ἐπιδεῖξαι Χριστιανῶν ὁ Κέλσος, ἢ οἱ ὁμονοοῦντες αὐτῷ δυνήσονται· Καίτοιγε εἰ στάσις ἦν τῆς συστάσεως Χριστιανοῖς ἡ αἰτία, τὴν ἀρχὴν ἀπὸ Ἰουδαίων εἰληφόσιν, οἷς ἐξῆν καὶ ὅπλα ὑπέρ τῶν οἰκείων ἀναλαβεῖν καὶ πολεμίους ἀναιρεῖν· οὐκ ἂν ὁ νομοθέτης Χριστιανῶν πάντη ἀνείρεσιν ἀνθρώπου ἀπηγόρευε, μήποτε δίκαιον εἶναι διδάσκων τὸ κατ' ἀνθρώπου τόλμημα τῶν ἑαυτοῦ μαθητῶν, κἂν ἀδικώτατος ἐκεῖνος ᾖ· οὐ γὰρ πρέπειν ἡγεῖτο τῇ ἐνθέῳ ἑαυτοῦ νομοθεσίᾳ τὸ συγχωρεῖν ὁποιανδήποτε ἀνθρώπου ἀναίρεσιν· οὔτ' ἂν Χριστιανοί, οἱ ἀπὸ στάσεως ἀρξάμενοι, τοὺς ἐπὶ τοσοῦτον ἡμέρους προσήκαντο νόμους, δι' ὧν ὡς πρόβατα μὲν ἀναιρεῖσθαι αὐτοῖς ἐγίγνετο, μηδέποτε δὲ ἀμύνασθαι οἷοί τ' ἦσαν τοὺς διώκοντας. Καίτοιγε βαθύτερον ἐξετάζοντα τὰ πράγματα, ἔστιν εἰπεῖν περὶ μὲν τῶν ἐξεληλυθότων ἐκ γῆς Αἰγύπτου, ὅτι παραδόξως ὁ πᾶς λεὼς οἱονεὶ θεοδώρητον διάλεκτον ἀθρόως ἀνείληφε τὴν καλουμένην Ἑβραίαν· ὡς καὶ τῶν παρ' αὐτοῖς τις εἶπε προφητῶν, ὅτι «Ἐν τῷ ἐξελθεῖν αὐτοὺς ἐκ γῆς Αἰγύπτου γλῶσσαν, ἣν οὐκ ἔγνω, ἤκουσαν».

enim a Christianis seditiose factum ostendere potuerint aut Celsus, aut qui eadem cum illo sentiunt. Et vero si seditio locum dedisset Christianorum societati qui suam traxere originem a Judaeis, quibus licebat armis sua defendere et adversarios occidere; certe Christianorum legislator non prohibuisset omnino ullam hominis occisionem; nec docuisset vim homini nunquam juste a suis discipulis inferri posse, quamvis injustissimo; indecorum enim putabat divinis suis legibus permitti caedem hominis, qualiscunque tandem illa esset: neque etiam Christiani suam a seditione ducentes originem leges admisissent ita pacificas, ut propter eas factum fuerit ut veluti oves interficerentur, nec per eas liceret de persecutoribus sumere supplicium. Sed et qui rem scrutari altius voluerit, is dicere poterit non sine miraculo contigisse, ut qui ex Aegypto exibant, statim et quasi Deus inspirasset, linguam usurparent quae Hebraica vocitatur. Quo pertinet istud unius ex eorum prophetis: «Cum exirent de terra Aegypti eos, quam non noverant linguam, audivisse. (Psal. LXXX. 6.)» [l. c. Col. 927—30.]

VIII. 65. Ἡμῖν μέντοι γε καταφρονητέον ἐξευμενισμοῦ ἀνθρώπων καὶ βασιλέων, οὐ μόνον ἐὰν διὰ μιαιφονιῶν, καὶ ἀσελγειῶν, καὶ ὠμοτάτων πράξεων ἐξευμενιζώμεθα αὐτούς, ἀλλὰ καὶ ἐὰν διὰ τῆς εἰς τὸν Θεὸν τῶν ὅλων ἀσεβείας, ἤ τινος μετὰ δουλοπρεπείας καὶ ταπεινότητος φονῆς, ἀλλοτρίας ἀνδρείων καὶ μεγαλοψύχων ἀνδρῶν, καὶ τὴν

VIII. 65. Quod ad hominum regumque favorem attinet, is etiam nobis contemnendus est, non solum si caedibus, spurcitiis saevisque facinoribus, sed etiam si impietate erga universorum Deum, vel servili obsequio et vili adulatione comparatur. Nihil enim indignius viris generosis et magnanimis quique fortitudinem, ut virtutem maximam, caeteris suis virtu-

καρτερίαν ὡς μεγίστην ἀρετὴν συναναλαβεῖν ταῖς ἄλλαις ἐθελόντων. Ἔνθα μέντοι, οὐδὲν ἐναντίον πράττομεν νόμῳ καὶ λόγῳ Θεοῦ, οὐ μεμήναμεν, οὐδ' ὁρμῶμεν καθ' ἑαυτῶν ἐγείρειν βασιλέως ἢ δυνάστου θυμὸν, ἐπὶ αἰκίας καὶ βασανιστήρια, ἢ καὶ θανάτους ἡμᾶς φέροντα. Ἀνέγνωμεν γὰρ καὶ τό· «Πᾶσα ψυχὴ ἐξουσίαις ὑπερεχούσαις ὑποτασσέσθω· οὐ γάρ ἐστιν ἐξουσία, εἰ μὴ ἀπὸ Θεοῦ· αἱ δὲ οὖσαι ἐξουσίαι, ὑπὸ τοῦ Θεοῦ τεταγμέναι εἰσίν· ὥστε οἱ ἀνθεστηκότες τῇ ἐξουσίᾳ, τῇ τοῦ Θεοῦ διαταγῇ ἀνθίστανται». Ἐν μέντοι γε τοῖς εἰς τὴν πρὸς Ῥωμαίους Ἐξηγητικοῖς, ὡς δυνατὸν ἦν ἡμῖν, ἐπὶ πλεῖον καὶ ταῦτα τὰ ῥήματα ποικίλως ἐξητάσαμεν· νῦν δ' αὐτὰ εἰς τὸ προκείμενον ἁπλούστερον, κατὰ τὴν κοινοτέραν ἐκδοχὴν, παρειλήφαμεν· ἐπείπερ φησὶν ὁ Κέλσος· «Οὐκ ἄνευ δαιμονίας ἰσχύος τῶν τῇδε εἶναι ἠξιωμένους». Καὶ ἐπεὶ πολὺς ἦν ὁ λόγος ὁ περὶ τῆς τῶν βασιλευόντων καὶ δυναστῶν καταστάσεως· πολλῆς ζητήσεως οὔσης κατὰ τὸν τόπον, διὰ τοὺς ὠμότερον καὶ τυραννικώτερον ἄρξαντας, ἢ τοὺς ἐκ τοῦ ἄρχειν ἐπὶ θρύψιν καὶ τρυφὴν ἐξοκείλαντας· διὰ τοῦτο ἐπὶ τοῦ παρόντος τὸ πρόβλημα ἐξετάσαι ὑπερεθέμεθα. Τύχην μέντοι βασιλέως οὐκ ὄμνυμεν, ὡς οὐδ' ἄλλον νομιζόμενον Θεόν· εἴτε γὰρ, ὡς ὠνόμασάν τινες, ἐκφορὰ μόνον ἐστὶν ἡ τύχη, ὁμοίως «δοκήσει καὶ διαστάσει·» οὐκ ὄμνυμεν τὸ μηδαμῶς ὂν ὡς Θεὸν, ἢ ὅλως ὑφεστηκὸς καὶ δυνάμενόν τι ποιῆσαι, ἵνα μὴ τὴν ὁμοτικὴν δύναμιν εἰς ἃ μὴ δεῖ παραλαμβάνωμεν. εἴτε καὶ (ὥς τισιν

tibus adjungere student. Verum ubi nihil a nobis exigitur legi et verbo Dei contrarium, non ea nostra insania, ut contra nos ipsos regis aut dynastae iram concitemus, unde contumeliae, supplicia morsque contingeret. Legimus enim: *Omnis anima potestatibus praecellentibus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo; quae autem sunt potestates, a Deo ordinatae sunt; itaque qui potestati resistunt, Dei ordinationi resistunt.* (Rom. XIII. 12.) Quae verba in nostris in Epistolam ad Romanos commentariis, pluribus in varium sensum pro viribus interpretati sumus; sed impraesentiarum simpliciori vulgariorique intellectu accepimus, idque ea causa, quod Celsus dixerint *non sine daemonum potestate reges ad hanc evectos fuisse dignitatem.* Hic plurima dicenda essent de regum et dynastarum constitutione: magna enim quaestio est, propterea quod sunt qui crudele et tyrannicum imperium exerceant, aut quibus imperium est voluptatibus deliciisque se ingurgitandi occasio. Quare in praesens huius quaestionis consideratione supersedemus. Verum per fortunam regis non juramus, neque per alium ex iis qui dii putantur. Sive enim, ut nonnullis placuit, fortuna sit nuda enuntiatio, quemadmodum *opinio* et *discrepantia;* non juramus per id quod nequaquam exsistit tanquam per Deum, aut quasi per id quod revera exsistit et aliquid potest, ne per ea, per quae non oportet, juremus: sive id quod vocatur fortuna in daemonum numero reponatur, quod quibusdam visum est, aientibus per imperatoris

ἔδοξεν, εἰποῦσι· Τοῦ Ῥωμαίων βασιλέως τὸν δαίμονα ὄμνυσιν οἱ τὴν τύχην αὐτοῦ ὀμνύοντες) δαιμόνων ἐστὶν ἡ ὀνομαζομένη τύχη τοῦ βασιλέως· καὶ οὕτως ἀποθανητέον ἐστὶ μᾶλλον ἡμῖν ὑπὲρ τοῦ μὴ ὀμόσαι μοχθηρὸν δαίμονα καὶ ἄπιστον, πολλάκις συνεξαμαρτάνοντα ᾧ ἔλαχεν ἀνθρώπῳ, ἢ καὶ πλέον αὐτοῦ ἁμαρτάνοντα.

VIII. 73. Εἶθ' ἑξῆς προτρέπεται ἡμᾶς ὁ Κέλσος «ἀρήγειν τῷ βασιλεῖ παντὶ σθένει, καὶ συμπονεῖν αὐτῷ τὰ δίκαια, καὶ ὑπερμαχεῖν αὐτοῦ, καὶ συστρατεύειν αὐτῷ, ἂν ἐπείγῃ, καὶ συστρατηγεῖν». Λεκτέον δὲ καὶ πρὸς ταῦτα, ὅτι ἀρήγομεν κατὰ καιρὸν τοῖς βασιλεῦσι θείαν, ἵν' οὕτως εἴπω, ἄρηξιν, καὶ «πανοπλίαν ἀναλαμβάνοντες Θεοῦ». Καὶ ταῦτα ποιοῦμεν, πειθόμενοι ἀποστολικῇ φωνῇ, λεγούσῃ· «Παρακαλῶ οὖν ὑμᾶς πρῶτον ποιεῖσθαι δεήσεις, προσευχάς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας, ὑπὲρ πάντων ἀνθρώπων ὑπὲρ βασιλέων, καὶ πάντων τῶν ἐν ὑπεροχῇ ὄντων»· καὶ ὅσῳ γέ τις εὐσεβέστερός ἐστιν, τοσούτῳ ἀνυτικώτερος ἐν τῷ ἀρήγειν τοῖς βασιλεύουσι παρὰ τοὺς εἰς τὰς παρατάξεις ἐξιόντας στρατιώτας, καὶ ἀναιροῦντας οὓς ἂν δύνωνται τῶν πολεμίων. Εἶτα δὲ καὶ ταῦτ' εἴποιμεν ἂν πρὸς τοὺς ἀλλοτρίους τῆς πίστεως, καὶ ἀξιοῦντας ἡμᾶς στρατεύεσθαι ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ, καὶ ἀνθρώπους ἀναιρεῖν· ὅτι καὶ οἱ καθ' ὑμᾶς ἱερεῖς ἀγαλμάτων τινῶν, καὶ νεωκόροι ὧν νομίζετε θεῶν, τηροῦσιν ἑαυτῶν ἀμίαντον τὴν δεξιὰν διὰ τὰς θυσίας, ἵν' ἀναιμάκτοις χερσὶ καὶ καθαραῖς ἀπὸ φόνων, προσάγωσι τὰς νενο-

Romani daemonem jurari, cum per ejus fortunam juratur; et hoc modo mori nobis potius est, quam jurare per malum et perfidum daemonem, qui persaepe cum homine peccat quem sortitus est, aut etiam plus eo peccat. [l. c. Col. 1613—16.]

VIII. 73. Deinde nos Celsus hortatur *ut regi totis viribus opem feramus, in justorum ejus laborum partem veniamus, arma pro illo capiamus, et, si ita postulat, sub illo militemus, et cum illo ducamus exercitum.* Ad haec dicendum, regis nos in loco suppetias ferre, sed divinas, ut ita loquar, *indutos armatura Dei* (Ephes. VI. 11.) idque facimus huic apostolicae voci obtemperantes: *Obsecro igitur primum fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus et omnibus qui in sublimitate sunt* (1. Tim. II. 12.), et quo quis magis pietate praestat, eo validius auxilium regibus fert, plusque facit quam euntes in aciem milites, qui hostes, quotquot possunt, interficiunt. Praeterea ad eos qui a nostra fide alieni postulant ut arma publicae utilitatis causa sumamus, et homines trucidemus, haec possumus respondere: Quos apud vos habetis simulacrorum quorumdam sacerdotes et vestrorum deorum aedituos, suas illi manus incruentas servant, ut ne sanguinolentis et caede pollutis manibus diis vestris victimas offerant: unde nec instante bello illos dare militiae nomen jubetis. Id si jure fit, quanto magis cum et

μισμένας θυσίας οἷς φατε θεοῖς καὶ οὐ δήπου, πολέμου καταλαβόντος, καὶ τοὺς ἱερεῖς στρατεύετε. Εἰ οὖν τοῦτ' εὐλόγως γίνεται, πόσῳ μᾶλλον, ἄλλων στρατευομένων, καὶ οὗτοι στρατεύονται ὡς ἱερεῖς τοῦ Θεοῦ καὶ θεραπευταί· καθαρὰς μὲν τηροῦντες τὰς δεξιάς, ἀγωνιζόμενοι δὲ διὰ τῶν πρὸς Θεὸν εὐχῶν, ὑπὲρ τῶν δικαίως στρατευομένων, καὶ ὑπὲρ τοῦ δικαίως βασιλεύοντος, ἵνα τὰ ἐναντία πάντα, καὶ ἐχθρὰ τοῖς δικαίως πράττουσι καθαιρεθῇ. Ἡμεῖς δὲ καὶ ταῖς εὐχαῖς πάντας δαίμονας, τοὺς ἐγείροντας τὰ πολεμικὰ καὶ ὅρκους συγχέοντας, καὶ τὴν εἰρήνην ταράσσοντας, καθαιροῦντες, μᾶλλον βοηθοῦμεν τοῖς βασιλεύουσιν, ἤπερ οἱ δοκοῦντες στρατεύεσθαι. Συμπονοῦμεν δὲ τοῖς κοινοῖς πράγμασιν, οἱ μετὰ δικαιοσύνης ἀναφέροντες προσευχὰς σὺν ἀσκήσεσι καὶ μελέταις διδασκούσαις καταφρονεῖν ἡδονῶν, καὶ μὴ ἄγεσθαι ὑπ' αὐτῶν. Ἡμεῖς καὶ μᾶλλον ὑπερμαχοῦμεν τοῦ βασιλέως· καὶ οὐ συστρατευόμεθα μὲν αὐτῷ, κἂν ἐπείγῃ· στρατευόμεθα δὲ ὑπὲρ αὐτοῦ, ἴδιον στρατόπεδον εὐσεβείας συγκροτοῦντες διὰ τῶν πρὸς τὸ Θεῖον ἐντεύξεων.

isti, aliis bellum gerentibus, militant, ut Dei sacerdotes et ministri, intaminatas quidem servantes manus, decertantes vero fusis ad Deum precibus pro iis qui juste belligerantur, et pro eo qui juste regnat, ut quidquid contrarium et inimicum est juste facientibus, profligetur. Sic etiam cum daemones, qui bella suscitant et ad foedera violanda impellunt pacemque perturbant, precibus profligamus, magis auxilio sumus regnantibus, quam qui gestare arma videntur. In laborum quoque societatem reipublicae causa venimus, dum justis precibus adjungimus exercitia et meditationes, quae docent aspernari voluptates et eis nos non tradere. Sed et plus caeteris pro imperatore pugnamus. Non equidem sub illo militamus, etiamsi nos ad id cogeret; sed pro illo militamus, cum seorsim pietatis castra fusis ad Deum precibus collocamus. [l. c. Col. 1625—1628.]

19. ACTA MARTYRUM SCILLITANORUM.

* Robison, *Text and Studies. Contributions to biblical and patristic literature.* Cambridge 1891. pag. 112 sq. Usener, *Index scholarum der Universität Bonn für das Sommersemester 1881.* pag. 5 sq. v. Gebhardt, *Acta Martyrum selecta.* Berlin 1902. pag. 22—27. Aubé, *Études sur un nouveau texte des Actes des Martyrs Scillitains.* Paris 1881. Conrat, *Christenverfolgungen.* pag. 6. adn. 5.

Μαρτύριον τοῦ ἁγίου καὶ καλλινίκου μάρτυρος Σπεράτου.

Ἐπὶ Πέρσαντος τὸ δεύτερον καὶ Κλαυδιανοῦ τῶν ὑπάτων, πρὸ ις' καλανδῶν Αὐγούστων, ὅπερ ἐστὶν

Passio Sanctorum Scillitanorum.

1. Praesente bis et Claudiano consulibus, XVI. kalendas Augustas Karthagine in secretario inpositis Sperato,

Ἰουλίῳ ιζ', ἐν τῷ κατὰ Καρθαγένναν βουλευτηρίῳ ἤχθησαν παραστάσιμοι Σπερᾶτος, Νάρτζαλλος καὶ Κιττῖνος, Δονᾶτα, Σεκούνδα καὶ Ἑστία. πρὸς οὓς Σατουρνῖνος ὁ ἀνθύπατός φησιν· Ἐδύνασθε παρὰ τοῦ ἡμῶν αὐτοκράτορος συγχωρήσεως ἀξιωθῆναι, ἐὰν ἄρα σώφρονα λογισμὸν ἀνακαλέσησθε. ὁ δὲ ἅγιος Σπερᾶτος ἀπεκρίνατο λέγων· Οὐδέποτε ἐκακουργήσαμεν, οὐδέποτε κατηρασάμεθα, ἀλλὰ μὴν καὶ κακῶς δεχθέντες εὐχαριστοῦμεν, ἐπειδὴ τῷ θεῷ ἡμῶν καὶ βασιλεῖ δουλεύομεν. Σατουρνῖνος ὁ ἀνθύπατος ἔφη· Ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς θρησκεύομεν, καὶ ἁπλὴ ἡ καθ' ἡμᾶς θρησκεία καθέστηκεν· καὶ δὴ ὀμνύομεν κατὰ τῆς συμπεφυκυίας εὐδαιμονίας τοῦ δεσπότου ἡμῶν βασιλέως, καὶ ὑπὲρ τῆς αὐτοῦ σωτηρίας ἱκετεύομεν· ὃ καὶ ὑμᾶς ὡσαύτως χρὴ ποιεῖν. ὁ δὲ ἅγιος Σπερᾶτος εἶπεν· Ἐὰν γαληνιώσας μοι τὰς σὰς ἀκοὰς παράσχῃς, ἐρῶ τὸ τῆς ἀληθοῦς ἁπλότητος μυστήριον. Σατουρνῖνος ὁ ἀνθύπατος ἔφη· Ἐναρξαμένῳ σοι πονηρὰ λέγειν κατὰ τῶν ἡμετέρων ἱερῶν τὰς ἀκοάς μου οὐ προσθήσω· ἀλλ' ὀμόσατε μᾶλλον κατὰ τῆς εὐδαιμονίας τοῦ δεσπότου ἡμῶν αὐτοκράτορος. ὁ ἅγιος Σπερᾶτος λέγει· Ἐγὼ τὴν βασιλείαν τοῦ νῦν αἰῶνος οὐ γινώσκω, αἰνῶ δὲ καὶ λατρεύω τῷ ἐμῷ θεῷ, ὃν οὐδεὶς τῶν ἀνθρώπων τεθέαται· οὐδὲ γὰρ οἷόν τε τούτοις τοῖς αἰσθητοῖς ὄμμασι. κλοπὴν οὐ πεποίηκα· ἀλλ' εἴ τι καὶ πράσσω, τὸ τέλος ἀποτίνυμι, ὅτι ἐπιγινώσκω τὸν κύριον ἡμῶν καὶ βασιλέα τῶν βασιλέων καὶ δεσπότην πάντων τῶν ἐθνῶν. Σατουρνῖ-

Nartzalo et Cittino, Donata, Secunda, Vestia, Saturninus proconsul dixit: Potestis indulgentiam domini nostri imperatoris promereri si ad bonam mentem redeatis.

2. Speratus dixit: Numquam malefecimus, iniquitati nullam operam praebuimus; numquam maledximus, sed male accepti gratias egimus, propter quod imperatorem nostrum obseruamus.

3. Saturninus proconsul dixit: Et nos religiosi sumus, et simplex est religio nostra, et iuramus per genium domini nostri imperatoris et pro salute eius supplicamus; quod et uos quoque facere debetis.

4. Speratus dixit: Si tranquillas praebueris aures tuas, dico mysterium simplicitatis.

5. Saturninus proconsul dixit: Initianti tibi mala de sacris nostris aures non praebebo; sed potius iurate per genium domini nostri imperatoris.

6. Speratus dixit: Ego imperium huius saeculi non cognosco, sed magis illi deo seruio quem nemo hominum uidit nec uidere his oculis potest. furtum non feci; sed si quid emero theloneum reddo, quia cognosco dominum meum et imperatorem regum omnium gentium.

7. Saturninus proconsul dixit ceteris: Desinite huius esse persuasionis.

Speratus dixit: Mala est persuasio homicidium facere, falsum testimonium dicere.

8. Saturninus proconsul dixit: Nolite huius dementiae esse participes.

Cittinus dixit: Nos non habemus alium quem timeamus, nisi dominum deum nostrum qui est in caelis.

νος ὁ ἀνθύπατος ἔφη πρὸς τοὺς λοιπούς· Ἀπόστητε ἀπὸ τῆς ἀποδειχθείσης ταύτης πιθανότητος, ὁ ἅγιος Σπερᾶτος ἔφη. Ἐκείνη ἐστὶν ἐπισφαλὴς πιθανότης, τὸ ἀνδροφονίαν κατεργάζεσθαι ἢ ψευδομαρτυρίαν κατασκευάζειν. Σατουρνῖνος ὁ ἀνθύπατος εἶπεν· Μὴ βουληθῆτε τῆς τοσαύτης μανίας καὶ παραφροσύνης γενέσθαι ἢ δειχθῆναι συμμέτοχοι. ὁ δὲ ἅγιος Κιττῖνος ὑπολαβὼν ἀπεκρίνατο· Ἡμεῖς οὐκ ἔχομεν ἕτερον ὃν φοβηθῶμεν, εἰ μὴ κύριον τὸν θεὸν ἡμῶν τὸν ἐν τοῖς οὐρανοῖς κατοικοῦντα. ἡ δὲ ἁγία Δονᾶτα ἔφη· Τὴν μὲν τιμὴν τῷ Καίσαρι ὡς Καίσαρι, τὸν φόβον δὲ τῷ θεῷ ἡμῶν ἀποδίδομεν. ἡ δὲ ἁγία Ἑστία λέγει· Ἐγὼ Χριστιανὴ καθίσταμαι. ἔτι δὲ ἡ ἁγία Σεκούνδα ἔφη· Ὅπερ εἰμί, καὶ διαμεῖναι πορεύομαι. τότε Σατουρνῖνος ὁ ἀνθύπατος τῷ ἁγίῳ Σπεράτῳ εἶπεν· Ἐπιμένεις ὡσαύτως Χριστιανός; ὁ ἅγιος Σπερᾶτος εἶπεν· Χριστιανὸς ὑπάρχω. τὸ αὐτὸ δὲ καὶ οἱ λοιποὶ πάντες ἅγιοι εἶπαν· Σατουρνῖνος ὁ ἀνθύπατος ἔφη· Μὴ ἄρα πρὸς διάσκεψιν ἀναμονῆς χρήζετε; ὁ ἅγιος Σπερᾶτος ἔφη· Ἐν πράγματι οὕτως ἐγκρίτῳ οὐδεμία καθίσταται βουλὴ ἢ διάσκεψις. Σατουρνῖνος ὁ ἀνθύπατος ἔφη· Ποῖαι πραγματεῖαι ⟨ἐν⟩ τοῖς ὑμετέροις ἀπόκεινται σκεύεσιν; ὁ ἅγιος Σπερᾶτος εἶπεν· Αἱ καθ' ἡμᾶς βίβλοι καὶ αἱ πρὸς ἐπὶ τούτοις ἐπιστολαὶ Παύλου τοῦ ὁσίου ἀνδρός. Σατουρνῖνος ὁ ἀνθύπατος ἔφη· Προθεσμία τριάκοντα ἡμερῶν ὑμῖν ἔστω εἴ πως σωφρονήσητε. ὁ ἅγιος Σπερᾶτος παρ' αὐτὰ ἀπεκρίνατο· Χριστιανὸς ἀμετάθετος τυγχάνω· τοῦτο δὲ καὶ

9. Donata dixit: Honorem Caesari quasi Caesari, timorem autem deo.

Vestia dixit: Christiana sum.

Secunda dixit: Quod sum, ipsud uolo esse.

10. Saturninus proconsul Sperato dixit: Perseueras Christianus?

Speratus dixit: Christianus sum. et cum eo omnes consenserunt.

11. Saturninus proconsul dixit: Numquid ad deliberandum spatium uultis?

Speratus dixit: In re tam iusta nulla est deliberatio.

12. Saturninus proconsul dixit: Quae sunt res in capsa uestra?

Speratus dixit: Libri et epistulae Pauli uiri iusti.

13. Saturninus proconsul dixit: Moram XXX dierum habete et recordemini.

Speratus iterum dixit: Christianus sum. et cum eo omnes consenserunt.

14. Saturninus proconsul decretum ex tabella recitauit: Speratum, Nartzalum, Cittinum, Donatam, Vestiam, Secundam et ceteros ritu Christiano se uiuere confessos, quoniam oblata sibi facultate ad Romanorum morem redeundi obstinanter perseuerauerunt, gladio animaduerti placet.

15. Speratus dixit: Deo gratias agimus.

Nartzalus dixit: Hodie martyres in caelis sumus. deo gratias.

16. Saturninus proconsul per praeconem dici iussit: Speratum, Nartzalum, Cittinum, Veturium, Felicem, Aquilinum, Laetantium, Ianuariam, Generosam, Vestiam, Donatam, Secundam duci iussi.

17. Vniuersi dixerunt? Deo gra-

tias. et statim decollati sunt pro nomine Christi.

οἱ λοιποὶ ὁμοθυμαδὸν συναπεφθέγξαντο. τότε Σατουρνῖνος ὁ ἀνθύπατος τὴν περὶ αὐτῶν ψῆφον ἐξεφώνησεν οὕτω περιέχουσαν· Τὸν Σπερᾶτον, Νάρτζαλλον καὶ Κιττῖνον, Δονᾶτάν τε Ἑστίαν καὶ Σεκούνδαν καὶ τοὺς ἀφάντους, ὅσοι τῷ Χριστιανικῷ θεσμῷ ἑαυτοὺς κατεπηγγείλαντο πολιτεύεσθαι, ἐπεὶ καὶ χαρισθείσης αὐτοῖς προθεσμίας τοῦ πρὸς τὴν τῶν Ῥωμαίων ἐπανελθεῖν παράδοσιν ἀκλινεῖς τὴν γνώμην διέμειναν, ξίφει τούτους ἀναιρεθῆναι δέδοκται παρ' ἡμῖν. τότε τοίνυν ὁ ἀθλοφόρος τοῦ Χριστοῦ Σπερᾶτος ἐπαλλόμενος εὐχαριστίαν τῷ θεῷ ἡμῶν τῷ προσκεκληκότι αὐτοὺς εἰς τὸν ὑπὲρ αὐτοῦ θάνατον ἀνέπεμψεν. ὁ δὲ ἅγιος Νάρτζαλλος χαίρων εἶπεν· Σήμερον ἀληθῶς μάρτυρες ἐν οὐρανοῖς τυγχάνομεν εὐάρεστοι τῷ θεῷ. Τότε τοίνυν Σατουρνῖνος ὁ ἀνθύπατος διὰ τοῦ κήρυκος τὰ τῶν ἁγίων μαρτύρων ὀνόματα κηρυχθῆναι προσέταξεν, τουτέστι τὸν Σπερᾶτον, Νάρτζαλλον, Κιττῖνον, Οὐετούριον, Φήλικα, Ἀκουιλῖνον, Καιλεστῖνον, Ἰανουαρίαν, Γενερῶσαν, Ἑστίαν, Δονᾶταν καὶ Σεκούνδαν. τηνικαῦτα οὖν πάντες οἱ ἅγιοι τὸν θεὸν δοξολογοῦντες ὁμοφώνως ἔφασκον· Σοὶ εὐχαριστοῦμεν, τρισάγιε κύριε, καὶ σὲ μεγαλύνομεν, ὅτι τὸν ἀγῶνα τῆς ὁμολογίας ἵλεως ἐτελείωσας, καὶ διαμένει σου ἡ βασιλεία εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. ἀμήν. καὶ ἀναπεμψάντων αὐτῶν τὸ ἀμὴν ἐτελειώθησαν τῷ ξίφει, μηνὶ Ἰουλίῳ ιζ'. Ἦσαν οὖν ὁρμώμενοι οἱ ἅγιοι ἀπὸ Ἰσκλὴ τῆς Νουμιδίας, κατάκεινται δὲ πλησίον Καρθαγέννης μητροπόλεως· ἐμαρτύρησαν δὲ ἐπὶ Πέρσαντος καὶ Κλαυδιανοῦ τῶν ὑπάτων καὶ Σατουρνίνου ἀνθυπάτου, καθ' ἡμᾶς δὲ βασιλεύοντος τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· ᾧ πρέπει πᾶσα δόξα, τιμὴ καὶ προσκύνησις σὺν τῷ παναγίῳ καὶ ζωοποιῷ πνεύματι νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ἀμήν.

20. ACTA DISPUTATIONIS S. ACHATII.

* Ruinart, *Acta primorum martyrum sincera et selecta.* Amsterdam 1713[2]. pag. 152—155. v. Gebhart, *o. c.* pag. 115. Achelis, *Die Martyrologien, ihre Geschichte und ihr Wert.* Berlin 1900. Le Blant, *Les Actes de Martyrs,* in *Mémoires de l' Institut nat. de France. Acad. des Inscr. et Belles Lettres.* XXX. 2, (1883), 57—347. Bardenhewer, § 59.

Acta disputationis S. Achatii.

I. Quotienscumque seruorum dei gloriosa facta memoramus, illi referimus gratiam qui et patientem tuetur in poena et uictorem coronat in gloria. 2. Martianus itaque consularis a Decio imperatore praefectus, Christianae legis inimicus, Achatium ad se iussit adduci, quem scutum quoddam ac refugium illius religionis audierat, et eo introducto ad se ait: Debes amare principes nostros, homo Romanis legibus uiuens. 3. respondit Achatius: Et cui magis cordi est uel a quo sic diligitur imperator, quemadmodum ab hominihus Christianis? assidua enim nobis est pro eo ac iugis oratio, ut prolixum

aeuum in hac luce conficiat ac iusta populos potestate moderetur et pacatum maxime imperii sui tempus accipiat; deinde pro salute militum et pro statu mundi et orbis. 4. Martianus ait: Haec et ipse collaudo; sed ut obsequium tuum plenius imperator agnoscat, sacrificium illi solue nobiscum. 5. Achatius dixit: Ego dominum meum, qui est uerus et magnus, pro salute regis obtestor, sacrificium uero nec ille exigere, nec nos debemus exsoluere. quis enim homini sacra persoluat? 6. Martianus ait: Responde, cui deo precem fundis? ut ipsi etiam nos sacra reddamus. Achatius dixit: Ego deum meum opto te scire quod prosit et deum qui est uerus agnoscere. 7. Martianus ait: Nomen eius mihi enuntia. Achatius dixit: Deus Abraham, deus Isaac et deus Iacob. 8. Martianus ait: Deorum ista sunt nomina? Achatius respondit: Non isti, sed qui locutus est istis, ille est deus uerus, illum timere debemus. 9. Martianus ait: Quis est iste? respondit Achatius: Altissimus Adonai, sedens super cherubim et seraphim. 10. Martianus ait: Quid est seraphim? cui Achatius: Altissimi dei minister et excelsae sedis antistes.

II. Martianus ait: Quae te philosophiae disputatio uana decepit? sperne inuisibilia; potius deos ueros quos aspicis recognosce. respondit Achatius: Qui sunt dii quibus sacrificare me praecipis? 2. Martianus ait: Apollini seruatori nostro, famis et pestilentiae depulsori, per quem omnis mundus seruatur et regitur. 3. respondit Achatius: Illi uestro, ut putatis, interpreti? qui infelix cum puellae amore flagraret currebat attonitus, ignarus perditurum se optatissimam praedam. apertum est itaque quia nec diuinus fuit qui ista nesciuit, nec deus quem puella decepit. 4. nec hic solum dolores excepit, sed crudeliori illum damno mox fortuna multauit. nam ut erat turpis in pueros, forma Hyacinthi cuiusdam captus, ut bene nostis, incaluit et miser atque ignarus futuri disco illum quem optabat uidere occidit. 5. ipsi qui cum Neptuno aliquando seruiuit, ipsi qui aliena pecora seruauit, huic sacrificare me praecipis? an Aesculapio fulminato, an adulterae Veneri et portentis ceteris sacrificium impendam? 6. uel ob huius uitae exitum adorabo ego eos quos non dignor imitari? quos contemno, quos accuso, quos horreo; quorum facta nunc si quis admittat, num seueritatem legis uestrae poterit effugere? et modo in aliis colitis quae in aliis uindicatis? 7. Martianus ait: Christianorum consuetudo est multa in deos nostros maledicta configere. propterea te uenire mecum ad Iouem Iunonemque praecipio, ut simul celebrantes dulce conuiuium numinibus quae sunt digna reddamus. 8. respondit Achatius: Quomodo hic sacrificabo illi cuius sepulcrum esse constat in Creta? numquid resurrexit a mortuis?

III. Martianus ait: Aut sacrificia, aut morere. respondit Achatius: Haec et Dalmatae faciunt, latrocinandi arte callentes: ubi angustias uiarum et secreta itineris loca obsederint ad necandum, uenantur singulos transeuntes, et ubi quisque uiator illuc pedem tulerit, hac pactione constringitur ut aut pecuniam relinquat aut uitam. nemo itaque ibi quid sit rationis in-

terrogat, sed quid possit ille qui cogit. 2. similis est tua sententia, qui aut iniusta impleri praecipis, aut minaris exitium. nihil formido, nihil timeo. ius publicum punit scortatorem, adulterum, furem, corruptorem sexus uirilis, maleficum et homicidam. horum si reus sum, ante uocem tuam iam me ipse condemno; sin uero, eo quod deum qui est uerus colo, ducor ad poenam; non legis, sed iudicis uoluntate condemnor. 3. propheta clamat interminans: Non est qui anquirat deum; omne declinauerunt, simul inutiles facti sunt. ideo purgare te non potes. scriptum est enim: Omnis in quo iudicat, sic et iudicabitur. et iterum: Vt iudicas, sic et iudicaberis, et ut facis, sic et erit tibi. 4. Martianus ait: Ego non sum iussus iudicare, sed cogere. unde si contemseris, certus esto de poena. respondit Achatius: Et mihi praeceptum est ne quando deum meum negem. si seruis homini fragili atque carnali cito ab hoc saeculo recessuro, quem mox a uermibus scis edendum, quanto magis ego potentissimo deo obedire debeo, cuius uirtus constat in saecula? et cuius illud est dictum: Qui me denegauerit coram hominibus, et ego denegabo eum coram patre meo, qui est in caelis, cum uenero in gloria et uirtute praedicta iudicare uiuos et mortuos.

IV. Martianus ait: Quod discere semper optabam, repente confessus es errorem uestrae persuasionis et legis. habet ergo, ut dicis, filium deus? respondit Achatius: Habet. 2. Martianus ait: Quis est filius dei? respondit Achatius: Verbum ueritatis et gratiae. 3. Martianus ait: Hoc habet nomen? respondit Achatius: Non de nomine interrogaueras, sed de ipsa filii potestate. 4. Martianus ait: Nomen explana. sanctus Achatius respondit: Iesus Christus uocatur. 5. Martianus ait: Ex qua dei uxore conceptus est? respondit sanctus Achatius: Non hominum more deus filium ex muliebri coitu genuit, sed Adam primum dextera sua faciente formauit. nam absit ut tu maiestati diuinae contactum puellae mortalis affirmes. luto primi hominis membra composuit, et ubi integram iam compleuerat effigiem, animam spiritumque concessit. sic et filius dei uerbum ueritatis ex dei corde processit. ideo scriptum est: Eructauit cor meum uerbum bonum. 6. Martianus ait: Corporalis igitur deus est? Achatius dixit: Ipsi solus agnoscit, nos uero non cognoscimus inuisibilem formam, sed uirtutem potentiamque ueneramur. 7. Martianus ait: Si in corpore non est, etiam cordis ignarus est. nam sensus non potest esse sine membris. respondit Achatius: Non in his membris sapientia nascitur, sed a deo datur. quid ergo pertinet corpus ad sensum? 8. Martianus ait: Cataphryges aspice, homines religionis antiquae, ad mea sacra conuersos reliquisse quae fuerant, et nobiscum diis uota persoluere: et tu similiter parere festina. omnes catholicae legis collige Christianos et cum his religionem nostri imperatoris adtende. ueniat tecum omnis populus, ex tuo pendet arbitrio. 9. respondit Achatius: Illi omnes non meo nutu,

sed dei praecepto reguntur. audiant me itaque, si iusta persuadeam; sin uero peruersa et nocitura, contemnant.

V. Martianus ait: Omnium trade mihi nomina. respondit Achatius: Nomina eorum caelesti libro et diuinis paginis sunt annotata. quomodo ergo oculi mortales aspicient quod immortalis uirtus dei et inuisibilis annotauit? 2. Martianus ait: Vbi sunt magi, socii artis tuae uel doctores huius artificiosae fallaciae? respondit Achatius: Nos omnia meruimus a deo et meremur, sectam uero magicae artis horremus. 3. Martianus ait: Ideo magis estis quia nouum nescio quod genus religionis inducitis. respondit Achatius: Illos destruimus quos uos prius facitis et a uobis factos ipsi timetis. deficient enim uobis dii, si artifex saxo, aut saxum non abundaret artifici. timemus enim nos illum, non quem fabricamus, sed a quo fabricati sumus; qui nos creauit ut dominus, amauit ut pater, et aeternae morti, quasi bonus patronus, eripuit. 4. Martianus ait: Da nomina, ne poenae ipse succumbas. respondit Achatius: Ante tribunal ipse assisto, et nomen inquiris? an speras quod multos ualeas uincere, quem ego solus exstinguo? si cordi tuo nomina sunt, Achatius dicor, et si proprium nomen meum exploras, uocor Agathangelus, et Piso Troianorum episcopus, et Menander presbyter. fac iam quod placet. 5. Martianus ait: Recipieris in carcerem, ut imperator gesta cognoscat et eius nutu quid de te agi debeat decernatur. 6. lectis itaque omnibus gestis Decius imperator, alterationem iam redditae responsionis admirans, uersus in risum est et Martiano praefecturam Pamphyliae mox dedit, Achatium uero uehementer admirans aestimationi propriae et legi suae reddidit. 7. haec facta sunt a Martiano consulari, imperatore Decio, quarto kalendas Aprilis.

21. EDICTUM CONSTANTINI ET LICINII. [a. 313]

* *De mortibus persecutorum.* c. 48. (*Corpus script. ecclesiasticorum.* XXVII, 2. p. 228 sq.). Eusebius, *Historia ecclesiastica.* X. 5 (2—3). Keim, *Der Uebertritt Constantins des Grossen zum Christenthum.* Zürich 1862. Brieger, *Constantin der Grosse als Religionspolitiker.* Gotha 1880. (*Zeitschrift für Kirchengeschichte.* IV. 163). Duruy, in *Comptes rendus de l' Acad. des Sciences moral.* 1882, 185. Crivellucci, *Storia delle relazioni etc.* I. p. 85 sq. Idem, in *Studi Storici.* X (1892), 239. Seuffert, *Constantins Gesetze u. d. Christenthum.* Würzburg 1891. Seeck, *Geschichte des Untergangs der antiken Welt.* Berlin 1897. Idem, in *Zeitschrift für Kirchengeschichte.* XIII. 381. Goerres, *Zeitschrift für wiss. Theologie.* XXXV, 3. Vict. Schultze, *Geschichte des Unterganges des Griechisch-röm. Heidenthums.* Jena 1887. I. pag. 28—67. Idem, in *Zeitschrift für Kirchengeschichte.* XIV. 503. Burckardt, *Die Zeit Constantins.* Leipzig 1899[3]. Seeck, *Geschichte des Untergangs der ant. Welt.* Berlin 1897. Funk, *Abhandlungen und Untersuchungen.* II. 1. Galante, *La condizione giuridica delle cose sacre.* Torino 1903. I. p. 35 seq.

Eus. X 5_2. Ἤδη μὲν πάλαι σκοποῦντες τὴν ἐλευθερίαν τῆς θρησκείας οὐκ ἀρνητέαν εἶναι, ἀλλ᾽ ἑνὸς ἑκάστου τῇ διανοίᾳ καὶ βουλήσει ἐξουσίαν δοτέον τοῦ τὰ θεῖα πράγματα τημελεῖν κατὰ τὴν αὑτοῦ προ-

αἵρεσιν, ἕκαστον κεκελεύκειμεν, τοῖς τε Χριστιανοῖς, τῆς αἱρέσεως καὶ τῆς θρησκείας τῆς ἑαυτῶν τὴν πίστιν φυλάττειν. 8. ἀλλ' ἐπειδὴ πολλαὶ καὶ διάφοροι αἱρέσεις ἐν ἐκείνῃ τῇ ἀντιγραφῇ, ἐν ᾗ τοῖς αὐτοῖς συνεχωρήθη ἡ τοιαύτη ἐξουσία, ἐδόκουν προστεθεῖσθαι σαφῶς, τυχὸν ἴσως τινὲς αὐτῶν μετ' ὀλίγον ἀπὸ τῆς τοιαύτης παραφυλάξεως ἀνεκρούοντο.

Cum feliciter tam ego Constantinus Augustus quam etiam ego Licinius Augustus apud Mediolanum convenissemus atque universa, quae ad commoda et securitatem publicam pertinerent, in tractatu haberemus, haec inter caetera, quae videbamus pluribus hominibus profutura, vel in primis ordinanda esse credidimus, quibus divinitatis reverentia continebatur, ut daremus et Christianis et omnibus liberam potestatem sequendi religionem, quam quisque voluisset, quo quicquid (est) divinitatis in sede caelesti, nobis atque omnibus qui sub potestate nostra sunt constituti, placatum ac propitium possit existere. Itaque hoc consilium salubri ac rectissima ratione ineundum esse credidimus, ut nulli omnino facultatem abnegandam putaremus, qui vel observationi Christianorum vel ei religioni mentem suam dederat, quam ipse sibi aptissimam esse sentiret, ut possit nobis summa divinitas, cuius religioni liberis mentibus obsequimur, in omnibus solitum favorem suum benivolentiamque praestare. Quare scire dicationem tuam convenit placuisse nobis, ut amotis omnibus omnino condicionibus, quae prius scriptis ad officium tuum datis super Christianorum nomine [continebantur, et quae prorsus sinistra et a nostra clementia aliena esse] videbantur, [ea removeantur, et] nunc libere ac simpliciter unus quisque eorum qui eandem observandae religionis Christianorum gerunt voluntatem citra ullam inquietudinem ac molestiam sui id ipsum observare contendant. Quae sollicitudini tuae plenissime significanda esse credidimus, quo scires nos liberam atque absolutam colendae religionis suae facultatem isdem Christianis dedisse. Quod cum isdem a nobis indultum esse pervideas, intellegit dicatio tua etiam aliis religionis suae vel observantiae potestatem similiter apertam et liberam pro quiete temporis nostri [esse] concessam, ut in colendo quod quisque delegerit, habeat liberam facultatem. [Quod a nobis factum est, ut neque cuiquam] honori neque cuiquam religioni [detractum] aliquid a nobis [videatur]. Atque hoc insuper in persona Christianorum statuendum esse censuimus, quod, si eadem loca, ad quae antea convenire consuerant, de quibus etiam datis ad officium tuum litteris certa antehac forma fuerat comprehensa. Priore tempore aliqui vel a fisco nostro vel ab alio quocunque videntur esse mercati, eadem Christianis sine pecunia et sine ulla pretii petitione, postposita omni frustatione atque ambiguitate restituant, qui etiam dono fuerunt consecuti, eadem similiter isdem Christianis quantocius reddant, etiam vel hi, qui emerunt vel qui dono fuerunt consecuti, si petiverint de nostra benivolentia aliquid, vicarium postulent, quo et ipsis per nostram clementiam consulatur. Quae omnia corpori Chri-

stianorum protinus per intercessionem tuam ac sine mora tradi oportebit. Et quoniam idem christiani non [in] ea loca tantum ad quae convenire consuerunt, sed alia etiam habuisse noscuntnr ad ius corporis eorum id est ecclesiarum, non hominum singulorum, pertinentia, ea omnia lege quam superius comprehendimus, citra ullam prorsus ambiguitatem vel controversiam isdem Christianis id est corpori et conventiculis eorum reddi iubebis, supra dicta scilicet ratione servata, ut ii qui eadem sine pretio, sicut diximus, restituant, indemnitatem de nostra benivolentia sperent. In quibus omnibus supra dicto corpori Christianorum intercessionem tuam efficacissimam exhibere debebis, ut praeceptum nostrum quantocius compleatur, quo etiam in hoc per clementiam nostram quieti pubblicae consulatur. Hactenus fiet, ut, sicut superius comprehensum est, divinus iuxta nos favor, quem in tantis sumus rebus experti, per omne tempus prospere successibus nostris cum beatitudine publica perseveret. Ut autem huius sanctionis (et) benivolentiae nostrae forma ad omnium possit pervenire notitiam, prolata programmate tuo haec scripta et ubique proponere et ad omnium scientiam te perferre conveniet, ut huius nostrae benivolentiae [nostrae] sanctio latere non possit.

22. FALSA DONATIO CONSTANTINI SAEC. VIII [?] CONFECTA.

* Zeumer, *Festgabe für Rudolph v. Gneist.* Berlin 1888. pag. 47—59. Brunner, *Ibidem.* pag. 1 seq. Döllinger, *Papstfabeln des Mittelalters.* München 1863. pag. 89. Grauert, *Hist. Jahrb. der Görresgesellschaft.* 1883—84. p. 38—61. Krüger, *Theol. Literaturzeit.* 1890. n. 17, 18. Seeberg, *Theol. Literaturblatt.* 1890. 3—5. Friedrich, *Die Constant. Schenkung.* Nördlingen 1889. Löning, *Histor. Zeitschrift.* LXV. 193—239. Scheffert-Boichorst, in *Mittheil. des Instituts für österr. Geschicht.* X. 302 seq., XI. 128 seq. Solmi, *Stato e Chiesa secondo gli scritti politici da Carlomagno fino al Concordato di Worms.* Modena 1900. pag. 12.

Exemplar. Constituti Domni Constantini Imperatoris.

1. In nomine sanctae et individuae trinitatis, patris scilicet et filii et spiritus sancti. Imperator Caesar Flavius Constantinus in Christo Jesu, uno ex eadem sancta trinitate salvatore domino deo nostro, fidelis, mansuetus, maximus, beneficus, Alamannicus, Gothicus, Sarmaticus, Germanicus, Brittannicus, Hunicus, pius, felix, victor ac triumphator, semper augustus, sanctissimo ac beatissimo patri patrum Silvestrio,urbis Romae episcopo et papae, atque omnibus eius successoribus, qui in sede beati Petri usque in finem saeculi sessuri sunt, pontificibus, nec non et omnibus reverentissimis et deo amabilibus catholicis episcopis, eidem sacrosanctae Romanae ecclesiae per hanc nostram imperialem constitutionem subiectis in universo orbe terrarum, nunc et in posteris cunctis retro temporibus constitutis, gratia, pax, caritas, gaudium, longanimitas, misericordia, a deo patre omnipotente et Jesu Christo filio eius et spiritu sancto cum omnibus vobis.

2. Ea quae salvator et redemptor noster dominus Jesus Christus, altissimi patri filius, per suos sanctos apostolos Petrum et Paulum, interveniente patre nostro Silvestrio summo pontifice et universali papa, mirabiliter operari dignatus est, liquida enarratione per huius nostrae imperialis institutionis paginam ad agnitionem omnium populorum in universo orbe terrarum nostra studuit propagare mansuetissima serenitas. Primum quidem fidem nostram, quam a prelato beatissimo patre et oratore nostro Silvestrio universali pontifice edocti sumus, intima cordis confessione ad instruendas omnium vestrum mentes proferentes et ita demum misericordiam dei super nos diffusam adnuntiantes.

3. Nosse enim vos volumus, sicut per anteriorem nostram sacram pragmaticam iussionem significavimus, nos a culturis idolorum, simulacris mutis et surdis manufactis, diabolicis compositionibus atque ab omnibus satanae pompis recessisse et ad integram Christianorum fidem, quae est vera lux et vita perpetua, pervenisse, credentes, iuxta id quod nos isdem almificus summus pater et doctor noster Silvester instruit pontifex, in deum patrem, omnipotentem factorem caeli et terrae, visibilium omnium et invisibilium, et in Jesum Christum, filium eius unicum, dominum deum nostrum, per quem creata sunt omnia, et in spiritum sanctum, dominum et vivificatorem universae creaturae. Hos patrem et filium et spiritum sanctum confitemur, ita ut in trinitate perfecta et plenitudo sit divinitatis et unitas potestatis. Pater deus, filius deus et spiritus sanctus deus, et tres unum sunt in Jesu Christo.

4. Tres itaque formae, sed una potestas. Nam sapiens retro semper deus edidit ex se, per quod semper erant gignenda saecula, verbum, et quando eodem solo suae sapientiae verbo universam ex nihilo formavit creaturam, cum eo erat, cuncta suo arcano componens mysterio. Igitur perfectis caelorum virtutibus et universis terrae materiis, pio sapientiae suae nutu ad imaginem et similitudinem suam primum de limo terrae fingens hominem, hunc in paradiso posuit voluptatis; quem antiquus serpens et hostis invidens, diabolus, per amarissimum ligni vetiti gustum exulem ab eisdem efficit gaudiis, eoque expulso, non desinit sua venenosa multis modis protelare iacula, ut a via veritatis humanum abstrahens genus idolorum culturae, videlicet creaturae et non creatori deservire suadeat, quatenus per hos eos, quos suis valuerit inretire insidiis, secum aeterno efficiat concremandos supplicio. Sed deus noster, misertus plasmae suae, dirigens sanctos suos prophetas, per quos lumen futurae vitae, adventum videlicet filii sui, domini dei et salvatoris nostri Jesu Christi, adnuntians, misit eundem unigenitum suum filium et sapientiae verbum Qui descendens de coelis propter nostram salutem natus de spiritu sancto et Maria virgine, verbum caro factum est et habitavit in nobis. Non amisit, quod fuerat, sed coepit esse, quod non erat, deum perfectum et hominem perfectum, ut deus mirabilia perfi-

ciens, ut homo humanas passiones sustinens. Ita verum hominem et verum deum, praedicante patre nostro Silvestrio summo pontifice, intelligimus, ut verum deum verum hominem fuisse nullo modo ambigamus; electisque duodecim apostolis, miraculis coram eis et innumerabilis populi multitudine coruscavit. Confitemur eundem dominum Jesum Christum adimplesse legem et prophetas, passum, crucifixum, secundum scripturas tertia die a mortuis resurrexisse, adsumptum in coelis atque sedentem ad dexteram patris, inde venturum iudicare vivos et mortuos, cuius regni non erit finis.

5. Haec est enim fides nostra orthodoxa a beatissimo patre nostro Silvestrio summo pontifice nobis prolata; exhortantes idcirco omnem populum et diversas gentium nationes hanc fidem tenere, colere ac praedicare et in sanctae trinitatis nomine baptismi gratiam consequi et dominum Jesum Christum salvatorem nostrum, qui cum patre et spiritu sancto per infinita vivit et regnat saecula, quem Silvester, beatissimus pater noster universalis praedicat pontifex, corde devoto adorare.

6. Ipse enim dominus deus noster, misertus mihi peccatori, misit sanctos suos apostolos ad visitandum nos, et lumen sui splendoris infulsit nobis et abstracto a tenebris ad veram lucem et agnitionem veritatis me pervenisse gratulamini. Nam dum valida squaloris lepra totam mei corporis invasisset carnem, et multorum medicorum convenientium cura adhiberetur, nec unius quidem promerui saluti, ad haec advenerunt sacerdotes Capitolii, dicentes mihi debere fieri fontem in Capitolio et complere hunc innocentium infantium sanguine et calente in eo loto me posse mundari. Et secundum eorum dicta aggregatis plurimis innocentibus infantibus, dum vellent sacrilegi paganorum sacerdotes eos mactari et ex eorum sanguine fontem repleri, cernens serenitas nostra lacrimas matrum eorum, ilico exhorrui facinus, misertusque eis, proprios illis restitui praecipimus filios suos, datisque vehiculis et donis concessis, gaudentes ad propria relaxavimus.

7. Eadem igitur transacta die, nocturno nobis facto silentio, dum somni tempus advenisset, adsunt apostoli, sanctus Petrus et Paulus, dicentes mihi: «Quoniam flagitiis posuisti terminum et effusionem sanguinis innocentis horruisti, missi sumus a Christo domino deo nostro, dare tibi sanitatis recuperandae consilium. Audi ergo monita nostra et fac quodcumque indicamus tibi. Silvester episcopus civitatis Romae ad montem Seraptem persecutiones tuas fugiens in cavernis petrarum cum suis clericis latebram fovet. Hunc cum ad te adduxeris, ipse tibi piscinam pietatis ostendet, in qua dum te tertio merserit, omnis te valetudo ista deseret leprae. Quod dum factum fuerit, hanc vicissitudinem tuo salvatori compensa, ut omnes iussu tuo per totum orbem ecclesiae restaurentur, te autem ipsum in hac parte purifica, ut, relicta omni superstitutione idolorum, deum vivum et verum, qui solus est et verus, adores et excolas, ut ad eius voluntatem adtingas».

8. Exsurgens igitur a somno protinus iuxta id, quod a sanctis apostolis admonitus sum, peregi, advocatoque eodem praecipuo et almifico patre et inluminatore nostro Silvestrio universali papa, omnia a sanctis apostolis mihi praecepta edixi verba, percontatique eum sumus, qui isti dii essent: Petrus et Paulus? Ille vero, non eos deos vere dici, sed apostolos salvatoris nostri domini dei Jesu Christi. Et rursum interrogare coepimus eundem beatissimum papam, utrum istorum apostolorum imaginem expressam haberet, ut ex pictura disceremus hos esse, quos revelatio docuerat. Tunc isdem venerabilis pater imagines eorundem apostolorum per diaconem suum exhiberi praecepit, quas dum aspicerem et eorum, quos in somno videram figuratos in ipsis imaginibus cognovissem vultus, ingenti clamore coram omnibus satrapibus meis confessus sum, eos esse, quos in somno videram.

9. Ad haec beatissimus isdem Silvester pater noster, urbis Romae episcopus, indixit nobis poenitentiae tempus intro palatium nostrum Lateranense in uno cilicio, ut omnia, quae a nobis impie peracta atque iniuste disposita fuerant, vigiliis, ieiuniis atque lacrimis et orationibus apud dominum deum nostrum Jesum Christum salvatorem impetraremus. Deinde per manus impositionem clericorum usque ad ipsum praesulem veni, ibique abrenuntians satanae pompis et operibus eius vel universis idolis manufactis, credere me in deum patrem, omnipotentem factorem caeli et terrae, visibilium et invisibilium, et in Jesum Christum filium eius unicum, dominum nostrum, qui natus est de spiritu sancto et Maria virgine, spontanea voluntate coram omni populo professus sum, benedictoque fonte illic me trina mersione unda salutis purificavit. Ibi enim, me posito fontis gremio, manu de caelo me contingente propriis vidi oculis, de qua mundus exsurgens, ab omni me leprae squalore mundatum agnoscite. Levatoque me de venerabili fonte, indutus vestibus candidis, septemformis sancti spiritus in me consignatione adhibuit beati chrismatis unctionem et vexillum sancte crucis in mea fronte linivit dicens: «Signat te deus sigillo fidei suae in nomine patris et filii et spiritus sancti in consignatione fidei». Cunctus clerus respondit: «Amen». Adiecit praesul: «Pax tibi».

10. Prima itaque die post perceptum sacri baptismatis mysterium et post curationem corporis mei a leprae squalore agnovi, non esse alium deum nisi patrem et filium et spiritum sanctum, quem beatissimus Silvester papa praedicat, trinitatem in unitate, unitatem in trinitate. Nam omnes dii gentium, quos usque hactenus colui daemonia, opera hominum manufacta conprobantur, etenim quantam potestatem isdem salvator noster suo apostolo beato Petro contulerit in caelo ac terra, lucidissime nobis isdem venerabilis pater edixit, dum fidelem eum in sua interrogatione inveniens ait: *Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam.* Advertite potentes et auream cordis intendite, quid bonus magister et dominus suo discipulo adiunxit inquiens: *et*

tibi dabo claves regni caelorum; quodcumque ligaveris super terram, erit ligatum et in caelis, et quodcumque solveris super terram, erit solutum et et in caelis. Mirum est hoc valde et gloriosum in terra ligare et solvere, et in caelo ligatum et solutum esse.

11. Et dum haec praedicante beato Silvestrio agnoscerem et beneficiis ipsius beati Petri integrae me sanitati comperi restitutum, utile iudicavimus una cum omnibus nostris satrapibus et universo senatu, optimatibus etiam et cuncto populo Romano, gloriae imperii nostri subiacenti, ut, sicut in terris vicarius filii dei esse videtur constitutus, etiam et pontifices, qui ipsius principis apostolorum gerunt vices, principatus potestatem amplius, quam terrena imperialis nostrae serenitatis mansuetudo habere videtur concessam, a nobis nostroque imperio obtineant; eligentes nobis ipsum principem apostolorum vel eius vicarios firmos apud deum adesse patronos. Et sicut nostra est terrena imperialis potentia, eius sacrosanctam Romanam ecclesiam decrevimus veneranter honorare, et amplius quam nostrum imperium et terrenum thronum sedem sacratissimam beati Petri gloriose exaltari, tribuentes ei potestatem et gloriae dignitatem atque vigorem et honorificentiam imperialem.

12. Atque decernentes sancimus, ut principatum teneat, tam super quattuor praecipuas sedes Antiochenam, Alexandrinam, Constantinopolitanam et Hierosolimitanam, quamque etiam super omnes universo orbe terrarum dei ecclesias; et pontifex, qui pro tempore ipsius sacrosanctae Romanae ecclesiae extiterit, celsior et princeps cunctis sacerdotibus totius mundi exsistat, et eius iudicio, quaeque ad cultum dei vel fidei Christianorum stabilitate procuranda fuerint, disponantur. Justum quippe est, ut ibi lex sancta caput teneat principatus, ubi sanctarum legum institutor, salvator noster, beatum Petrum apostolatus obtinere praecepit cathedram, ubi et crucis patibulum sustinens beatae mortis sumpsit poculum suique magistri et domini imitator apparuit, et ibi gentes pro Christi nominis confessione colla flectant, ubi eorum doctor beatus Paulus apostolus pro Christo extenso collo martyrio coronatus est; illic usque in finem quaerant doctorem, ubi sanctum doctoris quiescit corpus, et ibi proni ac humiliati caelestis regis, dei salvatoris nostri Jesu Christi, famulentur officio, ubi superbi terreni regis serviebant imperio.

13. Interea nosse volumus omnem populum universarum gentium ac nationum per totum orbem terrarum, construxisse nos intro palatium nostrum Lateranense eidem salvatori nostro domino deo Jesu Christo ecclesiam a fundamentis cum baptisterio, et duodecim nos sciatis de eius fundamentis secundum numerum duodecim apostolorum cofinos terra onustatos propriis asportasse humeris; quam sacrosanctam ecclesiam caput et verticem omnium ecclesiarum in universo orbe terrarum dici, coli, venerari ac praedicari sancimus, sicut per alia nostra imperialia decreta statuimus. Constru-

ximus itaque et ecclesias beatorum Petri et Pauli, principum apostolorum, quas auro et argento locupletavimus, ubi et sacratissima eorum corpora cum magno honore recondentes, thecas ipsorum ex electro, cui nulla fortitudo praevalet elementorum, construximus et crucem ex auro purissimo et gemmis pretiosis per singulas eorum thecas posuimus et clavis aureis confiximus, quibus pro concinnatione luminariorum possessionum praedia contulimus, et rebus diversis eas ditavimus, et per nostras imperialium iussionum sacras tam in oriente quam in occidente vel etiam septentrionali et meridiana plaga, vidélicet in Judaea, Graecia, Asia, Thracia, Africa et Italia vel diversis insulis nostram largitatem eis concessimus, ea prorsus ratione, ut per manus beatissimi patris nostri Silvestrii pontificis successorumque eius omnia disponantur.

14. Gaudeat enim una nobiscum omnis populus et gentium nationes in universo orbe terrarum; exhortantes omnes, ut deo nostro et salvatori Jesu Christo immensas una nobiscum referatis grates, quoniam ipse deus in caelis desuper et in terra deorsum, qui nos per suos sanctos visitans apostolos sanctum baptismatis sacramentum percipere et corporis sanitatem dignos efficit. Pro quo concedimus ipsis sanctis apostolis, dominis meis, beatissimis Petro et Paulo et per eos etiam beato Silvestrio patri nostro, summo pontifici et universali urbis Romae papae, et omnibus eius successoribus pontificibus, qui usque in finem mundi in sede beati Petri erunt sessuri, atque de praesenti contradimus palatium imperii nostri Lateranense, quod omnibus in toto orbe terrarum praefertur atque praecellit palatiis, deinde diadema videlicet coronam capitis nostri simulque frygium nec non et superhumeralem, videlicet lorum, qui imperiale circumdare adsolet collum, verum etiam et clamidem purpuream atque tunicam coccineam et omnia imperialia indumenta seu et dignitatem imperialium praesedentium equitum, conferentes etiam et imperialia sceptra, simulque et conta atque signa, banda etiam et diversa ornamenta imperialia et omnem processionem imperialis culminis et gloriam potestatis nostrae.

15. Viris enim reverentissimis, clericis diversis ordinibus eidem sacrosanctae Romanae ecclesiae servientibus illud culmen, singularitatem, potentiam et praecellentiam habere sancimus, cuius amplissimus noster senatus videtur gloria adornari, id est patricios atque consules effici, nec non et ceteris dignitatibus imperialibus eos promulgantes decorari; et sicut imperialis militia, ita et clerum sacrosanctae Romanae ecclesiae ornari decernimus; et quemadmodum imperialis potentia officiis diversis, cubiculariorum nempe et ostiariorum atque omnium excubiorum ornatu, ita et sanctam Romanam ecclesiam decorari volumus; et ut amplissime pontificalis decus praefulgeat, decernimus et hoc, ut clerici eiusdem sanctae Romanae ecclesiae mappulis ex linteaminibus, id est candidissimo colore, eorum decorari equos et ita equitari, et sicut noster senatus calciamenta uti cum udonibus, id est candido linteamine inlustrari; ut sicut caelestia ita et terrena ad laudem dei

decorentur; prae omnibus autem licentiam tribuentes ipso sanctissimo patri nostro Silvestrio, urbis Romae episcopo et papae, et omnibus, qui post eum in successum et perpetuis temporibus advenerint, beatissimis pontificibus, pro honore et gloria Christi dei nostri in eadem magna dei catholica et apostolica ecclesia ex nostra synclitu, quem placatus proprio consilio clericare voluerit et in numero religiosorum clericorum connumerare, nullum ex omnibus praesumentem superbe agere.

16. Decrevimus itaque et hoc, ut isdem venerabilis pater noster Silvester, summus pontifex, vel omnes eius successores pontifices diadema, videlicet coronam, quam ex capiti nostro illi concessimus, ex auro purissimo et gemmis pretiosis uti debeant et eorum capite ad laudem dei pro honore beati Petri gestare; ipse vero sanctissimus papa super coronam clericatus, quam gerit ad gloriam beati Petri, omnino ipsa ex auro non est passus uti corona, frygium vero candido nitore splendidam resurrectionem dominicam designans eius sacratissimo vertici manibus nostris posuimus, et tenentes frenum equis ipsius pro reverentia beati Petri stratoris officium illi exhibuimus, statuentes, eundem frygium omnes eius successores pontifices singulariter uti in processionibus.

17. Ad imitationem imperii nostri, unde ut non pontificalis apex vilescat, sed magis amplius quam terreni imperii dignitas et gloriae potentia decoretur, ecce tam palatium nostrum, ut praelatum est, quamque Romae urbis et omnes Italiae seu occidentalium regionum provincias, loca et civitates saepefato beatissimo pontifici, patri nostro Silvestrio, universali papae, contradentes atque relinquentes eius vel successorum ipsius pontificum potestati et ditioni firma imperiali censura per hanc nostram divalem sacram et pragmaticum constitutum decernimus disponendum atque iure sanctae Romanae ecclesiae concedimus permanendum.

18. Unde congruum prospeximus, nostrum imperium et regni potestatem orientalibus transferri ac transmutari regionibus et in Byzantiae provincia in optimo loco nomini nostro civitatem aedificari et nostrum illic constitui imperium; quoniam, ubi principatus sacerdotum et christianae religionis caput ab imperatore caeleste constitutum est, justum non est, ut illic imperator terrenus habeat potestatem.

19. Haec vero omnia, quae per hanc nostram imperialem sacram et per alia divalia decreta statuimus atque confirmavimus, usque in finem mundi inlibata et inconcussa permanenda decernimus; unde coram deo vivo, qui nos regnare praecepit, et coram terribili eius iudicio obtestamus per hoc nostrum imperiale constitutum omnes nostros successores imperatores vel cunctos optimates, satrapes etiam, amplissimum senatum et universum populum in toto orbe terrarum, nunc et in posterum cunctis retro temporibus imperio nostro subiacenti, nulli eorum quoquo modo licere, haec, quae a nobis imperiali sanctione sacrosanctae Romanae ecclesiae vel eius

omnibus pontificibus concessa sunt, refragare aut confringere vel in quoquam convelli. Si quis autem, quod non credimus, in hoc temerator aut contemptor exstiterit, aeternis condemnationibus subiaceat innodatus, et sanctos dei principes apostolorum Petrum et Paulum sibi in praesenti et futura vita sentiat contrarios, atque in inferno inferiori concrematus, cum diabolo et omnibus deficiat impiis.

20. Huius vero imperialis decreti nostri paginam propriis manibus roborantes super venerandum corpus beati Petri, principis apostolorum, posuimus, ibique eidem dei apostolo spondentes, nos cuncta inviolabiliter conservare et nostris successoribus imperatoribus conservanda in mandatis relinqui, beatissimo patri nostro Silvestrio summo pontifici et universali papae eiusque per eum cunctis successoribus pontificibus, domini deo et salvatore nostro Jesu Christo annuente, tradidimus perenniter atque feliciter possidendam. — Et subscriptio imperialis: — † Divinitas vos conservet per multos annos, sanctissimi et beatissimi patres.

Datum Roma sub die tercio Kalendarum Apriliarum, domno nostro Flavio Constantino augusto quater et Galligano viris clarissimis consulibus.

B) *A Constantino usque ad Carolum Magnum.*

Beugnot, *Histoire de la destruction du paganisme en occident.* Paris 1835. Chastel, *Histoire de la destruction du paganisme dans l' Empire d' Orient.* Boissier, *La fin du paganisme. Étude sur les dernières luttes religieuses en occident au IVe siècle.* Paris 1891. Duruy-Hertzberg, *Geschichte des röm. Kaiserreiches.* Leipzig 1889. Vol. IV—V. Gibbon, *The History of the Decline and Fall of the Roman Empire.* ed. Bury, London 1902. Vol. V—VI. Bury, *A History of the Later Roman Empire from Arcadius to Irene* (395—800 A. D.) I. Cap. 1—3. London 1889. Broglie, *L' Église et l' Empire Romain au IVe siècle.* Paris 1901. Gelzer, *Das Verhältnis von Staat und Kirche in Bysanz* (in *Histor. Zeitschr.* 86 N. F. 50. p. 195—252). Diehl, *Iustinien et la culture byzantine.* Paris 1901. p. 136 seq.

Loening, *Geschichte des deut. Kirchenrechtes.* II. *(Das Kirchenrecht im Reiche der Merowinger).* Weyl, *Das fränkische Staatskirchenrecht zur Zeit der Merowingern* (Gierke's *Untersuchungen etc.* Heft 27). Bresslau 1888. Hauck, *Kirchengeschichte Deutschlands.* Leipzig 1887—1890. I. Grisar, in *Zeitschrift für kathol. Theologie.* XIV. 447.

Malfatti, *Imperatori e Papi ai tempi della signoria dei Franchi in Italia.* Milano 1876. I. Tamassia, *Longobardi, Franchi e Chiesa Romana fino ai tempi di re Liutprando.* Bologna 1888. Calisse, *Diritto ecclesiastico e diritto longobardo.* Roma 1888.

---

23. IULIUS FIRMICUS MATERNUS.

* Ivlii Firmici Materni, *Liber de errore profanarum religionum,* ed. Halm (*Corpus script. eccl.* Vol. II.) Vindobonae 1867. Moore, *Iulius Firmicus Maternus der Heide und der Christ.* München 1897. Ruffini, *Libertà religiosa.* p. 30.

De errore profanarum religionum.

Cap. 29. Sed et uobis, sacratissimi imperatores, ad uindicandum et puniendum hoc malum necessitas imperatur | et hoc uobis Dei summi lege praecipitur, ut seueritas uestra idololatriae facinus omnifariam persequatur. audite et commendate sanctis sensibus uestris, quid de isto facinore Deus iubeat. in Deuteronomio lex ista perscripta est, ait enim: «quodsi rogauerit te frater tuus aut filius tuus aut uxor tua, quae est in sinu tuo, aut amicus tuus, qui est aequalis animae tuae, latenter dicens: eamus et seruiamus diis aliis, diis gentium, non consenties ei et non exaudies eum et

non parcet oculus tuus super eum et non celabis eum: adnuntians adnuntiabis de illo: manus tua erit super eum in primis interficere eum et manus omnis populi postremo, et lapidabunt eum et morietur, quoniam quaesiuit auertere te a domino tuo». [Deut. 13. 6—11.] nec filio iubet parci nec fratri et per amata coniugis membra gladium uindicem ducit: amicum quoque sublimi seueritate persequitur et ad discerpenda sacrilegorum corpora omnis populus armatur: integris etiam ciuitatibus, si in isto fuerint facinore deprehensae, decernuntur excidia. et ut hoc prouidentia uestra manifestius discat, constitutae legis sententiam proferam. in eodem libro integris ciuitatibus poenam dominus hac uoce constituit, ait enim: «aut si audieris in una ex ciuitatibus, quas dominus Deus tuus dat tibi inhabitare illic, dicentes: eamus et seruiamus diis aliis quos non nostis: interficiens necabis omnes quiqui sunt in ciuitate caede gladii et incendes ciuitatem igni et erit sine habitaculo, non aedificabitur in aeternum, ut auertatur dominus ab indignatione irae suae: | et dabit tibi misericordiam et miserebitur tui et multiplicabit te, si exaudieris uocem domini Dei tui et obseruaueris praecepta eius.» [Deut. 13. 13—19.] misericordiae suae uobis, sacratissimi imperatores, Deus summus praemia pollicetur et amplificationis maximae augmenta decernit: facite itaque quod iubet, complete quod praecipit. auspicia uestra maioribus cumulata sunt donis: in initio fidei positi diuini fauoris incrementa sensistis: numquam uos manus Dei ueneranda deseruit, numquam uobis laborantibus denegauit auxilium: strati sunt aduersantium cunei et rebellantia ante conspectum uestrum semper arma ceciderunt, missi sunt superbi sub iugum populi et Persica uota conlapsa sunt nec stare diu contra uos potuit malis suis onerata crudelitas. Dei uirtutem utrique diuerso sensistis euentu: uobis caelestis uictoriae corona conlata est, felicitate uestra nostra releuantur incommoda. haec uobis Deus summus, sacratissimi imperatores, pro fide uestra reddidit praemia, his uos interim remuneratos insignibus ad arcana uenerandae legis inuitat. pura mente, deuota conscientia, incorrupto animo clementia uestra caelum semper aspiciat, a Deo semper expectet auxilium, Christi uenerandum numen imploret et pro salute orbis terrarum ac uestra salutari Deo spiritales offerat uictimas. sic uobis feliciter cuncta prouenient, uictoriae, opulentia, pax, copia, sanitas et triumphi, ut diuina maiestate prouecti orbem terrae felici gubernetis imperio. [l. c. pag. 129—130.]

24. THEMISTIUS.

* Themistii, *Orationes.* Ed. Dindorf. Lipsiae 1832. XII. p. 184—197. Luzzatti, *Un precursore della libertà di coscienza dimenticato* (in *Atti dell' Istituto Veneto.* Tom. III. Ser. 6. p. 2164—90). Ruffini, *o. c.* p. 31.

Ad Valentem de religionibus.

Sapienter igitur a te decretum est, vt quam quisque religionem probabilem duceret, ad eam se adiungeret, in eoque animi sui tranquillitati ser-

uiret. Neque haec a te primum lex excogitata est: sed aequalis est vitae hominum, et iam inde ex omnium saeculorum aeternitate a Deo sancita. Informauit enim Deus omnium mentes, quamuis agrestium et barbarorum, notione sui: studiumque pietatis ita omnibus insculpsit, vt neque persuadendo, neque cogendo, ex animis exui possit. Rationem vero et viam qua coli velit, non praescripsit, sed cuiusque iudicio et voluntati permisit. Quocirca qui vim adhibet, pugnat cum Dei et naturae lege: qui quam potestatem hominibus Deus tribuit, eam tentet adimere. Quanquam frustra omnis labor suscipitur. Stabile enim et ratum nihil esse potest, quod sit naturae aduersarium; ad exiguumque tempus eiusmodi leges, si modo legis nomen attingunt, durare possunt, suaque sponte extabescunt. Quod Cambysae et aliorum quorumdam legibus accidisse legimus, quae quod Dei legem conarentur perrumpere, vix ad cuiusque aetatem, a quo erant latae, viguere. At Dei lex, quae eadem tua est, abrogari hominum iussis non potest: et orta iam inde ex aeternitate, per omnesque nationes aequabiliter fusa, deinceps ad infinitam venientis temporis aetatem sancta et inuiolata propagabitur. Est autem Dei lex, vt nulla necessitate voluntates nostrae deuinciantur, quo minus solutae ac liberae quam velint viam ingrediantur, aeternam illam et praestantissimam mentem auguste sancteque venerandi. Hanc neque multatio bonorum ex intimis animorum sensibus eripere, neque equulei palique perfringere, neque enses ignesque profligare, neque vetustas ipsa, quae caetera conficit omnia, delere potest. Corpus quidem ipsum rapi a te ad supplicium et interimi potest: at animus, qui vel Deus est, vel Dei satu generatus, neque vinculis verberibusve coërceri, neque vita multari potest: sed solutus a te compage corporis, et veluti magno beneficio affectus, laetus et alacer, cum Dei lege libertatem suam circumferens, ad caelestem oram subuolabit, vbi neque tyrannorum diritas, neque carnificum gladii terrere poterunt, quominus se in optatissima quiete iactet, etiamsi lingua sensum explanare suum non poterit.

Arbitror autem, Imperator, te pro tua sapientia etiam caussam huius diuinae legis perspexisse, eamque ob caussam diligenter eius vestigiis institisse. Vidisti enim profecto, iacere solere ea quae non sunt hominum studiis et contentionibus excitata. Artes quidem quarum magnus in vita vsus et delectatio est, nunquam ad tantam sublimitatem et elegantiam pervenissent, nisi artificum inter ipsos discrepantia iudiciorum, et certamen quoddam extitisset. Quippe ipsa philosophia mater omnium laudandarum artium ab exiguis orta principiis, nonne doctissimorum hominum dissensione ita creuit, ut ad eius absolutionem nihil desiderari videatur? Denique sic res habet: industriam acuit et studium incendit hominum inter se aemulatio atque contentio; contraque languorem et ignauiam animi affert, omnia omnibus assentiri, nullaque de re contrariis rationibus confligere. Atque haec est illa contentio, quam vtilissimam hominum vitae elegantissimis versibus

scripsit Hesiodus. Habet igitur eandem rationem religio, quam omnes artes, omnes scientiae, omnia quae digna sunt in quibus parandis vel ornandis studium ponatur. Iamdudum vix aut ne vix quidem vmbram vllam haberemus religionis, si omnium mortalium idem semper ritus sacrorum, eadem fuisset habendarum ceremoniarum ratio. Nunc varietate opinionum, et ad hanc diem altum auctumque est studium religionis, et a posteritate ad sempiternum tempus studiose retinebitur. Qui currunt stadium, contendunt illi quidem omnes omnibus neruis ad eundem peruenire iudicem, a quo praemio afficiantur: non tamen eadem omnes insistunt via; sed alius hinc, illinc alius, cursum intendunt. Ita tu vnum esse magnum quendam et verum vitae quasi certaminis praefectum et moderatorem arbitraris: pergi autem ad eum non vna via, sed alia asperiore; alia planiore; alia flexuosa, alia directa; omnibus tamen ad vnum eundemque terminum, veluti diuersorium, perueniri: alacritatem autem et voluntatem properandi, non aliunde innasci quam quod non eodem omnes vtuntur itinere, sed cuique integrum est qua velit via proficisci. Sin vnam viam reliqueris, caeteris obseptis et interclusis: nimirum contracto spatio vrgebis eos augustiis, et omne currendi studium restrinxeris.

Haec hominum non recens sed perantiqua natura est, et qui illum fecit versum.

Atque alius alii faciebat sacra Deorum.

Homerum aetate antecedit. Nam si verum dicimus, Deo ipsi grata esse non potest haec opinionum consensio, quam imperiti homines moliuntur: quin eam ipse distinere, neque velle coalescere videtur. Nam natura vt ait Heraclitus, occultari vult: multoque magis naturae dominus et fabricator Deus. Quocirca quod a cognitione nostra se longissime remouit, neque ad captum ingeniorum nostrorum se demittit, satis argumenti habet, non postulare eum ab omnibus vnum idemque ius religionis; sed cuique de se, sua non aliena sponte opinandi facultatem relinquere. Ex quo etiam euenit, vt maior quaedam in hominum animis admiratio diuini numinis, et religiosior aeternae illius maiestatis veneratio ingeneretur. Fit enim vt quae in promptu sunt, et ad omnem intelligentiam abiecta, fastidiamus, et pro nihilo ducamus: contra magni aestimemus et admirationi habeamus ea quae sublata sunt altius, quam vt eo vis intelligentiae nostrae possit peruadere.

Sed vt a te ipso non discedam, Imperator, in exercitu tuo ordines, muneraque militiae diuersa sunt. Sunt praetoriani milites, sunt legionarii, sunt qui ex equo depugnent, sunt qui pedestres rem gerant, sunt qui funda vel sagittis hostem feriant. Habes qui intima familiaritate tibi coniuncti sint, quibus consilia tua concredas omnia: absunt alii a tua cognitione longius, alii beatos se ducunt, si modo vlli e satellitibus tuis noti sint, aliis de facie vix notus es; aliis ne hoc quidem contigit, sed auditione tantum et fama nomen tuum accepere: et horum longe maxima subiectorum ditioni

tuae hominum pars est. Omnes tamen in tam dispari munere et statu ex te pendent, tuum nutum respiciunt, te sibi regem diuinitus datum agnoscunt et gloriantur. Hac varietate etiam delectari existimare debes principem et moderatorem huius vniuersitatis. Aliam formam religionis vult esse apud Aegyptios, aliam apud Graecos, aliam apud Syros. Neque tamen apud Syros ipsos vna omnium est, sed alius alia vel religione tenetur vel superstitione conflictatur.

In amplis familiis liberi sunt, et serui: et horum in utroque genere mirabilem reperire licet appetitionum, iudiciorum, et ingeniorum varietatem: quae tantum abest, vt domum dedecoret, vel dominum offendat, vt etiam mirum in modum familiam exornet; et non mediocrem dominus ex ea capiat voluptatem. Tota haec machina, quae vltimi caeli complexu continetur, quem mundum dicimus, magna quaedam domus est, cui praeest praestantissima natura, et ab omni contagio materiae segregata, quem notissimo nomine Deum appellamus. Hic ab vniuerso hominum genere, velut familia sua, sibi vt domino sanctissime deseruiri vult: sic tamen vt nemini libertatem eripiat, quominus suo quisque vtatur ingenio, immo gratissimum et iucundissimum ipsi sit, videre infinitam hominum multitudinem, toto terrarum orbe sparsam, certatim in suo quemque et dispari genere ad sui cultum conncurrere: et hoc sibi ad gloriam et magnificum decus mirabiliter aptum putet.

Quae igitur dementia est, id agere, vt omnes homines iisdem opinionibus inuiti imbuantur? quod neque fieri potest, neque si possit, debet. Tua sapientior ratio est, Imperator, qui nemini opinionem extorques suam, sed iudicia relinquis libera; cum eo tamen, vt ne per nomen et speciem religionis, vel caussae perturbandae reip. vel latebrae peccatis quaerantur. Hanc ego legem commodiorem etiam iudico, et vtiliorem summae reipubl. quam foedus quod cum barbaris nuper est ictum. Foedere enim isto assequimur, vt cum barbaris et alienigenis ne belligeremus: tua lege omnes seditiones et pugnae intestinae, quibus laborabamus, sublatae sunt. Nam superiore tempore, quod probe nosti, grauiores eramus ipsi nobis, quam omnis equitatus et peditatus hostium externorum: magisque remp. afflixerunt delationes, quibus vna religio aduersus alteram grassabatur, quam in prouincias nostras incursiones omnium barbarorum. Quamobrem, Imperator, sine paribus pendere libram examinatam ponderibus, neque committe vt alteram lancem impellas: vt paribus et concordibus votis omnes homines, quacumque religione vtantur, incolumitatem a Deo et diuturnitatem imperio tuo precentur. [l. c. pag. 189—197.]

25. CONSTANTIUS, GRATIANUS, VALENTINIANUS, HONORIUS, ARCADIUS, THEODOSIUS.

• *Theodosianus.* I. Ed. Mommsen. Crivellucci, *Storia delle relazioni,* I. cap. 6—9. Schultze, *Geschichte des Untergangs.* I. p. 68—96, 208—297. II. p. 12—52. Galante, *Cose sacre.* p. 40—47.

CODEX THEODOSIANUS.

Liber XVI.

Tit. I. De Fide Catholica.

a) XVI, 1, 2 (380 Febr. 27.)

IMPPP. GR(ATI)ANVS, VAL(ENTINI)ANVS ET THE(O)D(OSIVS) AAA. EDICTVM AD POPVLVM URB(IS) CONSTANTINOP(OLITANAE).

Cunctos populos, quos clementiae nostrae regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque ad nunc ab ipso insinuata declarat quamque Pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriae episcopum, virum Apostolicae sanctitatis, hoc est, ut secundum apostolicam disciplinam, euangelicamque doctrinam patris et filii et spiritus sancti unam deitatem sub parili maiestate, et sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes, christianorum catholicorum, nomen iubemus amplecti, reliquos vero dementes vesanosque iudicantes, haeretici dogmatis infamiam sustinere: nec conciliabula eorum ecclesiarum nomen accipere, diuina primum vindicta, post etiam motus nostri, quem ex coelesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos. DAT. III. KAL. MART. THESSAL(ONICAE) GR(ATI)ANO A. V ET THEODOSIO A. I. CONSS.

b) XVI, 1, 3 (381 Iul. 30.)

IDEM AAA. AD AVXONIVM PROC(ONSVLEM) ASIAE.

Episcopis tradi omnes ecclesias mox iubemus, qui unius maiestatis adque virtutis patrem, et filium, et spiritum sanctum confitentur, eiusdem gloriae claritatis unius, nihil dissonum profana divisione facientes, sed trinitatis ordinem, personarum adsertione, et divinitatis unitate, quos constabit communioni Nectari episc(opi) Constantinopolitanae ecclesiae, nec non Timothei intra Aegyptum Alexandrinae urbis episcopi esse sociatos; quos etiam in Orientis partibus, Pelagio episcopo Laodicensi, et Diodoro episcopo Tarsensi: in Asia nec non proconsulari, adque Asiana dioecesi, Amphilochio Episcopo Iconiensi, et Optimo Episcopo Antiocheno; in Pontica dioecesi Helladio epis(copo) Caesariensi, et Otreio Meliteno, et Gregorio epis(copo) Nysseno, Terennio epis(copo) Scythiae, Marmario epis(copo) Marcianop(olitano) communicare constiterit. Hos ad obtinendas catholicas ecclesias ex communione et consortio probabilium sacerdotum oportebit admitti: omnes autem qui ab eorum, quos commemoratio specialis expressit, fidei communione dissentiunt, ut manifestos haereticos ab Ecclesiis expelli, neque his penitus posthac obtinendarum ecclesiarum pontificium facultatemque permitti, ut verae ac Nicaenae fidei sacerdotia casta permaneant: nec post euidentem praecepti nostri formam malignae locus detur astutiae. DAT. III. KALEND. AUG. HERACL(EAE) EVCHERIO ET SYAGRIO CONSS.

ecclesiis et clericis.

D(OSIUS) PHILIPPO P(RAEFECTO)

:tustatem et canones pristinos eccle-
per omnes Illyrici prouincias, seruari
is emerserit, id oporteat, non absque
:e legis antistitis || urbis Constantino-
gatiua laetatur || conventui sacerdotali
:ID. ID. IVL. EUSTACHIO ET AGRI-

haereticis.

INDIANVS ET THEOD(OSIVS) AAA.
PRAETORIO.

)cus, nulla ad exercendam animi obsti-
ant omnes, etiam si quid speciali quo-
b huiusmodi hominum genere impe-
cunctorum haereticorum ab inlicitis
ummi dei nomen ubique celebretur;
iditae, et divinae religionis testimonio
semper mansura teneatur; || Fotinianae labis contaminatio, Arriani sacrilegii venenum, Eunomianae perfidiae crimen, et nefanda, monstruosis nominibus auctorum prodigia sectarum ab ipso etiam aboleantur auditu. || Is autem Nicaenae adsertor fidei, catholicae religionis verus cultor accipiendus est, qui omnipotentem deum, et Christum filium dei uno nomine confitetur, deum de deo, lumen lumine: qui spiritum sanctum, quem ex summo rerum parente speramus, et accipimus negando non violat: apud quem, intemeratae fidei sensu, viget incorruptae trinitatis indivisa substantia, quae Graeci adsertione verbi, οὐσία recte credentibus dicitur. Haec profecto nobis magis probata, haec veneranda sunt. Qui vero isdem non inseruiunt, desinant adfectatis dolis alienum verae religionis nomen adsumere, et suis apertis criminibus denotentur. Ab omnium summoti ecclesiarum limine penitus arceantur, cum omnes haereticos inlicitas agere intra oppida congregationes vetemus ac, si quid eruptio factiosa temptaverit, ab ipsis etiam urbium moenibus exterminato furore propelli iubeamus, ut cunctis orthodoxis episcopis, qui Nicaenam fidem tenent, catholicae ecclesiae toto orbe reddantur. DAT. IIII. ID. IAN. CONST(ANTINO)P(O)LI EVCHERIO ET SYAGRIO CONSS.

CODEX THEODOSIANUS.

Liber XVI.

Tit. I. De Fide Catholica.

a) XVI, 1, 2 (380 Febr. 27.)

IMPPP. GR(ATI)ANVS, VAL(ENTINI)ANVS ET THE(O)D(OSIVS) AAA. EDICTVM AD POPVLVM URB(IS) CONSTANTINOP(OLITANAE).

Cunctos populos, quos clementiae nostrae regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque ad nunc ab ipso insinuata declarat quamque Pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriae episcopum, virum Apostolicae sanctitatis, hoc est, ut secundum apostolicam disciplinam, euangelicamque doctrinam patris et filii et spiritus sancti unam deitatem sub parili maiestate, et sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes, christianorum catholicorum, nomen iubemus amplecti, reliquos vero dementes vesanosque iudicantes, haeretici dogmatis infamiam sustinere: nec conciliabula eorum ecclesiarum nomen accipere, diuina primum vindicta, post etiam motus nostri, quem ex coelesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos. DAT. III. KAL. MART. THESSAL(ONICAE) GR(ATI)ANO A. V ET THEODOSIO A. I. CONSS.

b) XVI, 1, 3 (381 Iul. 30.)

IDEM AAA. AD AVXONIVM PROC(ONSVLEM) ASIAE.

Episcopis tradi omnes ecclesias mox iubemus, qui unius maiestatis adque virtutis patrem, et filium, et spiritum sanctum confitentur, eiusdem gloriae claritatis unius, nihil dissonum profana divisione facientes, sed trinitatis ordinem, personarum adsertione, et divinitatis unitate, quos constabit communioni Nectari episc(opi) Constantinopolitanae ecclesiae, nec non Timothei intra Aegyptum Alexandrinae urbis episcopi esse sociatos; quos etiam in Orientis partibus, Pelagio episcopo Laodicensi, et Diodoro episcopo Tarsensi: in Asia nec non proconsulari, adque Asiana dioecesi, Amphilochio Episcopo Iconiensi, et Optimo Episcopo Antiocheno; in Pontica dioecesi Helladio epis(copo) Caesariensi, et Otreio Meliteno, et Gregorio epis(copo) Nysseno, Terennio epis(copo) Scythiae, Marmario epis(copo) Marcianop(olitano) communicare constiterit. Hos ad obtinendas catholicas ecclesias ex communione et consortio probabilium sacerdotum oportebit admitti: omnes autem qui ab eorum, quos commemoratio specialis expressit, fidei communione dissentiunt, ut manifestos haereticos ab Ecclesiis expelli, neque his penitus posthac obtinendarum ecclesiarum pontificium facultatemque permitti, ut verae ac Nicaenae fidei sacerdotia casta permaneant: nec post euidentem praecepti nostri formam malignae locus detur astutiae. DAT. III. KALEND. AUG. HERACL(EAE) EVCHERIO ET SYAGRIO CONSS.

s, ecclesiis et clericis.

EOD(OSIUS) PHILIPPO P(RAEFECTO)

vetustatem et canones pristinos eccle-
nt, per omnes Illyrici prouincias, seruari
tatis emerserit, id oporteat, non absque
ctae legis antistitis || urbis Constantino-
rogatiua laetatur || conventui sacerdotali
PRID. ID. IVL. EUSTACHIO ET AGRI-

le haereticis.

NTINI)ANVS ET THEOD(OSIVS) AAA.
M) PRAETORIO.

n locus, nulla ad exercendam animi obsti-
Sciant omnes, etiam si quid speciali quo-
o ab huiusmodi hominum genere impe-
ur cunctorum haereticorum ab inlicitis
t summi dei nomen ubique celebretur;
s traditae, et divinae religionis testimonio
ntia semper mansura teneatur; || Fotinia-
atque ...

nae labis contaminatio, Arriani sacrilegii venenum, Eunomianae perfidiae crimen, et nefanda, monstruosis nominibus auctorum prodigia sectarum ab ipso etiam aboleantur auditu. || Is autem Nicaenae adsertor fidei, catholicae religionis verus cultor accipiendus est, qui omnipotentem deum, et Christum filium dei uno nomine confitetur, deum de deo, lumen lumine: qui spiritum sanctum, quem ex summo rerum parente speramus, et accipimus negando non violat: apud quem, intemeratae fidei sensu, viget incorruptae trinitatis indivisa substantia, quae Graeci adsertione verbi, οὐσία recte credentibus dicitur. Haec profecto nobis magis probata, haec veneranda sunt. Qui vero isdem non inseruiunt, desinant adfectatis dolis alienum verae religionis nomen adsumere, et suis apertis criminibus denotentur. Ab omnium summoti ecclesiarum limine penitus arceantur, cum omnes haereticos inlicitas agere intra oppida congregationes vetemus ac, si quid eruptio factiosa temptaverit, ab ipsis etiam urbium moenibus exterminato furore propelli iubeamus, ut cunctis orthodoxis episcopis, qui Nicaenam fidem tenent, catholicae ecclesiae toto orbe reddantur. DAT. IIII. ID. IAN. CONST(ANTINO)P(O)LI EVCHERIO ET SYAGRIO CONSS.

Tit. VII. De Apostatis.

e) XVI, 7, 1 (381 Mai. 2.)

IMPPP. GR(ATI)ANVS, VAL(ENTINI)ANVS ET THEOD(OSIVS) AAA. AD EVTROPIVM P(RAEFECTVM) P(RAETORIO).

His, qui ex Christianis pagani facti sunt, eripiatur facultas iusque testandi: et omne defuncti, si quod est, testamentum, submota conditione rescindatur. DAT. VI. NON. MAI. CONST(ANTINO)POL(I), SYAGRIO ET EVCHERIO CONSS.

Tit. X. De Paganis, Sacrificiis et Templis.

f) XVI, 10, 4 (346 [354?] Dec. 1.)

IMP. CONSTANTIVS AA. AD TAVRUM P(RAEFECTVM) P(RAETORIO).

Placuit, omnibus locis adque urbibus uniuersis claudi protinus templa, et accessu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiam cunctos sacrificiis abstinere. Quod si quis aliquid forte huiusmodi perpetraverit, gladio ultore sternatur. Facultates etiam perempti fisco decernimus vindicari et similiter adfligi rectores provinciarum. si facinora vindicare neglexerint. DAT. KAL. DEC. CONSTANTIO IIII ET CONSTANTE III AA. CONSS.

g) XVI, 10, 5, (353 Nov. 23.)

IDEM A. AD CEREALEM P(RAEFECTVM) V(RBI).

Aboleantur sacrificia nocturna Magnentio auctore permissa, et nefaria deinceps licentia repellatur, et cetera. DAT. VIIII KAL. DEC. CONSTANTIO A. VI. ET CAES. II. CONSS.

h) XVI, 10, 6 (346 Feb. 19.)

IDEM ET IULIANVS CAES.

Poena capitis subiugari praecipimus eos, quos operam sacrificiis dare, vel colere simulacra, constiterit. DAT. XI. KAL. MART. MED(IOLANO) CONSTANTIO A. VIII. ET IULIANO CAES. CONSS.

i) XVI, 10, 6 (356 Feb. 19.)

IMPPP. GRATIANVS, VAL(ENTINI)ANVS ET THEODOS(IVS) AAA. FLORO P(RAEFECTO) P(RAETORIO).

Si qui vetitis sacrificiis diurnis nocturnisque velut vesanus ac sacrilegus incertorum se consultorum inmerserit, fanumque sibi aut templum ad huiuscemodi sceleris executionem adsumendum crediderit, vel putaverit adeundum, proscribtione se noverit subiugandum, cum nos iusta institutione moneamus, castis deum precibus excolendum, non diris carminibus profanandum. DAT. XII. KAL. IAN. CONSTANTINOP(OLI) EVCHERIO ET SYAGRIO CONSS.

k) XVI, 10, 12 (392 Nov. 8.)

IMPPP. THEOD(OSIVS), ARCAD(IVS) ET HONOR(IVS) AAA. AD RUFINUM P(AEFECTVM) P(RAETORIO).

Nullus omnino, ex quolibet genere ordine hominum dignitatum vel in potestate positus, vel honore perfunctus, sive potens sorte nascendi, seu humilis genere condicione fortuna in nullo penitus loco, in nulla urbe, sensu carentibus simulacris, vel insontem victimam caedat vel secretiore piaculo larem igne, mero genium, penates odore veneratus, accendat lumina, inponat tura, serta suspendat. 1. Quod si quispiam immolare hostiam sacrificaturus audebit, aut spirantia exta consulere, ad exemplum maiestatis reus, licita cunctis accusatione, delatus, excipiat sententiam conpetentem, etiamsi nihil contra salutem principum, aut de salute quaesierit. Sufficit, enim ad criminis molem, naturae ipsius leges velle rescindere, inlicita perscrutari occulta recludere, interdicta temptare, finem quaerere salutis alienae, spem alieni interitus polliceri. 2. Si quis vero mortali opere facta et aevum passura simulacra inposito ture venerabitur, ac ridiculo exemplo, metuens subito quae ipse simulauerit, vel redimita vittis arbore vel erecta effossis ara cespitibus vanas imagines, humiliore licet muneris praemio, tamen plena religionis iniuria, honorare temptaverit, is utpote violatae religionis reus ea domo seu possessione multabitur, in qua eum gentilicia constiterit superstitione famulatum. Namque omnia loca, quae turis constiterit vapore fumasse, si tamen ea in iure fuisse turificantium probabuntur, fisco nostro adsocianda censemus. 3. Sin vero in templis fanisve publicis, aut in aedibus agrisve alienis, tale quispiam sacrificandi genus exercere temptauerit, si ignorante domino usurpata constiterit, viginti quinque libras auri multae nomine cogetur inferre, coniventem vero huic sceleri par ac sacrificantem poena retinebit. 4. Quod quidem ita per iudices, ac defensores, et curiales singularum urbium, volumus custodiri, ut ilico per hos comperta in iudicium deferantur per illos delata plectantur. Si quid autem ii tegendum gratia, aut incuria praetermittendum esse crediderint, commotioni iudiciariae subiacebunt; illi vero moniti si vindictam dissimulatione distulerint, triginta librarum auri dispendio multabuntur, officiis quoque eorum damno parili subiugandis. DAT. VI. ID. NOV. CONST(ANTINO)POLI. ARCADIO A. II. ET RVFINO CONSS.

l) XVI, 10, 25 (435 Nov. 14.)

IMPP. THEOD(OSIVS) ET VAL(ENTINI)ANVS AA. ISIDORO P(RAEFECTO) P(RAETORIO).

Omnibus sceleratae mentis paganae execrandis hostiarum immolationibus damnandisque sacrificiis ceterisque antiquiorum sanctionum auctoritate prohibitis interdicimus cunctaque eorum fana templa delubra, si qua etiam nunc restant integra, praecepto magistratuum destrui conlocationeque

venerandae Christianae religionis signi expiari praecipimus, scientibus universis, si quem huic legi aput conpetentem iudicem idoneis probationibus inlusisse constiterit, eum morte esse multandum. DAT. XVIII. KAL. DEC. CONST(ANTINO)P(OLI) THEOD(OSIO) XV ET VAL(ENTINI)ANO IIII AA. CONSS.

Tit. XI. De Religione.

m) XVI, 11, 1 (399 Aug. 20.)

IMPP. ARCHAD(IVS) ET HON(ORIVS) AA. APOLLODORO PROC(ONSVLI) AFRIC(AE).

Quotiens de religione agitur, episcopos convenit agitare; ceteras vero causas, quae ad ordinarios cognitores vel ad usum publici iuris pertinent, legibus oportet audiri. DAT. XIII KAL. SEPT. PATAVIO THEODORO V̄. C̄. CONSS.

n) XVI, 11, 2 (405 Mart. 5.)

IMPPP. ARCHAD(IVS), HON(ORIVS) ET THEOD(OSIVS) AAA. DIOTIMO PROCONSVLI AFRICAE.

Edictum, quod de unitate per Africanas regiones clementia nostra direxit, per diversa proponi volumus, ut omnibus innotescat, dei omnipotentis unam et veram fidem catholicam, quam recta credulitas confitetur, esse retinendam. DAT. III. NON. MART. RAV(ENNAE) STILICHONE II. ET ANTHEMIO CONSS.

o) XVI, 11, 3 (410 Oct. 14.)

IMPP. HONOR(IVS) ET THEOD(OSIVS) AA. MARCELLINO SVO SALVTEM.

Ea, quae circa catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit vel nostra serenitas roboravit, novella superstitione submota integra et inviolata custodi praecipimus. DAT. PRID. ID. OCT. RAVENNAE VARANE V̄. C̄. CONSS.

26. AURELIUS AUGUSTINUS.

* *De civitate Dei lib. XXII.* ed. Hoffmann I—II. Vindobonae 1898. (*Corpus script. eccl.* Vol. XXX—I). Reuter, *Augustinische Studien.* Gotha 1887. Mirbt, *Die Stellung Augustins in der Publicistik des gregorianischen Kirchenstreites.* Leipzig 1888. Seyrich, *Die Geschichtsphilosophie Augustins nach seiner Schrift «De Civitate Dei».* Leipzig 1891. Boissier, *La fin de Paganisme.* II. p. 339—390: *La «Cité de Dieu» de St. Augustin.* Biegler, *Die «Civ. Dei» des hl. Augustinus.* Paderborn 1894. Loening, *Geschichte.* I. p. 80—90. Rehm, *Geschichte der Staatsrechtswissenschaft.* Freiburg 1896. (Marquardsen, *Handbuch des öffentlichen Rechtes.* I.) p. 155 seq. Bardenhewer, § 94.

De civitate Dei.

Lib. IV. Cap. IV. Remota itaque iustitia quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia et latrocinia quid sunt nisi parua regna? Manus et ipsa

hominum est, imperio principis regitur, pacto societatis adstringitur, placiti lege praeda diuiditur. Hoc malum si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, ut et loca teneat, sedes constituat, ciuitates occupet, populos subiuget, euidentius regni nomen adsumit, quod ei iam in manifesto confert non dempta cupiditas, sed addita inpunitas. Eleganter enim et ueraciter Alexandro illi Magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam cum idem rex hominem interrogaret, quid ei uideretur, ut mare haberet infestum, ille libera contumacia: Quod tibi, inquit, ut orbem terrarum; sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor: quia tu magna classe, imperator. [l. c. I. p. 166—167.]

Lib. XIIII. Cap. XXVIII. *De qualitate duarum ciuitatum, terrenae adque caelestis.* Fecerunt itaque ciuitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemtum Dei, caelestem uero amor Dei usque ad contemtum sui. Denique illa in se ipsa, haec in Domino gloriatur. Illa enim quaerit ab hominibus gloriam; huic autem Deus conscientiae testis maxima est gloria. Illa in gloria sua exaltat caput suum; haec dicit Deo suo: Gloria mea et exaltans caput meum. Illi in principibus eius uel in eis quas subiugat nationibus dominandi libido dominatur; in hac seruiunt inuicem in caritate et praepositi consulendo et subditi obtemperando. Illa in suis potentibus diligit uirtutem suam; haec dicit Deo suo: Diligam te, Domine, uirtus mea. Ideoque in illa sapientes eius secundum hominem uiuentes aut corporis aut animi sui bona aut utriusque sectati sunt, aut qui potuerunt cognoscere Deum, non ut Deum honorauerunt aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes se esse sapientes (id est dominante sibi superbia in sua sapientia sese extollentes) stulti facti sunt et inmutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et uolucrum et quadrupedum et serpentium (ad huiusce modi enim simulacra adoranda uel duces populorum uel sectatores fuerunt), et coluerunt adque seruierunt creaturae potius quam Creatori, qui est benedictus in saecula; in hac autem nulla est hominis sapientia nisi pietas, qua recte colitur uerus Deus, id expectans praemium in societate sanctorum non solum hominum, uerum etiam angelorum, ut sit Deus omnia in omnibus. [l. c. II. p. 56—57.]

Lib. XV. Cap. I. *De duobus ordinibus generationis humanae in diuersos fines ab initio procurrentis.* De felicitate paradisi uel de ipso paradiso et de uita ibi primorum hominum eorumque peccato adque supplicio multi multa senserunt, multa dixerunt, multa litteris mandauerunt. Nos quoque secundum scripturas sanctas uel quod in eis legimus uel quod ex eis intellegere potuimus earum congruentes auctoritati de his rebus in superioribus libris diximus. Enucleatius autem si ista quaerantur, multiplices

non parcet oculus tuus super eum et non celabis eum: adnuntians adnuntiabis de illo: manus tua erit super eum in primis interficere eum et manus omnis populi postremo, et lapidabunt eum et morietur, quoniam quaesiuit auertere te a domino tuo». [Deut. 13. 6—11.] nec filio iubet parci nec fratri et per amata coniugis membra gladium uindicem ducit: amicum quoque sublimi seueritate persequitur et ad discerpenda sacrilegorum corpora omnis populus armatur: integris etiam ciuitatibus, si in isto fuerint facinore deprehensae, decernuntur excidia. et ut hoc prouidentia uestra manifestius discat, constitutae legis sententiam proferam. in eodem libro integris ciuitatibus poenam dominus hac uoce constituit, ait enim: «aut si audieris in una ex ciuitatibus, quas dominus Deus tuus dat tibi inhabitare illic, dicentes: eamus et seruiamus diis aliis quos non nostis: interficiens necabis omnes quiqui sunt in ciuitate caede gladii et incendes ciuitatem igni et erit sine habitaculo, non aedificabitur in aeternum, ut auertatur dominus ab indignatione irae suae: | et dabit tibi misericordiam et miserebitur tui et multiplicabit te, si exaudieris uocem domini Dei tui et obseruaueris praecepta eius.» [Deut. 13. 13—19.] misericordiae suae uobis, sacratissimi imperatores, Deus summus praemia pollicetur et amplificationis maximae augmenta decernit: facite itaque quod iubet, complete quod praecipit. auspicia uestra maioribus cumulata sunt donis: in initio fidei positi diuini fauoris incrementa sensistis: numquam uos manus Dei ueneranda deseruit, numquam uobis laborantibus denegauit auxilium: strati sunt aduersantium cunei et rebellantia ante conspectum uestrum semper arma ceciderunt, missi sunt superbi sub iugum populi et Persica uota conlapsa sunt nec stare diu contra uos potuit malis suis onerata crudelitas. Dei uirtutem utrique diuerso sensistis euentu: uobis caelestis uictoriae corona conlata est, felicitate uestra nostra releuantur incommoda. haec uobis Deus summus, sacratissimi imperatores, pro fide uestra reddidit praemia, his uos interim remuneratos insignibus ad arcana uenerandae legis inuitat. pura mente, deuota conscientia, incorrupto animo clementia uestra caelum semper aspiciat, a Deo semper expectet auxilium, Christi uenerandum numen imploret et pro salute orbis terrarum ac uestra salutari Deo spiritales offerat uictimas. sic uobis feliciter cuncta prouenient, uictoriae, opulentia, pax, copia, sanitas et triumphi, ut diuina maiestate prouecti orbem terrae felici gubernetis imperio. [l. c. pag. 129—130.]

24. THEMISTIUS.

* Themistii, *Orationes.* Ed. Dindorf. Lipsiae 1832. XII. p. 184—197. Luzzatti, *Un precursore della libertà di coscienza dimenticato* (in *Atti dell' Istituto Veneto.* Tom. III. Ser. 6. p. 2164—90). Ruffini, *o. c.* p. 31.

Ad Valentem de religionibus.

Sapienter igitur a te decretum est, vt quam quisque religionem probabilem duceret, ad eam se adiungeret, in eoque animi sui tranquillitati ser-

uiret. Neque haec a te primum lex excogitata est: sed aequalis est vitae hominum, et iam inde ex omnium saeculorum aeternitate a Deo sancita. Informauit enim Deus omnium mentes, quamuis agrestium et barbarorum, notione sui: studiumque pietatis ita omnibus insculpsit, vt neque persuadendo, neque cogendo, ex animis exui possit. Rationem vero et viam qua coli velit, non praescripsit, sed cuiusque iudicio et voluntati permisit. Quocirca qui vim adhibet, pugnat cum Dei et naturae lege: qui quam potestatem hominibus Deus tribuit, eam tentet adimere. Quanquam frustra omnis labor suscipitur. Stabile enim et ratum nihil esse potest, quod sit naturae aduersarium; ad exiguumque tempus eiusmodi leges, si modo legis nomen attingunt, durare possunt, suaque sponte extabescunt. Quod Cambysae et aliorum quorumdam legibus accidisse legimus, quae quod Dei legem conarentur perrumpere, vix ad cuiusque aetatem, a quo erant latae, viguere. At Dei lex, quae eadem tua est, abrogari hominum iussis non potest: et orta iam inde ex aeternitate, per omnesque nationes aequabiliter fusa, deinceps ad infinitam venientis temporis aetatem sancta et inuiolata propagabitur. Est autem Dei lex, vt nulla necessitate voluntates nostrae deuinciantur, quo minus solutae ac liberae quam velint viam ingrediantur, aeternam illam et praestantissimam mentem auguste saucteque venerandi. Hanc neque multatio bonorum ex intimis animorum sensibus eripere, neque equulei palique perfringere, neque enses ignesque profligare, neque vetustas ipsa, quae caetera conficit omnia, delere potest. Corpus quidem ipsum rapi a te ad supplicium et interimi potest: at animus, qui vel Deus est, vel Dei satu generatus, neque vinculis verberibusve coërceri, neque vita multari potest: sed solutus a te compage corporis, et veluti magno beneficio affectus, laetus et alacer, cum Dei lege libertatem suam circumferens, ad caelestem oram subuolabit, vbi neque tyrannorum diritas, neque carnificum gladii terrere poterunt, quominus se in optatissima quiete iactet, etiamsi lingua sensum explanare suum non poterit.

Arbitror autem, Imperator, te pro tua sapientia etiam caussam huius diuinae legis perspexisse, eamque ob caussam diligenter eius vestigiis institisse. Vidisti enim profecto, iacere solere ea quae non sunt hominum studiis et contentionibus excitata. Artes quidem quarum magnus in vita vsus et delectatio est, nunquam ad tantam sublimitatem et elegantiam pervenissent, nisi artificum inter ipsos discrepantia iudiciorum, et certamen quoddam extitisset. Quippe ipsa philosophia mater omnium laudandarum artium ab exiguis orta principiis, nonne doctissimorum hominum dissensione ita creuit, ut ad eius absolutionem nihil desiderari videatur? Denique sic res habet: industriam acuit et studium incendit hominum inter se aemulatio atque contentio; contraque languorem et ignauiam animi affert, omnia omnibus assentiri, nullaque de re contrariis rationibus confligere. Atque haec est illa contentio, quam vtilissimam hominum vitae elegantissimis versibus

scripsit Hesiodus. Habet igitur eandem rationem religio, quam omnes artes, omnes scientiae, omnia quae digna sunt in quibus parandis vel ornandis studium ponatur. Iamdudum vix aut ne vix quidem vmbram vllam haberemus religionis, si omnium mortalium idem semper ritus sacrorum, eadem fuisset habendarum ceremoniarum ratio. Nunc varietate opinionum, et ad hanc diem altum auctumque est studium religionis, et a posteritate ad sempiternum tempus studiose retinebitur. Qui currunt stadium, contendunt illi quidem omnes omnibus neruis ad eundem peruenire iudicem, a quo praemio afficiantur: non tamen eadem omnes insistunt via; sed alius hinc, illinc alius, cursum intendunt. Ita tu vnum esse magnum quendam et verum vitae quasi certaminis praefectum et moderatorem arbitraris: pergi autem ad eum non vna via, sed alia asperiore; alia planiore; alia flexuosa, alia directa; omnibus tamen ad vnum eundemque terminum, veluti diuersorium, perueniri: alacritatem autem et voluntatem properandi, non aliunde innasci quam quod non eodem omnes vtuntur itinere, sed cuique integrum est qua velit via proficisci. Sin vnam viam reliqueris, caeteris obseptis et interclusis: nimirum contracto spatio vrgebis eos augustiis, et omne currendi studium restrinxeris.

Haec hominum non recens sed perantiqua natura est, et qui illum fecit versum.

Atque alius alii faciebat sacra Deorum.

Homerum aetate antecedit. Nam si verum dicimus, Deo ipsi grata esse non potest haec opinionum consensio, quam imperiti homines moliuntur: quin eam ipse distinere, neque velle coalescere videtur. Nam natura vt ait Heraclitus, occultari vult: multoque magis naturae dominus et fabricator Deus. Quocirca quod a cognitione nostra se longissime remouit, neque ad captum ingeniorum nostrorum se demittit, satis argumenti habet, non postulare eum ab omnibus vnum idemque ius religionis; sed cuique de se, sua non aliena sponte opinandi facultatem relinquere. Ex quo etiam euenit, vt maior quaedam in hominum animis admiratio diuini numinis, et religiosior aeternae illius maiestatis veneratio ingeneretur. Fit enim vt quae in promptu sunt, et ad omnem intelligentiam abiecta, fastidiamus, et pro nihilo ducamus: contra magni aestimemus et admirationi habeamus ea quae sublata sunt altius, quam vt eo vis intelligentiae nostrae possit peruadere.

Sed vt a te ipso non discedam, Imperator, in exercitu tuo ordines, muneraque militiae diuersa sunt. Sunt praetoriani milites, sunt legionarii, sunt qui ex equo depugnent, sunt qui pedestres rem gerant, sunt qui funda vel sagittis hostem feriant. Habes qui intima familiaritate tibi coniuncti sint, quibus consilia tua concredas omnia: absunt alii a tua cognitione longius, alii beatos se ducunt, si modo vlli e satellitibus tuis noti sint, aliis de facie vix notus es; aliis ne hoc quidem contigit, sed auditione tantum et fama nomen tuum accepere: et horum longe maxima subiectorum ditioni

tuae hominum pars est. Omnes tamen in tam dispari munere et statu ex te pendent, tuum nutum respiciunt, te sibi regem diuinitus datum agnoscunt et gloriantur. Hac varietate etiam delectari existimare debes principem et moderatorem huius vniuersitatis. Aliam formam religionis vult esse apud Aegyptios, aliam apud Graecos, aliam apud Syros. Neque tamen apud Syros ipsos vna omnium est, sed alius alia vel religione tenetur vel superstitione conflictatur.

In amplis familiis liberi sunt, et serui: et horum in utroque genere mirabilem reperire licet appetitionum, iudiciorum, et ingeniorum varietatem: quae tantum abest, vt domum dedecoret, vel dominum offendat, vt etiam mirum in modum familiam exornet; et non mediocrem dominus ex ea capiat voluptatem. Tota haec machina, quae vltimi caeli complexu continetur, quem mundum dicimus, magna quaedam domus est, cui praeest praestantissima natura, et ab omni contagio materiae segregata, quem notissimo nomine Deum appellamus. Hic ab vniuerso hominum genere, velut familia sua, sibi vt domino sanctissime deseruiri vult: sic tamen vt nemini libertatem eripiat, quominus suo quisque vtatur ingenio, immo gratissimum et iucundissimum ipsi sit, videre infinitam hominum multitudinem, toto terrarum orbe sparsam, certatim in suo quemque et dispari genere ad sui cultum conncurrere: et hoc sibi ad gloriam et magnificum decus mirabiliter aptum putet.

Quae igitur dementia est, id agere, vt omnes homines iisdem opinionibus inuiti imbuantur? quod neque fieri potest, neque si possit, debet. Tua sapientior ratio est, Imperator, qui nemini opinionem extorques suam, sed iudicia relinquis libera; cum eo tamen, vt ne per nomen et speciem religionis, vel caussae perturbandae reip. vel latebrae peccatis quaerantur. Hanc ego legem commodiorem etiam iudico, et vtiliorem summae reipubl. quam foedus quod cum barbaris nuper est ictum. Foedere enim isto assequimur, vt cum barbaris et alienigenis ne belligeremus: tua lege omnes seditiones et pugnae intestinae, quibus laborabamus, sublatae sunt. Nam superiore tempore, quod probe nosti, grauiores eramus ipsi nobis, quam omnis equitatus et peditatus hostium externorum: magisque remp. afflixerunt delationes, quibus vna religio aduersus alteram grassabatur, quam in prouincias nostras incursiones omnium barbarorum. Quamobrem, Imperator, sine paribus pendere libram examinatam ponderibus, neque committe vt alteram lancem impellas: vt paribus et concordibus votis omnes homines, quacumque religione vtantur, incolumitatem a Deo et diuturnitatem imperio tuo precentur. [l. c. pag. 189—197.]

25. CONSTANTIUS, GRATIANUS, VALENTINIANUS, HONORIUS, ARCADIUS, THEODOSIUS.

* *Theodosianus.* I. Ed. Mommsen. Crivellucci, *Storia delle relazioni,* I. cap. 6—9. Schultze, *Geschichte des Untergangs.* I. p. 68—96, 208—297. II. p. 12—52. Galante, *Cose sacre.* p. 40—47.

CODEX THEODOSIANUS.

Liber XVI.

Tit. I. De Fide Catholica.

a) XVI, 1, 2 (380 Febr. 27.)

IMPPP. GR(ATI)ANVS, VAL(ENTINI)ANVS ET THE(O)D(OSIVS) AAA. EDICTVM AD POPVLVM URB(IS) CONSTANTINOP(OLITANAE).

Cunctos populos, quos clementiae nostrae regit temperamentum, in tali volumus religione versari, quam diuinum Petrum apostolum tradidisse Romanis religio usque ad nunc ab ipso insinuata declarat quamque Pontificem Damasum sequi claret, et Petrum Alexandriae episcopum, virum Apostolicae sanctitatis, hoc est, ut secundum apostolicam disciplinam, euangelicamque doctrinam patris et filii et spiritus sancti unam deitatem sub parili maiestate, et sub pia trinitate credamus. Hanc legem sequentes, christianorum catholicorum, nomen iubemus amplecti, reliquos vero dementes vesanosque iudicantes, haeretici dogmatis infamiam sustinere: nec conciliabula eorum ecclesiarum nomen accipere, diuina primum vindicta, post etiam motus nostri, quem ex coelesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos. DAT. III. KAL. MART. THESSAL(ONICAE) GR(ATI)ANO A. V ET THEODOSIO A. I. CONSS.

b) XVI, 1, 3 (381 Iul. 30.)

IDEM AAA. AD AVXONIVM PROC(ONSVLEM) ASIAE.

Episcopis tradi omnes ecclesias mox iubemus, qui unius maiestatis adque virtutis patrem, et filium, et spiritum sanctum confitentur, eiusdem gloriae claritatis unius, nihil dissonum profana divisione facientes, sed trinitatis ordinem, personarum adsertione, et divinitatis unitate, quos constabit communioni Nectari episc(opi) Constantinopolitanae ecclesiae, nec non Timothei intra Aegyptum Alexandrinae urbis episcopi esse sociatos; quos etiam in Orientis partibus, Pelagio episcopo Laodicensi, et Diodoro episcopo Tarsensi: in Asia nec non proconsulari, adque Asiana dioecesi, Amphilochio Episcopo Iconiensi, et Optimo Episcopo Antiocheno; in Pontica dioecesi Helladio epis(copo) Caesariensi, et Otreio Meliteno, et Gregorio epis(copo) Nysseno, Terennio epis(copo) Scythiae, Marmario epis(copo) Marcianop(olitano) communicare constiterit. Hos ad obtinendas catholicas ecclesias ex communione et consortio probabilium sacerdotum oportebit admitti: omnes autem qui ab eorum, quos commemoratio specialis expressit, fidei communione dissentiunt, ut manifestos haereticos ab Ecclesiis expelli, neque his penitus posthac obtinendarum ecclesiarum pontificium facultatemque permitti, ut verae ac Nicaenae fidei sacerdotia casta permaneant: nec post euidentem praecepti nostri formam malignae locus detur astutiae. DAT. III. KALEND. AUG. HERACL(EAE) EVCHERIO ET SYAGRIO CONSS.

Tit. II. De Episcopis, ecclesiis et clericis.

c) XVI, 2, 45 (421 Iul. 14.)

IMPPP. HONOR(IVS) ET THEOD(OSIUS) PHILIPPO P(RAEFECTO) P(RAETORIO) ILLYRICI.

Omni innovatione cessante, vetustatem et canones pristinos ecclesiasticos, qui nunc usque tenuerunt, per omnes Illyrici prouincias, seruari praecipimus. Tum, si quid dubietatis emerserit, id oporteat, non absque scientia viri reverentissimi sacrosanctae legis antistitis || urbis Constantinopolitanae quae Romae veteris praerogatiua laetatur || conventui sacerdotali sanctoque iudicio reservari. DAT. PRID. ID. IVL. EUSTACHIO ET AGRICOLA CONSS.

Tit. V. De haereticis.

d) XVI, 5, 6 (381 Jan. 10.)

IMPPP. GRATIANVS, VAL(ENTINI)ANVS ET THEOD(OSIVS) AAA. AD HESPERIVM P(RAEFECTVM) PRAETORIO.

Nullus haereticis mysteriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio. Sciant omnes, etiam si quid speciali quolibet rescripto, per fraudem elicito ab huiusmodi hominum genere impetratum est, non valere. Arceantur cunctorum haereticorum ab inlicitis congregationibus turbae. Unius et summi dei nomen ubique celebretur; Nicaenae fidei, dudum a maioribus traditae, et divinae religionis testimonio atque adsertione firmatae, obseruantia semper mansura teneatur; || Fotinianae labis contaminatio, Arriani sacrilegii venenum, Eunomianae perfidiae crimen, et nefanda, monstruosis nominibus auctorum prodigia sectarum ab ipso etiam aboleantur auditu. || Is autem Nicaenae adsertor fidei, catholicae religionis verus cultor accipiendus est, qui omnipotentem deum, et Christum filium dei uno nomine confitetur, deum de deo, lumen lumine: qui spiritum sanctum, quem ex summo rerum parente speramus, et accipimus negando non violat: apud quem, intemeratae fidei sensu, viget incorruptae trinitatis indivisa substantia, quae Graeci adsertione verbi, οὐσία recte credentibus dicitur. Haec profecto nobis magis probata, haec veneranda sunt. Qui vero isdem non inseruiunt, desinant adfectatis dolis alienum verae religionis nomen adsumere, et suis apertis criminibus denotentur. Ab omnium summoti ecclesiarum limine penitus arceantur, cum omnes haereticos inlicitas agere intra oppida congregationes vetemus ac, si quid eruptio factiosa temptaverit, ab ipsis etiam urbium moenibus exterminato furore propelli iubeamus, ut cunctis orthodoxis episcopis, qui Nicaenam fidem tenent, catholicae ecclesiae toto orbe reddantur. DAT. IIII. ID. IAN. CONST(ANTINO)P(O)LI EVCHERIO ET SYAGRIO CONSS.

Tit. VII. De Apostatis.

e) XVI, 7, 1 (381 Mai. 2.)

IMPPP. GR(ATI)ANVS, VAL(ENTINI)ANVS ET THEOD(OSIVS) AAA. AD EVTROPIVM P(RAEFECTVM) P(RAETORIO).

His, qui ex Christianis pagani facti sunt, eripiatur facultas iusque testandi: et omne defuncti, si quod est, testamentum, submota conditione rescindatur. DAT. VI. NON. MAI. CONST(ANTINO)POL(I), SYAGRIO ET EVCHERIO CONSS.

Tit. X. De Paganis, Sacrificiis et Templis.

f) XVI, 10, 4 (346 [354?] Dec. 1.)

IMP. CONSTANTIVS AA. AD TAVRUM P(RAEFECTVM) P(RAETORIO).

Placuit, omnibus locis adque urbibus uniuersis claudi protinus templa, et accessu vetito omnibus licentiam delinquendi perditis abnegari. Volumus etiam cunctos sacrificiis abstinere. Quod si quis aliquid forte huiusmodi perpetraverit, gladio ultore sternatur. Facultates etiam perempti fisco decernimus vindicari et similiter adfligi rectores provinciarum. si facinora vindicare neglexerint. DAT. KAL. DEC. CONSTANTIO IIII ET CONSTANTE III AA. CONSS.

g) XVI, 10, 5, (353 Nov. 23.)

IDEM A. AD CEREALEM P(RAEFECTVM) V(RBI).

Aboleantur sacrificia nocturna Magnentio auctore permissa, et nefaria deinceps licentia repellatur, et cetera. DAT. VIIII KAL. DEC. CONSTANTIO A. VI. ET CAES. II. CONSS.

h) XVI, 10, 6 (346 Feb. 19.)

IDEM ET IULIANVS CAES.

Poena capitis subiugari praecipimus eos, quos operam sacrificiis dare, vel colere simulacra, constiterit. DAT. XI. KAL. MART. MED(IOLANO) CONSTANTIO A. VIII. ET IULIANO CAES. CONSS.

i) XVI, 10, 6 (356 Feb. 19.)

IMPPP. GRATIANVS, VAL(ENTINI)ANVS ET THEODOS(IVS) AAA. FLORO P(RAEFECTO) P(RAETORIO).

Si qui vetitis sacrificiis diurnis nocturnisque velut vesanus ac sacrilegus incertorum se consultorum inmerserit, fanumque sibi aut templum ad huiuscemodi sceleris executionem adsumendum crediderit, vel putaverit adeundum, proscribtione se noverit subiugandum, cum nos iusta institutione moneamus, castis deum precibus excolendum, non diris carminibus profanandum. DAT. XII. KAL. IAN. CONSTANTINOP(OLI) EVCHERIO ET SYAGRIO CONSS.

k) XVI, 10, 12 (392 Nov. 8.)

IMPPP. THEOD(OSIVS), ARCAD(IVS) ET HONOR(IVS) AAA. AD RUFINUM P(AEFECTVM) P(RAETORIO).

Nullus omnino, ex quolibet genere ordine hominum dignitatum vel in potestate positus, vel honore perfunctus, sive potens sorte nascendi, seu humilis genere condicione fortuna in nullo penitus loco, in nulla urbe, sensu carentibus simulacris, vel insontem victimam caedat vel secretiore piaculo larem igne, mero genium, penates odore veneratus, accendat lumina, inponat tura, serta suspendat. 1. Quod si quispiam immolare hostiam sacrificaturus audebit, aut spirantia exta consulere, ad exemplum maiestatis reus, licita cunctis accusatione, delatus, excipiat sententiam conpetentem, etiamsi nihil contra salutem principum, aut de salute quaesierit. Sufficit, enim ad criminis molem, naturae ipsius leges velle rescindere, inlicita perscrutari occulta recludere, interdicta temptare, finem quaerere salutis alienae, spem alieni interitus polliceri. 2. Si quis vero mortali opere facta et aevum passura simulacra inposito ture venerabitur, ac ridiculo exemplo, metuens subito quae ipse simulauerit, vel redimita vittis arbore vel erecta effossis ara cespitibus vanas imagines, humiliore licet muneris praemio, tamen plena religionis iniuria, honorare temptaverit, is utpote violatae religionis reus ea domo seu possessione multabitur, in qua eum gentilicia constiterit superstitione famulatum. Namque omnia loca, quae turis constiterit vapore fumasse, si tamen ea in iure fuisse turificantium probabuntur, fisco nostro adsocianda censemus. 3. Sin vero in templis fanisve publicis, aut in aedibus agrisve alienis, tale quispiam sacrificandi genus exercere temptauerit, si ignorante domino usurpata constiterit, viginti quinque libras auri multae nomine cogetur inferre, coniventem vero huic sceleri par ac sacrificantem poena retinebit. 4. Quod quidem ita per iudices, ac defensores, et curiales singularum urbium, volumus custodiri, ut ilico per hos comperta in iudicium deferantur per illos delata plectantur. Si quid autem ii tegendum gratia, aut incuria praetermittendum esse crediderint, commotioni iudiciariae subiacebunt; illi vero moniti si vindictam dissimulatione distulerint, triginta librarum auri dispendio multabuntur, officiis quoque eorum damno parili subiugandis. DAT. VI. ID. NOV. CONST(ANTINO)POLI. ARCADIO A. II. ET RVFINO CONSS.

l) XVI, 10, 25 (435 Nov. 14.)

IMPP. THEOD(OSIVS) ET VAL(ENTINI)ANVS AA. ISIDORO P(RAEFECTO) P(RAETORIO).

Omnibus sceleratae mentis paganae execrandis hostiarum immolationibus damnandisque sacrificiis ceterisque antiquiorum sanctionum auctoritate prohibitis interdicimus cunctaque eorum fana templa delubra, si qua etiam nunc restant integra, praecepto magistratuum destrui conlocationeque

venerandae Christianae religionis signi expiari praecipimus, scientibus universis, si quem huic legi aput conpetentem iudicem idoneis probationibus inlusisse constiterit, eum morte esse multandum. DAT. XVIII. KAL. DEC. CONST(ANTINO)P(OLI) THEOD(OSIO) XV ET VAL(ENTINI)ANO IIII AA. CONSS.

Tit. XI. De Religione.

m) XVI, 11, 1 (399 Aug. 20.)

IMPP. ARCHAD(IVS) ET HON(ORIVS) AA. APOLLODORO PRO-C(ONSVLI) AFRIC(AE).

Quotiens de religione agitur, episcopos convenit agitare; ceteras vero causas, quae ad ordinarios cognitores vel ad usum publici iuris pertinent, legibus oportet audiri. DAT. XIII KAL. SEPT. PATAVIO THEODORO V̄. C̄. CONSS.

n) XVI, 11, 2 (405 Mart. 5.)

IMPPP. ARCHAD(IVS), HON(ORIVS) ET THEOD(OSIVS) AAA. DIOTIMO PROCONSVLI AFRICAE.

Edictum, quod de unitate per Africanas regiones clementia nostra direxit, per diversa proponi volumus, ut omnibus innotescat, dei omnipotentis unam et veram fidem catholicam, quam recta credulitas confitetur, esse retinendam. DAT. III. NON. MART. RAV(ENNAE) STILICHONE II. ET ANTHEMIO CONSS.

o) XVI, 11, 3 (410 Oct. 14.)

IMPP. HONOR(IVS) ET THEOD(OSIVS) AA. MARCELLINO SVO SALVTEM.

Ea, quae circa catholicam legem vel olim ordinavit antiquitas vel parentum nostrorum auctoritas religiosa constituit vel nostra serenitas roboravit, novella superstitione submota integra et inviolata custodi praecipimus. DAT. PRID. ID. OCT. RAVENNAE VARANE V̄. C̄. CONSS.

26. AURELIUS AUGUSTINUS.

* *De civitate Dei lib. XXII.* ed. Hoffmann I—II. Vindobonae 1898. (*Corpus script. eccl.* Vol. XXX—I). Reuter, *Augustinische Studien.* Gotha 1887. Mirbt, *Die Stellung Augustins in der Publicistik des gregorianischen Kirchenstreites.* Leipzig 1888. Seyrich, *Die Geschichtsphilosophie Augustins nach seiner Schrift «De Civitate Dei».* Leipzig 1891. Boissier, *La fin de Paganisme.* II. p. 339—390: *La «Cité de Dieu» de St. Augustin.* Biegler, *Die «Civ. Dei» des hl. Augustinus.* Paderborn 1894. Loening, *Geschichte.* I. p. 80—90. Rehm, *Geschichte der Staatsrechtswissenschaft.* Freiburg 1896. (Marquardsen, *Handbuch des öffentlichen Rechtes.* I.) p. 155 seq. Bardenhewer, § 94.

De civitate Dei.

Lib. IV. Cap. IV. Remota itaque iustitia quid sunt regna nisi magna latrocinia? quia et latrocinia quid sunt nisi parua regna? Manus et ipsa

hominum est, imperio principis regitur, pacto societatis adstringitur, placiti lege praeda diuiditur. Hoc malum si in tantum perditorum hominum accessibus crescit, ut et loca teneat, sedes constituat, ciuitates occupet, populos subiuget, euidentius regni nomen adsumit, quod ei iam in manifesto confert non dempta cupiditas, sed addita inpunitas. Eleganter enim et ueraciter Alexandro illi Magno quidam comprehensus pirata respondit. Nam cum idem rex hominem interrogaret, quid ei uideretur, ut mare haberet infestum, ille libera contumacia: Quod tibi, inquit, ut orbem terrarum; sed quia id ego exiguo nauigio facio, latro vocor: quia tu magna classe, imperator. [l. c. I. p. 166—167.]

Lib. XIIII. Cap. XXVIII. *De qualitate duarum ciuitatum, terrenae adque caelestis.* Fecerunt itaque ciuitates duas amores duo, terrenam scilicet amor sui usque ad contemtum Dei, caelestem uero amor Dei usque ad contemtum sui. Denique illa in se ipsa, haec in Domino gloriatur. Illa enim quaerit ab hominibus gloriam; huic autem Deus conscientiae testis maxima est gloria. Illa in gloria sua exaltat caput suum; haec dicit Deo suo: Gloria mea et exaltans caput meum. Illi in principibus eius uel in eis quas subiugat nationibus dominandi libido dominatur; in hac seruiunt inuicem in caritate et praepositi consulendo et subditi obtemperando. Illa in suis potentibus diligit uirtutem suam; haec dicit Deo suo: Diligam te, Domine, uirtus mea. Ideoque in illa sapientes eius secundum hominem uiuentes aut corporis aut animi sui bona aut utriusque sectati sunt, aut qui potuerunt cognoscere Deum, non ut Deum honorauerunt aut gratias egerunt, sed euanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes se esse sapientes (id est dominante sibi superbia in sua sapientia sese extollentes) stulti facti sunt et inmutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis et uolucrum et quadrupedum et serpentium (ad huiusce modi enim simulacra adoranda uel duces populorum uel sectatores fuerunt), et coluerunt adque seruierunt creaturae potius quam Creatori, qui est benedictus in saecula; in hac autem nulla est hominis sapientia nisi pietas, qua recte colitur uerus Deus, id expectans praemium in societate sanctorum non solum hominum, uerum etiam angelorum, ut sit Deus omnia in omnibus. [l. c. II. p. 56—57.]

Lib. XV. Cap. I. *De duobus ordinibus generationis humanae in diuersos fines ab initio procurrentis.* De felicitate paradisi uel de ipso paradiso et de uita ibi primorum hominum eorumque peccato adque supplicio multi multa senserunt, multa dixerunt, multa litteris mandauerunt. Nos quoque secundum scripturas sanctas uel quod in eis legimus uel quod ex eis intellegere potuimus earum congruentes auctoritati de his rebus in superioribus libris diximus. Enucleatius autem si ista quaerantur, multiplices

adque multimodas pariunt disputationes, quae pluribus intexendae sint uoluminibus, quam hoc opus tempusque deposcit. quod non ita largum habemus, ut in omnibus, quae possunt requirere otiosi et scrupulosi, paratiores ad interrogandum quam capaciores ad intellegendum, nos oporteat inmorari. Arbitror tamen satis nos iam fecisse magnis et difficillimis quaestionibus de initio uel mundi uel animae uel ipsius generis humani, quod in duo genera distribuimus, unum eorum, qui secundum hominem, alterum eorum, qui secundum Deum uiuunt; quas etiam mystice appellamus ciuitates duas, hoc est duas societates hominum, quarum est una quae praedestinata est in aeternum regnare cum Deo, altera aeternum supplicium subire cum diabolo. Sed iste finis est earum, de quo post loquendum est. Nunc autem quoniam de exortu earum siue in angelis, quorum numerus ignoratur a nobis, siue in duobus primis hominibus satis dictum est, iam mihi uidetur earum adgrediendus excursus, ex quo illi duo generare coeperunt, donec homines generare cessabunt. Hoc enim uniuersum tempus siue saeculum, in quo cedunt morientes succeduntque nascentes, istarum duarum ciuitatum, de quibus disputamus, excursus est.

Natus est igitur prior Cain ex illis duobus generis humani parentibus, pertinens ad hominum ciuitatem, posterior Abel, ad ciuitatem Dei. Sicut enim in uno homine, quod dixit apostolus, experimur, quia non primum quod spiritale est, sed quod animale, postea spiritale (unde unusquisque, quoniam ex damnata propagine exoritur, primo sit necesse est ex Adam malus adque carnalis; quod si in Christum renascendo profecerit, post erit bonus et spiritalis): sic in uniuerso genere humano, cum primum duae istae coeperunt nascendo adque moriendo procurrere ciuitates, prior est natus ciuis huius saeculi, posterius autem isto peregrinus in saeculo et pertinens ad ciuitatem Dei, gratia praedestinatus gratia electus, gratia peregrinus deorsum gratia ciuis sursum. Nam quantum ad ipsum adtinet, ex eadem massa oritur, quae originaliter est tota damnata; sed tamquam figulus Deus (hanc enim similitudinem non inpudenter, sed prudenter introducit apostolus) ex eadem massa fecit aliud uas in honorem, aliud in contumeliam. Prius autem factum est uas in contumeliam, post uero alterum in honorem, quia est in ipso uno, sicut iam dixi, homine prius est reprobum, unde necesse est incipiamus et ubi non est necesse ut remaneamus, posterius uero probum, quo proficientes ueniamus et quo peruenientes maneamus. Proinde non quidem omnis homo malus erit bonus, nemo tamen erit bonus qui non erat malus; sed quanto quisque citius mutatur in melius, hoc in se facit nominari quod adprehendit celerius, et posteriore cooperit uocabulum prius. Scriptum est itaque de Cain, quod condiderit ciuitatem; Abel autem tamquam peregrinus non condidit. Superna est enim sanctorum ciuitas, quamuis hic pariat ciues, in quibus peregrinatur, donec regni eius tempus adueniat, cum congregatura est omnes in suis corporibus

resurgentes, quando eis promissum dabitur regnum, ubi cum suo principe rege saeculorum sine ullo temporis fine regnabunt. [II c. pag. 58—60.]

Lib. XVIII. Cap. XXI. *An secundum definitiones Scipionis, quae in dialogo Ciceronis sunt, umquam fuerit Romana res publica.* Quapropter nunc est locus, ut quam potero breuiter ac dilucide expediam, quod in secundo huius operis libro me demonstraturum esse promisi, secundum definitiones, quibus aput Ciceronem utitur Scipio in libris de re publica, numquam rem publicam fuisse Romanam. Breuiter enim rem publicam definit esse rem populi. Quae definitio si vera est, numquam fuit Romana res publica, quia nunquam fuit res populi, quam definitionem uoluit esse rei publicae. Populum enim esse definiuit coetum multitudinis iuris consensu et utilitatis communione sociatum. Quid autem dicat iuris consensum, disputando explicat, per hoc ostendens geri sine iustitia non posse rem publicam; ubi ergo iustitia uera non est, nec ius potest esse. Quod enim iure fit, profecto iuste fit; quod autem fit iniuste, nec iure fieri potest. Non enim iura dicenda sunt uel putanda iniqua hominum constituta, cum illud etiam ipsi ius esse dicant, quod de iustitiae fonte manauerit, falsumque esse, quod a quibusdam non recte sentientibus dici solet, id esse ius, quod ei, qui plus potest, utile est. Quocirca ubi non est uera iustitia, iuris consensu sociatus coetus hominum non potest esse et ideo nec populus iuxta illam Scipionis uel Ciceronis definitionem; et si non populus, nec res populi, sed qualiscumque multitudinis, quae populi nomine digna non est. Ac per hoc, si res publica res est populi et populus non est, qui consensu non sociatus est iuris, non est autem ius, ubi nulla iustitia est: procul dubio colligitur, ubi iustitia non est, non esse rem publicam. Iustitia porro ea uirtus est, quae sua cuique distribuit. Quae igitur iustitia est hominis, quae ipsum hominem Deo uero tollit et inmundis daemonibus subdit? Hocine est sua cuique distribuere? An qui fundum aufert eius, a quo emtus est, et tradit ei, qui nihil habet in eo iuris, iniustus est; et qui se ipsum aufert dominanti Deo, a quo factus est, et malignis seruit spiritibus, iustus est?

Disputatur certe acerrime adque fortissime in eisdem ipsis de re publica libris aduersus iniustitiam pro iustitia. Et quoniam, cum prius ageretur pro iniustitiae partibus contra iustitiam et diceretur nisi per iniustitiam rem publicam stare augerique non posse, hoc ueluti ualidissimum positum erat, iniustum esse, ut homines hominibus dominantibus seruiant; quam tamen iniustitiam nisi sequatur imperiosa ciuitas, cuius est magna res publica, non eam posse prouinciis imperare: responsum est a parte iustitiae ideo iustum esse, quod talibus hominibus sit utilis seruitus, et pro utilitate eorum fieri, cum recte fit, id est cum inprobis aufertur iniuriam licentia, et domiti melius se habebunt, quia indomiti deterius se habuerunt; subditumque est, ut ista ratio firmaretur, ueluti a natura sumtum nobile exemplum adque dictum est: «Quur igitur Deus homini, animus imperat corpori, ratio libidini cete-

risque uitiosis animi partibus?» Plane hoc exemplo satis edoctum est quibusdam esse utilem seruitutem, et Deo quidem ut seruiatur utile esse omnibus. Seruiens autem Deo animus recte imperat corpori, inque ipso animo ratio Deo Domino subdita recte imperat libidini uitiisque ceteris. Quapropter ubi homo Deo non seruit, quid in eo putandum est esse iustitiae? quando quidem Deo non seruiens nullo modo potest iuste animus corpori aut humana ratio uitiis imperare. Et si in homine tali non est ulla iustitia, procul dubio nec in hominum coetu, qui ex hominibus talibus constat. Non est hic ergo iuris ille consensus, qui hominum multitudinem populum facit, cuius res dicitur esse res publica. Nam de utilitate quid dicam, cuius etiam communione sociatus coetus hominum, sicut sese habet ista definitio, populus nuncupatur? Quamuis enim, si diligenter adtendas, nec utilitas sit ulla uiuentium, qui uiuunt inpie, sicut uiuit omnis, qui non seruit Deo seruitque daemonibus, tanto magis inpiis, quanto magis sibi, cum sint inmundissimi spiritus, tamquam dis sacrificari uolunt: tamen quod de iuris consensu diximus satis esse arbitror, unde appareat per hanc definitionem non esse populum, cuius res publica esse dicatur, *in* quo iustitia non est. Si enim dicunt non spiritibus inmundis, sed dis boni adque sanctis in sua re publica seruisse Romanos: numquid eadem totiens repetenda sunt, quae iam satis, immo ultra quam satis est diximus? Quis enim ad hunc locum per superiores huius operis libros peruenit, qui dubitare adhuc possit malis et inpuris daemonibus seruisse Romanos, nisi uel nimium stolidus uel inpudentissime contentiosus? Sed ut taceam quales sint, quos sacrificiis colebant: in lege ueri Dei scriptum est: *Sacrificans dis eradicabitur nisi Domino tantum*. Nec bonis igitur nec malis dis sacrificari uoluit, qui hoc cum tanta comminatione praecepit. [II. c. pag. 408—410.]

27. THEODOSIUS II ET VALENTINIANUS III.

* *Theodosianus II.* ed. P. M. Mayer. Hinschius, *System.* I. 504; IV. 784. Friedberg, *Lehrbuch.* p. 37—39. Crivellucci, *Storia delle relazioni.* p. 339 seq.

Nov. XVII. [***Haenel*** XVI.] *De Episcoporum ordinatione* (445 Iul. 8).

DD. NN. IMPP. THEOD(OSIVS) ET VALENT(INIANVS) AA. AETIO VIRO INL(VSTRI) COMITI ET MAGISTRO VTRIVSQVE MILITIAE ET PATRICIO.

Certum est nobis et imperio nostro unicum esse praesidium in supernae divinitatis favore, ad quem promerendum praecipue Christiana fides et veneranda nobis religio suffragatur. Cum igitur sedis apostolicae primatum sancti Petri meritum, qui princeps est episcopalis coronae, et Romanae dignitas civitatis, sacrae etiam synodi firmasset auctoritas, ne quid praeter auctoritatem sedis istius inlicita praesumptio attentare nitatur (tunc enim ecclesiarum pax ubique servabitur, si rectorem suum agnoscat

universitas), et haec cum hactenus inviolabiliter fuerint custodita, Hilarius Arelatensis, sicut venerabilis viri Leonis Romani papae fideli relatione conperimus, contumaci ausu inlicita quaedam praesumenda temptavit et ideo transalpinas ecclesias abominabilis tumultus invasit, quod recens maximum testatur exemplum. Hilarius enim, qui episcopus Arelatensis vocatur ecclesiae, Romanae Urbis inconsulto pontifice indebitas sibi ordinationes episcoporum sola temeritate usurpantis invasit. Nam alio incompetenter removit, indecenter alios invitis et repugnantibus civibus ordinavit. Qui quoniam non facile ab his, qui non elegerant, recipiebantur, manum sibi contrahebat armatam et claustra murorum in hostilem morem vel obsidione cingebat vel adgressione reservabat et ad sedem quietis pacem praedicaturus per bella ducebat. His talibus et contra imperii maiestatem et contra reverentiam apostolicae sedis admissis, per ordinem religiosi viri urbis papae cognitione decursa certa in eum et de his, quos male ordinaverat, lata sententia est. Et erat quidem ipsa sententia per Gallias etiam sine imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti pontificis auctoritati in ecclesias non liceret? Sed nostram quoque praeceptionem haec ratio provocavit, nec ulterius nec Ilario quem adhuc episcopum nuncupari sola mansueti praesidis permittit humanitas, nec cuiquam alteri liceat ecclesiasticis rebus arma miscere aut praeceptis Romani antistitis obviare. Ausibus enim talibus fides et reverentia nostri violatur imperii. Nec hoc solum, quod est maximi criminis, summovemus, verum ne levis saltem inter ecclesias turba nascatur vel in aliquo minui religionis disciplina videatur, hac perenni sanctione decernimus, ne quid tam episcopis Gallicanis, quam aliarum provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine viri venerabilis papae urbis aeternae auctoritate tentare. Sed hoc illis omnibusque pro lege sit, quicquid sanxit vel sanxerit apostolicae sedis auctoritas, ita ut, quisquis episcoporum ad iudicium Romani antistitis evocatus· venire neglexerit, per moderatorem eiusdem provinciae adesse cogatur, per omnia servatis, quae divi parentes nostri Romanae ecclesiae detulerunt, Aeti p(arens) k(arissime) a(tque) a(mantisssime).

Unde inlustris et praecelsa magnificentia tua praesentis edictalis legis auctoritatem secuta faciet, quae sunt superius constituta, servari: decem li(brarum) auri multa protinus exigenda ab unoquoque iudice, qui passus fuerit praecepta nostra violari. ET MANV DIVINA: DIVINITAS TE SERVET PER MVLTOS ANNOS, P(ARENS) K(ARISSIME) A(TQVE) A(MANTISSIME). DAT. VIII ID. IUL. ROMAE VALENTINIANO A VI ET NONO V̄. C̄. CONSS.

28. Leo I (440—461).

* *S. Leonis Magni Romani Pontificis Opera Omnia.* Ed. Migne (*Patr. Lat.* Tom. 54). I. col. 1127, 1254 seq. *Leonis M. Opera.* Ed. Ballerinii. Venetiis 1773. Tom. I. p. 1121. Loening, *Geschichte.* I. p. 67, 68, 90 seq. Bloetzer, in *Zeitschrift für kathol. Theologie.* 1886. p. 67 seq.

a) Epist. CXLVII. *[Jaffé-Wattenbach n. 523 (300)].*

Leo Iuliano episcopo et Aetio presbytero.

Cap. I. Quamvis dudum litteras tuae dilectionis acceperim, miror tamen eam rescribendi opportunitatem, qua frater Anatolius necessarie usus est, silentio praeteriisse, cum pro ratione temporis atque causarum crebriora oporteat esse colloquia. Ego sane praedicti fratris litteris de his plenius, quae apud Alexandriam haeretica temeritas gessit, edoctus, ad clementissimum principem scripsi, et pro statu Ecclesiae, sicut erat necessarium, supplicavi, ut rebus nimium perturbatis studium suae pietatis impendat. Unde sicut fratrem et coepiscopum nostrum Anatolium cohortatus sum, ita etiam dilectionem tuam admonere non desino, ut clementissimi principis fidem quantis opportunum fuerit precibus ambiatis, quem pro religionis catholicae munimento sponte jam quaedam praestitisse cognovimus; ut non difficilis apud eum sit actio, cujus voluntaria sollicitudine praevenimur.

Cap. II. Quod ergo in causa fidei principale est, incessabilibus suggestionibus obtinete, ut sanctae synodi Chalcedonensis statuta nullis haereticorum pulsentur insidiis, neque liceat quidquam de illa definitione convelli, quam ex inspiratione divina non dubium est per omnia evangelicis atque apostolicis consonare doctrinis. Tum illud omni assiduitate deposcite, ut Alexandrinae Ecclesiae status in antiquae fidei libertatem, refutata atque depulsa haereticorum obcaecatione, revocetur, per catholicorum scilicet sacerdotum providentiam, ut in locum sanctae memoriae Proterii probatissimus et de cujus fide nequeat dubitari, constituatur antistes; cui cum securitate concordiae communio sedis apostolicae praebeatur. Satis enim erit religioso principi gloriosum, si dispositionibus ipsius non solum tota respublica, sed etiam Dei Ecclesia sit quieta. Datum quinto idus Julii, Constantino et Rufo consulibus. [l. c. col. 1116.]

b) Epist. CLVI. *[Jaffé-Wattenbach n. 532 (309)].*

Leo episcopus Leoni Augusto.

Cap. III. Apud christianissimum igitur principem, et inter Christi praedicatores digno honore numerandum, utor catholicae fidei libertate, et ad consortium te apostolorum ac prophetarum securus exhortor: ut constanter despicias ac repellas eos, qui ipsi se christiano nomine privavere; nec patiaris impios parricidas sacrilega simulatione de fide agere, quos constat fidem velle vacuare. Cum enim clementiam tuam Dominus tanta sacramenti sui illuminatione ditaverit, debes incunctanter advertere, regiam potestatem tibi non ad solum mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam: ut ausus nefarios comprimendo, et quae bene sunt statuta defendas, et veram pacem his quae sunt turbata restituas, depellendo scilicet pervasores juris alieni, et antiquae fidei sedem Alexandrinae Ecclesiae re-

formando: ut correctionibus tuis Dei iracundia mitigata, religiosae antea civitati non retribuat quae admissa sunt, sed remittat. Constitue ante oculos cordis tui, venerabilis imperator, omnes qui per totum orbem sunt Domini sacerdotes, pro ea tibi fide in qua totius mundi est redemptio, supplicare. In qua te specialius ambiunt, quia apostolicae fidei sectatores Alexandrinae Ecclesiae praesedere, agentes apud pietatem tuam, ne haereticos homines, et merito pro sua perversitate damnatos, uti sua pervasione patiamini: cum sive impietatem erroris aspicias, sive opus perpetrati furoris attendas, non solum ad sacerdotii honorem admitti nequeant, sed ab ipso christiano nomine mereantur abscindi. Nam, quod exorata pietatis vestrae venia dixerim, quodam contagio splendorem vestrae serenitatis offuscant, cum sacrilegi parricidae id audeant petere quod nec innocentes liceat obtinere, gloriosissime imperator. [l. c. col. 1129—30.]

29. FELIX II (483—492).

* Thiel, *Epistulae Romanorum Pontificum genuinae.* Brunsbergae 1867. I. 247 sq. Sirmondi, *Opera varia.* Venetiis 1728. I. 435. Loening, *Geschichte.* I. 91.

Epist. VIII. *[Jaffé-Wattenbach n. 601 (365)].*

5. Puto autem, quod pietas tua, quae etiam suis mavult vinci legibus quam reniti, coelestibus debeat parere decretis: atque ita humanarum sibi rerum fastigium noverit esse commissum, ut tamen ea, quae divina sunt, per dispensatores divinitus attributos percipienda non ambigat. Puto, quod vobis sine ulla dubitatione sit utile, si Ecclesiam catholicam vestri tempore principatus sinatis uti legibus suis, nec libertati ejus quemquam permittatis obsistere, quae regni vobis restituit potestatem. Certum est enim, hoc rebus vestris esse salutare, ut quum de causis Dei agitur, et juxta ipsius constitutum regiam voluntatem sacerdotibus Christi studeatis subdere, non praeferre, et sacrosancta per eorum praesules discere potius quam docere, Ecclesiae formam sequi, non huic humanitus sequenda jura praefigere, neque ejus sanctionibus velle dominari, cui Deus voluit clementiam tuam piae devotionis colla submittere: ne dum mensura coelestis dispositionis exceditur, eatur in contumeliam disponentis. Et ex hoc quidem de his omnibus concientiam meam ante tribunal Christi causam dicturus absolvo. Vestrae mentis intererit magis ac magis cogitare, et in rerum praesentium statu sub divina nos examinatione subsistere, ac post hujus vitae cursum ad divinum consequenter venturos esse judicium. *[Et alia manu.]* Data Calendis Augusti Venantio v. c. consule. [l. c. pag. 249.]

30. GELASIUS I (492—496).

* Thiel, *Epistolae Rom. Pont.* I. 349—358. Migne, *Patr. Lat.* Tom. 59. p. 41. Hinschius, *Decretales Pseudoisidorianae et Capitula Angilramni.* Lipsiae 1863. p. 639. Thoenes, *De Gelasio I Papa.* Wiesbaden 1873. Roux, *Le Pape*

saint Gélase. I. Bordeaux 1880. Loening, *Geschichte*. I. 92. Crivellucci, *Storia delle relazioni*. II. p. 53. Bardenhewer, § 114. 1.

Epist. XII (a. 494). Ad Anastasium Augustum *[Jaffé-Wattenbach n. 632 (387)]*.

2. Pietatem tuam precor, ne arrogantiam judices divinae rationis officium. Absit, quaeso, a Romano principe, ut intimatam suis sensibus veritatem arbitretur injuriam. Duo quippe sunt, imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur: auctoritas sacrata pontificum, et regalis potestas. In quibus tanto gravius est pondus sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem. Nosti etenim, fili clementissime, quod licet praesideas humano generi dignitate, rerum tamen praesulibus divinarum devotus colla submittis, atque ab eis causas tuae salutis exspectas, inque sumendis coelestibus sacramentis eisque ut competit disponendis, subdi te debere cognoscis religionis ordine potius quam praeesse, itaque inter haec ex illorum te pendere judicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem. Si enim, quantum ad ordinem pertinet publicae disciplinae. cognoscentes imperium tibi superna dispositione collatum, legibus tuis ipsi quoque parent religionis antistites, ne vel in rebus mundanis exclusae videantur obviare sententiae; quo, oro te, decet affectu eis obedire, qui praerogandis venerabilibus sunt attributi mysteriis? Proinde sicut non leve discrimen incumbit pontificibus, siluisse pro Divinitatis cultu, quod congruit; ita his, quod absit, non mediocre periculum est, qui, quum parere debeant, despiciunt. Et si cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit corda submitti, quanto potius sedis illius praesuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et Divinitas summa voluit praeeminere, et subsequens Ecclesiae generalis jugiter pietas celebravit?

3. Ubi pietas tua evidenter advertit, nunquam quolibet penitus humano consilio elevare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni, quem Christi vox praetulit universis, quem Ecclesia veneranda confessa semper est et habet devota primatem. Impeti possunt humanis praesumptionibus quae divino sunt judicio constituta, vinci autem quorumlibet potestate non possunt. Atque utinam sic contra nitentibus perniciosa non sit audacia, quemadmodum, quod ab ipso sacrae religionis auctore praefixum est, non potest ulla virtute convelli! *Firmamentum enim Dei stat!* Numquidnam quum ab aliquibus infestata religio est, quantacunque potuit novitate superari, et non magis hoc invicta permansit, quo aestimata est posse succumbere? Desinant ergo, quaeso te, temporibus tuis quidam per occasionem perturbationis ecclesiasticae praecipitanter ambire, quae non licent: ne et illa, quae male appetunt, nullatenus apprehendant, et modum suum apud Deum hominesque non teneant. [l. c. pag. 350—352.]

81. MAGNUS FELIX ENNODIUS.

* Ennodii, *Opera.* rec. Hartel (*Corpus script. eccl.* VI), Opusc. II. Hefele, *Conciliengeschichte.* II. p. 645. Magani, *Ennodio.* Pavia 1886. Bardenhewer, § 114. 2.

Libellus adversus eos qui contra synodum scribere praesumpserunt.

Non nos beatum Petrum, sicut dicitis, a domino cum sedis privilegiis vel successores eius peccandi iudicamus licentiam suscepisse. Ille perennem meritorum dotem cum hereditate innocentiae misit ad posteros: quod illi concessum est pro actuum luce, ad illos pertinet quos par conversationis splendor illuminat. Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantae dignitatis attollit, in quo si desint bona acquisita per meritum, sufficiunt quae a loci decessore praestantur? Aut enim claros ad haec fastigia erigit aut qui eriguntur illustrat: praenoscit enim quid ecclesiarum fundamento sit habile, super quem ipsa moles innititur. [l. c. 295, 10—20.]

Aliorum forte hominum causas deus voluerit per homines terminare: sedis istius praesulem suo sine questione reservavit arbitrio. Voluit beati Petri apostoli successores caelo tantum debere innocentiam et subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam. Nolite aestimare eas animas de inquisitoribus non habere formidinem, quas deus prae ceteris suo reservavit examini. Non habet apud illum reus de allegationis nitore subsidium, quando ipso factorum utitur teste quo iudice. Dicas forsitan: omnium animarum talis erit in illa disceptatione condicio. Replicabo uni dictum: *tu es Petrus* [Matth. 16_{18} f.] etc., et rursus sanctorum voce pontificum dignitatem sedis eius factam toto orbe venerabilem, dum illi quicquid fidelium est ubique submittitur, dum totius corporis caput esse designatur, de qua mihi videtur dictum per prophetam: *si haec humiliatur, ad cuius fugietis auxilium, et ubi relinquetis gloriam vestram?* [Jes. 10_{3}.] [l. c. 316, 6—24.]

82. SYMMACHUS PAPA (498—514).

* Thiel, *Epist Rom. Pont.* I. p. 700—708. Migne, *Patr. Lat.* T. 62 p. 66. Crivellucci, *Storia.* I. p. 56—7. Loening, *Geschichte.* I. p. 94.

Epist. X. (post a. 506) seu Apologeticus adversum Anastasium Imperatorem. *[Jaffé-Wattenbach n. 761 (475)].*

8. Conferamus autem honorem imperatoris cum honore pontificis: inter quos tantum distat, quantum ille rerum humanarum curam gerit, iste divinarum. Tu imperator a pontifice baptismum accipis, sacramenta sumis, orationem poscis, benedictionem speras, poenitentiam rogas. Postremo tu humana administras, ille tibi divina dispensat. Itaque ut non dicam superior, certe aequalis honor est. Nec te putes mundi pompa praecellere: *Quia quod infirmum Dei, fortius est hominibus.* [1 Cor. 1, 25.] Itaque videris,

quid te deceat. Tamen quum in accusationem proruperis, tam divinis legibus quam humanis pari mecum sorte consistis; in qua cariturus honore summo, si fuero, quia id mavis, te accusante convictus, amissurus pari ratione, si non conviceris, dignitatem. Sit istud in mundo judicium, exspectante Deo et angelis ejus, spectaculum omni saeculo simus, quo aut sacerdos bonae vitae, aut imperator religiosae modestiae consequantur exemplum: quia his praecipue duobus officiis regitur humanum genus, et non debeat aliquid eorum exsistere, quo valeat offendi Divinitas, maxime quum uterque honor videatur esse perpetuus, atque ita humano generi ex alterutro consulatur.

9. Precor, imperator, pace tua dixerim, memento te hominem, ut possis uti concessa tibi divinitus potestate: quia etiamsi haec sub humano praevenere judicio, sub divino necesse est ut discutiantur examine. Fortasse dicturus es, scriptum esse, *omni potestati nos subditos esse debere.* [Rom. 13, 1.] Nos quidem potestates humanas suo loco suscipimus, donec contra Deum suas non erigunt voluntates. Ceterum si omnis potestas a Deo est, magis ergo quae rebus est praestituta divinis. Defer Deo in nobis, et nos deferimus Deo in te. Ceterum si tuo Deo non deferas, non potes ejus uti privilegio, cujus jura contemnis. [l. c. pag. 703—704.]

88. IUSTINIANUS.

* *Corpus Iuris Civilis. Novellae.* ed. Schöll-Kroll. Knecht, *Die Religionspolitik Kaiser Iustinians I.* Würzburg 1896. Pfanmüller, *Die kirchliche Gesetzgebung Iustinians hauptsächlich auf Grund der Novellen.* Berlin 1902. Schulze, *Geschichte des Untergangs.* I. 343. Malfatti, *Imperatori ecc.* I. p. 123—162. Crivellucci, *Storia ecc.* II. 185 seq. Diehl, *Justinien.* pag. 150 seq. Scala, *Geschichte des Griechenthums seit Alexander dem Grossen.* (Helmolt, *Weltgeschichte.* V). p. 43—44.

a) Nov. VI. [a. 535].

Περὶ τοῦ πῶς δεῖ χειροτονεῖσθαι τοὺς ἐπισκόπους καὶ πρεσβυτέρους καὶ διακόνους ἀρρένας καὶ θηλείας, καὶ ποία ἐπιτιμία κατὰ τῶν παραβαινόντων τὸν τύπον τῆς διατάξεως.	Quomodo oporteat episcopos et reliquos clericos ad ordinationem deduci, et de expensis ecclesiarum.

Imp. Iustinianus A. Ephiphanio archiep. Constantinopolitano.

[Προοίμιον.] Μέγιστα ἐν ἀνθρώποις ἐστὶ δῶρα θεοῦ παρὰ τῆς ἄνωθεν δεδομένα φιλανθρωπίας ἱερωσύνη τε καὶ βασιλεία, ἡ μὲν τοῖς θείοις ὑπηρετουμένη, ἡ δὲ τῶν ἀνθρωπίνων ἐξάρχουσά τε καὶ ἐπιμελομένη, καὶ ἐκ μιᾶς τε καὶ τῆς αὐ-	[Praefatio.] Maxima quidem in hominibus sunt dona dei a superna collata clementia sacerdotium et imperium, illud quidem divinis ministrans, hoc autem humanis praesidens ac diligentiam exibens; ex uno eodemque principio utraque procedentia

τῆς ἀρχῆς ἑκατέρα προϊοῦσα καὶ τὸν ἀνθρώπινον κατακοσμοῦσα βίον. ὥστε οὐδὲν οὕτως ἂν εἴη περισπούδαστον βασιλεῦσιν ὡς ἡ τῶν ἱερέων σεμνότης, εἴγε καὶ ὑπὲρ αὐτῶν ἐκείνων ἀεὶ τὸν θεὸν ἱκετεύουσιν, Εἰ γὰρ ἡ μὲν ἄμεμπτος εἴη πανταχόθεν καὶ τῆς πρὸς θεὸν μετέχοι παρρησίας, ἡ δὲ ὀρθῶς τε καὶ προσηκόντως κατακοσμοίη τὴν παραδοθεῖσαν αὐτῇ πολιτείαν, ἔσται συμφωνία τις ἀγαθή, πᾶν εἴ τι χρηστὸν τῷ ἀνθρωπίνῳ χαριζομένη γένει. Ἡμεῖς τοίνυν μεγίστην ἔχομεν φροντίδα περί τε τὰ ἀληθῆ τοῦ θεοῦ δόγματα περί τε τὴν τῶν ἱερέων σεμνότητα, ἧς ἐκείνων ἀντεχομένων πεπιστεύκαμεν, ὡς δι' αὐτῆς μεγάλα ἡμῖν ἀγαθὰ δοθήσεται παρὰ θεοῦ, καὶ τά τε ὄντα βεβαίως ἕξομεν τά τε οὔπω καὶ νῦν ἀφιγμένα προσκτησόμεδα. Καλῶς δὲ ἂν ἅπαντα πράττοιτο καὶ προσηκόντως, εἴπερ ἡ τοῦ πράγματος ἀρχὴ γένοιτο πρέπουσα καὶ φίλη θεῷ. τοῦτο δὲ ἔσεσθαι πιστεύομεν, εἴπερ ἡ τῶν ἱερῶν κανόνων παρατήρησις φυλάττοιτο, ἣν οἵ τε δικαίως ὑμνούμενοι καὶ προσκυνητοὶ καὶ αὐτόπται καὶ ὑπηρέται τοῦ θεοῦ λόγου παραδεδώκασιν ἀπόστολοι καὶ οἱ ἅγιοι πατέρες ἐφύλαξάν τε καὶ ὑφηγήσαντο.

humanam exornant vitam. Ideoque nihil sic erit studiosum imperatoribus, sicut sacerdotum honestas, cum utique et pro illis ipsis semper deo supplicent. Nam si hoc quidem inculpabile sit undique et apud deum fiducia plenum, imperium autem recte et competenter exornet traditam sibi rempublicam, erit consonantia quaedam bona, omne quicquid utile est humano conferens generi. Nos igitur maximam habemus sollicitudinem circa vera dei dogmata et circa sacerdotum honestatem, quam illis obtinentibus credimus quia per eam maxima nobis dona dabuntur a deo, et ea, quae sunt, firma habebimus, et quae nondum hactenus venerunt, adquirimus. Bene autem universa geruntur et competenter, si rei principium fiat decens et amabile deo. Hoc autem futurum esse credimus, si sacrarum regularum observatio custodiatur, quam iuste laudati et adorandi inspectores et ministri dei verbi tradiderunt apostoli, et sancti patres et custodierunt et explanaverunt.

b) Nov. CXXXI [a. 545].

Περὶ ἐκκλησιαστικῶν κανόνων καὶ προνομίων.

Ὁ αὐτὸς βασιλεὺς Πέτρῳ τῷ ἐνδοξοτάτῳ ἐπάρχῳ πραιτωρίων.

[Προοίμιον.] Περὶ τῶν ἐκκλησιαστικῶν κανόνων καὶ προνομίων καὶ ἄλλων κεφαλαίων εἰς τὰς ἁγιω-

De ecclesiasticis titulis.

Idem Aug. Petro pp.

[Praefatio.] De regulis ecclesiasticis et privilegiis aliisque capitulis ad sacrosanctas ecclesias et reliquas

τάτας ἐκκλησίας καὶ τοὺς λοιποὺς σεβασμίους οἴκους ὁρώντων τὸν παρόντα νόμον προφέρομεν.

venerabiles domos pertinentibus praesentem proferimus legem.

I. Θεσπίζομεν τοίνυν, τάξιν νόμων ἐπέχειν τοὺς ἁγίους ἐκκλησιαστικοὺς κανόνας τοὺς ὑπὸ τῶν ἁγίων τεσσάρων συνόδων ἐκτεθέντας ἢ βεβαιωθέντας, τουτέστι τῆς ἐν Νικαίᾳ τῶν τιη' καὶ τῆς ἐν Κωνσταντινουπόλει τῶν ἁγίων ρν' πατέρων καὶ τῆς ἐν Ἐφέσῳ πρώτης, ἐν ᾗ Νεστόριος κατεκρίθη, καὶ τῆς ἐν Καλχηδόνι, καθ' ἣν Εὐτυχὴς μετὰ Νεστορίου ἀνεθεματίσθη. τῶν γὰρ προειρημένων ἁγίων δ' συνόδων καὶ τὰ δόγματα καθάπερ τὰς θείας γραφὰς δεχόμεθα καὶ τοὺς κανόνας ὡς νόμους φυλάττομεν.

I. Sancimus igitur vicem legum obtinere sanctas ecclesiasticas regulas, quae a sanctis quattuor conciliis expositae sunt aut firmatae, hoc est in Nicaena trecentorum decem et octo et in Constantinopolitana sanctorum centum quinquaginta patrum et in Epheso Prima, in quo Nestorius est damnatus, et in Calcedone, in quo Eutychis cum Nesorio anathematizatus est. Praedictarum enim quattuor synodorum dogmata sicut sanctas scripturas accipimus et regulas sicut leges servamus.

II. Καὶ διὰ τοῦτο θεσπίζομεν, κατὰ τοὺς αὐτῶν ὅρους τὸν ἁγιώτατον τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης πάπαν πρῶτον εἶναι πάντων τῶν ἱερέων, τὸν δὲ μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον Κωνσταντινουπόλεος τῆς νέας Ῥώμης δευτέραν τάξιν ἐπέχειν μετὰ τὸν ἁγιώτατον ἀποστολικὸν θρόνον τῆς πρεσβυτέρας Ῥώμης, τῶν δὲ ἄλλων πάντων προτιμᾶσθαι.

II. Ideoque sancimus secundum earum definitiones sanctissimum senioris Romae papam primum esse omnium sacerdotum, beatissimum autem archiepiscopum Constantinopoleos Novae Romae secundum habere locum post sanctam apostolicam sedem senioris Romae, aliis autem omnibus sedibus praeponatur.

III. Τὸν δὲ κατὰ καιρὸν μακαριώτατον ἀρχιεπίσκοπον τῆς Πρώτης Ἰουστινιανῆς τῆς ἡμετέρας πατρίδος ἔχειν ἀεὶ ὑπὸ τὴν οἰκείαν δικαιοδοσίαν τοὺς ἐπισκόπους τῶν ἐπαρχιῶν Daciας mediterraneας καὶ Daciας ripensiας, Praevaleως καὶ Dardaniας καὶ Μυσίας τῆς ἀνωτέρας καὶ Παννονίας, καὶ παρ' αὐτοῦ τούτους χειροτονεῖσθαι, αὐτὸν δὲ ὑπὸ τῆς οἰκείας συνόδου χειροτονεῖσθαι, καὶ ἐν αὐταῖς ταῖς ὑποκειμέναις αὐτῷ ἐπαρχίαις τὸν τόπον

III. Per tempus autem beatissimum archiepiscopum Primae Iustinianae nostrae patriae habere semper sub sua iurisdictione episcopos provinciarum Daciae mediterraneae et Daciae ripensis, Privalis et Dardaniae et Mysiae superioris atque Pannoniae, et ab eo hos ordinari, ipsum vero a proprio ordinari concilio, et in subiectis sibi provinciis locum obtinere eum sedis apostolicae Romae secundum ea quae definita sunt a sanctissimo papa Vigilio.

ἐπέχειν αὐτὸν τοῦ ἀποστολικοῦ Ῥώμης θρόνου κατὰ τὰ ὁρισθέντα ἀπὸ τοῦ ἁγίου πάπα Βιγιλίου.

IV. Καὶ τὸν ὅμοιον τρόπον τὸ δίκαιον τῆς ἀρχιερωσύνης, ὅπερ τῷ ἐπισκόπῳ Ἰουστινιανῆς Καρχηδόνος τῆς Ἀφρικῆς διοικήσεως δεδώκαμεν ἐξ οὗπερ ὁ θεὸς ταύτην ἡμῖν ἀποκατέστησε, φυλάττεσθαι κελεύομεν. καὶ αἱ ἄλλαι δὲ πόλεις καὶ οἱ τούτων ἐπίσκοποι, οἷς ἐν διαφόροις τόποις μητροπολιτικὸν δίκαιον παρεσχέθη, τοῦ τοιούτου προνομίου εἰς τὸ διηνεκὲς ἀπολαυέτωσαν. πάντα δὲ τὰ προνόμια καὶ τὰς παραμυθίας, ἅπερ ἐκ βασιλικῆς φιλοτιμίας ἢ καὶ καθ' ἕτερον οἱονδήποτε τρόπον ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις ἢ ἑτέροις σεβασμίοις τόποις παρεσχέθη, βεβαίως αὐτοῖς διὰ πάντων φυλάττεσθαι.

IV. Simili quoque modo ius pontificis, quod episcopo Iustinianae Carthaginis, Africanae civitatis dedimus ex quo deus hanc nobis restituit, servari iubemus. Sed et aliae civitates et harum episcopi, quibus in diversis locis metropolicum ius praestitum est, huiusmodi privilegio in perpetuum potiantur. Omnia [autem] privilegia vel solacia, quae ex imperiali munificentia aut etiam alio quolibet modo sanctis ecclesiis aut aliis venerabilibus locis collata sunt, firme eis per omnia conserventur.

34. ANASTASIUS II (496–498).

* Thiel, *Ep. Rom. Pont.* I, 623. Hauck, *Kirchengeschichte Deutschlands.* I. p. 156. Junghans, *Histoire critique des règnes de Childerich et de Clodovech,* trad. Monod (in *Bibliothèque de l' École des hautes études,* fasc. 37). Monod, *Études critiques sur les sources de l' histoire mérovingienne* (*Ibid.* fasc. 8). Glasson, *Histoire du droit et des institutions de la France.* Paris 1887 seq. I. Chap. 1. § 15. Fustel de Coulanges, *Histoire des institutions politiques de l' ancienne France.* Paris 1887 seq., Vol. III. Chap. 15. Dümmler, *Geschichte des ostfränkischen Reiches.* Leipzig 1887. I. p. 5 seq. Weyl, *Das fränk. Staatskirchenrecht zur Zeit der Merow.* §§ 1—2. Loening, *Geschichte des deutschen Kirchenrechts.* II. p. 8 seq. Waitz, *Deutsche Verfassungsgeschichte.* Berlin 1882³; II. I. p. 75 seq.

Epist. II. *[Jaffé-Wattenbach n. 745 (465)].*

Cludoeco Anastasius episcopus. (a. 497.)

Tuum, gloriose fili, in Christiana fide cum exordio nostro in pontificatu contigisse gratulamur. Quippe sedes Petri in tanta occasione non potest non laetari, quum plenitudinem gentium intuetur ad eam veloci gradu concurrere, et per temporum spatia repleri sagenam, quam in altum jussus est mittere idem piscator hominum et coelestis Jerusalem beatus claviger. Quod serenitati tuae insinuare voluimus per Eumerium presbyterum, ut quum audiveris laetitiam patris, crescas in bonis operibus, impleas gaudium nostrum, et sis corona nostra, gaudeatque mater Ecclesia de tanti regis,

quem nuper Deo peperit, profectu. Laetifica ergo, gloriose et illustris fili, matrem tuam, et esto illi in columnam ferream! Nam refrigescit caritas multorum, et malorum hominum versutia navicula nostra feris fluctibus agitatur, et despumantibus undis pertunditur. Sed speramus in spem contra spem, et Dominum collaudamus, qui eruit te de potestate tenebrarum et in tanto principe providit Ecclesiae, qui possit eam tueri et contra occurrentes pestiferorum conatus galeam salutis induere. Perge igitur, dilecte et gloriose fili, ut Deus omnipotens serenitatem tuam et regnum protectione coelesti prosequatur, et angelis suis mandet, ut custodiant te in omnibus viis tuis, et det tibi in circuitu de inimicis suis victoriam! [l. c. pag. 624.]

35. CONCILIUM AURELIANENSE PRIMUM A. 511.

* *Concilia Aevi Merowingici,* ed. Maassen *(Monumenta Germaniae historica. Legum Sect. III; Concilia T. I)* p. 1—14. Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum.* I. 160. Mansi, *Concil. ampl. coll.* VIII. p. 530. Hefele, *Conciliengeschichte.* II. p. 661. Weyl, *Das fränk. Staatskirchenrecht.* § 3. Loening, *Geschichte des deutschen Kirchenrechts.* II. p. 130, 159 seq.

[Epistula synodi ad Clodoveum regem.]

Domno suo catholicae ecclesiae filio, Chlothouecho gloriosissimo regi, omnes sacerdotes, quos ad concilium venire iussistis.

Quia tanta ad religionis catholicae cultum gloriosae fidei cura vos excitat, ut sacerdotalis mentis affectum sacerdotes de rebus necessariis tractaturos in unum collegi iusseritis, secundum voluntatis vestrae consultationem et titulos quos dedistis ea quae nobis visum et definitione respondimus; ita ut, si ea quae nos statuimus etiam vestro recta esse iudicio comprobantur, tanti consensus regis ac domini majori auctoritate servandam tantorum firmet sententiam sacerdotum.

[Praefatio.]

Cum auctore Deo ex evocatione gloriosissimi regis Chlothouechi, in Aurilianensi urbe fuisset concilium summorum antistitum congregatum, communi omnibus conlatione complacuit hoc, quod verbo statuerunt, etiam scripturae testimonium roborare.

C. IV. [De ordinatione clericorum et ut filii clericorum in episcopi sint potestate.]

De ordinationibus clericorum id observandum esse censuimus, ut nullus saecularium ad clericatus officium praesumatur nisi aut cum regis iussione aut cum iudicis voluntate; ita ut filii clericorum, id est patrum, avorum ac proavorum, quos supradicto ordine parentum constat observatione subiunctus, in episcoporum potestate ac districtione consistant.

36. MARCULFI FORMULAE.

* *Formulae merowingici et karolini aevi.* ed. Zeumer *(Monumenta Germaniae historica. Legum Sect. V; Formulae)* pag. 32 seq. Brunner, *Deutsche Rechtsgeschichte.* Leipzig 1887. I. pag. 401 seq. Idem, *Grundzüge der deutschen Rechtsgeschichte.* Leipzig 1901. p. 39. Schroeder, *Lehrbuch der deutschen Rechtsgeschichte.* Leipzig 1903[4], § 34. Schupfer, *Manuale di storia del diritto italiano.* Roma 1904[3]. Cap. I, § 3. Loening, *Geschichte des deutschen Kirchenrechts.* II. 160. Weyl, *Fränk. Staatskirchenrecht.* 50 seq. Hauck, *Die Bischofswahlen unter den Merowingern.* Erlangen 1883. Imbart de la Tour, *Les élections épiscopales dans l'Église de France du IX au XII siècle.* Paris 1890. Chap. V. p. 70.

Lib. I. 5. Preceptum de episcopatum.

Ille rex vero apostolico illo episcopo. Quamlibet nos ad ministrandum gubernandumque rerum statue precelsis occupationibus regiae sollicitudinis cura constringat, nihil tamen tam principale quam principe dignum est, ut, cum a pastoralis paulolum oberrat plebs distituta praesidio, pro salutae animarum huiusmodi personis locis celsoribus pontificalem prespiciat committere dignitatem, in quibus maneat dupliciter: sermo, ut populi magistrum, actus, ut Christi imitetur discipulus; qui plebem non minus pietate quam severitate constringat, qui sciat commissa sibi talenta assiduae predicationis sermonibus expolire et adquesita multiplicataque gregis suae salutem ad ovile dominico nullis maculis sordidato valeat presentari. Et quia cognovimus sanctae recordationis domno illi, urbis illius antestite, evocatione divina ab hac luce migrasse, de cuius successorem sollicitudinem congruam una cum pontificibus vel proceribus nostris plenius pertractantes decrevimus, inlustris vero, *aut* venerabile, illo in ipso urbae pontificalem in Dei nomine committere dignitatem, quem plerumque aput animos nostros et accio probata commendat et nobilitatis ordo sublimat ac morum probitas vel mansuetudinis et prudentiae honestitas exornat. Qua de re statuta presentibus ordinamus, ut cum adunatorum caterva ponteficum, ad quos tamen nostrae serenitatis devotio scribta pervenit, ipsum ut ordo postolat, benedici vestra industria studiat, volontatis nostrae deliberationis reseratis oraculis publicare atque aeffectum, Domino annuente, sortire, quatenus, dum ecclesia sibi a dispensatione divina commissa strinuae regere atque gubernare videtur, nobis apud aeternum retributorem mercidum suffragia largiantur, et ille pro peccatorum nostrorum mole indesinenter inmensum Dominum debeat deprecare. [l. c. pag. 45—46.]

Lib. I. 19. Preceptum de clericatum.

Si eis, qui se ad onus clericati transferre deliberant, licenciam non negamus, retributorem Dominum exinde habere confidemus, quia scribtum est: «Noli proibere benefacire ei qui potest; si vales, et ipse benefac». Igitur illi ad nostram veniens presentiam petiit serenitati nostrae, ut ei licentiam tribuere deberemus, qualiter comam capiti sui ad onus clericati depo-

nere deberit, et ad baselica illa, *aut* monasterio, deservire deberit; quod nos propter nomen Domini hoc eidem gratanti animo prestetisse cognuscite. Precipientes ergo iobemus, ut, se memoratus ille de caput suum bene ingenuus esse videtur et in poleptico publico censitus non est, licenciam habeat comam capitis sui tunsorari et ad suprascribta baselica, *vel* monasterio, deservire vel pro nobis Domini misericordia adtentius exorare. [l. c. pag. 55—56.]

87. CHLOTHARII II EDICTUM (614. Oct. 18).

* *Capitularia regum francorum.* ed. Boretius *(Monum. Germ. hist. Legum Sect. II).* T. I. p. 20—23. Brunner, *Deut. Rechtsgeschichte.* I. 376. II. 10. 113. Schröder, *Lehrbuch* § 25. Hinschius, *Kirchenrecht.* IV. 857 seq. Loening, *Geschichte des deut. Kirchenrechts.* II. 511. Weyl, *Fränk. Staatskirchenrecht.* § 6. Sohm, *Die geistliche Gerichtsbarkeit im fränkischen Reiche* (*Zeitschrift für Kirchenrecht.* IX. p. 210 seq.) Nissl, *Der Gerichtsstand des Clerus im fränk. Reich* Innsbruck 1886. p. 150 seq. Idem, *Zur Geschichte des chlotharischen Edikts von 614* (in *Mittheilungen des Instituts für österr. Geschichtsforschung 3. Ergänzungsband* 1890—4). Beauchet, *Origines de la juridiction ecclesiastique.* (*Nouvelle revue histor.* VII. 1883).

Incipit actuum vel constitutionem *inclyti principis* Clothacharii regis super omnem p*lebem in conventu episcoporum* in sinodo Paris*ius adunata,* sub die quintodecimo Kal. Novembris anno trecesimo primo suprascripti regis imperium.

Felicitatem regni nostri in hoc magisque divinum intercedente suffragium succrescere non dubium est, si qua in regno, Deo propicio, nostro, bene acta, statuta atque decreta sunt, inviolabiliter nostro studuerimus tempore custodire; et quod contra rationis ordinem acta vel ordinata sunt, ne inantea, quod avertat divinitas, contingat, disposuimus Christo praesole per huius edicti nostri tenorem generaliter emendare.

1. Ideoque definitionis nostrae est, ut canonum statuta in omnibus conserventur, et quod per tempore ex hoc praetermissum est vel dehaec perpetualiter conservetur; ita ut episcopo decedente in loco *ipsius,* qui a metropolitano ordinari debeat cum provincialibus, a clero *et populo* eligatur; si persona condigna fuerit, per ordinationem principis ordinetur; certe si de palatio eligitur, per meritum personae et doctrinae ordinetur.

2. Ut nullus episcoporum se vivente eligat successorem, sed tunc alius ei substituatur, cum taliter afficeretur, ut ecclesiam suam nec clerum regere possit. Idemque ut nullus vivente episcopo adoptare locum eius praesumat; quod si petierit, ei menime tribuatur.

3. Si quis clerecus, quolibet honore monitus, in contimtu episcopo suo vel praetermisso, ad principem aut ad potentioris quasque personas ambulare vel sibi patrocinia elegerit expetendum, non recipiatur, praeter si pro veniam vedetur expetere. Et si pro qualebit causa ad principem expe-

tierit et cum ipsius principis epistola ad episcopo suo fuerit reversus, excusatus recipiatur. His qui ipsum post admonitionem pontefici suo retenere praesumpserit, a sancto communione privetur.

4. Ut nullum iudicum de qualebit ordine clerecus de civilibus causis, praeter criminale negucia, per se distringere aut damnare praesumat, nisi convicitur manefestus, excepto presbytero aut diacono. Qui convicti fuerint de crimine capitali, iuxta canones distringantur et cum ponteficibus examinentur.

5. Quod si causa inter personam publicam et hominibus ecclesiae steterit, pariter ab utraque partem praepositi ecclesiarum et iudex publicus in audientia publica positi eos debeant iudicare.

6. Cuicumque defunctu, si intestatus decesserit, propinqui absque contrarietate iudicum in eius facultatem iuxta legem succedant.

7. Libertus cuiuscumque ingenuorum a sacerdotibus, iuxta textus cartarum ingenuetatis suae contenit, defensandus, nec absque praesentia episcopi aut praepositi aeclesiae esse iudicandus vel ad publicum revocandus.

8. Ut ubicumque census novus impie addetus est et a populo reclamatur, iuxta inquaesitione misericorditer emendetur.

9. De toloneo: ea loca debeat exegi vel de speciebus ipsis, quae praecidentium principum, id est usque transitum bone memorie domnorum parentum nostrorum Gunthramni, Chilperici, Sigiberthi regum est exactum.

10. Iudaei super christianus actionis publicas agere non debeant. Quicumque se . . . tuos . . . dine sociare praesumpserit, *sever*issimam legem ex canonica incurrat sententia.

11. Ut pax et disciplina in regno nostro sit, Christo propiciante, *perpetua et ut* revellus vel insullentia malorum hominum severissime reprimatur.

12. Et nullus judex de aliis provinciis aut regionibus in alia loca ordinetur; ut, si ali*quid mali de* quibuslibet condicionibus perpetraverit, de suis propriis rebus *exinde* quod male abstolerit iuxta legis ordine debeat restaurare.

13. Praeceptionis *nostrae per omnia im*pleantur. *Et quod per easdem* fuerit ordina*tum per subsequentia* praecepti *nullatenus an*nullatur nec de *palatio nostro tales* praeceptionis *requirantur et sicuti* . . . . *p* . . . . *audien*tia *violatus* . . . . *statutum fuit.*

(14?) . . . . usque *transitum bonae memoriae domnorum* parentum nostrorum *Gunthramni Chilperici Sigiberthi regum* . . . . . *si quis vero* . . . . . *die* ingre*di ille qui* ingredere voluerit *ubi domus* possedit, pontificium habeat usque audientiam defensare. Ecclesiarum res sacerdotum et pauperum qui se defensare non possunt, a iudicibus publecis usque audientiam per iustitiam defensentur, salva emunitate praecidentium domnorum, quod ecclesiae aut

potentum vel *cuicumque visi* sunt indulsisse pro pace atque disciplina facienda.

(15?) Si homines ecclesiarum aut potentum de causis criminalibus fuerint accusati, *agentes* eorum ab agentibus publicis *requisiti si ipsos* in audientia pu . . . . . foris domus ipsorum *ad iustitiam reddenda* praesentare noluerint, et distringantur, *quatenus eosdem* debeant praesentare. Si tamen ab ipsis agentibus ante*a non fuerit emendatum* ita ut se *auctoritatem* . . . . qui debeant . . . . parte proficiat.

16. Quidquid parentis nostri anterioris principis vel nos per iusticia visi fuemus concessisse et confirmasse, in omnibus debeat confirmari.

17. Et quae unus de fidelibus ac leodebus, sua fide servandum domino legitimo, interrigna faciente visus est perdedisse, generaliter absque alico incommodo de rebus sibi iuste debetis praecepimus revestire.

18. De puellas et viduas relegiosas aut sanctaemunialis qui se Deo voverant, tam que in proprias domus resedent quam qui in monastyria posete sunt, nullus nec per praeceptum nostrum conpetat nec trahere nec sibi in coniugio sociare paenitus praesumat. Et si quis exinde praeceptum eleguerit, nullum sorciatur effectum. Et si quicumque aut per virtute aut per quolibet ordine ipsas detrahere aut sibi in coniugium praesumpserit sociare, capitale sententia *feriatur*. Et si in ecclesia coniugium fecerint et illa rapta aut rapienda in hoc consentire videbitur, sequestrati ab invicem in exilio deportentur, et facultas ipsorum propinquis heredibus societur.

19. Episcopi vero vel potentes, qui in alias possedent regionis, iudicis vel missus discursoris de alias provincias non instituant, nisi de loco, qui iusticia percipiant et aliis reddant.

20. Agentes igitur episcoporum aut potentum per potestatem nullius res collecta solacia nec auferant, nec cuiuscumque contemptum per se facere non praesumant.

21. Porcarii fescalis in silvas ecclesiarum aut privatorum absque voluntate possessoris in silvas eorum ingredere non praesumant.

22 Neque ingenuos neque servus, qui cum furto non depraehinditur, ad iudicibus aut ad quemcumque interfici non debeat inauditus.

23. Et quandoquidem passio non fuerit, unde porci debeant saginare, cellarinsis in publico non exegatur.

24. Quicumque vero haec deliberationem, quem cum ponteficibus vel tam magnis viris optematibus aut fidelibus nostris in synodale concilio instruemus, temerare praesumpserit, in ipso capitale sententia iudicetur, qualiter alii non debeant similia perpetrare.

Quam auctoritatem vel edictum perpetuis temporibus valeturum manus nostrae subscripcionibus decrevimus rovorandum. Hamingus.

Chlothacharius in Christi nomine rex hanc definitione subscripsi.

Data sub die XV. Kalendas Novembris, anno XXXI. regni nostri Parisius.

38. ANNALES LAURISSENSES.

* *Annales Laurissenses.* (*Monum. Germaniae historica; Script.* I. 136). Jaffé-Wattenbach, sub a. 751. Weyl, *Die Beziehungen etc.* p. 17, 230–235. Uhrig, *Bedenken gegen die Echtheit der mittelalterlichen Sage von der Enthrohnung des Merovingischen Königshauses durch den Papst Zacharias.* Leipzig 1875. Böhmer-Mülbacher, *Regesten der Karolinger,* I. 30. Hahn, *Jahrbücher des fränk. Reiches.* p. 125. n. 225.

Annales Laurissenses a. 749.[1])

Burghardus Wirzeburgensis episcopus et Folradus capellanus, missi fuerunt ad Zachariam Papam, interrogando de regibus in Francia, qui illis temporibus non habentes regalem potestatem, si bene fuisset, an non. Et Zacharias papa mandavit Pippino, ut melius esset illum regem vocari, qui potestatem haberet, quam illum, qui sine regali potestate manebat; ut non conturbaretur ordo, per auctoritatem apostolicam iussit Pippinum regem fieri. [l. c. p. 136.]

[1]) Einhardi Annales a. 749. Burchardus Wirziburcgensis episcopus, et Foldradus capellanus, missi sunt ad Zachariam Papam, ut consulerent pontificem de causa regum, qui illo tempore fuerunt in Francia, qui nomen tantum regis, sed nullam potestatem regiam habuerunt; per quos praedictus pontifex mandavit, melius esse illum vocari, apud quem summa potestatis consisteret; dataque auctoritate sua, iussit Pippinum regem constitui. [l. c. p. 137.]

39. STEPHANUS II (752–757).

* *Epistulae Merowingici et Karolini Aevi* Tom. I. (*Mon. Germ. hist.; Epistol.* Tom. III.) p. 498.—500. Weyl, *Die Beziehungen des Papsthums zum fränk. Staats- und Kirchenrecht.* p. 10 seq. Malfatti, *Imperatori e Papi ai tempi della signoria dei Franchi in Italia.* I. 328. Tamassia, *Longobardi, Franchi e Chiesa romana.* p. 105. Oelsner, *Jahrbücher des fränk. Reiches unter König Pippin.* Leipzig 1871. p. 504.

Epist. IX. *[A. 756. Jaffé-Wattenbach n. 2325 (1776)]*

Dominis excellentissimis Pippino, Carolo et Carlomanno, tribus regibus, et nostris Romanorum patriciis, seu omnibus episcopis, abbatibus, presbiteris, et monachis, seu gloriosis ducibus, comitibus, vel cuncto exercitui regni et provincie Francorum, Stephanus papa, et omnes episcopi, presbiteri, diacones, seu duces, cartularii, comites, tribunentes, et universus populus et exercitus Romanorum, omnes in affliccione positi.

Quanta luctuosa et amarissima tristicia circumvallati, quantaque anxietate atque angustia coartati simus, et quantas, crebrescentibus continuis malis, oculi nostri destillantes profundant lacrimas, credimus, quod et ipsa omnium elementorum figmenta enarrent. Quis enim harum tribulacionum conspector non lugeat? Quis auditor harum nobis inhaerencium calamitatum non ululet? Quamobrem cuiusdam bonae mulieris, Susannae pudicicie, verba loquimur: *Angustiae nobis undique, et quid agamus ignoramus [Da-*

niel, XIII]. O christianissimi, ecce venerunt nobis dies angustiae; presto sunt dies fletus et amaritudinis, quoniam, quod timebamus a Langobardis evenit. Pro qua angustiati, afflicti, et ex omni circumquaque parte circumdati, ab eorum nequissimo Haistulfo rege et gente, cum propheta Dominum deprecantes dicimus: *Adiuva nos, Deus, salutaris noster, et propter honorem nominis tui libera nos,* [*Psal.* LXXVIII]. Et rursum: *Apprehende arma et scutum, et exurge in adiutorium nostrum* [*Psal.* XXXIV]. Ecce enim cognitum habetis: quomodo pacis foedera a praefato impio Haistulffo rege et eius gente dissipata sunt; et qualiter nihil, iuxta ut constituit et per vinculum sacramenti confirmatum est, valuimus impetrare. Et iam in ipsis Ianuariarum Kalendis cunctus eiusdem Langobardorum exercitus Tusciae partibus, in hanc civitatem Romanam coniunxerunt, et resederunt iuxta portam beati Petri, adque beati Pancratii, et Portuense; ipse vero Aistulfus cum aliis exercitibus coniunxit ex alia parte, et sua fixit tentoria iuxta portam Salariam et caeteras portas et sepius nobis direxit: «Aperite mihi portam Salariam, et ingrediar civitatem; et tradite mihi pontificem vestrum, et pacientiam ago in vobis; minus, ne muros devertens, uno vos gladio interficiam et videam, quis vos eruere possit de manibus meis.»

Sed et Beneventani omnes generaliter in hanc Romanam urbem coniungentes, resederunt iuxta portam beati Johannis, et beati Pauli apostoli, et caeteras istius Romane urbis portas. Et omnia extra urbem praedia longe lateque ferro et igne consumserunt, domos omnes comburentes pene ad fundamenta destruxerunt. Ecclesias Dei incenderunt, et sacratissimas sanctorum imagines in ignem proicientes suis gladiis consumserunt; et munera sancta, id est corpus domini nostri Jesu Christi, in suis contaminatis vasibus, quos folles vocant, miserunt, et cibo carnium copioso saturati, comedebant eadem munera; velamina altarium ecclesiarum Dei vel omnia ornamenta, quod nimis crudele edici est, auferentes in propriis utilitatibus usi sunt. Servos Dei monachos, qui pro officio divino in monasteriis morabantur, plagis maximis tundentes, plures laniaverunt; et sanctimoniales feminas atque reclusas, quae ab infancia et pubertatis tempore pro Dei amore sese clausurae tradiderunt, abstrahentes cum magna crudelitate polluerunt; qui eciam et in ipsa contaminatione alias interficere visi sunt. Et omnes domos cultas beati Petri igni combusserunt, vel omnium Romanorum, ut dictum est, domos comburentes extra urbem funditus destruxerunt, et omnia peculia abstulerunt, et vineas fere ad radices absciderunt, et messes conterentes, omnino devoraverunt. Et neque domui sancte nostrae ecclesie neque cuiquam in hac Romana urbe commoranti spes remansit vivendi, quia, ut dictum est, omnia ferro et igne consumserunt, et multos homines interfecerunt. Sed et copiosam familiam beati Petri, vel omnium Romanorum, tam viros quamque mulieres, iugulaverunt, et alios plures captivos duxerunt. Nam et innocentes infantulos a mamillis matrum suarum sepa-

rantes, ipsasque vi polluentes interemerunt ipsi impii Langobardi. Et tanta mala in hac Romana provincia fecerunt, quanta certe nec pagane gentes aliquando perpetratae sunt, quia etiam, si dici potest, et ipsi lapides nostras dissolaciones videntes, ululant nobiscum. Quinquaginta et quinque dies hanc afflictam Romanam civitatem obsidentes, et ex omni parte circumdantes, proelia fortissima die noctuque cum pessimo furore incessanter cum diversis machinis et adinventionibus plurimis contra nos ad muros istius Romanae urbis commiserunt, ut sue potestati, quod avertat divinitas, subiciens, omnes uno gladio isdem inimicus Haistulfus interimeret. Ita enim, cum magno furore exprobrantes nos, adserebant: «Ecce circumdati estis a nobis; veniant nunc Franci, et eruant vos de manibus nostris». Nam et civitatem Narniensem quam beato Petro concessistis absstulerunt, et aliquas civitates nostras comprehenderunt. Quam ob rem constricti vix potuimus marino itinere praesentes nostras litteras et missum ad vestram Christianitatem dirigere, quas et cum magnis lacrimis scripsimus.

Unde, dilectissimi nobis, peto vos, et tanquam praesencialiter adsistens cum divinis misteriis conjuro coram Deo vivo et vero, et eius principe apostolorum beato Petro, ut sub nimia festinacione nobis subveniatis, ne pereamus. Non nos derelinquatis: sic non vos derelinquat Dominus in omnibus vestris actibus. Non nos spernatis, sic non vos spernat Dominus eius invocantes potenciam. Ne elongetis a nobis auxilium vestrum, christianissimi: sic non elonget Dominus auxilium suum a vobis, dum ingressi fueritis contra inimicos vestros ad dimicandum. Adiuvate nos sub magna velocitate, dilectissimi nobis; occurrite, occurrite et subvenite nobis, antequam gladius inimicorum ad cor nostrum pertingat — peto vos ne pereamus, ne quando dicant gentes, quae in cuncto orbe terrarum sunt: «Ubi est fiducia Romanorum, quam post Deum in regibus et in gente Francorum habebant?» Non nos permittatis perire, et ne differatis nobis adsolaciandum, nec a vestro separetis auxilio: non sic sitis alieni a regno Dei, et ne obduret Dominus aurem suam vestras ad exaudiendas preces et ne avertat faciem suam a vobis in illo futuro examinis die, quando cum beato Petro et ceteris suis apostolis ad iudicandum sederit omnem ordinem omnemque potestatem humanam et seculum per ignem, dicaturque, quod avertat Divinitas: *Nescio vos* [*Matth.* XXV], quia non auxiliati estis Dei Ecclesiae, et defendere minime procurastis eius periclitantem peculiarem populum.

Audite nos, dilectissimi, audite nos et subvenite nobis. Ecce adest tempus salvandi nos: salvate nos, antequam pereamus, christianissimi. Omnes etenim gentes, que circumquaque sunt posite, et ad vestram, per Dei potentiam, Francorum fortissimam gentem refugium fecerunt, salve factae sunt; et si omnibus auxilium inpertire, non differetis, multo amplius sanctam Dei Ecclesiam, et eius populum de inimicorum inpugnatione debueratis liberare. Considerate, dilectissimi, et omnino percogitate — per Deum

vivum vos conjuro —: quoniam post Deum et eius principem apostolorum, nostrae omnium Romanorum animae in vobis pendent; et si perire, quod absit, contigerit, pensate, in cuius animam respiciat ad peccatum. Certe enim omnino credite, christianissimi, si nobis aliqua evenerit calamitas, quod absit, periclitandi, vos de omnibus ante tribunal Dei eritis reddituri rationem. Sed magis, dilectissimi nobis, agite et liberate post Deum in vobis confugientes, ut, fructum bonum afferentes in futuri examinis die mereatis dicere: «Domine noster princeps apostolorum beate Petre, ecce nos clientuli tui, cursum consummantes, fidem servantes tibi, Ecclesiam Dei a superna clementia tibi commendatam de manibus persequentium defendentes liberavimus et, adsistentes inmaculati coram te, offerimus tibi pueros, quos nobis commisisti de manibus inimicorum eruendos, sospites atque incolomes existentes.» Tunc et in praesenti vita et in futuro saeculo celestium praemiorum gaudia adipisci mereamini, audientes paternam desiderabilemque vocem illam inquientis: *Venite, benedicti Patris mei, percipite regnum quod vobis praeparatum est ab origine mundi.*

Opere namque direximus praesentem nostrum missum Georgium, reverentissimum ac sanctissimum fratrem et coepiscopum nostrum, atque Warneharium religiosum abbatem missum vestrum, seu Thomaricum et Comitam, magnificos, idem nostros missos. Qui vobis omnes nostros dolores et cunctas dissolationes, quas a Langobardorum gente et eorum protervo rege passi sumus et assidue patimur, vobis subtili enarratione que propriis oculis viderunt, viva voce edicere debeant. Quibus et in omnibus tamquam nobismet credere iubeatis, et nostram liberationem nimis festinanter procurare. Et conjuro vos per Deum vivum, ut nequaquam amplius discredatis nostras afflictiones et neglectum ponatis ad liberandum nos, ne, quod absit, si amplius credere distuleritis, et neglexeritis nos eruendum, nobis, quod avertat divinitas, irruat calamitas pereundi, et vobis pertineat ad magnum detrimentum et peccatum, atque condempnationem in praesenti et aeterna vita, quia vobis animas omnium nostrorum Romanorum tradidimus. Sed magis magisque vos, ut prelatum est, coniuramus, per patrem, et filium, et spiritum sanctum, trinitatem indivisam, ut nostras tribulationes, et angustias, atque dolores, et desolationes, credere sine qualibet ambiguitate jubeatis, et nobis propter Deum subvenire, et ad liberandum nos de manibus Longabardorum, inimicorum nostrorum nimis festinanter occurrere iubeatis, ut fructum afferentes copiosum, vita aeterna, intercedente beato Petro perfrui mereamini. Praefatus vero Warneharius pro amore beati Petri, loricam se induens, per muros istius afflicte Romane civitatis, vigilabat die noctuque, et pro nostra omnium Romanorum defensione atque liberatione, ut bonus adleta Christi, decertavit totis suis cum viribus.

Bene valete. [l. c. p. 498—500.]

40. CLAUSOLA DE PIPPINO.

* *Gregorii Episcopi Turonensis, libri octo miraculorum.* Hannoverae 1885. ed. Krusch. (in *Monumenta Germaniae historica; Script. rerum meroving.* T. I.) p. 465—466. Mabillon, *De re diplomatica.* Lutetiae Paris 1709. p. 784. Monod, *Études critiques sur les sources de l'histoire méroving.* I. p. 106. Molinier, *Les sources de l'histoire de France.* Paris 1901. I. p. 195. n. 639. Weyl, *Beziehungen des Papsthums etc.* p. 14. n. 2. Dahn, *Urgeschichte der romanischen und germanischen Völker.* Berlin 1881 seq. III. p. 861. Uhrig, *Bedenken gegen die Echtheit etc.* p. 5. Bonnel, *Anfänge des karolingischen Hauses.* Berlin 1866. p. 111 seq. Oelsner, *Jahrbücher des fränk. Reiches unter König Pippin* p. 381. Waitz, *Deutsche Verfassungsgeschichte.* III. 131.

SI NOSSE VIS LECTOR, quibus hic libellus temporibus videatur esse conscriptus vel ad sacrorum martirum preciosam editum laudem, invenies anno ab incarnatione Domini septingentesimo sexagesimo septimo temporibus felicissimi atque tranquillissimi et catholici Pippini regis Francorum et patricii Romanorum, filii beatae memoriae quondam Caroli principis, anno felicissimi regni eius in Dei nomine sexto decimo, indictione quinta et filiorum eius eorundemque regum Francorum Caroli et Carlomanni, qui per manus sanctae recordationis viri beatissimi domni Stephani papae una cum predicto patre domno viro gloriosissimo Pippino rege sacro chrismate in reges Dei providentia et sanctorum apostolorum Petri et Pauli intercessionibus consecrati sunt, anno tertio decimo. Nam ipse praedictus domnus florentissimus Pippinus rex pius per auctoritatem et imperium sanctae recordationis domni Zachariae papae et unctionem sancti chrismatis per manus beatorum sacerdotum Galliarum et electionem omnium Franchorum tribus annis antea in regni solio sublimatus est. Postea per manus eiusdemque Stephani pontificis die uno in beatorum praedictorum martirum Dionisii, Rustici et Eleutherii aecclesia, ubi et venerabilis vir Folradus archipresbiter et abbas esse cognoscitur, in regem et patricium una cum predictis filiis Carolo et Carlomanno in nomine sanctae Trinitatis unctus et benedictus est. In ipsa namque beatorum martyrum aecclesia uno eodemque die nobilissimam atque devotissimam et sanctis martiribus devotissime adhaerentem Berteradam, iam dicti florentissimi regis coniugem, praedictus venerabilis pontifex regalibus indutam cicladibus gratia septiformis Spiritus benedixit, simulque Francorum principes benedictione sancti Spiritus gratia confirmavit et tali omnes interdictu et excommunicationis lege constrinxit, ut numquam de alterius lumbis regem in aevo praesumant eligere, sed ex ipsorum, quos et divina pietas exaltare dignata est et sanctorum apostolorum intercessionibus per manus vicarii ipsorum beatissimi pontificis confirmare et consecrare disposuit. Haec ideo caritati vestrae breviter in novissima paginula libelli inseruimus huius, ut per succedentium temporum et vulgi relatione propago in aevo valeat cognoscere posterorum. [l. c. pag. 465—466.]

41. LIBER PONTIFICALIS (VITA ADRIANI).

* Duchesne, *Le Liber Pontificalis. Texte, introduction et commentaire.* Paris 1886—92 I. 498. Kehr, in *Historische Zeitschrift,* 70. N. F. 34 (1893). p. 388. Schaube, *Ibidem,* 72. N. F. 35 (1894) p. 193. Schnuerer, *Die Entstehung des Kirchenstaates.* Köln 1894. Sickel, in *Deutsche Zeitschrift für Geschichtswissenschaft.* XI. (1894) 301 seq.; XII. 1 seq. Sakur, in *Mittheilungen des Instituts für österr. Geschichtsforschung.* XVI. (1895) 385 seq. Mülbacher, *Deutsche Geschichte unter den Karolingern.* Stuttgart 1896. p. 99 seq. Lindner, *Die sogenannte Schenkung Pippins, Karl d. Gr. und Ottos I. an die Päpste.* Stuttgart 1896. Martens, *Beleuchtung der neuesten Controversen über die römische Frage unter Pippin und Karl d. Gr.* München 1898. Gundlach, *Die Entstehung des Kirchenstaates und die curiale Bezeichnung* Respublica romanorum. Berlin 1899. Pinton, *Le donazioni barbariche ai papi.* Roma 1890. Crivellucci in *Studi storici.* X. (1901) 289. Stutz, *Kirchenrecht,* § 22.

Vita Adriani.

(c. 41) At vero quarta feria, egressus praenominatus (sc. Hadrianus) pontifex cum suis iudicibus tam cleri quamque militiae in ecclesia beati Petri apostoli, pariterque cum eodem rege se loquendum coniungens, constanter eum deprecatus est atque ammonuit et paterno affectu adhortare studuit ut promissionem illam, quam eius sanctae memoriae genitor Pippinus quondam rex et ipse praecellentissimus Carulus cum suo germano Carulomanno atque omnibus iudicibus Francorum fecerant beato Petro et eius vicario sanctae memoriae domno Stephano iuniori papae, quando Franciam perrexit, pro concedendis diversis civitatibus ac territoriis istius Italiae provinciae et contradendis beato Petro eiusque omnibus vicariis in perpetuum possidendis, adimpleret in omnibus. (c. 42) Cumque ipsam promissionem, quae Francia in loco qui vocatur Carisiaco facta est, sibi relegi fecisset, conplacuerunt illi et eius iudicibus omnia quae ibidem erant adnexa. Et propria voluntate, bono ac libenti animo, aliam donationis promissionem ad instar anterioris ipse antedictus praecellentissimus et revera christianissimus Carulus Francorum rex adscribi iussit per Etherium, religiosum ac prudentissimum capellanum et notarium suum; ubi concessit easdem civitates et territoria beato Petro easque praefato pontifici contradi spopondit per designatum confinium, sicut in eadem donatione continere monstratur, id est: a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in Monte Bardone, id est in Verceto, deinde in Parma, deinde in Regio; et exinde in Mantua atque Monte Silicis, simulque et universum exarchatum Ravennantium, sicut antiquitus erat, atque provincias Venetiarum et Istria; necnon et cunctum ducatum Spolitinum seu Beneventanum. (c. 43) Factaque eadem dominatione et propria sua manu eam ipse christianissimus Francorum rex eam conroborans, universos episcopos, abbates, duces etiam et grafiones in ea adscribi fecit; quam prius super altare beati Petri et postmodum intus in sancta eius confessione ponentes, tam ipse Francorum rex quamque eius

iudices, beato Petro et eius vicario sanctissimo Adriano papae sub terribili sacramento sese omnia conservaturos qui in eadem donatione continentur promittentes tradiderunt. Apparem vero ipsius donationis eundem Etherium adscribi faciens ipse christianissimus Francorum rex, intus super corpus beati Petri, subtus evangelia quae ibidem osculantur, pro firmissima cautela et aeterna nominis sui ac regni Francorum memoria propriis suis manibus posuit. Aliaque eiusdem donationis exempla per scrinium huius sanctae nostrae Romanae ecclesiae adscriptam eius excellentia secum deportavit. [l. c. I. pag. 498.]

C) *A Carolo Magno usque ad Reformationem.*

Baxmann, *Die Politik der Päpste von Gregor I. bis Gregor VII.* Elberfeld 1868. Langen, *Geschichte der römischen Kirche von Nicolaus I. bis Gregor VII.* Bonn 1881. Idem, *Geschichte der römischen Kirche von Gregor VII. bis Innocenz III.* Bonn 1883 seq. Giesebrecht, *Geschichte der deutschen Kaiserzeit.* Berlin 1881. Niehues, *Geschichte der Verhältnisse zwischen Kaiserthum und Papsthum im Mittelalter.* Münster 1887. Schulte, *Die Macht der römischen Päpste.* Giessen 1896[3]. Glasson, *Les rapports du pouvoir spirituel et temporel au moyen-âge.* Paris 1890. Greenwood, *Empire and Papacy in the Middle Ages.* London 1895. Fouth, *The Empire and the Papacy (918—1273).* London 1898. Fisher, *The Medieval Empire.* London 1898. Chap. I, X. Bryce, *The Holy Roman Empire.* New ed. London 1884—89. Srbik, *Die Beziehungen von Staat und Kirche in Oesterreich während des Mittelalters.* Innsbruck 1904. Gierke, *Das deutsche Genossenschaftsrecht* Berlin 1881. II. Kap. 3. Hinschius, *Allgemeine Darstellung der Verhältnisse von Staat und Kirche* (in: Marquardsen, *Handbuch des öffentl. Rechts.* I. 1. 192; *Biblioteca di scienze politiche.* Vol. VIII). Solmi, *Stato e Chiesa secondo gli scritti politici da Carlomagno fino al Concordato di Worms.* Scaduto, *Stato e Chiesa negli scritti politici dalla fine della lotta per le investiture sino alla morte di Ludovico il Bavaro (1122—1347).* Firenze 1882. Ruffini, *Lineamenti storici delle relazioni fra lo Stato e la Chiesa in Italia.* Torino 1891. Friedberg, *Lehrbuch.* §§ 13—15. Stutz, *Kirchenrecht.* §§ 22—30. Karl Müller, *Kirchengeschichte.* §§ 122 seq.

---

42. CORONATIO KAROLI MAGNI [A. 800. 25 Dec.]

Hauck, *Kirchengeschichte Deutschlands.* II. p. 101 seq. Abel-Simson, *Jahrbücher des fränk. Reiches unter Karl d. Grossen.* Leipzig 1883. II. 234 seq. Dahn, *Urgeschichte der germanischen und romanischen Völker.* III. 1080. Langen, in *Histor. Zeitschrift.* 1883. p. 433 seq. Doellinger, *Das Kaiserthum Karls d. Gr. und seiner Nachfolger (Akademische Vorträge.* Nordlingen 1888—89. p. 33 seq.) p. 66 seq. Sickel, in *Mittheilungen des Instit. für österr. Geschichtsforschung.* XX. p. 1 seq. Mühlbacher, *Deutsche Geschichte unter den Karolingern.* p. 190 seq. Ottolenghi, *Della dignità imperiale di Carlomagno.* Verona-Padova 1897. p. 90—100. Ketterer, *Karl der Grosse und die Kirche.* München und Leipzig 1898. p. 76 seq. Kleinklausz, *L'Empire Carolingien. Ses origines et sa transformation.* Paris 1902. Brunner, *Deutsche Rechtsgeschichte.* II. p. 83—90. Phillips, *Kirchenrecht.* III. p. 50 seq. Kahl, *Lehrsystem des Kirchenrechts und der Kirchenpolitik.* Freiburg i. Br. 1894. p. 67 seq. Stutz, *Kirchenrecht.* § 22.

EINHARDUS, Vita Caroli Magni.

* Einhardus, *Vita Caroli Magni.* ed. Pertz-Waitz (in *Mon. Germ. hist.; Script.* II. pag. 24). Migne, *Patr. Lat.* Tom. 97. p. 1—63.

27. Quam [sc. ecclesiam sancti Petri] cum tanti penderet, tamen intra 47 annorum, quibus regnaverat, spatium quater tantum illo votorum solvendorum ac supplicandi causa profectus est. — 28. Ultimi adventus sui non solum hae fuere causae verum etiam quod Romani Leonem pontificem, multis affectum iniuriis, erutis scilicet oculis linguaque amputata, fidem regis implorare compulerunt. Idcirco Romam veniens, propter reparandum, qui nimis conturbatus erat, ecclesiae statum ibi totum hiemis tempus extraxit. Quo tempore imperatoris et augusti nomen accepit. Quod primum in tantum aversatus est, ut adfirmaret, se eo die, quamvis praecipua festivitas esset, ecclesiam non intraturum, si pontificis consilium praescire potuisset. Invidiam tamen suscepti nominis, Romanis imperatoribus super hoc indignantibus, magna tulit patientia. Vicitque eorum contumaciam magnanimitate, qua eis procul dubio longe praestantior erat, mittendo ad eos crebras legationes et in epistolis fratres eos appellando. [l. c. pag. 24.]

LIBER PONTIFICALIS: Vita Leonis.

* *Liber Pontificalis.* ed. Duchesne. Tom. II. p. 7.

(c. 23.) Post haec adveniente die natalis domini nostri Jesu Christi in iam dicta basilica beati Petri apostoli omnes iterum congregati sunt. Et tunc venerabilis et almificus praesul manibus suis propriis pretiosissima corona coronavit eum. Tunc universi fideles Romani videntes tantam defensionem et dilectionem, quam erga sanctam Romanam ecclesiam et eius vicarium habuit, unanimiter altisona voce, dei nutu atque beati Petri clavigeri regni coelorum exclamaverunt: «Karolo, piissimo augusto a deo coronato, magno et pacifico imperatori, vita et victoria!» Ante sacram confessionem beati Petri apostoli, plures sanctos invocantes, ter dictum est; et ab omnibus constitutum est imperator Romanorum. (c. 24) Ilico sanctissimus antistes et pontifex unxit oleo sancto Karolo, excellentissimo filio eius, rege, in ipso die natalis domini nostri Iesu Christi.

43. ADMONITIO GENERALIS KAROLI MAGNI (789 m. Martio 23).

* *Capitularia regum francorum.* ed. Boretius. (*Monumenta Germ. hist.; Legum Sect.* II). Hannoverae 1883[2]. Tom. I. p. 53—62. Doellinger, *Das Kaiserthum Karls d. Grossen.* l. c. p. 72 seq. Knitschky, in *Zeitschrift für Kirchenrecht.* XIII. p. 397—400. Ketterer, *Karl der Grosse und die Kirche.* p. 140 seq. Mühlbacher, *Deutsche Geschichte unter den Karolingern* p. 264 seq. Waitz, *Deutsche Verfassungsgeschichte.* II. 178 seq. Glasson, *Histoire du droit et des institutions de la France.* III. p. 596. Solmi, *Stato e Chiesa secondo gli scritti politici ecc.* p. 18. Merchier, *Essai sur le gouvernement de l'Église au temps de Charlemagne.* St. Quentin 1887. (*Mem. de la Soc. Acad. de St. Quentin.* Tom. VII). Ohr, *Der karolingische Gottesstaat.* Leipzig 1902. Lilienfein, *Die Anschauungen von Staat und Kirche im Reich der Karolinger.* Heidelberg 1902. p. 36 seq. Bartelli, *La polizia ecclesiastica della legislazione carolingia.* Roma 1895.

Regnante domino nostro Jesu Christo in perpetuum. Ego Karolus, gratia Dei eiusque misericordia donante rex et rector regni Francorum et devotus sanctae aeclesiae defensor humilisque adiutor, omnibus ecclesiasticae pietatis ordinibus seu saecularis potentiae dignitatibus in Christo domino, Deo aeterno, perpetuae pacis et beatitudinis salutem.

Considerans pacifico piae mentis intuitu una cum sacerdotibus et consiliariis nostris abundantem in nos nostrumque populum Christi regis clementiam, et quam necessarium est non solum toto corde et ore eius pietati agere gratias incessanter, sed etiam continua bonorum operum exercitatione eius insistere laudibus, quatenus qui nostro regno tantos contulit honores, sua protectione nos nostrumque regnum in aeternum conservare dignetur: quapropter placuit nobis vestram rogare solertiam, o pastores ecclesiarum Christi et ductores gregis eius et clarissima mundi luminaria, ut vigili cura et sedula ammonitione populum Dei ad pascua vitae aeternae ducere studeatis, et errantes oves bonorum exemplorum seu adhortationum humeris intra ecclesiasticae firmitatis muros reportare satagimini, ne lupus insidians aliquem canonicas sanctiones transgredientem vel paternas traditiones universalium conciliorum excedentem, quod absit, inveniens devoret. Ideo magno devotionis studio ammonendi et adhortandi sunt immo conpellendi, ut firma fide et infatigabili perseverantia intra paternas sanctiones se conteneant: in quo opere et studio sciat certissime sanctitas vestra nostram vobis cooperare diligentiam. Quapropter et nostros ad vos dereximus missos, qui ex nostri nominis auctoritate una vobiscum corrigerent quae corrigenda essent. Sed et aliqua capitula ex canonicis institutionibus, quae magis nobis necessaria videbantur, subiunximus. Ne aliquis, quaeso, huius pietatis ammonitionem esse praesumtiosam iudicet, qua nos errata corrigere, superflua abscidere, recta cohartare studemus, sed magis benivolo caritatis animo suscipiat. Nam legibus in regnorum libris, quomodo sanctus Iosias regnum sibi a Deo datum circumeundo, corrigendo, ammonendo ad cultum veri Dei studuit revocare: non ut me eius sanctitate aequiparabilem faciam, sed quod nobis sunt ubique sanctorum semper exempla sequenda, et, quoscumque poterimus, ad studium bonae vitae in laudem et in gloriam domini nostri Iesu Christi congregare necesse est. Quapropter, ut praediximus, aliqua capitula notare iussimus, ut simul haec eadem vos ammonere studeatis, et quaecumque vobis alia necessaria esse scitis, ut et ista et illa aequali intentione praedicetis. Nec aliquid, quod vestrae sanctitati populo Dei utile videatur, omittite ut pio studio non ammoneatis, quatenus ut et vestra sollertia et subiectorum oboedientia aeterna felicitate ab omnipotente Deo remuneretur.

1. Omnibus. Sunt enim aliqui, qui culpis exigentibus ab episcopo proprio excommunicantur et ab aliis ecclesiasticis vel laicis praesumptiose in communionem accipiuntur: quod omnino sanctum Nicenum concilium

simul et Calcidonense necnon et Antiochenum atque Sardicense fieri prohibent. [Conc. Nic. can. 5; Conc. Antioch. c. 2, 6; Conc. Sardic. c. 16.]

2. Episcopis. Item enim habetur in eodem concilio, ut eorum qui ad ordinandum veniunt fides et vita prius ab episcopo diligenter discutiatur, et sic ordinentur. [Conc. Nic. c. 9.]

3. Omnibus. Item in eodem concilio necnon et in Antiocheno simul et in Calcidonense, ut fugitivi clerici et peregrini a nullo recipiantur nec ordinentur sine commendaticiis litteris et sui episcopi vel abbatis licentia. [Conc. Nic. c. 16; Conc. Antioch. c. 3; Conc. Chalc. c. 13.]

4. Ad solos sacerdotes. Item in eodem sinodo interdictum est presbyteris et diaconibus vel omnibus qui in clero sunt mulierem habere in domo sua propter suspicionem, nisi matrem aut sororem vel eas tantum personas quae suspiciones effugiunt. [Conc. Nic. c. 3.]

5. Omnibus. Item in eodem concilio seu in decretis papae Leonis necnon et in canonibus quae dicuntur apostolorum, sicut et in lege ipse Dominus praecepit, omnino omnibus interdictum est ad usuram aliquid dare. [Conc. Nic. c. 17; Can. Apost. 44.]

6. Ad sacerdotes. Auditum est aliquos presbyteros missam celebrare et non communicare: quod omnino in canonibus apostolorum interdictum esse legitur. Vel quomodo dicere recte potest, si non communicaverit: «sumpsimus, Domine, sacramenta?» Haec vero per singula capitula in statutis Nicoeni concilii legere potestis seu in aliis sanctorum patrum synodalibus edictis. [Can. Apost. 9.]

7. Omnibus. In Antioceno concilio, quod his qui damnati sunt a synodo vel a suo episcopo et postea ministrare praesumunt praecipitur, ut nullus audeat ei communicare. Si quis vero ei communicat, simili sententia subiaceat sicut et damnatus. [Conc. Antioch. c. 4.]

8. Episcopis. Item in eodem concilio, ut ad metropolitanum episcopum suffragani episcopi respiciant, et nihil nove audeant facere in suis parrochiis sine conscientia et consilio sui metropolitani nec metropolitanus sine eorum consilio. [Conc. Antioch. c. 9.]

9. Sacerdotibus. Item in eodem concilio simul et Acyronense, ut corepiscopi cognoscant modum suum et nihil faciant absque licentia episcopi in cuius parrocchia habitant. [Conc. Antioch. c. 10; Conc. Ancyr. c. 13.]

10. Omni clero. Item in eodem concilio, ut episcopus vel quilibet ex clero sine consilio vel litteris episcoporum vel metropolitani non audeant regalem dignitatem pro suis causis clamare, sed in commune episcoporum concilio causa eius examinetur. [Conc. Antioch. c. 11]

11. Episcopis. Item in eodem concilio simul et in Sardicense necnon et in decretis Innocenti papae, ut nullus episcopus in alterius parrochia ordinationes aliquas audeat efficere vel negotia peragere quae ad eum non pertinent. [Conc. Antioch. c. 13; Conc. Sard. c. 18. Innocent. Ep. 7.]

12. Episcopis. Item in eodem concilio, ut episcopus eius ecclesiae curam habeat ad quam ordinatus est. [Conc. Antioch. c. 21.]

13. Episcopis. Item in eodem concilio necnon et in Calcidonense, ut provinciales episcopi cum suo metropolitano bis in anno propter causas ecclesiae concilia celebrent. [Conc. Antioch. c. 20; Conc. Chalc. c. 19.]

14. Episcopis. In concilio Laudicense necnon in Affricano praecipitur, ut monachi et clerici tabernas non ingrediantur edendi vel bibendi causa. [Conc. Laodic. c. 24; Conc. Afric. c. 7.]

15. Ad omnes. Item in eodem concilio, ut a vespera usque ad vesperam dies dominica servetur. [Conc. Laodic. c. 29.]

16. Omnibus. Item in eodem concilio, ut ignota angelorum nomina nec fingantur nec nominentur, nisi illos quos habemus in auctoritate, id sunt Michahel, Gabrihel, Rafahel. [Conc. Laodic. c. 35.]

17. Clericis et nonnanis. Item in eodem concilio, quod non oporteat mulieres ad altare ingredi. [Conc. Laodic. c. 44.]

18. Sacerdotibus. Item in eodem concilio, ut cauclearii, malefici, incantatores vel incantatrices fieri non sinantur. [Conc. Laod. c. 36.]

19. Omnibus. Item in eodem concilio necnon in Sardicense, quod non oporteat in villolis vel in agris episcopos constitui. [Conc. Sardic. c. 6.]

20. Sacerdotibus. Item in eodem concilio, ut canonici libri tantum legantur in ecclesia. [Conc. Laod. c. 59.]

21. Clericis et monachis. In concilio Calcidonense, ut non oporteat episcopos aut quemlibet ex clero per pecunias ordinari: quia utrique deponendi sunt, et qui ordinat et qui ordinatur, necnon et qui mediator est inter eos.

22. Omnibus. Item de eadem re in canonibus apostolorum legitur: quam heresim iam ipse princeps apostolorum in Simone mago terribiliter damnavit. [Conc. Chalc. c. 2; Can. Apost. 30.]

23. Omnibus. Item in eodem concilio infra duo capitula necnon et in decretis Leonis papae, ut nec monachus nec clericus in secularia negotia transeat. Et ut servum alterius nullus sollicitet ad clericalem vel monachicum ordinem sine voluntate et licentia domini sui. [Conc. Chalc. c. 4.]

24. Sacerdotibus. Item in eodem concilio infra duo capitula necnon et in Sardicense, ut nec episcopi nec clerici non transmigrentur de civitate in civitatem. [Conc. Chalc. c. 5; Conc. Sardicense c. 1.]

25. Omnibus. Item in eodem synodo, ut nullus absolute ordinetur sine pronuntiatione et stabilitate loci ad quem ordinatur. [Conc. Chalc. c. 6.]

26. Monachis et omni clero. Item in eodem concilio, ut clerici et monachi in suo proposito et voto quod Deo promiserunt permaneant. [Conc. Chalc. c. 7.]

27. Sacerdotibus. Item in decretis Innocenti papae de eadem re,

ut monachus, si ad clericatum proveatur, propositum monachicae professionis non ammittat. [Innoc. c. 17.]

28. Omnibus. Item in eodem concilio, ut, si clerici inter se negotium aliquod habuerint, a suo episcopo diiudicentur, non a secularibus. [Conc. Chalc. c. 9.]

29. Omnibus. Item in eodem concilio, ut nec clerici nec monachi conspirationes vel insidias contra pastorem suum faciant. [Conc. Chalc. c. 18.]

30. Omnibus. Item in eodem concilio, ut laici episcopos aut clericos non accusent, nisi prius eorum discutiatur existimationis opinio. [Conc. Chalc. c. 21.]

31. Omnibus. Item in eodem, ut loca quae semel Deo dedicata sunt ut monasteria sint, maneant perpetuo monasteria, nec possint ultra fieri saecularia habitacula. [Conc. Chalc. c. 24.]

32. Omnibus. In concilio Cartaginense: primo omnium ut fides sanctae Trinitatis et incarnationis Christi, passionis et resurrectionis et ascensionis in celos diligenter omnibus predicetur. [Conc. Carth. Professio fidei.]

33. Omnibus. Item in eodem de prohibenda avaritia, ut nullus alienos fines usurpet vel terminos patrum transcendat. [Ibidem c. 5.]

34. Omnibus. Item in eodem de his qui in periculo constituti sunt et convertunt se ad Deum, ut canonice requirant reconciliacionem, et canonice reconcilientur. [Ibidem c. 7.]

35. Omnibus. Item in eodem, ut illi qui non sunt bonae conversationis et eorum vita est accusabilis, ut non audeant episcopos vel maiores natu accusare. [Ibidem c. 8.]

36. Omnibus. Item in eodem, ut qui excommunicato praesumtiose communicaverit excommunicetur et ipse. [Ibidem c. 9.]

37. Sacerdotibus. Item in eodem concilio infra duo capitula, ut nullus presbyter contra suum episcopum superbire audeat. [Conc. Carth. c. 10, 11; Can. Apost. 32.]

38. Omnibus. Item in eodem, ut clerici et eclesiastici ordines, si culpam incurrerint, ut apud ecclesiasticos iudicentur, non apud saeculares. [Conc. Carth. c. 15.]

39. Omnibus. Item in eodem, ut, qui commodaverit pecuniam, pecuniam accipiat; si speciem aliam, eandem speciem quantum dederit accipiat. [Conc. Carth. c. 16.]

40. Omnibus. In concilio Africano, ut virgines Deo sacratae a gravioribus personis diligenti custodia serventur. [Conc. Afric. c. 11.]

41. Episcopis. Item in eodem, ut non liceat episcopo principalem cathedram suae parrochiae neglegere et ad aliquam ecclesiam in sua diocese magis frequentare. [Ibidem c. 38.]

42. Episcopis. Item in eodem, ut falsa nomina martyrum et incertae sanctorum memoriae non venerentur. [Ibidem c. 50.]

43. Omnibus. Item in eodem, ut nec uxor a viro dimissa alium accipiat virum vivente viro suo, nec vir aliam accipiat vivente uxore priore. [Ibidem c. 69.]

44. Episcopis. Item in eodem, ut probati a metropolitano iudices non spernantur. [Ibidem c. 89.]

45. Omnibus. Item in eodem infra duo capitula, ut viles personae non habeant potestatem accusandi. Et si in primo crimine victi sunt falsum dicere, in secundo non habeant potestatem dicendi. [Ibidem c. 96. 97.]

46. Omnibus. Item in eodem, ut virgines non velentur ante viginti quinque annos, nisi rationabili necessitate cogente. [Ibidem c. 93.]

47. Omnibus. In concilio Gangarense, ut nulli liceat oblata, quae ad pauperes pertineant, rapere vel fraudare. [Conc. Gangr. c. 7.]

48. Omnibus sacerdotibus. Item in eodem, ut ecclesiastica ieiunia sine necessitate rationabili non solvantur. [Ibidem c. 19.]

49. Sacerdotibus. In concilio Acyronense inventum est in eos qui cum quadrupedibus vel masculis contra naturam peccant: dura et districta penitentia. Quapropter episcopi et presbyteri, quibus iudicium penitentiae iniunctum est, conentur omnimodis hoc malum a consuetudine prohibere vel abscidere. [Conc. Ancyr. c. 15.]

50. Episcopis. In concilio Neocaesariense, ut nullatenus presbyter ordinetur ante trigesimum aetatis suae annum, quia dominus Iesus non praedicavit ante trigesimum annum. [Conc. Neocaes. c. 11.]

51. Omnibus. In decretalibus Siricii papae, ut alterius sponsam nemo accipiat. [Decr. Syr. c. 6.]

52. Episcopis, monachis, virginibus. Item eiusdem, ut monachi et virgines suum propositum omnimodis observent.

53. Omnibus. In decretalibus Innocenti papae, ut pax detur ab omnibus, confectis Christi sacramentis.

54. Sacerdotibus. Item eiusdem, ut nomina publice non recitentur ante precem sacerdotalem.

55. Episcopis, sacerdotibus. Item eiusdem, ut nulli sacerdotum liceat ignorare sanctorum canonum instituta.

56. Episcopis. In decretis Leonis papae sicut et in Sardicense concilio, ut episcopi alterius clericum ad se non sollicitent nec ordinent.

57. Episcopis. Item eiusdem, ut nullus episcopus servum alterius ad clericatus officium sine domini sui voluntate promovere praesumat; et hoc Gangarense concilium prohibet. [Conc. Gangr. c. 3.]

58. Episcopis. Item eiusdem, ut si quis sacerdotem contra constituta decretalia praesumptiose agat et corrigi nolens, ab officio suo submoveatur.

59. Episcopis. In decretis Gelasii papae, ut nullus episcopus viduas velare praesumat

60. Episcopis. Haec enim, dilectissimi, pio studio et magna dilectionis intentione vestram unianimitatem ammonere studuimus, quae magis necessaria videbantur, ut sanctorum patrum canonicis institutis inhaerentes praemia cum illis aeternae felicitatis accipere mereamini. Scit namque prudentia vestra, quam terribili anathematis censura feriuntur qui praesumptiose contra statuta universalium conciliorum venire audeant. Quapropter et vos diligentius ammonemus, ut omni intentione illud horribile execrationis iudicium vobis cavere studeatis, sed magis canonica instituta sequentes et pacifica unitate nitentes ad aeterna pacis gaudia pervenire dignemini. Sunt quoque aliqua capitula quae nobis utilia huic praecedenti ammonitione subiungere visa sunt.

61. Omnibus. Primo omnium, ut fides catholica ab episcopis et presbyteris diligenter legatur et omni populo praedicetur, quia hoc primum praeceptum est domini Dei omnipotentis in lege: «audi, Israel, quia dominus Deus tuus Deus unus est. Et ut ille diligatur ex toto corde et ex tota mente et ex tota anima et ex tota virtute nostra». [Deuter. 6, 4. 5.]

62. Omnibus. Ut pax sit et concordia et unianimitas cum omni populo christiano inter episcopos, abbates, comites, iudices et omnes ubique seu maiores seu minores personas, quia nihil Deo sine pace placet nec munus sancte oblationis ad altare, sicut in euangelio ipso Domino praecipiente legimus; quia et illud secundum mandatum est in lege: «diliges proximum tuum sicut te ipsum»; item in euangelio: «beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur». Et iterum: «in hoc cognoscent omnes quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem». In hoc enim praecepto discernuntur filii Dei et filii diaboli; quia filii diaboli semper dissensiones et discordias movere satagunt: filii autem Dei semper paci et dilectioni student.

63. Omnibus. Ut quibus data est potestas iudicandi iuste iudicent, sicut scriptum est: «iuste iudicate, fili hominum», non in muneribus, «quia munera excecant corda prudentium et subvertunt verba iustorum», non in adolatione, nec in consideratione personae, sicut in deuteronomio dictum est: «quod iustum est iudicate; sive civis sit ille sive peregrinus, nulla sit distantia personarum, quia Dei iudicium est». Primo namque iudici diligenter discenda est lex a sapientibus populo conposita, ne per ignorantiam a via veritatis erret. Et dum ille rectum intellegat iudicium, caveat ne declinet, aut per adolationem aliquorum aut per amorem cuiuslibet amici aut per timorem alicuius potentis aut propter praemium a recto iudicio declinet: et honestum nobis videtur, ut iudices ieiuni causas audiant et discernant.

64. Omnibus. Item habemus in lege, Domino praecipiente: «non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen domini Dei tui», et «nec adsumes nomen domini Dei tui in vanum». Ideo omnino ammonendi sunt omnes diligenter, ut caveant periurium, non solum in sancto euangelio vel in altare seu in sanctorum reliquiis, sed et in communi loquella; quia sunt

aliqui qui per caritatem et veritatem iurant et cavent se a iuramento nominis Dei, et nesciunt quia idem est Deus quod est caritas et veritas, dicente Iohanne apostolo, quia «Deus caritas est»; item ipse Dominus in euangelio: «ego sum via et veritas»; ideo qui in veritate et caritate iurat, in Deo iurat. Item cavendum est, ne farisaica superstitione aliquis plus aurum honoret quam altare; ne dicat ei Dominus: «stulte et caece, quid est maius: aurum vel altare quod sanctificat aurum?» Sed et nobis honestum videtur, ut, qui in sanctis habeat iurare, hoc ieiunus faciat cum omni honestate et timore Dei; et sciat, se rationem redditurum Deo uniuscuiusque iuramenti, ubicumque sit, sive intra aeclesiam, sive extra aeclesiam. Et ut parvuli qui sine rationabili aetate sunt non cogantur iurare, sicut Guntbodingi faciunt. Et qui semel periuratus fuerit, nec testis sit posthaec nec ad sacramentum accedat nec in sua causa vel alterius iurator existat.

65. Omnibus. Item habemus in lege Domini mandatum: «non auguriamini»; et in deuteronomio: «nemo sit qui ariolos sciscitetur vel somnia observet vel ad auguria intendat»; item: «ne sit maleficus nec incantator nec pithones consolator». Ideo praecipimus, ut cauculatores nec incantatores nec tempestarii vel obligatores non fiant; et ubicumque sunt, emendentur vel damnentur.

Item de arboribus vel petris vel fontibus, ubi aliqui stulti luminaria vel alias observationes faciunt, omnino mandamus, ut iste pessimus usus et Deo execrabilis, ubicumque inveniatur, tollatur et distruatur.

66. Omnibus. Item praedicari necesse est, quantum malum sit odium vel invidia, quia in lege scriptum est: «non oderis fratrem tuum in corde tuo, sed publice argues eum»; item Iohannes euangelista: «qui odit fratrem suum, homicida est»; item in euangelio: «si peccaverit in te frater tuus, vade et corripe eum inter te et ipsum solum», et cetera quae ibi leguntur. De avaritia autem apostolorum legimus dicentem: «avaritia, quae est idolorum servitus, cavenda est». Item de concupiscentia legitur, quod radix sit omnium malorum; et in lege: «non concupisces rem proximi tui».

67. Episcopis, omnibus. Item ut homicidia infra patriam, sicut in lege Domini interdictum est, nec causa ultionis nec avaritiae nec latrocinandi non fiant; et ubicumque inventa fuerint, a iudicibus nostris secundum legem ex nostro mandato vindicentur; et non occidatur homo, nisi lege iubente.

68. Omnibus. Item et furta et iniusta conubia necnon et falsa testimonia, sicut saepe rogavimus, prohibete diligenter, sicut et lex Domini prohibet.

69. Omnibus. Et hoc cum magno studio ammonete, ut filii honorent parentes suos; quia ipse Dominus dicit: «honora patrem tuum et matrem tuam, ut sis longaevus super terram quam dominus Deus tuus dabit tibi».

70. Sacerdotibus. Ut episcopi diligenter discutiant per suas parrochias presbyteros, eorum fidem, baptisma et missarum celebrationes, ut et fidem rectam teneant et baptisma catholicum observent et missarum preces bene intellegant, et ut psalmi digne secundum divisiones versuum modulentur et dominicam orationem ipsi intellegant et omnibus praedicent intellegendam, ut quisque sciat quid petat a Deo; et ut «Gloria Patri» cum omni honore apud omnes cantetur; et ipse sacerdos cum sanctis angelis et populo Dei communi voce «Sanctus, Sanctus, Sanctus» decantet. Et omnimodis dicendum est presbyteris et diaconibus, ut arma non portent, sed magis se confidant in defensione Dei quam in armis.

71. Aliquid sacerdos, aliquid populus. Item placuit nobis ammonere reverentiam vestram, ut unusquisque vestrum videat per suam parrochiam, ut aecclesia Dei suum habeat honorem, simul et altaria secundum suam dignitatem venerentur, et non sit domus Dei et altaria sacrata pervia canibus, et ut vasa sacrata Deo cum magna veneratione habeantur, et ut sacrificia sanctificata cum magna diligentia ab eis colligantur qui digni sunt vel cum honore serventur; et ut secularia nogotia vel vaniloquia in ecclesiis non agantur, quia domus Dei domus orationis debet esse, non spelunca latronum; et ut intentos habeant animos ad Deum quando veniunt ad missarum sollempnia, et ut non exeant ante completionem benedictionis sacerdotalis.

72. Sacerdotibus. Sed et hoc flagitamus vestram almitatem, ut ministri altaris Dei suum ministerium bonis moribus ornent, seu alii canonice observantiae ordines vel monachici propositi congregationes; obsecramus, ut bonam et probabilem habeant conversationem, sicut ipse Dominus in euangelio praecipit: «sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona et glorificent patrem vestrum qui in celis est», ut eorum bona conversatione multi protrahantur ad servitium Dei, et non solum servilis conditionis infantes, sed etiam ingenuorum filios adgregent sibique socient. Et ut scolae legentium puerorum fiant. Psalmos, notas, cantus, compotum, grammaticam per singula monasteria vel episcopia et libros catholicos bene emendate; quia saepe, dum bene aliqui Deum rogare cupiunt, sed per inemendatos libros male rogant. Et pueros vestros non sinite eos vel legendo vel scribendo corrumpere; et si opus est euangelium, psalterium et missale scribere, perfectae aetatis homines scribant cum omni diligentia.

73. Sacerdotibus. Simul et hoc rogare curavimus, ut omnes ubicumque qui se voto monachicae vitae constrinxerunt monachice et regulariter omnimodis secundum votum suum vivant, secundum quod scriptum est: «vota vestra reddite domino Deo vestro», et iterum: «melius est non vovere, quam non reddere». Et ut ad monasteria venientes secundum regularem ordinem primo in pulsatorio probentur et sic accipiantur. Et qui

ex seculari habitu in monasterio veniunt, non statim foras ad ministeria monasterii mittantur antequam intus bene erudiantur. Et ut monachi ad saecularia placita non vadant. Similiter qui ad clericatum accedunt, quod nos nominamus canonicam vitam, volumus ut illi canonice secundum suam regulam omnimodis vivant, et episcopus eorum regat vitam, sicut abbas monachorum.

74, Omnibus. Ut aequales mensuras et rectas et pondera iusta et aequalia omnes habeant, sive in civitatibus sive in monasteriis, sive ad dandum in illis sive ad accipiendum, sicut et in lege Domini praeceptum habemus, item in Salamone, Domino dicente: «pondus et pondus, mensuram et mensuram odit anima mea».

75. Omnibus. Et hoc nobis competens et venerabile videtur, ut hospites, peregrini et pauperes susceptiones regulares et canonicas per loca diversa habeant: quia ipse Dominus dicturus erit in remuneratione magni diei: «hospes eram, et suscepistis me»; et apostolus hospitalitatem laudans, dixit: «per hanc quidam placuerunt Deo, angelis hospitio susceptis».

76. Episcopis, abbatibus. Auditum est, aliquas abbatissas contra morem sanctae Dei ecclesiae benedictionis cum manus inpositione et signaculo sanctae crucis super capita virorum dare, necnon et velare virgines cum benedictione sacerdotali. Quod omnino vobis, sanctissimi patres, in vestris parrochiis interdicendum esse scitote.

77. Clericis. Ut illi clerici, qui se fingunt habitu vel nomine monachos esse, et non sunt, omnimodis videtur corrigendos atque emendandos esse, ut vel veri monachi sint vel veri canonici.

78. Omnibus. Item et pseudografia et dubiae narrationes, vel quae omnino contra fidem catholicam sunt et epistola pessima et falsissima, quam transacto anno dicebant aliqui errantes et in errorem alios mittentes quod de celo cecidisset, nec credantur nec legantur sed conburentur, ne in errorem per talia scripta populus mittatur. Sed soli canonici libri et catholici tractatus et sanctorum auctorum dicta legantur et tradantur.

79. Aliquid sacerdotibus, aliquid omnibus. Item ut isti mangones et cotiones qui sine omni lege vagabundi vadunt per istam terram, non sinantur vagare et deceptiones hominibus agere, nec isti nudi cum ferro, qui dicunt se data sibi poenitentia ire vagantes: melius videtur, ut si aliquid inconsuetum et capitale crimen conmiserint, ut in uno loco permaneant laborantes et servientes et paenitentiam agentes secundum quod sibi canonice inpositum sit.

80. Omni clero. Ut cantum Romanum pleniter discant, et ordinabiliter per nocturnale vel gradale officium peragatur, secundum quod beatae memoriae genitor noster Pippinus rex decertavit ut fieret, quando Gallicanum tulit ob unanimitatem apostolicae sedis et sanctae Dei aeclesiae pacificam concordiam.

81. Omnibus. Statuimus quoque secundum quod et in lege Dominus praecipit, ut opera servilia diebus dominicis non agantur, sicut et bonae memoriae genitor meus in suis synodalibus edictis mandavit, id est quod nec viri ruralia opera exerceant nec in vinea colenda nec in campis arando, metendo vel foenum secando vel sepem ponendo nec in silvis stirpare vel arbores caedere vel in petris laborare nec domos construere nec in orto laborare; nec ad placita conveniant nec venationes exerceant. Et tria carraria opera licet fieri in die dominico, id est ostilia carra vel victualia vel si forte necesse erit corpus cuiuslibet ducere ad sepulcrum. Item feminae opera textilia non faciant nec capulent vestitos nec consuent vel acupictile faciant; nec lanam carpere nec linum battere nec in publico vestimenta lavare nec berbices tundere habeant licitum, ut omnimodis honor et requies diei dominicae servetur. Sed ad missarum sollempnia ad aeclesiam undique conveniant et laudent Deum in omnibus bonis quae nobis in illa die fecit.

82. Omnibus. Sed et vestrum videndum est, dilectissimi et venerabiles pastores et rectores ecclesiarum Dei, ut presbyteros quos mittitis per parrochias vestras ad regendum et ad praedicandum per ecclesias populum Deo servientem, ut recte et honeste praedicent; et non sinatis nova vel non canonica aliquos ex suo sensu et non secundum scripturas sacras fingere et praedicare populo. Sed et vosmetipsi utilia, honesta et recta et quae ad vitam ducunt aeternam praedicate aliosque instruite, ut haec eadem praedicent.

Primo omnium praedicandum est omnibus generaliter, ut credant Patrem et Filium et Spiritum sanctum unum esse Deum omnipotentem, aeternum, invisibilem, qui creavit caelum et terram, mare et omnia quae in eis sunt, et unam esse deitatem, substantiam et maiestatem in tribus personis Patris et Filii et Spiritus sancti.

Item praedicandum est, quomodo Dei filius incarnatus est de Spiritu sancto et ex Maria semper virgine pro salute et reparatione humani generis, passus, sepultus et tertia die resurrexit et ascendit in celis; et quomodo iterum venturus sit in maiestate divina, iudicare omnes homines secundum merita propria; et quomodo impii propter scelera sua cum diabulo in ignem aeternum mittentur, et iusti cum Christo et sanctis angelis suis in vitam aeternam.

Item diligenter praedicandum est de resurrectione mortuorum, ut sciant et credant in iisdem corporibus premia meritorum accepturos.

Item cum omni diligentia cunctis praedicandum est, pro quibus criminibus deputentur cum diabulo in aeternum supplicium. Legimus enim, apostolo dicente: «manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, inmunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, animositates, irae, rixae, dissensiones, haereses, sectae, invi-

diae, homicidia, ebrietates, comessationes et his similia: quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt». Ideo haec eadem quae magnus praedicator ecclesiae Dei singillatim nominavit cum omni studio prohibete, intellegentes quam sit terribile illud quod dixit: «qui talia agunt, regnum Dei non consequentur».

Sed omni instantia ammonete eos de dilectione Dei et proximi, de fide et spe in Deo, de humilitate et patientia, de castitate et continentia, de benignitate et misericordia, de elimosinis et confessione peccatorum suorum, et ut debitoribus suis secundum dominicam orationem sua debita dimittant: scientes certissime; quod qui talia agunt regnum Dei possidebunt.

Et hoc ideo diligentius iniungimus vestrae caritati, quia scimus temporibus novissimis pseudodoctores esse venturos, sicut ipse Dominus in euangelio praedixit, et apostolus Paulus ad Timotheum testatur. Ideo, dilectissimi, toto corde praeparemus nos in scientia veritatis, ut possimus contradicentibus veritati resistere, et divina donante gratia verbum Dei crescat et currat et multiplicetur in profectum sanctae Dei ecclesiae et salutem animarum nostrarum et laudem et gloriam nominis domini nostri Iesu Christi. Pax praedicantibus, gratia oboedientibus, gloria domino nostro Iesu Christo. Amen. [l. c. pag. 53—62.]

44. HINCMARUS RHEMENSIS ARCHIEPISCOPUS.

* Hincmari Rhemensis Archiepiscopi, *Opera omnia*. (Migne, *Patr. lat.* Tom. 125—126). T. 1. col. 699—700; 756—759; ed. Sirmondus, Paris 1625. II. 126. Noorden, *Hincmar Erzbischof v. Reims.* Bonn 1863. Schroers, *Hinkmar Erzbischof von Reims. Sein Leben und seine Werke.* Freiburg i. B. 1884. Kap. 18. p. 381—389. Solmi, *Stato e Chiesa negli scritti politici. etc.* p. 30 seq. Lilienfein, *Die Anschauungen von Staat und Kirche.* p. 90 seq.

De divortio Lotharii regis et Tetbergae reginae.

Interrogatio XII. Responsio. Hoc autem regnum de multorum manibus in manu parentum nostrorum regnum Deo gratias fuerat adunatum et unum regnum una est Ecclesia, quae illorum divisione, qui sicut unus homo et unus rector in uno regimine esse debent, dividi nullatenus debent. Nec dici debet, ut inter principes nostros de una gente vel de uno regno, ad aliam gentem vel ad aliud regnum quisque refugiat, sed potius in uno regno, sicut Christianos decet, et in unitate Ecclesiae matris consistant. Ad quam Ecclesiam confugientes quod patrocinium habere debeant, sanctus Gregorius ad Ioannem episcopum Caralitanae civitatis scribit: Si qui, inquiens, de quibus est quaestio, in Ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa disponi, ut nec ipsi violentiam patiantur, nec hi qui dicuntur oppressi damna sustineant. Curae ergo vestrae sit, ut eis sacramento ab his quorum interest de servanda lege et justitia promittatur, et per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem. Ad cujus instar principes nostri catholicae filii divinis mandatis obedire debent, memores

quod teste Deo manu propria firmaverunt: videlicet quia huiusmodi homines non solum non tueri, atque contra legem vel rationem defendere, verum vel recipere deberent, nisi ad hoc usque, ut ad reddendam rectam rationem venirent. Quidam autem ex eisdem regibus qui hoc firmaverunt, adhuc Deo gratias corpore vivunt, et quidam migravit ad Dominum. Sed pro patre nati sunt filii, a quibus secundum legem Romanam, quam praedecessores eorum imperatores et reges condiderunt, et servaverunt, et populus per eam feliciter rexerunt et correxerunt, actio quae ab auctore inchoata est, ut ab haeredibus peragenda est: quique ita praedecessorum suorum bene statuta debent in omnibus conservare, sicuti sua constituta a suis successoribus cupiunt conservari. Et non leve regibus vel quibuscumque aliis videatur infringere quod suis student manibus roborare, quia ex divina doctrina, et apostolica traditione, tam maxima res semper ab ipsis primis saeculis manus confirmatio fuit, ut de ipsis apostolorum vicariis, illi ipsi apostolorum vicarii super coelesti auctoritate decreverint. «Ut qui contra suam subscriptionem in aliquo venerit, ipse se privet honore». Et non dicant reges, hoc de episcopis et non est de regibus constitutum; sed attendentes quia si sub uno rege ac sacerdote Christo, a cujus nominis derivatione christi Domini appellantur, in populi regimine sublimati et honorati esse desiderant, cujus honore, et amore atque timore, participatione magni nominis domini et reges vocantur, cum sint homines sicut et caeteri, et partem cum his in regno coelorum habere volunt, qui sacro peruncti sunt chrismate, quod a Christi nomine nomen accepit, qui exinde unxit sacerdotes, prophetas, reges, et martyres, ille unctus oleo laetitiae prae consortibus suis, quique fecit eos in baptismate reges et sacerdotes Deo nostro, et genus regium, ac regale sacerdotium, secundum apostolos Joannem et Petrum (*Apoc* II. *I Petr.* II): intelligant et credant se in oculis Dei privari regii nominis et officii dignitate, quando si illud placitum Deo fuit quod manu firmaverant, faciunt contra manus suae conscriptionem, licet illud nomen usurpent ante oculos hominum terrena et instabili potestate: quoniam sicut vivunt reges boni et justi in suis legibus bonis et justis, quando per eas premuntur et puniuntur noxii, et relevantur ac liberantur innoxii, ita vivunt apostolici viri in regulis promulgatis et suis manibus confirmatis, quibus judicati sunt contra illas agentes ex illa die qua constitutae sunt. [l. c. col. 699—700.]

Quaestio VI. Dicunt quoque etiam aliqui sapientes, quia iste princeps rex est, et nullorum legibus vel judiciis subjacet, nisi solius Dei, qui eum in regno, quod suus pater illi dimisit, regem constituit, et si voluerit pro hac vel alia causa ibit ad placitum vel ad synodum, et si noluerit, libere et licenter dimittet: et sicut a suis episcopis, quidquid egerit, non debet excommunicari, ita ab aliis episcopis non potest iudicari, quoniam solius Dei principatui debet subjici, a quo solo potuit in principatu constitui: et quod

facit, et qualis est in regimine, divino sit nutu, sicut scriptum est: *Cor regis in manu Dei quocunque voluerit vertet illud* (*Prov.* XXI, 1).

Responsio. Haec vox non est catholici Cristiani, sed nimium blasphemi, et spiritu diabolico pleni. David rex et propheta peccans, etiam a minore suo Nathan increpatus audivit quoniam vir mortis erat, et per validissimam poenitentiam est salvatus (*II Reg.* XII). Saul a Samuele percepit quia de regno esset dejectus (*I Reg.* XIII, et XV). Roboam a propheta aeque suscepit, quia de manu illius regnum, quod bene pater suus tenuerat, esset scindendum (*III Reg.* XI). Quando peccaverunt reges, et filii Israel, et traditi sunt in manus gentium, sicut Manasses et Sedechias, vel timuerunt a facie Domini sicut Ezechias, per prophetas vel iram a Domino susceperunt, vel misericordiam meruerunt. Et in Deuteronomio scriptum est: *Si difficile et ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et non lepram, et judicum intra portas tuas videris verba variari, surge et ascende ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesque ad sacerdotes Levitici generis, et ad judicem qui fuerit in illo tempore, quaerensque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, et facies quodcunque dixerint qui praesunt loco, quem elegerit Dominus, et docuerint te juxta legem ejus, sequeris sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, et decreto judicis, morietur homo ille, et auferes malum de Israel, cunctusque populus audiens timebit, ut nullus deinceps intumescat superbia* (*Deut.* XVII, 8—13). Per sacerdotes enim dicit Dominus: *Et nunc, reges, intelligite; erudimini, qui judicatis terram. Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore. Apprehendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus, et pereatis de via iusta* (*Psal.* II, 10, 11, 12). Et apostolica auctoritas commonet, ut et reges etiam obediant praepositis suis in Domino, qui pro animabus eorum invigilant, ut non cum tristitia hoc faciant (*Heb.* XIII). Et beatus Gelasius papa ad Anastasium imperatorem scribit (*epist.* 10): «Quia duae sunt personae, quibus principaliter hic regitur mundus, scilicet pontificalis auctoritas, et regia dignitas, et tanto majus est pondus pontificum, quanto de ipsis etiam regibus reddituri sunt Domino rationem.» Ambrosius Theodosium imperatorem ab ecclesia culpis exigentibus segregavit, et per poenitentiam revocavit. Nostra aetate pium Augustum Ludovicum a regno dejectum, post satisfactionem episcopalis unanimitas, saniore consilio, cum populi consensu, et Ecclesiae et regno restituit. Quod dicitur, quia rex nullorum legibus vel judiciis subjacet, nisi solius Dei, verum dicitur, si rex est sicuti nominatur. Rex enim a regendo dicitur, et si seipsum secundum voluntatem Dei regit, et bonos in viam rectam dirigit, malos autem de via prava ad rectam corrigit, tunc rex est, et nullorum legibus vel judiciis nisi solius Dei subjacet: quoniam arbitria possunt dici, leges autem

non sunt, nisi illae quae Dei sunt per quem reges regnant, et conditores legum justa decernunt. Et quicunque rex veraciter rex est, legi non subjacet, quia lex non est posita justo, sed injustis, et non subditis, impiis et peccatoribus, sceleratis, contaminatis, parricidis, et matricidis, homicidis, fornicariis, masculorum concubitoribus, plagiariis, mendacibus, et si quid aliud sanae doctrinae adversatur, et his qui operibus carnis serviunt, de quibus dicit Apostolus: *Manifesta autem sunt opera carnis, quae sunt fornicatio, immunditia, luxuria, idolorum servitus, veneficia, inimicitiae, contentiones, aemulationes, irae, rixae, dissensiones, sectae, invidiae, homicidia, ebrietates, comessationes, et his similia, quae praedico vobis, sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non consequentur* (*Gal.* v. 19, 20-21). Qui autem se et alios secundum fructus Spiritus regit, *qui sunt charitas, gaudium, pax, longanimitas, patientia, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas,* legi non subjacet, quia *adversus hujusmodi non est lex* (*ibid.*, 22—23). Sed solo judicio Christi subjacet a quo et remunerabitur cujus est qui carnem suam crucifigit cum vitiis et concupiscentiis. Alioquin adulter, homicidia, injustus, raptor, et aliorum vitiorum obnoxius quilibet, vel secrete, vel publice judicabitur a sacerdotibus, qui sunt throni Dei, in quibus Deus sedet, et per quos sua decernit judicia, quibus et in apostolis suis, quorum locum in Ecclesia tenent, Dominus dixit: *Si peccaverit frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Si te non audierit, adhibe unum vel duos: quod si nec te audierit, dic Ecclesiae. Quod si nec Ecclesiam audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* XVIII, 15, 16). Et ne quis in hoc sacerdotem parvipendat adjunxit Dominus: *Amen dico vobis, quaecunque alligaveritis super terram, erunt ligata et in coelo, et quaecunque solveritis super terram, erunt soluta et in coelo* (*ibid.*, 18). Et item dicit: *Qui vos audit, me audit, et qui vos spernit, me spernit* (*Luc.* X, 16). Quod dicitur, quia a solo Deo in regno, quod pater suus illi dimisit, constitui potuit: sciant qui hoc dicunt, quia quidam a Deo in principatu constituuntur, ut Moyses, Samuel, et Josias, de quo scriptum est antequam nasceretur, *Ecce filius nascetur domui David, Iosias nomine* (*III Reg.* XIII, 2), et reliqua quae ibi sequuntur. Quidam vero a Deo per hominem, ut Josue, et David. Quidam autem per hominem, non ut sine nutu divino, quia nihil fit, ut Augustinus dicit, nisi quod aut ipse facit, aut fieri ipse permittit, et quidquid agitur, ministerio angelorum et hominum agitur, ut Salomon jussu patris David per Sadoch sacerdotem, et Nathan prophetam (*III Reg.* I). Et multi civium vel militum fulti auxilio reges constituuntur vel dejiciuntur de principatu, et etiam sancti, sicut Samuel (*I. Reg.* VIII). Successione etiam paterna quidam regnant, sicut de his omnibus in historiis et chronicis, et etiam in libro, qui inscribitur *Vita Caesarum,* invenitur. Quidam siquidem tyrannica usurpatione obtinent principatum, propter sua complenda, vel populi ulciscenda peccatum, de quibus scriptum

est, *ipsi regnaverunt, et non ex me, principes exstiterunt, et non cognovi* (*Ose.* VIII, 4). Et item: *Qui facit regnare hypocritam propter peccata populi* (*Job.* XXXIV, 30). Quod tale est sicut et necesse est ut veniant scandala, vae autem homini per quem scandalum venit: quia vae illi est, ut quod fiendum est, talem se suo vitio efficit, ut per illum quod ad vae pertinet exsequatur. Quod de regno dicitur, quia pater suus ei illud dimisit, veteri hinc potius rex iste debet divina, et verecundari humana judicia, quam de regni adeptione forte gloriari, si tamen patris bonos mores, et sanctam vitam, et aequum ac justum regimen imitatus non fuerit, vel si, quod absit, illius pravos mores, aut injustam vitam, quam illum habuisse non dicimus, sive indignum regimen sequi delegerit. Quid enim filios Samuelis necessitudo juvit parentis, cujus non fuerunt virtutis haeredes? Quid etiam Moysi liberis paterna profuit cura justitiae, cujus eos imitatio non successit? Itaque neque ad illos patris potestas quasi ex successione defertur, qui illum vocabulo tantum signabant parentem, et ad eum migravit qui illius erat filius virtute non genere, quod et iste debet timere. E regione vero quid Timotheo nocuisse creditur quod fuerit patre gentili? Siquidem et sanctus Abraham impium habuit patrem, neque tamen haeres illius impietatis effectus est. Et Ezechias profanissimi Achaz filius fuit, sed Dei amicus esse promeruit. Quid autem e diverso Noe filius de patris virtute lucratus est, qui ex ingenuo factus est servus? Et Joseph in media quondam servivit Aegypto, sed gloriosam sibi texuit castitatis coronam. Et tres pueri et Daniel in Babylone fuerunt principibus celsiores. Videmus certe quam non sufficiat ad suffragium liberis paterna nobilitas. Vitia siquidem vicerunt naturae privilegia, et peccantem non modo de nobilitate patris, verum de ipsa etiam libertate pepulerunt. Esau quoque nonne sancti Isaac erat filius, magno etiam patris favore munitus? Qui licet studeret atque cuperet nempe ei benedictionem donare, propter quod etiam ille omnia patris jussa faciebat, sed tamen quia pravis moribus erat, nihil ex his omnibus prorsus adjutus est, sed juxta naturae ordinem prior, et de patris voluntate securior, quia tamen displicebat Deo, omnia quae iam tenere videbatur amisit. Quae omnis rex, sed et iste attendat, et non omnia quae ei libent libenter faciat, quia non omnia quae licent expediunt. Et juxta quod scriptum est, *Magnates humiliet caput suum in honore Regis regum, cuius est regnum, et per quem reges regnant* (*Eccl.* IV; *Prov.* VIII): qui dicit, *Honorantes me honorificabo, et hi qui contemnunt me erunt ignobiles* (*I Reg.* II, 30). Et sacerdotibus suis dicit: *Qui vos recipit me recipit, et qui vos audit me audit, et qui vos spernit me spernit* (*Luc.* IX *et* X). Exemplum denique Scripturae, *Cor regis in manu Dei, quocunque voluerit vertet illud* (*Prov.* XXI, 1) ad confirmandum quia non facit et qualis in regimine populi, nutu divino fiat, male, sicut et diabolus abusus est ad Salvatorem, *Angelis suis mandavit de te* (*Matth.* IV, 6), interpretatus est iste illius discipulus. Caeterum *cor regis in manu Dei*

est, quia, sicut supra ostendimus, ille veraciter rex est, qui se suasque cogitationes, verba, et actus sub divino rexerit nutu. Et cor illius in manu est Dei, ut in hac convalle lacrymarum ascensus disponat in corde suo, ambulans de virtute in virtutem, donec videatur Deus in Sion, id est in aeternae felicitatis et divinae visionis contemplatione. Econtra autem, cor ejus, qui sessore diabolo male regitur, in illius est potestate: adeo ut si aliquid de mandatis Dei audierit, veniens ipse diabolus tollat verbum de corde ejus, ne credens, vel in his quae crediderat operando perseverans, salvus fieri valeat: et sic traditus in reprobum sensum facit quae non conveniunt, quia cum cognoverit Deum, non sicut Deum dignis obsequiis honoravit. De eo quod dicitur, Quia Rex, si noluerit venire ad synodum, libere etiam compellatus dimittet: sancta Scriptura, sacrique canones monstrant, in judicio personam non debere accipere, sed causae qualitatem discernere. Et Hucbertus, postquam certo crimine in sororem suam perpetrato denotatus, et litteris synodalibus ad synodum exstitit provocatus, jam in tribus synodis per legatos et litteras ad rationem reddendam, tantum ut cum servandae sibi aequitatis securitate venire valeret, suam presentiam obtulit, et causidicus ac reputator criminis toties defuit, aut libertatem reddendae rationis negavit. Unde Bonifacius papa ad Gallicanos scribit episcopos (*epist.* 11): «Probat, inquiens, vera esse illa quae adversum se dicta sunt, qui ad ea confutanda adesse minime vult. Et nullus dubitat, quod ita judicium nocens subterfugit, quemadmodum ut absolvatur qui est innocens quaerit. Confitetur enim de omnibus quisque subterfugere judicium dilationibus putat: (*ibid.*) Unde congregari decrevimus synodum, ut si adesse voluerit, praesens si confidit ad objecta respondeat, si adesse neglexerit dilationem sententiae non lucretur. Nihil enim interest, utrum in praesenti examine omnia quae dicta sunt comprebentur, cum ipsa quoque pro confessione procurata toties constat absentia.» [l. c. col. 756—760.]

45. HLOTARIUS I.

a) Constitutio Romana 824 mense Novembris.

* *Mon. Germ. hist.; Legum Sect. II. Capitularia Regum Francorum.* ed. Boretius, Tom. I. n. 161. p. 322—324. Boehmer-Mühlbacher, *Regesta. Imperii.* n. 988. Doepfel, *Kaiserthum und Papstwechsel unter den Karolingern.* Freiburg i. Br. 1889. p. 81. Giesebrecht, *Geschichte der deut. Kaiserzeit.* 4. ed. Tom. I. p. 864. Hauck, *Kirchengeschichte Deutschlands.* II. p. 485. Dümmler, *Geschichte des ostfränkischen Reiches.* 2. ed. I. p. 237. Waitz, *Deutsche Verfassungsgeschichte.* III. p. 165 seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 222.

Constitutum habemus, ut omnes qui sub speciali defensione domni apostolici seu nostra fuerint suscepti impetrata inviolabiliter iusta utantur defensione; quod si quis in quocumque hoc contemptive violare praesumpserit, sciat se periculum vitae suae esse incursurum. Nam et hoc decer-

nimus, ut domno apostolico in omnibus ipsi iustam observent oboedientiam seu ducibus ac iudicibus suis ad iustitiam faciendam. In hoc capitulo fiat commemoratum de viduis et orfanis Theodori, Floronis et Sergii.

2. Ut depraedationes quae hactenus fieri solebant prohibemus ne fiant, neque vivente pontifice, neque defuncto; si quis vero ulterius hoc fecerit, sciat se legali sententia esse condemnandum. Quae autem retro actae sunt, placet nobis ut per dispositionem nostram fiant legaliter emendatae.

3. Volumus ut in electione pontificis nullus praesumat venire, neque liber, neque servus, qui aliquod impedimentum faciat illis solummodo Romanis, quibus antiquitus fuit consuetudo concessa per constitutionem sanctorum patrum eligendi pontificem. Quod si quis contra hanc iussionem nostram facere praesumpserit, exilio tradatur.

4. Volumus ut missi constituantur de parte domni apostolici et nostra, qui annuatim nobis renuntiare valeant, qualiter singuli duces et iudices iustitiam faciant populo et quomodo nostram constitutionem observent. Qui missi, decernimus, ut primum cunctos clamores qui per neglegentiam ducum aut iudicum fuerint inventi ad notitiam domni apostolici deferant et ipse unum e duobus eligat: aut statim per eosdem missos fiant ipsae necessitates emendatae, aut si non, per nostrum missum fiat nobis notum, ut per nostros missos a nobis directos iterum emendentur.

5. Volumus ut cunctus populus Romanus interrogetur, qua lege vult vivere, ut tali qua se professi fuerint vivere velle vivant; illisque denuntietur, quod hoc unusquisque sciat, tam duces quam et iudices vel reliquus populus, quod si in offensione sua contram eandem legem fecerint, eidem legi quam profitentur per dispositionem pontificis ac nostram subiacebunt.

6. De rebus ecclesiarum iniuste invasis sub occasione quasi licentia accepta a pontifice, et de his quae necdum redditae sunt et tamen fuerunt iniuste a potestate pontificum invasae, volumus ut per missos nostros fiat emendatum.

7. Prohibemus ut depraedationes inter confinia nostra ultra non fiant, et quae factae sunt, secundum legem de utrisque partibus ordinemus ut emendentur. Similiter volumus, ut ceterae iniustitiae de utrisque partibus fiant emendatae.

8. Placuit nobis, ut cuncti iudices, sive hi qui in cunctis praesse debent, per quos iudicaria potestas in hac urbe Roma agi debent, in praesentia nostra veniant; volentes numerum et nomina eorum scire et singulos de ministerio sibi credito admonitionem facere.

9. Novissime admoneatur, ut omnis homo, sicut gratiam Dei et nostram habere desiderat, ita praestet in omnibus oboedientiam atque reverentiam huic pontifici.

[Formula sacramenti a pontificis electoribus Romanis praestandi.]

Promitto ego ille per Deum omnipotentem et per ista sacra quattuor euangelia et per hanc crucem domini nostri Iesu Christi et per corpus beatissimi Petri principis apostolorum, quod ab hac die in futurum fidelis ero dominis nostris imperatoribus Hludovico et Hlotario diebus vitae meae, iuxta vires et intellectum meum, sine fraude atque malo ingenio, salva fide quam repromisi domino apostolico; et quod non consentiam ut aliter in hac sede romana fiat electio pontificis, nisi canonice et iuste secundum vires et intellectum meum; et ille qui electus fuerit me consentiente consecratus pontifex non fiat, priusquam tale sacramentum faciat in praesentia missi domini imperatoris et populi, cum iuramento, quale dominus Eugenius Papa sponte pro conservatione omnium factum habet per scriptum. [l. c. pag. 322—324.]

b) Capitulare Olonnense ecclesiasticum primum 825 mense Maio.

* *Capitularia Regum Francorum.* ed. cit. n. 163. p. 326—527. Simson, *Jahrbücher des fränkischen Reiches unter Ludwig dem Frommen.* München 1876. I. p. 237. Savio, *Gli antichi vescovi d' Italia* I. *Il Piemonte.* Torino 1898. p. 314 seq. *(de Dungalo).*

Incipit capitula quod domnus imperator sexto anno imperii sui ad generale placitum instituit curte Holonna.

Placuit, nobis ut si pro quibuslibet culpis atque criminibus quaecumque persona totiens fuerit correpta, ut etiam excommunicatione episcopali pro contemptu dignus habeatur, comitem suum episcopus sibi consociet, et per amborum consensum huiuscemodi distringatur contemptor, ut iussionibus episcopi sui oboediens existat; si vero assensum non dederit, bannum nostrum nobis persolvat, quod si adhuc contumax perstiterit, tunc ab episcopo excommunicetur. Si vero excommunicatus corrigi nequiverit, a comite vinculis constringatur, quousque nostrum is contemptor suscipiat iudicium. Si vero in talibus comes repertus fuerit noxius, per episcopum eius nobis nuntietur. Si autem vassallus noster in hac culpa lapsus fuerit, sicut supra per comitem distringatur; quod si non audierit, nobis innotescatur, antequam in vinculis mittatur.

3. Volumus ut omnimodis emunitates progenitorum nostrorum seu nostrae pleniter ac iuste conserventur.

3. Volumus ut res quae a liberis personis locis Deo dicatis conferuntur, licet sibis usumfructum et ordinationem earundem rerum, si aliter sibi placuerit, reservent, si aliter eas non ordinaverint, ita maneant sicut prius datae fuerunt.

4. Singulis episcopis, abbatibus, abbatissis duos concedimus advocatos, eosque quam diu advocationem tenuerint ab hoste relaxamus.

5. Prohibemus ut nemo usuram facere praesumat post episcopi sui contestationem; quod si quis post eius interdictum facere praesumpserit a comitibus, sicut supra de contemptoribus praecepimus, distringatur.

6. De doctrina vero, quae ob nimiam incuriam atque ignaviam quorundam praepositorum cunctis in locis est funditus extincta, placuit ut sicut a nobis constitutum est, ita ab omnibus observetur. Videlicet ut ab his qui nostra dispositione ad docendos alios per loca denominata sunt constituti maximum detur studium, qualiter sibi commissi scolastici proficiant atque doctrinae insistant, sicut praesens exposcit necessitas. Propter oportunitatem tamen omnium apta loca distincte ad hoc exercitium providimus, ut difficultas locorum longe positorum ac paupertas nulli foret excusatio. Id sunt: primum in Papia conveniant ad Dungalum de Mediolano, de Brixia, de Laude, de Bergamo, de Novaria, de Vercellis, de Tertona, de Aquis, de Ianua, de Aste, de Cuma; in Eporegia ipse episcopus hoc per se faciat; in Taurinis conveniant de Vintimilio, de Albingano, de Vadis, de Alba; in Cremona discant de Regia, de Placentia, de Parma, de Mutina; in Florentia de Tuscia respiciant; in Firmo de Spoletinis civitatibus conveniant; in Verona de Mantua, de Triento; in Vincentia de Patavis, de Tarvisio, de Feltris, de Ceneda, de Asylo; reliquae civitates Forum Iulii ad scolam conveniant.

7. Volumus ut singuli episcopi conversationem canonicorum eorumque abitationes Kalendas Octobris futuri anni absque ulla neglegentia, sicut disposuimus, habeant praeparatas.

8. Praecepimus ut singulae plebes secundum antiquam consuetudinem fiant restauratae; quod si filii eiusdem ecclesiae eas restaurare noluerint, a ministris reipublicae distringantur, ut volentes nolentesque nostram observent praeceptionem.

9. De decimis vero dandis statuimus, ut sicut in capitulare continetur quod in Mantua factum est ita qui eas dare nolunt, distingantur, atque persolvant.

10. De praecariis quoque, quae a rectoribus ecclesiarum inrationabiliter fiebant, suosque successores poena gravi obligabant, ut facta ipsius nequiret dissolvere, praecipimus, ut nemo successor in antecessoris sui poena statuta sit obligatus; sed suae providentiae sit concessum ut si antecessor eius res aecclesiae inrationabiliter distribuit, ab eo ad ius aecclesiae tenendae revocentur. [l. c. pag. 326—327.]

c) Capitulare Olonnense ecclesiasticum alterum 825 mense Maio.

* *Capitularia Regum Francorum.* ed. cit. n. 164. p. 328—329.

Iubemus ut baptismalium aecclesiarum rectores sint praesbyteri singularum singuli, nam non diaconi vel cuiuslibet inferioris ordinis clerici.

2. Placuit etiam nobis ut presbyteri baptismalium aecclesiarum secundum suam possibilitatem debitam obedientiam rei publice et honorem exibeant episcopis suis absque gravedine, quomodo necessitas et ordo poposcerit.

3. Statuimus etiam, si obedientia rei publicae episcopis talis iniungitur quam per se facile adimplere nequiverint, ut prebeant solacium subiecti secundum qualitatem iniuncti servitii.

4. De senodochiis precipimus, ut secundum possibilitatem vel temporis fertilitatem testamentorum scripta sequantur.

5. De feminis cum presbyteris cohabitantibus placuit ut penitus eiciantur, ne ulterius cum his de quibus suspicantur quoquo modo conversentur; et si post primam contestationem episcopi sui a septem usque ad tres idoneis testibus convincitur praevaricasse, proprii gradus periculo subiaceat.

6. Si episcopus contestationem vel correptionem huiuscemodi neglexerit aut post hoc sinodale concilium infra dies XL emendatione digna non emendaverit, iudicio metropolitani sui sententiam subiaceat.

7. De senodochiis precipimus, ut quicumque illas habet, omnia secundum Deum et secundum canones inde faciat; et quicquid inde non fuit datum pauperibus post obitum domni Pippini in omnibus fiat restauratum. Quod si aliquis hoc facere noluerit, de ipsos senodochios non haheat potestatem, usque dum veniat cum ipsis missis in nostra presentia; et missi cum ipso episcopo illa imbrevient in nostra presentia[1]).

Datum Holonna, anno imperii domno Ludowici et Lottario imperatoribus XII. et VI. mense Madio, indictione III. [l. c. pag. 328—329.]

[1]) 7. (secundum alios codices.) — De monasteriis et senedochiis inordinatis et destructis ad palatium vel ad quorumcunque iura pertinentibus, qui admonitionem episcoporum contemnunt, placuit nostrae imperialis providentiae iudicio reservari.

46. OTTO I.

• *Mon. Germ. hist.; Legum Sect. IV. T. I.* ed. Weiland. pag. 24 seq. Dümmler, *Kaiser Otto der Grosse.* Leipzig 1876. Sickel, *Das Privilegium Otto I für die röm. Kirche vom Jahre 962.* Innsbruck 1883. Hauck, *Kirchengeschichte Deutschlands.* III. 229.

Privilegium Ottonis Imperatoris 13 Febr. 962.

[1] In nomine domini dei omnipotentis patris et filii et spiritus sancti. Ego Otto dei gratia imperator augustus una cum Ottone glorioso rege filio nostro divina ordinante providentia spondemus atque promittimus per hoc pactum confirmationis nostrae tibi beato Petro principi apostolorum et clavigero regni caelorum et per te vicario tuo domno Iohanni summo pontifici et universali XII^mo papae, sicut a predecessoribus vestris usque nunc in vestra

potestate atque dicione tenuistis et disposuistis: civitatem Romanam cum ducatu suo et suburbanis suis atque viculis omnibus et territoriis eius, montanis ac maritimis, litoribus ac portubus, [2] seu cunctis civitatibus castellis oppidis ac viculis Tusciae partibus, id est Portum, Centumcellas, Cerem, Bledam, Marturianum, Sutriam, Nepem, castellum Gallisem, Ortem, Polimartium, Ameriam, Tudam, Perusiam cum tribus insulis suis, id est maiore et minore, Puluensim, Narniam et Utriculum, cum omnibus finibus ac territoriis ad suprascriptas civitates pertinentibus; [3] necnon exarchatum Ravernatem sub integritate cum urbibus civitatibus oppidis et castellis, quae piae recordationis domnus Pippinus et domnus Karlus excellentissimi imperatores, predecessores videlicet nostri, beato Petro apostolo et predecessoribus vestris iam dudum per donationis paginam contulerunt, hoc est civitatem Ravennam et Emeliam: Bobium, Cesenam, Forumpopuli, Forumlivi, Faventiam, Immolam, Bononiam, Ferrariam, Comiiaclum et Adrianis atque Gabellum cum omnibus finibus territoriis atque insulis terra marique ad supradictas civitates pertinentibus; [4] simul et Pentapolim, videlicet Ariminum, Pensaurum, Phanum, Senogalliam, Anconam, Ausimum, Humanam, Hesim, Forumsimpronii, Montemfeltri, Urbanum et territorium Balnense, Callis, Luciolis et Eugubium, cum omnibus finibus ac territoriis ad easdem civitates pertinentibus; [5] eodem modo territorium Sabinense sicut a domno Karlo imperatore antecessore nostro beato Petro apostolo per donationis scriptum concessum est sub integritate; [6] item in partibus Tusciae Longobardorum castellum Felicitatis, Urbem veterem, Balneum regis, Ferenti, Viterbum, Orchem, Marcam, Tuscanam, Suanam, Popolonium, Roselles cum suburbanis atque viculis omnibus et territoriis ac maritimis, oppidis ac viculis seu finibus omnibus; [7] itemque a Lunis cum insula Corsica, deinde in Suriano, deinde in monte Bardonis, deinde in Berceto, exinde in Parma, deinde in Regia, exinde in Mantua atque in monte Silicis atque provincia Venetiarum et Istria necnon et cunctum ducatum Spolitanum seu Beneventanum una cum ecclesia sanctae Christianae posita prope Papiam iuxta Padum quarto miliario; [8] item in partibus Campaniae Soram, Arces, Aquinum, Arbinum, Teanum et Capuam; [9] necnon et patrimonia ad potestatem et ditionem vestram pertinentia, sicut est patrimonium Beneventanum et patrimonium Neapolitanum atque patrimonia Calabriae superioris et inferioris — de civitate autem Neapolitana cum castellis et territoriis ac finibus et insulis suis sibi pertinentibus, sicuti ad easdem aspicere videntur — necnon patrimonium Siciliae, si deus nostris illud tradiderit manibus; [10] simili modo civitatem Gaietam et Fundim cum omnibus earum pertinentiis.

[11] Insuper offerimus tibi, beate Petre apostole, vicarioque tuo domno Iohanni papae et successoribus eius pro nostrae animae remedio nostrique filii et nostrorum parentum de proprio nostro regno civitates et oppida

cum piscariis suis, id est Reatem, Amiternum, Furconem, Nursiam, Baluam et Marsim et alibi civitatem Teramnem cum pertinentiis suis.

[12] Has omnes suprascriptas provintias urbes et civitates oppida atque castella viculos ac territoria simulque et patrimonia pro remedio animae nostrae et filii nostri sive parentum nostrorum ac successorum nostrorum et pro cuncto a deo conservato atque conservando Francorum populo iam dictae ecclesiae tuae, beate Petre apostole, et per te vicario tuo spirituali patri nostro domno Iohanni summo pontifici et universali papae eiusque successoribus usque in finem seculi eo modo confirmamus, ut in suo detineat iure principatu atque dicione.

[13] Simili modo per hoc nostrae delegationis pactum confirmamus donationes, quas piae recordationis domnus Pippinus rex et postea domnus Karlus excellentissimus imperator beato Petro apostolo spontanea voluntate contulerunt, necnon et censum vel pensionem seu ceteras dationes, quae annuatim in palatium regis Longobardorum inferri solebant sive de Tuscia sive de ducatu Spoletano, sicut in suprascriptis donationibus continetur et inter sanctae memoriae Adrianum papam et domnum Karlum imperatorem convenit, quando idem pontifex eidem de suprascriptis ducatibus, id est Tuscano et Spolitano, suae auctoritatis praeceptum confirmavit, eo scilicet modo ut annis singulis predictus census ad partem ecclesiae beati Petri apostoli persolvatur; salva super eosdem ducatus nostra in omnibus dominatione et illorum ad nostram partem et filii nostri subiectione.

[14] Ceterum, sicut diximus, omnia superius nominata ita ad vestram partem per hoc nostrae confirmationis pactum roboramus, ut in vestro permaneant iure principatu atque ditione et neque a nobis neque a successoribus nostris per quodlibet argumentum sive machinationem in quacumque parte vestra potestas imminuatur aut a vobis inde aliquid subtrahatur et suprascriptis videlicet provintiis, urbibus, civitatibus, oppidis, castris, viculis insulis territoriis atque patrimoniis necnon et pensionibus atque censibus, ita ut neque nos ea facturi simus neque quibuslibet ea facere volentibus consentiamus, sed potius omnia, quae superius leguntur, id est provintiae, civitates, urbes, oppida, castella, territoria et patrimonia atque insulas censusque et pensiones, ad partem aecclesiae beati Petri apostoli atque pontificum in sacratissima sed illius residentium nos in quantum possumus defensores esse testamus, ad hoc ut ea in illius ditione ad utendum et fruendum atque disponendum firmiter valeant optineri

[15] Salva in omnibus potestate nostra et filii nostri posterorumque nostrorum, secundum quod in pacto et constitutione ac promissionis firmitate Eugenii pontificis successorumque illius continetur: id est ut omnis clerus et universi populi Romani nobilitas propter diversas necessitates et pontificum inrationabiles erga populum sibi subiectum asperitates retundendas sacramento se obliget, quatinus futura pontificum electio, quantum

uniuscuiusque intellectus fuerit, canonice et iuste fiat, et ut ille, qui ad hoc sanctum atque apostolicum regimen eligitur, nemine consentiente consecratus fiat pontifex, priusquam talem in praesentia missorum nostrorum vel filii nostri seu universae generalitatis faciat promissionem pro omnium satisfactione atque futura conservatione, qualem domnus et venerandus spiritalis pater noster Leo sponte fecisse dinoscitur.

[16] Praeterea alia minora huic operi inserenda previdimus: videlicet ut in electione pontificum neque liber neque servus ad hoc venire praesumat, ut illis Romanis, quos ad hanc electionem per constitutionem sanctorum patrum antiqua admisit consuetudo, aliquod faciat impedimentum; quod si quis contra hanc nostram institutionem ire presumpserit, exilio tradatur. Insuper etiam ut nullus missorum nostrorum cuiuscumque impeditionis argumentum componere in prefatam electionem audeat prohibemus. [17] Nam et hoc omnimodis instituere placuit, ut, qui semel sub speciali defensione domni apostolici sive nostra fuerint suscepti, impetrata iuste utantur defensione; quod si quis in quemquam illorum, qui hoc promeruerint violare, presumpserit, sciat se periculum vitae suae esse incursurum. [18] Illud etiam confirmamus, ut domno apostolico iustam in omnibus servent oboedientiam seu ducibus ac iudicibus suis ad iusticiam faciendam. [19] Huic enim institucioni hoc necessario adnectendum esse perspeximus, ut missi domni apostolici seu nostri semper sint constituti, qui annuatim nobis vel filio nostro renunciare valeant, qualiter singuli duces ac iudices populo iustitiam faciant, hanc imperialem constitutionem quomodo observent; qui missi decernimus ut primum cunctos clamores, qui per neglegentiam ducum seu iudicum fuerint inventi, ad notitiam domni apostolici deferant, et ipse unum e duobus eligat; aut statim per eosdem missos fiant ipse necessitates emendate aut, misso nostro nobis renunciante, per nostros missos a nobis directos emendentur.

[20] Hoc ut ab omnibus fidelibus sanctae dei ecclesiae et nostris firmum esse credatur, propriae manus signaculo et nobilium optimatum nostrorum subscriptionibus hoc pactum confirmationis nostrae roboravimus et bullae nostrae inpressioni adsignari iussimus.

† Signum domni Ottonis serenissimi imperatoris ac suorum episcoporum abbatum et comitum.

† Signum Adaldagi Hamaburgiensis ecclesiae archiepiscopi. Signum Hartberti Curiensis ecclesiae episcopi. Signum Druogonis Osnabruguensis ecclesiae episcopi. Signum Votonis Argentenensis ecclesiae episcopi. Signum Otwini Hiltinesemensis ecclesiae episcopi. Signum Landwarti Mindonensis ecclesiae episcopi. Signum Otgeri Nemetinensis ecclesiae episcopi. Signum Gezonis Tortunensis ecclesiae episcopi. Signum Hucberti Paermanensis ecclesiae episcopi. Signum Widonis Mutunensis ecclesiae episcopi. Signum Hattonis Fuldensis monasterii abbatis. Signum Guntharii Herolfes-

feldensis monasterii abbatis. Signum Eberharti comitis. Signum Guntharii comitis. Signum Burgharti comitis. Signum Utonis comitis. Signum Cuonrates comitis. Signum Ernustes. Signum Thietheres, Ricdages, Liupen, Hartwiges, Arnolves, Inghilthies, Burchartes, Retinges.

Anno dominicae incarnationis 962, indictione 5, mense Feb., 13 die eiusdem mensis. Anno vero domni Ottonis imperii invictissimi imperatoris 27 facta est haec pactio feliciter.

47. CONRADUS II.

* Dopsch-Schwind, *Ausgewählte Urkunden zur Verfassungsgeschichte der deutsch-österreichischen Erblande im Mittelalter.* Innsbruck 1897. n. 1. p. 1. Ughelli, *Italia sacra.* Venetiis 1717—1722. Tom. V. p. 591. Bonelli, *Notizie storico-critiche intorno al beato M. Adalpreto, etc.* Trento 1760—1764. T. II. p. 369. Ambrosi, *Commentari della storia trentina.* Rovereto 1887. I. p. 50 seq. Egger, *Geschichte Tirols von den ältesten Zeiten bis in die Neuzeit.* Innsbruck 1872—1880. Tom. I. p. 180 seq. Idem, in *Mittheilungen des Instituts für österr. Geschichtsforschungen, Ergänzungsb.* IV. 380. Jäger, in *Archiv für Kunde der österr. Geschichtsquellen.* T. 55. p. 465 seq. Huber, *Geschichte der Vereinigung Tirols mit Oesterreich.* Innsbruck 1864. pag. 2. Ficker, *Forschungen zur Reichs- und Rechtsgeschichte Italiens.* Innsbruck 1868—74. Tom. I. pag. 269. Gazzoletti, *La zecca di Trento.* Trento 1858. p. 11, 25. Böhmer, *Regesta Imperii.* n. 1324.

[Conradus imp. Odalrico episcopo Tridentinum Comitatum dono dat.]

In nomine sancte et individue trinitatis. Chonradus dei gracia Romanorum imperator augustus. Si ecclesias dei tribulationibus et miseriis oppressas aliquo nobis a deo concesso dono ditamus, non solum hoc nobis ad presentis vite subsidium, verum etiam ad eterne gaudium capessende prodesse minime dubitamus. Quapropter notum sit omnibus sanctae dei ecclesiae fidelibus et nostris, qualiter nos per interventum dilecte nostrae coniugis videlicet imperatricis et Heinrici nostri dilecti filii comitatum Tridentinum cum omnibus suis pertinentiis et utilitatibus illis, quibus eum duces comi(t)es sive marchiones huc usque beneficii nomine habere visi sunt, sancte Tridentine ecclesie, in qua preciosorum martyrum Vigilii Sisinnii martyrii atque Alexandri corpora requiescunt, cui venerabilis vir Odalricus episcopus preesse videtur, in proprium cum districtis placitis cunctisque publicis functionibus et redibitionibus eidem supra nominate ecclesiae et Odalrico episcopo suisque successoribus imperpetuum damus tradimus atque confirmamus, exceptis his rebus, quas ecclesie Feltrensi infra suos terminos, id est ab ecclesia sancti Desiderii in loco qui dicitur Campolongo usque in finem episcopatus ipsius, consensu prece atque laudatione supranominati episcopi Odalrici ob remedium anime nostre per preceptum nostre confirmationis contulimus. Cetera vero cuncta, sicut superius dictum est, in sancte suprascripte Tridentine ecclesie et prenominati venerabilis episcopi Odalrici suorumque successorum proprium ius et dominium modis

omnibus transfundimus atque delegamus, eo videlicet tenore, ut nullus dux marchio comes vicecomes gastaldio sive aliqua regni nostri magna vel parva persona supradictum episcopum vel suos successores inquietare molestare seu etiam intromittere audeat sine supradicti episcopi seu suorum successorum, qui pro tempore fuerint, gratis concessa licentia. Si quis autem huius nostri imperialis precepti temerarius violator extiterit, sciat se compositurum M libras obrizi auri, medietatem camere nostre et medietatem predicte ecclesie episcopo. Et ut haec nostrae traditionis pagina nunc et in futuro firma et inconvulsa permaneat, hanc cartam inde conscriptam manu nostra corroboravimus et sigilli nostri impressione supter insigniri iussimus.

Signum domni Chuonradi invictissimi (MF.) imperatoris augusti.

Odalricus cancellarius vice Arbonis archiepiscopi recognovit.

Data pridie kalendas iunii, indictione X., anno domini incarnationis MXXVII, anno vero domini Chuonradi regni III, imperii I; actum Prixie; feliciter. [l. c. pag. 1—2.]

48. GREGORIUS VII. (1073—1085).

Gfrörer, *Papst Gregorius VII. und sein Zeitalter.* Schaffausen 1859—1861. Meltzer, *Papst Gregors VII. Gesetzgebung und Bestrebungen.* Dresden 1876[2]. Martens, *Gregor VII.* Leipzig 1894. Hauck, *Kirchengeschichte Deutschlands.* III. Giesebrecht, *Geschichte der deutschen Kaiserzeit.* Leipzig 1890[5]. III. Gerdes, *Geschichte der salischen Kaiser und ihrer Zeit.* Leipzig, 1898. Solmi, *Stato e Chiesa secondo gli scritti politici ecc.* p. 110, 130 seqq. Meyer v. Knonau, *Jahrbücher des deutschen Reiches unter Heinrich IV. u. Heinrich V.* Leipzig 1890 seq.

a) Reg. Lib. IV. Epistula XII, *[Jaffé-Wattenbach n. 4201 (3921)].*

* Jaffé, *Bibliotheca rerum germanicarum.* Berolini 1864. Tom. II. 256. Mirbt, *Die Publicistik im Zeitalter Gregors VII.* Leipzig 1894. p. 181 seq. Solmi, *o. c.* p. 126. Martens, *o. c.* I. 116.

Gregorius episcopus servus servorum dei omnibus archiepiscopis episcopis ducibus comitibus caeterisque principibus regni Teutonicorum christianam fidem defendentibus salutem et apostolicam benedictionem.

Quoniam pro amore iustitiae communem nobiscum in agone christianae militiae causam et periculum suscepistis; qualiter rex, humiliatus ad poenitentiam, absolutionis veniam impetraverit, et quomodo tota causa post introitum eius in Italiam huc usque deducta sit, vestrae dilectioni sincera caritate indicare curavimus.

Sicut constitutum fuit cum legatis, qui ad nos de vestris partibus missi sunt, in Longobardiam venimus circiter viginti dies ante terminum, in quo aliquis ducum ad clusas nobis occurrere debuit; expectantes adventum illorum, quatenus ad partes illas transire possemus. Verum cum, iam decurso termino, hoc nobis nunciaretur: his temporibus prae multis — quod et nos quidem credimus — difficultatibus ducatum nobis obviam mitti non posse;

nec aliunde copiam ad vos transeundi haberemus; non parva sollicitudine, quid potissimum nobis agendum foret, circumventi sumus.

Interim vero, regem adventare, certe cognovimus. Qui etiam, priusquam intrasset Italiam, supplices ad nos legatos praemittens, per omnia se satisfacturum deo et sancto Petro ac nobis, obtulit; et, ad emendationem vitae suae omnem se servaturum oboedientiam, repromisit; dummodo apud nos absolutionis et apostolicae benedictionis gratiam impetrare mereretur. Quod cum diu multis consultationibus differentes, acriter eum de suis excessibus per omnes cui intercurrebant nuncios redargueremus; tandem per semet ipsum, nichil hostile aut temerarium ostentans, ad oppidum Canusii, in quo morati sumus, cum paucis advenit. Ibique per triduum ante portam castri, deposito omne regio cultu, miserabiliter, utpote discalciatus et laneis indutus, persistens, non prius cum multo fletu apostolicae miserationis auxilium et consolationem implorare destitit, quam omnes, qui ibi aderant et ad quos rumor ille pervenit, ad tantam pietatem et compassionis misericordiam movit: ut, pro eo multis precibus et lacrimis intercedentes, omnes quidem insolitam nostrae mentis duritiam mirarentur, nonnulli vero, in nobis non apostolicae severitatis gravitatem sed quasi tyrannicae feritatis crudelitatem esse, clamarent.

Denique instantia compunctionis eius et tanta omnium qui ibi aderant supplicatione devicti, tandem eum, relaxato anathematis vinculo, in communionis gratiam et sinum sanctae matris ecclesiae recepimus; acceptis ab eo securitatibus, quae inferius scriptae sunt. Quarum etiam confirmationem per manus abbatis Cluniacensis (sc. Hugonis) et filiarum nostrarum Mathildis et comitissae Adelaiae et aliorum principum, episcoporum et laicorum, qui nobis ad hoc utiles visi sunt, recepimus.

His itaque sic peractis, ut ad pacem ecclesiae et concordiam regni, sicut diu desideravimus, omnia plenius deo adiuvante coaptare possimus, ad partes vestras data primum opportunitate transire cupimus. Hoc enim dilectionem vestram indubitanter scire volumus, quoniam, sicut in descriptis securitatibus cognoscere potestis, ita adhuc totius negocii causa suspensa est, ut et adventus noster et consiliorum vestrorum unanimitas permaxime necessaria esse videantur. Quapropter in ea fide quam coepistis et amore iustitiae omnes permanere studete; scientes: nos non aliter regi obligatos esse, nisi quod puro sermone — sicut michi mos est — in his eum de nobis sperare dixerimus, in quibus eum ad salutem et honorem suum, aut cum iustitia aut cum misericordia, sine nostrae et illius animae periculo adiuvare possimus. [l. c. II. pag. 256—258.]

(Reg. IV. 12. a.) Iusiurandum Henrici regis Teutonicorum. Ego Henricus rex de murmuratione et dissensione, quam nunc habent contra me archiepiscopi, duces comites ceterique principes regni Teutonicorum et alii, qui eos in eadem dissensionis causa sequuntur, infra terminum, quem dom-

nus papa Gregorius constituerit, aut iustitiam secundum iudicium eius aut concordiam secundum consilium eius faciam; nisi certum impedimentum mihi vel sibi obstiterit; quo transacto, ad peragendum idem paratus ero. Item, si idem domnus papa Gregorius ultra montes seu ad alias partes terrarum ire voluerit, securus erit ex mei parte et eorum, quos constringere potero, ab omni laesione vitae et membrorum eius seu captione — tam ipse quam qui in eius conductu et comitatu fuerint seu qui ab illo mittuntur vel ad eum de quibuscumque terrarum partibus venerint — in eundo et ibi morando seu inde redeundo. Neque aliud aliquod impedimentum habebit ex meo consensu, quod contra honorem suum sit; et si quis ei fecerit, cum bona fide secundum posse meum illum adiuvabo. (Ita me deus adiuvet et haec sancta euangelia.)

Actum Canusiae 5 Kalendas Februarii, indictione 15, (anno domini nostri Jesu Christi 1077, praesentibus episcopis: Umberto Praenestino, Giraldo Ostiensi; cardinalibus Romanis: Petro tituli S. Chrisogoni et Conone tituli S. Anastasie; Romanis diaconibus Gregorio et Bernardo; et subdiacono Umberto. Item ex parte regis interfuerunt: Bremensis archiepiscopus, et episcopi Vercellensis et Osnabrugensis, et abbas Cluniacensis et multi nobiles viri). [l. c. II. pag. 257—158.]

b) Reg. Lib. Epistula XXI, *[Jaffé-Wattenbach n. 5201 (3921)].*

* Jaffé, *Bibliotheca rerum germanicarum.* II. 453. Mirbt, *Die Publizistik zur Zeit Gregors VII.* p. 23. 98. 543 seq. Martens, *Gregor VII.* T. II. p. 49 seq.

(Contra illos, qui stulte dicunt, imperatorem excommunicari non posse a Romano pontifice.) Gregorius episcopus servus servorum dei dilecto in Christo fratri Herimanno Metensi episcopo salutem et apostolicam benedictionem.

Quod ad perferendos labores ac pericula pro defensione veritatis te paratum intelligimus, divini muneris esse non dubitamus. Cuius haec est ineffabilis gratia et mira clementia, quod nunquam electos suos penitus aberrare permittit, nunquam funditus labefactari aut deici sinit; dum eos, persecutionis tempore quadam utili probatione discussos, etiam post trepidationem aliquam semet ipsis fortiores facit. Quoniam autem — sicut inter ignavos alium, quo turpius alio fugiat, timor exanimat — ita etiam inter strenuos alium, quo fortius alio agat quo ardentius prorumpat, virile pectus inflammat, hoc caritati tuae exhortationis voce curavimus commendare: ut eo magis in acie christianae religionis stare te delectet inter primos, quo eos non dubitas victori deo proximos atque dignissimos.

Quod autem postulasti, te quasi nostris scriptis iuvari ac praemuniri contra illorum insaniam, qui nefando ore garriunt: auctoritatem sanctae et apostolicae sedis non potuisse regem Henricum, hominem christianae legis

contemptorem, ecclesiarum videlicet et imperii destructorem atque hereticorum auctorem et consentaneum, excommunicare, nec quemquam a sacramento fidelitatis eius absolvere, non adeo necessarium nobis videtur; cum huius rei tam multa ac certissima documenta in sacrarum scripturarum paginis reperiantur. Neque enim credimus, eos, qui ad cumulum suae dampnationis veritati impudenter detrahunt et contradicunt, haec ad suae defensionis audaciam tam ignorantia, quam miserae desperationis vecordia, coaptasse. Nec mirum. Mos est enim reproborum, ob suae nequitiae protectionem niti, consimiles sibi defendere; quia pro nichilo habent, mendacii perditionem incurrere.

Nam, ut de multis pauca dicamus, qui ignorat vocem domini ac salvatoris nostri Jesu Christi dicentis in euangelio: «*Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam; et tibi dabo claves regni coelorum; et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis, et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis?*»[1]) Nunquid sunt hic reges excepti? aut non sunt de ovibus, quas filius dei beato Petro commisit? Quis, rogo, in hac universali concessione ligandi atque solvendi a potestate Petri se exclusum esse existimat, nisi forte infelix ille, qui, iugum domini portare nolens, diaboli se subicit oneri, et in numero ovium Christi esse recusat? Cui tamen hoc ad miseram libertatem minime proficit, quod potestatem Petri, divinitus sibi concessam, a superba cervice excutit; quoniam, quanto eam quisque per elationem ferre abnegat, tanto durius ad damnationem suam in iudicio portat.

Hanc itaque divinae voluntatis institutionem, hoc firmamentum dispensationis ecclesiae, hoc privilegium, beato Petro apostolorum principi coelesti decreto principaliter traditum atque firmatum, sancti patres cum magna veneratione suscipientes atque servantes, sanctam Romanam ecclesiam tam in generalibus conciliis quam etiam in ceteris scriptis et gestis suis universalem matrem appellaverunt. Et sicut eius documenta in confirmatione fidei et eruditione sacrae religionis, ita etiam iudicia susceperunt; in hoc consentientes et quasi uno spiritu et una voce concordantes: omnes maiores res et praecipua negocia nec non omnium ecclesiarum iudicia ad eam quasi ad matrem et caput debere referri; ab ea nusquam appellari, iudicia eius a nemine retractari aut refelli debere vel posse. Unde beatus Gelasius papa Anastasio imperatori scribens, divina fultus auctoritate, quid et qualiter de principatu sanctae et apostolicae sedis sentire deberet, hoc modo eum instruxit:[2]) «*Etsi* inquit *cunctis generaliter sacerdotibus recte divina tractantibus fidelium convenit colla submitti, quanto potius sedis illius praesuli consensus est adhibendus, quem cunctis sacerdotibus et divinitas summa*

[1]) Math. XVI. 18, 19.
[2]) Conf. num. 30.

voluit praeminere, et subsequens ecclesiae generalis iugiter pietas celebravit. Ubi prudentia tua evidenter advertit, nunquam quolibet penitus humano consilio aequare se quemquam posse illius privilegio vel confessioni, quem Christi vox praetulit universis, quem ecclesia veneranda confessa semper est et habet devota primatem». Item Iulius papa, orientalibus episcopis scribens, de potestate eiusdem sanctae et apostolicae sedis ait: «*Decuerat vos, fratres, adversus sanctam Romanam et apostolicam ecclesiam limate et non yronice loqui; quoniam et ipse dominus noster Jesus Christus, eam decenter allocutus, ait: ‹Tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam, et tibi dabo claves regni coelorum›. Habet enim potestatem singulari privilegio concessam, aperire et claudere ianuas regni coelestis, quibus voluerit.*» Cui ergo aperiendi claudendique coeli data potestas est, de terra iudicare non licet? Absit. Num retinetis, quod ait beatissimus Paulus apostolus: «*Nescitis, quia angelos iudicabimus? quanto magis saecularia.*» Beatus quoque Gregorius papa reges a sua dignitate cadere statuit, qui apostolicae sedis decreta violare praesumpserint, scribens ad quendam Senatorem abbatem his verbis: «*Si quis vero regum sacerdotum iudicum atque saecularium personarum hanc constitutionis nostrae paginam agnoscens, contra eam venire temptaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat; et nisi ea, quae ab illo sunt male ablata, restituerit, vel digna poenitentia illicite acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine domini redemptoris nostri Jesu Christi alienus fiat atque in aeterno examine districtae ultioni subiaceat.*» (Greg. Registr. L. VIII. ep. 8.)

Quodsi beatus Gregorius, doctor utique mitissimus, reges, qui statuta sua super unum xenodochium violarent, non modo deponi sed etiam excommunicari atque in aeterno examine dampnari decrevit, quis nos H(enricum), non solum apostolicorum iudiciorum contemptorem verum etiam ipsius matris ecclesiae, quantum in ipso est, conculcatorem totiusque regni et ecclesiarum improbissimum praedonem et atrocissimum destructorem, deposuisse et excommunicasse reprehendat, nisi forte similis eius? Sicut beato Petro docente cognovimus in epistola de ordinatione Clementis, in qua sic ait: «*Si quis amicus fuerit iis, quibus ipse* — de eodem Clemente dicens — *non loquitur, unus est et ipse ex illis, qui exterminare dei ecclesiam volunt; et cum corpore nobiscum esse videatur, mente et animo contra nos est, et est multo nequior hostis hic, quam illi, qui foris sunt et evidenter inimici. Hic enim per amicitiarum speciem, quae inimica sunt, gerit; et ecclesiam dispergit ac vastat.*» Nota ergo, carissime, si eum, qui amicitia vel colloquio iis, quibus papa pro actibus suis aversus est, sociatur, tam graviter iudicat, quanta illum ipsum, cui pro actibus suis aversus est, animadversione dampnat.

Sed ut ad rem redeamus: itane dignitas, a saecularibus — etiam Deum ignorantibus — inventa, non subicietur ei dignitati, quam omnipotentis Dei providentia ad honorem suum invenit mundoque misericorditer tribuit? cuius filius — sicut deus et homo indubitanter creditur — ita summus sacerdos, caput omnium sacerdotum, ad dexteram patris sedens et pro nobis semper interpellans, habetur; qui saeculare regnum, unde filii saeculi tument, despexit et ad sacerdotium crucis spontaneus venit. Quis nesciat: reges et duces ab iis habuisse principium, qui, Deum ignorantes, superbia rapinis perfidia homicidiis, postremo universis pene sceleribus, mundi principe diabolo videlicet agitante, super pares, scilicet homines, dominari caeca cupidine et intolerabili praesumptione affectaverunt. Qui videlicet, dum sacerdotes Domini ad vestigia sua inclinare contendunt, cui rectius comparentur quam ei, qui est caput super omnes filios superbiae? qui ipsum summum pontificem, sacerdotum caput, Altissimi filium, temptans et omnia illi mundi regna promittens, ait: «*Haec omnia tibi dabo, si procidens adoraveris me*»? Quis dubitet, sacerdotes Christi regum et principum omniumque fidelium patres et magistros censeri? Nonne miserabilis insaniae esse cognoscitur si filius patrem, discipulus magistrum sibi conetur subiugare, et iniquis obligationibus illum suae potestati subicere, a quo credit non solum in terra sed etiam in coelis se ligari posse et solvi. Haec, sicut beatus Gregorius in epistola ad Mauritium imperatorem directa commemorat, Constantinus Magnus imperator, omnium regum et principum fere totius orbis dominus, evidenter intelligens, in sancta Nycena synodo post omnes episcopos ultimus residens, nullam iudicii sententiam super eos dare praesumpsit; sed illos etiam deos vocans, non suo debere subesse iudicio, verum se ad illorum pendere arbitrium iudicavit. Supra dicto quoque Anastasio imperatori praelibatus papa Gelasius persuadens, ne ille intimatam suis sensibus veritatem arbitraretur iniuriam, subintulit dicens: «*Duo sunt quippe, imperator auguste, quibus principaliter mundus hic regitur, auctoritas sacrata pontificum et regalis potestas; in quibus tanto gravius pondus est sacerdotum, quanto etiam pro ipsis regibus hominum in divino reddituri sunt examine rationem*». Et paucis interpositis, inquit: «*Nosti itaque inter hec, ex illorum te pendere iudicio, non illos ad tuam velle redigi voluntatem*». (Conf. num. 30.)

Talibus ergo institutis talibusque fulti auctoritatibus, plerique pontificum, alii rege, alii imperatores excommunicaverunt. Nam, si speciale aliquod de personis principum requiratur exemplum, beatus Innocentius papa Archadium imperatorem, quia consensit, ut sanctus Iohannes Chrisostomus a sede sua pelleretur, excommunicavit. Alius item Romanus pontifex, Zacharias videlicet, regem Francorum, non tam pro suis iniquitatibus quam pro eo, quod tantae potestati non erat utilis, a regno deposuit; et Pipinum Caroli Magni imperatoris patrem in eius loco substituit; omnesque Francigenas a iuramento fidelitatis, quod illi fecerant, absolvit. Quod etiam ex

frequenti auctoritate saepe agit sancta ecclesia, cum milites absolvit a vinculo iuramenti, quod factum est his episcopis, qui apostolica auctoritate a pontificali gradu deponuntur. Et beatus Ambrosius, licet sanctus non tamen universalis ecclesiae episcopus, pro culpa, quae ab aliis sacerdotibus non adeo gravis videbatur, Theodosium Magnum imperatorem excommunicans ab ecclesia exclusit. Qui etiam in suis scriptis ostendit, quod aurum non tam pretiosius sit plumbo, quam regia potestate sit altior dignitas sacerdotalis, hoc modo circa principium sui pastoralis scribens: «*Honor, fratres, et sublimitas episcopalis nullis poterit comparationibus adaequari. Si regum fulgori compares et principum diademati, longe erit inferius, quam si plumbi metallum ad auri fulgorem compares; quippe cum videas regum colla et principum submitti genibus sacerdotum et, exosculata eorum dextera, orationibus eorum credant se communiri.*» Et post pauca: «*Haec cuncta, fratres, ideo nos praemisisse debetis cognoscere, ut ostenderemus: nichil esse in hoc saeculo excellentius sacerdotibus, nichil sublimius episcopis reperiri*».

Meminisse etiam debet fraternitas tua, quia maior potestas exorcistae conceditur, cum spiritualis imperator ad abiciendos daemones constituitur, quam aliqui laicorum causa saecularis dominationis tribui possit. Omnibus nempe regibus et principibus terrae, qui religiose non vivunt et in actibus suis Deum ut oportet non metuunt, demones heu proh dolor dominantur et misera eos servitute confundunt. Tales enim, non divino ducti amore sicut religiosi sacerdotes ad honorem dei et utilitatem animarum praeesse cupiunt, sed ut intolerabilem superbiam suam ostentent animique libidinem expleant, ceteris dominari affectant. De quibus beatus Augustinus in libro primo de doctrina christiana dicit: «*Cum vero etiam eis, qui sibi naturaliter pares sunt, hoc est hominibus, quilibet dominari affectat, intolerabilis omnino superbia est.*» Porro exorcistae, ut diximus, super demones a Deo imperium habent; quanto igitur magis super eos, qui daemonibus subiecti et membra sunt demonum. Si ergo his tantum praeminent exorcistae, quanto amplius sacerdotes.

Praeterea omnis rex christianus ad exitum veniens, ut inferni carcerem evadat, ut de tenebris in lucem tendat, ut de peccatorum vinculis in Dei iudicio absolutus appareat, sacerdotis opem supplex ac miserandus requirit. Quis autem non modo sacerdotum verum etiam laicorum, in extremis positus, pro suae animae salute terreni regis imploravit auxilium? Quis vero regum vel imperatorum aliquem christianum ex imposito sibi officio valet sacro babtismate ex diaboli potestate eripere et inter filios dei connumerare sanctoque chrismate praemunire? Et quod maximum est in christiana religione, quis eorum valet proprio ore corpus et sanguinem Domini conficere? Vel cui eorum data est potestas ligandi solvendique in coelo et in terra? Ex quibus aperte colligitur, quanta potestate praecellat dignitas sacerdotum. Aut quis eorum potest aliquem clericum in sancta ecclesia ordinare? quanto

minus pro aliqua culpa eum deponere. Namque in ecclesiasticis ordinibus maioris est potestatis, deponere quam ordinare. Episcopi enim possunt alios episcopos ordinare, sed nullo modo sine auctoritate apostolicae sedis deponere. Quis igitur, vel tenuiter sciolus, sacerdotes dubitet regibus anteferri? Quodsi reges pro peccatis suis a sacerdotibus sunt iudicandi, a quo rectius quam a Romano pontifice iudicari debent?

Ad summam, quoslibet bonos christianos multo convenientius, quam malos principes, reges intelligi decet. Isti enim, gloriam Dei querendo, se ipsos strenue regunt; at illi, non quae Dei sunt sed sua quaerentes, sibimet hostes, alios tyrannice opprimunt. Hi veri regis Christi, illi vero diaboli corpus sunt. Isti ad hoc sibi imperant, ut cum summo imperatore aeternaliter regnent; illorum vero id potestas agit, ut cum tenebrarum principe, qui rex est super omnes filios superbie, aeterna dampnatione dispereant.

Nec valde sane mirandum est, quod mali pontifices iniquo regi — quem, adeptis male per eum honoribus, diligunt metuuntque — consentiunt; qui, symoniace quoslibet ordinando, Deum pro vili etiam pretio vendunt. Nam, sicut electi insolubiliter suo capiti uniuntur, ita et reprobi, maxime contra bonos, ei, qui malitiae caput est, pertinaciter foederantur. Contra quos profecto non tam disserendum quam pro eis est lacrimosis planctibus ingemendum: ut omnipotens Deus illos laqueis sathanae, quibus captivi tenentur, eripiat et, vel post pericula, ad agnitionem veritatis tandem aliquando perducat.

Haec de regibus et imperatoribus, qui, saeculari gloria nimium tumidi, non Deo sed sibi regnant. Sed quia nostri est officii, unicuique secundum ordinem vel dignitatem, qua videtur vigere, exhortationem distribuere, imperatoribus et regibus ceterisque principibus, ut elationes maris et superbiae fluctus comprimere valeant, arma humilitatis Deo auctore providere curamus. Scimus enim; quia mundana gloria et saecularis cura eos permaxime, qui praesunt, ad elationem trahere solet; qua semper, neglecta humilitate, propriam quaerendo gloriam, fratribus cupiant praeminere. Proinde videtur utile maxime imperatoribus et regibus: ut, cum mens illorum se ad alta erigere et pro singulari vult gloria oblectare, inveniat, quibus se modis humiliet,, atque unde gaudebat, sentiat plus timendum. Perspiciat ergo diligenter, quam periculosa quamve timenda sit imperatoria vel regia dignitas; in qua paucissimi salvantur, et illi, qui Deo miserante ad salutem veniunt, non aeque ut multi pauperum iudicio sancti Spiritus in sancta ecclesia clarificantur. A mundi enim principio usque ad haec nostra tempora in tota autentica scriptura non invenimus septem imperatores vel reges, quorum vita adeo fuerit religione praecipua et virtute signorum decorata, sicut innumerabilis multitudinis saeculi contemptorum; licet plures eorum credamus apud omnipotentem Deum misericordiae salutem invenisse. Namque, ut de apostolis et martyribus taceamus, quis imperatorum vel regum aeque ut beatus Martinus,

Antonius et Benedictus miraculis claruit? Quis enim imperator aut rex mortuos suscitavit, leprosos mundavit, cecos illuminavit? Ecce Constantinum piae memoriae imperatorem, Theodosium et Honorium, Carolum et Lodoicum, iustitiae amatores, christianae religionis propagatores, ecclesiarum defensores, sancta quidem ecclesia laudat et veneratur; non tamen eos fulsisse tanta miraculorum gloria indicat. Praeterea ad quot nomina regum vel imperatorum basilicas seu altaria dedicari, vel ad eorum honorem sancta ecclesia missas statuit celebrari? Timeant reges aliique principes: ne, quanto se ceteris hominibus in hac vita praeferri gaudent, tanto amplius aeternis incendiis subiciantur. Unde scriptum est: «*Potentes potenter tormenta patientur.*» De tot enim hominibus Deo reddituri sunt rationem, quot suae dominationi subditos habuerunt. Quodsi alicui religioso privato non parvus labor est, unam suam animam custodire, quantus labor imminet principibus super multis milibus animarum. Praeterea, si iudicium sanctae ecclesiae valde constringit peccatorem pro unius hominis interfectione, quod erit de iis, qui multa milia morti tradunt pro huius mundi honore? Qui, licet ore aliquando dicant: «Mea culpa!» pro multorum occisione, tamen corde gaudent in sui quasi honoris extensione; noluntque non fecisse, quod egerunt; neque dolent, quod fratres suos in Tartarum compulerunt. Cumque ex toto corde eos non penitet neque volunt humano sanguine adquisita vel detenta omittere, illorum poenitentia apud Deum sine digno penitentiae fructu manet. Unde profecto valde est timendum; atque ad memoriam eorum crebro revocandum: quod, sicut praefati sumus, a mundi principio paucissimi per diversa terrarum regna reges sancti ex innumerabili eorum multitudine reperiuntur; cum in una tantum pontificum seriatim succedentium sede, videlicet Romana, a tempore beati Petri apostoli ferme centum inter sanctissimos computentur. Cur autem hoc, nisi quia reges terrae et principes, vana gloria illecti, sicut praelibatum est, quae sua sunt spiritualibus rebus praeferunt; religiosi autem pontifices, vanam gloriam despicientes, quae Dei sunt carnalibus rebus praeponunt. Illi in se delinquentes facile puniunt, in Deum peccantes aequo animo ferunt; isti in se peccantibus cito ignoscunt, Deum offendentibus non leviter parcunt. Illi, terrenis actibus nimium dediti, spiritualia parvi pendunt; isti, coelestia sedulo meditantes, quae sunt terrena, contemnunt.

Admonendi ergo sunt omnes christiani, qui cum Christo regnare cupiunt: ne ambitione saecularis potestatis regnare affectent; sed potius prae oculis habeant, quod beatus Gregorius papa sanctissimus in libro pastorali admonet, dicens: «*Inter haec itaque quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat.*» Quodsi ad apostolicam sedem, in qua rite ordinati meritis beati Petri apostoli meliores efficiuntur, qui Deum timent coacti cum magno timore veniunt; ad regni solium cum quanto timore ac tremore accedendum

est; in quo etiam boni et humiles — sicut in Saul et David cognoscitur — deteriores fiunt. Nam quod de apostolica sede praelibavimus, in decretis beati Symachi papae — licet experimento sciamus — sic continetur: «*Ille*, scilicet beatus P(etrus), *perennem meritorum dotem cum haereditate innocentiae misit ad posteros*»; et post pauca: «*Quis enim sanctum esse dubitet, quem apex tantae dignitatis attollit; in quo, si desint bona adquisita per meritum, sufficiunt, quae a loci decessore praestantur. Aut enim claros ad haec fastigia erigit, aut eos qui eriguntur illustrat.*» (Cfr. n. 31.)

Quapropter, quos sancta ecclesia sua sponte ad regimen vel imperium deliberato consilio advocat, non pro transitoria gloria, sed pro multorum salute, humiliter oboediant; et semper caveant, quod beatus Gregorius in eodem libro pastorali testatur: «*Apostatae quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum in tumorem superbiae culmine potestatis excrevit. Per humilitatem quippe praelatus est, per superbiam reprobatus, Domino attestante, qui ait: «Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?»* [1]) Et paulo inferius: «*Miro autem modo cum apud se parvulus, apud Dominum magnus, cum vero apud se magnus apparuit, apud Dominum parvulus fuit*». Vigilanter quoque retineant, quod Dominus in euangelio dicit: «*Ego gloriam meam non quaero*», et «*Qui vult inter vos esse primus, sit omnium servus*» [2]). Honorem Dei semper suo praeponant; iustitiam, unicuique suum servando ius, amplectantur atque custodiant; non eant in consilio impiorum, sed religiosis semper adquiescendo corde adhaereant. Sanctam ecclesiam non quaerant sicut ancillam sibi subicere vel subiugare; sed permaxime oculos illius, videlicet Domini sacerdotes, magistros et patres recognoscendo, decenter studeant honorare. Nam si carnales patres et matres honorare iubemur, quanto magis spirituales? Et si ille, qui carnali patri vel matri maledixerit, morte mulctandus est, quid ille, qui maledicit spirituali patri vel matri, meretur? Non, carnali amore illecti, studeant filium suum gregi, pro quo Christus sanguinem suum fudit, praeponere, si meliorem illo et utiliorem possunt invenire; ne, plus Deo diligendo filium, maximum sanctae ecclesiae inferant detrimentum. Patenter enim Deum et proximum, sicut christianum oportet, non amare convincitur, qui tantae utilitati tamque necessariae sanctae matri ecclesiae, prout melius potest, negligit providere. Hac namque virtute id est caritate neglecta, quicquid boni aliquis fecerit, omni salutis fructu carebit. Haec itaque humiliter agendo et amorem Dei et proximi sicut oportet servando, praesumant de illius misericordia, qui dixit: «*Discite a me, quia mitis sum et humilis corde*» [3]). Quem si humiliter imitati fuerint, de regno servili et transituro ad regnum vere libertatis et aeternitatis transibunt. [l. c. II. pag. 453—465.]

---

[1]) 1. Reg. 15. 17. [2]) Marc. 10. 44.; Psalm. I. 1. [3]) Matth. 11. 29.

49. DEUSDEDIT.

* *Gregorii VII. Registri* in Jaffé, *Bibliotheca rer. german.* II. 55a. p. 174 seq. Martinucci, *Deusdedit.* Venetiis 1869. Sakur, *Der Dictatus Papae nach der Canonensammlung des Deusdedit* in *Neues Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde.* XVIII. p. 135 seq. Martens, *Gregor VII.* T. II. pag. 314 seq. Meyer von Knonau, *Jahrbücher des deutschen Reiches unter Heinrich IV. und Heinrich V.* T. II. p. 549 n. 136. Mirbt, in *Realencyclopädie für protestantische Theologie und Kirche.* s. v. *Deusdedit.* Solmi, *Stato e Chiesa negli scritti politici ecc.* p. 136—139.

Dictatus Papae.

1. Quod Romana ecclesia a solo domino sit fundata. — 2. Quod solus Romanus pontifex iure dicatur universalis. — 3. Quod ille solus possit deponere episcopos vel reconciliare. — 4. Quod legatus eius omnibus episcopis praesit in concilio, etiam inferioris gradus; et adversus eos sententiam depositionis possit dare. — 5. Quod absentes papa possit deponere. — 6. Quod cum excommunicatis ab illo inter cetera nec in eadem domo debemus manere. — 7. Quod illi soli licet pro temporis necessitate novas leges condere, novas plebes congregare, de canonica abbatiam facere, et e contra divitem episcopatum dividere et inopes unire. — 8. Quod solus possit uti imperialibus insigniis. — 9. Quod solius papae pedes omnes principes deosculentur. — 10. Quod illius solius nomen in ecclesiis recitetur. — 11. Quod hoc unicum est nomen in mundo. — 12. Quod illi liceat imperatores deponere. — 13. Quod illi liceat de sede ad sedem, necessitate cogente, episcopos transmutare. — 13. Quod de omni ecclesia, quocumque voluerit, clericum valeat ordinare. — 15. Quod ab illo ordinatus alii ecclesiae praeesse potest, sed non militare; et quod ab aliquo episcopo non debet superiorem gradum accipere. — 16. Quod nulla synodus absque praecepto eius debet generalis vocari. — 17. Quod nullum capitulum nullusque liber canonicus habeatur absque illius auctoritate. — 18. Quod sententia illius a nullo debeat retractari, et ipse omnium solus retractare possit. — 19. Quod a nemine ipse iudicari debeat. — 20. Quod nullus audeat condemnare apostolicam sedem apellantem. — 21. Quod maiores causae cuiuscumque ecclesiae ad eam referri debeant. — 22. Quod Romana ecclesia numquam erravit nec in perpetuum, scriptura testante, errabit. — 23. Quod Romanus pontifex, si canonice fuerit ordinatus, meritis beati Petri indubitanter efficitur sanctus, testante sancto Ennodio Papiensi episcopo, ei multis sanctis patribus faventibus, sicut in decretis beati Symachi papae continetur. — 24. Quod illius praecepto et licentia subiectis liceat accusare. — 25. Quod absque synodali conventu possit episcopos deponere et reconciliare. — 26. Quod catholicus non habeatur, qui non concordat Romanae ecclesiae. — 27. Quod a fidelitate iniquorum subiectos potest absolvere. [l. c. II. pag. 174—176.]

50. MANEGOLDUS.

Ad Gebehardum Liber.

* *Monumenta Germaniae historica; Libelli de lite Imperatorum et Pontificum saeculis XI et XII conscripti.* Tom. I. p. 300—430. ed. Kuno Franke. Mirbt, *Die Publicistik etc.* p. 26 seq. Solmi, *Stato e Chiesa negli scritti politici ecc.* p. 96, 105 seqq. Scaduto, *Stato e Chiesa negli scritti politici dalla fine della lotta per le investiture fino alla morte di Ludovico il Bavaro.* Firenze 1882. p. 1—5. Giesebrecht, in *Sitzungsberichte der k. Münchener Akademie.* 1867. p. 297 seqq.

XXX. Quod rex non sit nomen nature, sed vocabulum officii.

Regalis ergo dignitas et potentia sicut omnes mundanas excellit potestates, sic ad eam ministrandam non flagitiosissimus quisque vel turpissimus est constituendus, sed qui sicut loco et dignitate, ita nichilominus ceteros sapientia, iusticia superet et pietate. Necesse est ergo, qui omnium curam gerere, omnes debet gubernare, maiore gratia virtutum super ceteros debeat splendere, traditam sibi potestatem summo equitatis libramine studeat administrare. Neque enim populus ideo eum super se exaltat, ut liberam in se exercendae tyrannidis facultatem concedat, sed ut a tyrannide ceterorum et improbitate defendat. Atqui, cum ille, qui pro coercendis pravis, probis defendendis eligitur, pravitatem in se fovere, bonos conterere, tyrannidem, quam debuit propulsare, in subiectos ceperit ipse crudelissime exercere, nonne clarum est, merito illum a concessa dignitate cadere, populum ab eius dominio et subiectione liberum existere, cum pactum, pro quo constitutus est, constet illum prius irrupisse? Nec illos quisquam poterit iuste ac rationabiliter perfidiae arguere, cum nichilominus constet illum fidem prius deseruisse. Ut enim de rebus vilioribus exemplum trahamus, si quis alicui digna mercede porcos suos pascendos committeret ipsumque postmodo eos non pascere, sed furari, mactare et perdere cognosceret, nonne, promissa mercede etiam sibi retenta, a porcis pascendis cum contumelia illum amoveret? Si, inquam, hoc in vilibus rebus custoditur, ut nec porcarius quidem habeatur, qui porcos non pascere, sed studet disperdere, tanto dignius iusta et probabili ratione omnis, qui non homines regere, sed in errorem mittere conatur, omni potentia et dignitate, quam in homines accepit, privatur, quanto conditio hominum a natura distat porcorum. Quid igitur mirum, si haec disciplina sub christiana religione custoditur, dum antiqui Romani, etate videlicet illustrium virorum Collatini et Bruti, Tarquinii regis superbiam non ferentes, pro stupro, non quod ipse, sed quod filius eius in Lucretia nobili matrona commiserat, cum filio pariter illum patria et regno depellerent, ac, ne quisquam imperii diuturnitate insolesceret, annua sibi imperia per binos exinde consules crearent? Aliud est regnare, aliud in regno tyrannidem exercere. Ut enim imperatoribus et regibus ad tuenda regni gubernacula fides et reverentia est adhibenda, sic certe,

sic firma ratione, si tyrannidem exercere eruperint, absque omni fidei lesione vel pietatis iactura nulla fidelitas est vel reverentia impendenda. *In maximo enim imperio,* ait hystoricus, *minima est licentia.* Unde Augustinus contra Novatum: *Forte,* inquid, *regi ignosci oportuit, humilibus autem ignosci non debet? Cum magis potentioribus difficilius ignoscendum videatur. «Deus enim personas hominis non accipit».* [Gal. 2, 6.] *Quanto enim quis sublimior est, tanto magis licet leve peccatum eius grave est crimen. Sicut humilitas in potente sublimis et magnifica est, ita et culpa eius pro crimine adhibenda est. Exceptis enim peccatis, omnibus que constat esse illicita, non omnia licent potentibus, que sunt concessa humilibus. Dignitoso enim homini negotiari deforme est, et popinam ingredi notabile est; senatoribus quoque fenus infamia est. Si ergo in his levibus inventi notandi sunt, quanto magis rei constituendi sunt, si peccaverint?* Quia igitur sublimis cuiusquam licet leve peccatum, ut ait Augustinus, grave crimen est, aliqua adhuc de vestri Heinrici actibus proferamus, ut omnibus intueri volentibus, quam iuste sit depositus, quam merito sit detestandus, demonstremus. Ut ergo adulteria innumera taceamus, multiplices incestus, sacras virgines viciatas, numerosa incensarum sacrilegia ecclesiarum, multorum milium hominum necem innocentem, super quibus et divinae et humanae quid sanctiant leges, nemini ignotum est, sileam et illud nefandissimum genus peccati, quod omnem humanum vel simpliciter acceptum pre sui spurcicia polluit auditum, ut, inquam, haec omnia transeam, de sola sodomiticae colluvionis immunditia, qua iam plures fedaverat, sacri quid censeant canones, divinae quid iudicent auctoritates, proferamus. Anquiranum namque concilium ante Nicenum celebratum, sed postmodum per Calcedonense roboratum, usque in finem seculi inter catholicas regulas deputatum, capite XVI. super huiusmodi precipit dicens: *Eos qui irrationabiliter vixerint et lepra iniusti criminis alios polluerint, precepit sancta synodus inter eos orare, qui spiritu periclitantur immundo.* Cum ergo Heinricus vester hac immunditia, ut ipsi, qui hanc pertulere iniuriam, undique deplorant, quam plures defedaverit, qui convenit super christianos illum regnare, qui nec inter eos qui Christi sunt permittitur ulla ratione orare? Quomodo Christi ecclesiam moderatur et regit, quem cum arrepticiis deputatum eadem ecclesia furiosis et sensu captis associavit? Videtisne miseri, videtisne infelices, inmo infelicissimis infelitiores, quantum vos ipsi confunditis, quantum desplicabiles demonstratis, quantum abhorrendos et detestandos proclamatis, qui regem super vos spiritu inmundo arreptis sociatum regnare certatis? Quod revera nequaquam faceretis, nisi spiritu inmundo et ipsi repleti, digni, talis quibus dominetur, existeretis. Nullus certe canis nisi feminae sui generis miscetur. At vero, si quisquam canem suum cum alio contra naturam coire conspiceret, nequaquam ultra vivere permitteret. Infra canes ergo vos esse ostenditis, qui eum qui canibus detestabilior est vobis superponere

furibundi certatis. «At», inquiunt, «nemo pro peccatis debet deponi, nemini commissa sunt exprobranda». Unde ergo, rogo, suprascripti reges deiecti, unde innumerabilium ecclesiarum antistites nisi pro culpis suis leguntur depositi? Si igitur nemo pro culpis suis, sicut aiunt, concessa debet dignitate privari, quid est, ut huius rei exemplum et auctoritatem altius repetam, quod protoplastus de paradisi delitiis post peccatum depellitur, omni intus concessa potestate privatur? Unde ergo Lucifer ille qui mane oriebatur, qui est principium viarum Dei, cui altiores non fuerunt cedri in paradyso Dei, cuius summitatem abietes non adequarunt, cuius frondibus platani equae non fuerunt, cuius pulcritudini omne paradysi lignum non est assimilatum, qui speciosus factus in multis condensisque frondibus, qui signaculum similitudinis, plenus sapientia et perfectus decore in delitiis paradisy Dei, cuius omnis lapis preciosus operimentum extitit, cuius aurum opus decoris fuit: unde, inquam, ille tot super celestium insignium ornamentis cunctis superis choris prelatus de caeli altitudine est deiectus, si nemo, ut isti bachantur, pro qualibet facinorum immensitate concessa dignitate est privandus? His igitur de regis specialiter depositione ex irrefragabili sanctorum auctoritate prolatis, iam adversus nostros conspiratores, adversus novos scismaticos armemur, ipsique quam detestabiles sint, iuxta patrum diffinitiones demonstremus. (cf. Is. 14, 12. Iob. 40, 14. cf. Ez. 31, 8. 9. ib. 28, 12. 13.) — [l. c. I. pag. 365—366.]

51. PETRUS CRASSUS.

Defensio Heinrici IV. Regis.

* *Mon. Germ. histor.; Libelli de lite* ed. Heinemann. Tom. I. p. 432—460. Mirbt, *Publicistik.* p. 18 seqq. Solmi, *Stato e Chiesa negli scritti politici ecc.* p. 98 seq. Meltzer, *Gregor VII. und die deutschen Bischofswahlen.* p. 236. Chiappelli, *Lo studio bolognese nelle sue origini.* Pistoia 1888. p. 145. Maassen, in *Sitzungsberichte der Akademie der Wissenschaft. zu Wien, phil.-hist. Classe.* 1877. p. 227—257. Ficker, *Forschungen zur Reichs- und Rechtsgeschichte Italiens.* IV. p. 106—124. Fitting, *Die Anfänge der Rechtsschule zu Bologna.* 1888. p. 40. Besta, *L' opera d' Irnerio.* Torino 1896. p. 1—40.

6. Quid plura? Saxones, qui in sacro baptismate fidem accipiendo manum veritati dedistis, adestote, auscultate mecumque incommodum ac periculum vestrum cognoscite! Attendite, quaeso, quod leges, quas piissimi imperatores pro vestra vestrorumque filiorum ac totius christianitatis salvatione condiderant, unius monachi pertinacia solvere ac delere laborat. Nam legislatores omnes homines, quemque pro sua suorumque utilitate, leges intelligere volunt. Unde in primo libro Codicis scriptum est: *Leges sacratissimae, quae constringunt vitas omnium, ab omnibus intelligi debent, ut universi, praescripto earum manifestius cognito, vel inhibita declinent vel permissa sectentur.* Inde opere pretium est curiose intendere, quam firma

censura vobis omnibusque christianis propriae hereditatis possessionem illaesam permanere velint. Scriptum enim est in libro Institutionum ita: *Omnis hereditas aut testamento aut successione ab intestato aut tacito pacto transit ad heredem.* In eodem: *Intestatorum autem hereditates ex lege duodecim tabularum primum ad suos heredes pertinent. Sui autem heredes aestimantur, qui in potestate morientis patris fuerint, veluti filius, filia, nepos, neptis et deinceps.* In eodem: *Sui autem etiam ignorantes fiunt heredes, et statim morte parentis quasi continuatur dominium.* In eodem: *Cuius ergo heredes facti sitis, sive cuius bonorum possessionem petieritis, omnes res ad vos transeunt.* In tertio libro Codicis ita: *Parentibus arbitrium dividendae hereditatis in liberos adimendum non est.* Item in libro Institutionum principalibus constitutionibus prospicitur, ne cui longa et indubitata possessio auferri debeat. In sexto libro Codicis inter caetera sic scriptum est: *Auferri tibi, quod iure quaesitum est, non potest.* Sed prudentiam vestram, Saxones, liquido expedit scire legislatoris religionem omnes his sacratissimis legibus subiugasse gentes, ut, quod aliis litterarum subministrat lectio, id aliis per usum et consuetudinem prompte reddat memoria. Unde fit, ut consuetudo, quam legislator commendat, legum vicem in iudiciali amplectatur causa. Nam in octavo libro Codicis scriptum habetur: *Consuetudinis ususque longaevi non vilis auctoritas est.* In eodem: *Leges quoque ipsas antiquitus probata et conservata tenaciter consuetudo imitatur et obtinet; et quod officiis, curiis, civitatibus, principibus vel collegiis praestitum fuisse cognoscitur, perpetuae legis vicem obtinere statuimus.* Quare, Saxones, aequanimitas vestra intelligat, quam benigno favore vobis vestrisque heredibus sicut caeteris gentibus legislator ius vestrum vel ipsis legibus vel consuetudine legibus consentanea observari constituit. Verum ut haec omnia divinae legis sanctione corroborata esse cognoscatis, beati Gregorii sententiam adtendite, qui in epistola Phocae imperatori missa inter caetera sic ait: *Redeat cunctis in rebus propriis secura possessio, ut sine timore habere se gaudeant, quae non sunt ab eis fraudibus acquisita.* Quorsum haec Saxones? Nonne hac eadem legum auctoritate Henrico regi inviolabiliter regnum stabilitum esse comprobatur? Estne inter mortales, qui habitant terram, homo aliquis tam inscius, tam hebes, tam imprudens, tam expers rationis, tam demens, cui cogitare aut fas sit credere, in tantum regem licere fieri, quod cuiquam privato homini legum sanctione fieri prohibetur, aut almi legislatoris perspicacem providentiam tam longe a ratione fuisse, ut se suosque heredes ac posteros reges a tanto legum beneficio exclusos esse voluisset? Audite ergo et videte Constantinum imperatorem in septimo libro Codicis mandantem: *Nemo,* inquit, *ambigit possessionis duplicem esse rationem, aliam, quae iure consistit, aliam, quae corpore; utramque ita demum esse legitimam, cum omnium adversariorum silentio et taciturnitate firmetur.* Quid igitur? Nonne Henricus rex iure et corpore

possidet regnum? cuius legitima possessio iustissimum habuit initium, ut avi eius C[onradi] imperatoris divae memoriae alta pax regni et tranquilla testatur, qui cum ipsa benedictione apostolica, qua regnum accepit, H[enrico] filio suo beatae memoriae successionem eius reliquit. Tandem paterna legitima successione cum eadem apostolica benedictione ad Henricum regem pervenit. Qui cum bonae fidei possessor regni ex tam iusto existat initio, insuper cum ab his tribus personis tam idoneis, tam magnificae opinionis, in possidendo regnum sine controversia, sine omni litis interpellatione, ut leges volunt, legibus patenter satisfactum esse cognoscatur, videntur manifeste adversus vos, Saxones, leges ipsae conqueri, quod unius monachi vesaniam sequentes contra divinas et humanas leges, contra ius gentium, contra ius civile, contra bonos mores, contra humanae vitae omnem aequitatem armata vi regni invasionem fecistis. Nam in sexti libri constitutionibus habetur ita: *Longi temporis praescriptio his, qui bona fide coeptam possessionem nec interruptam inquietudine litis tenuerunt, patrocinari solet.* Et item inter caeteras: *Diuturnitate possessionis partam securitatem maleficium alterius turbare non potest.* Intellexistis igitur, quanta fraude extremae monachus dementiae contra leges pro vobis ipsis conditas violenter contendere vobis persuasit? Nempe cum in iudicio diuturnam regni possessionem nullatenus inquietare possetis, armis eam iusto possessori turbatis. Abolitis enim legibus, nonne parum vivere a brutis animalibus redarguimur? Quorum cum par vita sit, nullum est superius nec in pascuis pascendo proprium obtinet locum. Sed cum sitis, Saxones, prudentes viri, rationis amici, non est tutum committere vos nautae, qui portum capere navigando sine remis contendere . . . . Quis enim ab insania eius non abhorreat, qui sine legibus contra legem praedicat imperatores et reges progenitos a se heredes regni habere non posse? Consules olim non poterant, sed imperatoribus et regibus haec semper licentia fuit. Ut de multis pauca commemorem, Octavianus Caesar, qui Tyberium privignum suum regni heredem constituit, poteratne filium instituere, si filium haberet? Quid? Tyberius, qui cum filii sui Drusi filium regni heredem habere voluisset, Caium Caligulam fratris sui filium errando heredem instituit. Unde Iosephus in historia refert dicens: *Tyberius autem, ut vidit Caium, tunc primum intellexit maiestatis supernae potentiam, et quod non sit in hominum potestate de imperii constitutione decernere.* Attendite itaque, Saxones, quam manifeste declaratum sit in I[ldebrandi] monachi et vestra potestate non esse de regno H[enrico] regi divinitus dato decernere. Quocirca divino nutu regnorum ordinationem fieri nulli dubium esse constat. Sed ut ad incepta redeam, quis nescit Constantinum imperatorem regna filiis testamento divisa reliquisse? Gratianus autem, qui Theodosium regni consortem fecerat, poteratne filium, si haberet, regni heredem facere? Ut antiquis omissis ad nostros veniam, legitur ad Carolum regni gubernaculum pro sanctae

Romanae ecclesiae totiusque Italiae defensione delatum, qui hostem Italia expulit, regnum post mortem filio suo in pace reliquit. Qui ante obitum suum inter filios regnum divisit, quibus autem pro divisione regni non fraterne dissidentibus, apostolicus pacem reformare per nuntios suos studiose curavit, quatinus apostolicam sedem pacis, non belli auctorem semper esse debere monstraret. Deinde aliquanto tempore devoluto, iterum pro defensione Italiae summa rerum mandata Othoni cognoscitur. Nam in gestis illius ita scriptum reperitur: *Tempore igitur, quo piissimus rex Otto Romae unctionem suscepit imperii, residente in synodo [summo] et universali papa domino Iohanne* etc. Huic vero dispensatione divina in regno filius, filio nepos successit. At tandem his in regno fatali sorte consumtis, eadem divina ordinatione imperii dignitas ad H[enrici] regis parentes et ad ipsum devoluta comprobatur. Sed quis unquam imperatorum pro Italiae defensione maiori honore, maiori gloria, maiori laude dignus habetur quam Henrici regis genitores cum ipso, quorum potentia et nutu nec aliquis in Italia, ut ita dicam, ausus apparere fuerat hostis, nisi I[ldebrandus] monachus, hostis legum, hostis pacis, totius christianitatis hostis, aut quem ipse contra imperii maiestatem subdole fovendo nutrierat. Audistis igitur, Saxones, legibus consuetudineque legibus consona H[enricum] regem iustissimum regni esse possessorem. Sed prudentiae vestrae intentio in hac parte irreprehensibilis esse cognoscitur, quod per huius os monachi beatum Petrum apostolum loqui putastis. At vero, ut huius rei veritatem comprehendere possitis, intelligentiam vestram aequo animo pro communi omnium vestrum utilitate oro adesse. Notum quippe omnibus vobis esse non dubitatur, quod I[ldebrandus] monachus summa procacitate ad suum iudicium saepius H[enricum] regem vocavit; sed incognitum aequanimitati vestrae penitus aestimatur, quod calliditate iniqua et dolosa, unde eum accusare potuisset, vestigando argumenta quaesivit; quod quia nullus usque in hunc diem episcopus in sua ecclesia fecisse cognoscitur, noveritis procul dubio I[ldebrandum] monachum huiusce novae etiam depravationis contra divinae disciplinae dogmata auctorem extitisse. Audite ergo beatum Augustinum in libro de verbis Domini vehementer talia prohibentem: *Ammonet,* inquit, *nos dominus Iesus Christus non negligere invicem peccata nostra, non quaerendo, quid reprehendas, sed videndo, quid corrigas.* Monuit itaque beatus Augustinus I[ldebrandum] monachum in propria cognoscere vita, quod reprehendat in aliena. Sed quis ferat pastorem investigantem, qua occasione ovibus Christi, quibus in omnibus prodesse debet, perverso modo nocere valeat. Demum H[enricus] rex ad hunc in mira et inaudita humilitate spiritualem aestimans patrem venit. Ibi, ut fama est, coram cunctis qui aderant I[ldebrandus] monachus de animae regis salute, clam et in occulto de subreptione regni morteque sua ac filiorum eius in summo dolo et fraude perditissima tractavit. Ad hoc pro fide, quam Deo et beato Petro iuste et

religiose servare videmini, attendite, quantum istius monachi facta beati Petri doctrinae aestimentur contraria. Nam in prima epistola sua inter caetera apostolus sic ait: *Non configurati prioribus ignorantiae vestrae desideriis, sed secundum eum, qui vos sanctos vocavit, sicut scriptum est: Sancti estote, quomodo ego sanctus sum. Deponentes igitur omnem malitiam et omnem dolum et simulationem et invidias et omnes detractiones.* (1. Petr. 1, 14—16.) [l. c. I. pag. 443—446.]

52. PLACIDUS MONACHUS NONANTOLANUS.

Liber de honore ecclesiae.

* *Mon. Germ. histor.; Libelli de lite.* Tom. II. p. 566—639. ed. De Heinemann et Sackur. Kraysen, *Placidius von Nonantola: De honore ecclesiae. Ein Beitrag zur Geschichte des Investiturstreites.* Leipzig 1888. Tiraboschi, *Storia dell' augusta Badia di Nonantola.* Modena 1796. Tom. II. p. 228, 234. Solmi, *Stato e Chiesa ecc.* p. 51, 53, 73. Mirbt, *Publizistik.* p. 76 seq.

VII. De possessione aecclesiae.

Quod semel aecclesiae datum est in perpetuum Christi est, nec aliquo modo alienari a possessione aecclesiae potest in tantum, ut etiam idem ipse fabricator aecclesiae, postquam eam Deo voverit et consecrari fecerit, in ea deinceps nullum ius habere possit. Non enim per eum ordinari, non investiri ulterius potest. Testatur haec non solum novi, sed etiam veteris instrumenti sacratissima scriptura. Quae igitur aecclesiae dantur, ideo ut omnibus notum est, ei donantur, ut pauperes Christi inde alantur, utque servientes Deo in sacrario habeant unde pascantur, ut videlicet contemplationi divinae et eius assiduae laudationi sine seculi huius sollicitudine devotissime semper intenti, adherere Deo iugiter possint. Illis namque qui aecclesiae suae sumptus praebent, id est sanctis pauperibus in hoc seculo ministrant, Dominus ait: *Facite vobis amicos de mamona iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Thesaurizate vobis thesauros in caelo, ubi nec erugo nec tinea demolitur.* [Euangelium Luc. 16. 9.] Quantum autem malum sit, quod semel Deo datur, iterum aliquo ingenio velle auferre, idem ipse demonstrat dicens: [Luc. 9, 62.] *Nemo mittens manum suam in aratrum, et respiciens retro aptus est regno Dei.* Unde etiam et in Actibus apostolorum Anania et Saphira, qui quod Deo voverant occulte auferre conati sunt, increpatione beati Petri apostoli morti traditi sunt. Ubi etiam cum gravi timore pensandum est, qua poena multandi sint qui non solum sua Deo non tribuunt, verum etiam oblata ab aliis auferre non timent; si mortis sententiam meruerunt qui non aliena, sed sua, quae iam Deo voverant, contra eius sacrum institutum auferre conabantur. [l. c. II. p. 577—78].

LIIII. Ut laici aecclesias nullo modo investire audeant.

[Ex concilio sancti Gregorii VII. papae.][1]) *Quoniam investituras aecclesiarum contra statuta sanctorum patrum a laicis personis in multis partibus cognovimus fieri et ex eo plurimas seditiones in aecclesia oriri, ex quibus christiana religio conculcatur, decernimus, ut nullus clericorum investituram episcopatus vel abbatiae vel aecclesiae de manu imperatoris vel regis vel alicuius laicae personae, viri vel feminae suscipiat. Quod si praesumpserit, recognoscat investituram illam apostolica auctoritate irritam esse, et se usque ad dignam satisfactionem excommunicationi subiacere.* [l. c. II. pag. 590.]

LV. Quia grave scelus est laicos baculo vel anulo aecclesias investire.

Quantum nefas hoc sit, etiam a minori exempli gratia videamus. Quis enim unquam ferret, si aliquis ante presbiterium vel post de rebus aecclesiae, quae per ordinem presbiterii procurare debet, ab aliquo per casulam seu stolam se investiri deligeret? Quis non eum insanum vel si defendere vellet vere hereticum pronunciaret? Et quomodo hoc ferendum est in episcopo vel abbate, si in presbitero pro inaudito antea crimine puniretur? Sed fortasse aliqui sunt qui dicant non convenire ista, qui illa sacrata sunt, baculus vero et anulus nequaquam. Quod non se bene dicere dignentur attendere. Presbiter namque cum ordinatur, casulam et stolam de manu episcopi accipit et in exterioribus signis benedictionem presbiterii se percepisse designat. Episcopus etiam, cum benedicitur, baculum de manu archiepiscopi accipit, simul et anulum. Baculum quidem, ut bene populum regat, anulum vero, ut signum aeterni misterii se percepisse cognoscat. Quae utraque ex euangelio sumpta cognoscimus. Baculum enim praedicatores Dominus ferre praecepit, ubi, sicuti beatus pater Augustinus intellegit, subsidia temporalia eis ex ipsa praedicatione deberi monstravit. Unde et nos intellegere decet ideo institutum episcopos vel abbates baculum de manu episcopi, cum consecrantur, accipere, ut noverint se terrenarum rerum, quae aecclesia possidet, de manu Domini veraciter tunc accepisse dominium. In anulo vero misterium sacratissimae coniunctionis, Christi videlicet et eius aecclesiae, designari certissimum est. Quae ideo in episcopo celebrantur, quia [quasi] vice Christi aecclesiae sanctae coniungitur. Quam pravum itaque sit quamque perversum haec de manu imperatoris seu alicuius humanae potestatis ante consecrationem vel postea velle accipere considerandum est et a tantae inquitatis perpetratione cessandum. [l. c. II. 590-91.]

[1]) Conc. Romanum a. 1078, Nov. 19 habitum. Jaffé, *Bibliotheca rer. german.* II. p. 332.

LVI. Contra eos qui dicunt ideo nos hoc docere, ut honor regni minuatur.

Nos igitur non ideo hoc dicimus, ut honor regni exinde minuatur, sed ut magis inde adaugeatur. Iuxta euangelium enim quae caesaris sunt, ut ex verbis sancti Ambrosii supra docuimus, caesari reddere volumus, et quae Dei Deo. Non enim sola sacratio Dei est, sed et res, quae Deo offeruntur, Dei veraciter esse noscuntur. Hoc enim supra probavimus multis et variis documentis. Possessiones videlicet aliquorum hominum, postquam semel eas Deo devoverint, nulli omnino imperatori, regi vel principi huius seculi pertinere, nisi soli Deo et eius aecclesiae. [l. c. II. pag. 591.]

LXXIII. Nullum episcoporum debere aliquam aecclesiam laicis subdere.

Spiritus sancti dona specialiter in aecclesiasticis officiis praefulgere manifestum est. Inter quae omnia supereminet episcopalis gratia. Quae non inmissione regum vel principum, sed electione clericorum et petitione seu acclamatione omnium populorum fieri debet. Cuius electionis iudicium domni apostolici et eius vicariorum seu archiepiscoporum ita proprium est, ut nulli non sui ordinis viro haec concedere ulla ratione debeant. Pro salute enim animarum suarum principes eligere speculatorem debent qui gladium venientem super se et super populum videre et denunciare praevaleat; sicut et omnis populus debet non sua potentia vel auctoritate in aecclesiam aliquem introducere. Non enim Spiritus sanctus alicui subici potest, ut ei spiritale donum tribuat, cui princeps avaritiae serviens et sanctuarium Dei hereditate possidere desiderans pro suo et non pro Dei honore praesulatum aecclesiae investiendo dare praesumpserit. Nam qui hoc putat, homini utique subici posse creatorem omnium Spiritum sanctum credit, quod vel existimare inauditum scelus est, et Arrianam impietatem supergredi, ut sanctus Urbanus papa docet, manifestum est. Non itaque tali manus imponenda est, sed, nisi ex corde poenituerit, aeterna dampnatio inminere praedicanda est. Ostendunt autem et sancti Calcedonenses patres, quod sancte et pure aecclesiastica tractanda sint, dum aiunt: [Ex concilio Calcedonense c. II.] *Si quis episcopus per pecuniam fecerit ordinationem, et sub pretio redegerit gratiam, quae non potest vendi, ordinaveritque per pecunias episcopum aut presbiterum aut diaconum, vel quemlibet ex his, qui connumerantur in clero, aut promoverit per pecunias dispensatorem aut defensorem, vel quemquam, qui subiectus est regulae, pro suo turpissimi lucri commodo, is, cui hoc attemptanti probatum fuerit, proprii gradus periculo subiaceat, et qui ordinatus est, nichil ex hac ordinatione vel promotione, quae est per negotiationem facta, proficiat, sed sit alienus a dignitate vel sollicitudine, quam pecuniis quaesivit. Si quis vero mediator tam tur-*

pibus et nefandis datis vel acceptis extiterit, si quidem clericus fuerit, proprio gradu decidat; si vero laicus aut monacus, anathematizetur. Si itaque iuxta hoc praeceptum laicus mediator, ut dispensator, id est economus aecclesiae, per pecunias ordinetur, anathematizandus est: laico coactori, ut omnem aecclesiam suo iuri subdat, consentiendum est? Numquid qui ab ipso episcopatum acceperit sacrandus est? Nam, si etiam pro solius Dei honore hoc requireret, impetrare minime deberet; quia, ut iam diximus, istud suo ordini nequaquam competit. Quod enim quidam aiunt ideo hoc imperatori competere, quia sacro oleo in regnum unctus est, omnino veritati non congruit. Non enim ideo unctus est, ut episcopatus vel abbatias disponat, sed ut Spiritus sancti gratia, quae per unctionem illam signatur, confirmatus iustitiam Dei rectissime teneat. Cum autem ei etiam valde religioso et non pro sui regni honore quaerenti hoc conceditur, ut sine eius licentia clerus vel populus electionem praesulum facere non audeant, et si fecerint, ipse secundum suum libitum emendet, et nullus episcopus ante electum consecrare audeat, quam ab ipso per baculum et anulum investiatur, numquid canonicum est? Ubi isti inveniuntur canones, cum sacri canones seculares aecclesias suo iuri subdentes anathematizent? Numquid, si hoc ei conceditur, claves regni caelestis eius dicioni non subduntur? Quod si ei nulla specie religionis istud praerogativum concedi potest, pro honore sui regni quaerenti et vi optinere conanti aliquomodo consentiri debet? [l. c. II. pag. 599—600.]

LXXXI. Qualiter intelligenda sint quaedam privilegia, quae contra hanc quam defendimus rationem esse videtur.

Proferuntur a quibusdam quaedam privilegia sanctorum apostolicorum, quibus patrocinantibus se putant canonicam hanc, quam defendimus, rationem destruere et ad nichilum iuste posse redigere. Quibus hoc primum dicendum est, quia *non est discipulus super magistrum.* [Matth. 10, 24.] Quod enim sancti apostoli ordinaverunt nullus eorum discipulus destruere potest. Quod si quis conatus fuerit, eum iniuste facere christiana ratio clamat. Si igitur verum est haec privilegia sanctos fecisse, primum sciendum est, quia non ob aliud hoc fecerunt, nisi ut discordia, quae saepe in electione provenire solet, regali auctoritate pelleretur. Quod verum esse ipsa illorum scripta declarant, quae ideo haec eos egisse fatentur, ut magna discordia, quae saepe in electione proveniebat, regali providentia sedaretur, et symoniaca heresis, quae aliquando sacrum ordinem fedabat, nulla ex parte surripere posset. Cum vero hoc, quod ipsi remedium fore putaverant, in letale vulnus erumpere et totum pene iam corpus aecclesiae occupare cepisset, iuste interdictum esse manifestum est. Ideo enim illi hoc concesserant, ut supra iam diximus, ut caritas robustius permaneret et symoniaca ambitio locum penitus non haberet. Cum autem

inde mors intrare cepisset, unde expelli putata est, digne et iuste alii sancti apostolici hoc prohibuerunt, quia sponsae Christi illud obesse viderunt. Sicut itaque illi pro honore Dei, et non hominum, hoc concesserunt, sic isti videntes illud obesse aecclesiae pro honore Dei prohibuerunt. Intentio itaque sancta una fuit utrisque, scilicet salutis aecclesiae et honoris Dei. Sicut autem conservari tunc poterat quod illi fecerant, quia non nocebat, ita nunc deleri oportet, quia certissime nocet. Ad hoc enim pastores claves aecclesiae habent, ut quod nocet auferant quod iuvat inferant. Quod utique pessimae negociationi fomentum subministrare cognoscitur auferendum de sancta aecclesia est, ut ipse Dominus praecipit dicens: *Auferte ista hinc, et nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* (Ioh. 2, 16.) Non itaque putandum est illos concessisse, ut aliquis secularibus potestatibus usus aecclesiam per ipsas optineat, istos vero quod ipsi male egissent emendasse, sed potius utrique hoc studuerunt, sicut iam diximus, ut pax firmius teneretur et symoniaca heresis confunderetur. Utrique enim decreta antiquorum patrum Clementis et Alexandri et sciebant et custodiebant, qui in suis decretis praecipiunt dicentes: *Si quis episcopus secularibus potestatibus usus aecclesiam per ipsas optineat, deponatur et segregetur, omnesque qui illi communicant.* (cf. Hebr. 5, 4.) Et merito. Nam praesulatus non voluntate humana, sed vocatione divina, sicut de Aaron apostolus dicit, provenire debet. Vocatur autem vere a Deo ille, quem clerus et populus christianus, in quorum cordibus Deus habitat, pro salute animarum suarum pure et simpliciter elegerint. [l. c. II. pag. 603—604.]

XCIII. Quo ordine, sanctis canonibus non contrario, sacerdotium et regnum concordari possit?

Quia vero Dominus ait: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis,* (Ioh. 14, 27.) studendum est omnimodis, ut pax inter regnum et sacerdotium sit et firmiter Deo auxiliante permaneat. Quae ita, ut Deo inspirante cognoscimus, fieri potest, si, cum pastor aecclesiae canonice electus, investitus et consecratus fuerit, tunc per se vel per suos fideles imperatorem adeat et de rebus aecclesiae sibi commissis imperiale praeceptum expetat. Quod ei piissimus imperator amore suae spiritualis matris libentissime concedens firmare dignetur, quod sui praedecessores illi aecclesiae concessisse manifestum est, promittens eidem aecclesiae et eius pastori suam piissimam defensionem in omnibus. Ideo autem diximus non tantum per se, sed etiam et per suos legatos istud peragere sanctos pastores, quia saepius evenit, ut sancta aecclesia sanctum sibi pastorem vel senem vel etiam debilem corpore eligere studeat, sicut venerabilis memoriae Gregorium, eximium doctorem, sancta Romana aecclesia fecit, et sicut Mediolanenses successorem beati Ambrosii Simplicianum, bonum senem, eligere studuerunt. Dignum itaque non est, ut tales longo terrarum spatio fatigentur. Si itaque hoc ratum tam

sancti episcopi, quamque venerabiles imperatores habuerint, et insolentiam superborum compriment et in pace quiescent; ipsa vero aecclesia concordari et adunari in pace Christi taliter Deo auxiliante potest. Episcopi vel clerici, qui a sancta Romana et catholica aecclesia aberraverint et ex corde poenitentes ad eam regredi voluerint, cum consilio sanctorum episcoporum recipiantur, et quamvis multi ex eis exigente iustitia iuste repudientur, tamen misericordia superexaltante iudicium, si ex toto corde convertuntur, pro unitate et concordia sanctae matris aecclesiae bonum est, ut in suis gradibus recipiantur. In eis vero locis, ubi catholici episcopi et scismatici erant, catholici sedem episcopatus obtineant, scismatici vero presbyteri honore fungantur. Factum est istud tempore sancti patris Augustini de Donatistis, et aecclesia sancta unita est. Ita et isto tempore si agatur, credimus in illius misericordia, qui duos diversos angulos in se angulari lapide adunare dignatus est, quia aecclesia sancta praesenti discordia carebit et in pace quiescet. (cf. 1. Petr. 2, 6. 7.) [l. c. II. pag. 615.]

58. PAX WORMATIENSIS 1122 Sept. 23 (HEINRICUS V. ET CALIXTUS II.)

* *Monum. Germaniae hist.; Constitutiones et acta publica Imperatorum et regum.* ed. Weiland, Tom. I. p. 159—162. Baronius, *Annales ecclesiastici.* Lucae 1738—1746. Tom. XII. p. 151. Duchesne, *Liber Pontificalis.* Tom. II. p. 378. Bernheim, *Zur Geschichte des Wormser Concordates.* Göttingen 1878. Idem, *Investitur und Bischofswahlen im XI. und XII. Jahrhundert* (in *Zeitshrift für Kirchengeschichte.* Tom. VII. p. 303—333. Sickel u. Bresslau, *Die kaiserliche Ausfertigung des Wormser Concordats* (in *Mittheilungen des Instituts für österr. Geschichtsforschungen.* 1885. p. 105—139). Omont, in *Bibliotèque de l'École de chartes.* 59. 5. Orlando, s. v. «*Concordato*» in *Digesto Italiano.* Tom. VIII. p. 322 seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. p. 558 seq. Friedberg, *Lehrbuch.* § 48. Stutz, *Kirchenrecht.* § 24.

Privilegium Imperatoris.

In nomine sanctae et individuae Trinitatis. Ego Heinricus Dei gratia Romanorum imperator augustus pro amore Dei et sanctae Romanae aecclesiae et domini papae Calixti et pro remedio animae meae dimitto Deo et sanctis Dei apostolis Petro et Paulo sanctaeque catholicae aecclesiae omnem investituram per anulum et baculum, et concedo in omnibus aecclesiis, quae in regno vel imperio meo sunt, canonicam fieri electionem et liberam consecrationem. [2] Possessiones et regalia beati Petri, quae a principio huius discordiae usque ad hodiernam diem sive tempore patris mei sive etiam meo ablata sunt, quae habeo, eidem sanctae Romanae aecclesiae restituo, que autem non habeo, ut restituantur fideliter iuvabo. [3] Possessiones etiam aliarum omnium aecclesiarum et principum et aliorum tam clericorum quam laicorum, quae in werra ista amissae sunt, consilio principum vel iusticia, quae habeo, reddam, quae non habeo, ut reddantur fideliter iu-

vabo. [4] Et do veram pacem domino papae Calixto sanctaeque Romanae aecclesiae et omnibus qui in parte ipsius sunt vel fuerunt. [5] Et in quibus sancta Romana aecclesia auxilium postulaverit, fideliter iuvabo et, de quibus mihi fecerit querimoniam, debitam sibi faciam iustitiam. Haec omnia acta sunt consensu et consilio principum quorum nomina subscripta sunt: Adelbertus archiepiscopus Mogontinus, F. Coloniensis archiepiscopus, H. Ratisbonensis episcopus, O. Bauenbergensis episcopus, B. Spirensis episcopus, H. Augustensis, G. Traiectensis, O. Constanciensis, E. abbas Wldensis, Heinricus dux, Fridericus dux, S. dux, Pertolfus dux, marchio Teipoldus, marchio Engelbertus, Godefridus Palatinus, Otto Palatinus comes, Beringarius comes.

† Ego Fridericus Coloniensis archiepiscopus et archicancellarius recognovi. [l. c. pag. 159—160.]

Privilegium Pontificis *[Jaffé-Wattenbach n. 6986.]*.

Ego Calixtus episcopus servus servorum Dei tibi dilecto filio Heinrico Dei gratia Romanorum imperatori augusto concedo, electiones episcoporum et abbatum Teutonici regni, qui ad regnum pertinent, in presentia tua fieri, absque symonia et aliqua violentia; ut si qua inter partes discordia emerserit, metropolitani et comprovincialium consilio vel iudicio, saniori parti assensum et auxilium praebeas. Electus autem regalia, per sceptrum a te recipiat et quae ex his iure tibi debet faciat. [2] Ex aliis vero partibus imperii consecratus infra sex menses regalia per sceptrum a te recipiat et quae ex his iure tibi debet faciat; exceptis omnibus quae ad Romanam ecclesiam pertinere noscuntur. [3] De quibus vero mihi querimoniam feceris et auxilium postulaveris, secundum officii mei debitum auxilium tibi praestabo. [4] Do tibi veram pacem et omnibus qui in parte tua sunt vel fuerunt tempore huius discordiae. [l. c. pag. 160—161.]

54. PACTUM VENETUM (FRIDERICUS I., ALEXANDER III.)

* *Mon. Germ. Legum Sect. IV.; Constitutiones imperatorum.* Tom. I. p. 362 seq. Sigonius, *De regno Italiae.* ed. I. Venetiis 1574. p. 545. Tom. I. p. 362 seq. Giesebrecht, *Deutsche Kaiserzeit.* Tom. V. p. 844 seq. Reuter, *Geschichte Alexanders III. und der Kirche seiner Zeit.* Leipzig 1860—64. Tom. III. p. 281 seqq. Scheffer-Boichorst, *Kaiser Friedrichs letzter Streit mit der Curie.* Berlin 1866. Vignati, *Storia diplomatica della Lega Lombarda.* Milano 1866. Kehr, *Der Vertrag von Anagni im Jahre 1176* (in *Neu. Archiv der Gesellsch. für ält. deutsche Geschichtskunde.* XIII. p. 74—118.) p. 114—118. *Pactum Venetum.* Cipolla, *La cancelleria e la diplomatica pontificia da S. Siricio a Celestino III.* 1902.

1. Dominus imperator F(ridericus) sicut dominum papam A(lexandrum) in catholicum et universalem papam recepit, ita ei debitam reverentiam exhibebit, sicut catholici sui antecessores suis catholicis antecessoribus

exhibuerunt. Successoribus quoque suis catholice intrantibus eandem reverentiam exhibebit.

2. Et reddet dominus imperator veram pacem tam domino pape Alexandro quam omnibus successoribus suis et toti Romane ecclesie.

3. Omnem vero possessionem et tenementum sive prefecture sive alterius rei, quam Romana ecclesia habuit et ipse abstulit per se vel per alios, bona fide restituet ei salvo omni iure imperii. Ecclesia quoque Romana omnem possessionem et tenementum, quod ei abstulit per se vel alios, bona fide ei restituet salvo omni iure Romane ecclesie.

4. Possessiones etiam, quas dominus imperator restituet, ad retinendum iuvabit.

5. Similiter et universos vasallos ecclesie, quos occasione scismatis dominus imperator abstulit vel recepit, dominus imperator absolvet et domino pape A(lexandro) restituet et ecclesie Romane.

6. Preterea dominus imperator et dominus papa ad honorem et iura ecclesie et imperii conservanda se vicissim iuvabunt, dominus papa ut benignus pater devotum et carissimum filium et imperatorem christianissimum, dominus vero imperator ut devotus filius et christianissimus imperator dilectum et reverendum patrem et beati Petri vicarium.

7. Quecumque autem tempore scismatis vel occasione ipsius aut sine ordine iuditiario ecclesiis a domino imperatore vel suis sunt ablata, eis restituentur.

8. Domina etiam B(eatrix) imperatrix recipiet dominum papam A(lexandrum) in catholicum et universalem papam. Dominus quoque Henricus rex filius eorum similiter eum recipiet et ei et catholicis successoribus suis debitam reverentiam exhibebit et iuramentum, quod dominus imperator exibuerit, similiter et ipse praestabit.

9. Pacem autem veram reddit dominus imperator et dominus Hericus rex filius eius illustri regi Siciliae usque ad XV annos, sicut per mediatores pacis est ordinatum et scriptum.

10. Constantinopolitano etiam imperatori et universis adiutoribus ecclesie Romane pacem veram reddit et nullum malum meritum reddet eis per se vel per suos pro servitio collato ecclesie Romane.

11. De querelis autem et controversiis, quae ante tempora domini Adriani inter ecclesiam et imperium vertebantur, mediatores ex parte domini pape et domini imperatoris constituentur, quibus committentur, ut eas iuditio vel concordia terminent. Si vero predicti mediatores non convenerint, iuditio domini imperatoris vel eius seu eorum, quos ad id elegerint, finientur.

12. Christiano autem dicto cancellario Maguntinus archiepiscopatus, Philippo autem Coloniensis archiepiscopatus concedentur et confirmabuntur

eis cum omni plenitudine archiepiscopalis dignitatis et offitii. Et primus archiepiscopatus, qui in Theutonico regno vacaverit, domino Corrado auctoritate domini pape et auxilio domini imperatoris assignabitur, qui tamen congruus videatur.

13. Ei autem qui dicitur Calixtus una abbatia dabitur. Illi autem qui dicebantur eius cardinales redibunt ad loca que primo habuerunt, nisi ea sponte vel iuditio dimiserant, et in ordinibus, quos ante scisma perceperunt, relinquentur.

14. Gero autem nunc dictus Alberstatensis precise deponetur et Ulricus verus Alberstatensis restituetur. Alienationes a Gerone facte et benefitia data similiter et ab omnibus intrusis auctoritate domini pape et domini imperatoris cassabuntur et suis ecclesiis restituentur.

15. De electione Brandeburgensis episcopi, qui ad Bremensem archiepiscopatum electus erat, cognoscetur et, si canonicum fuerit, ad eandem ecclesiam transferetur. Et quecumque a Baldeuino, qui nunc praeest Bremensi ecclesiae, alienata vel inbeneficiata sunt, sicut canonicum et iustum fuerit, eidem ecclesie restituentur.

16. Item que Salsiburgensi ecclesie tempore scismatis subtracta sunt, ei plenarie restituentur.

17. Universi clerici qui sunt de Ytalia vel aliis regionibus, qui sunt extra Theutonicum regnum, dispositioni et iuditio domini pape A(lexandri) successorumque eius relinquentur. Si vero domino imperatori placcuerit rogare pro ordinibus aliquorum quos canonice perceperunt, usque ad X vel XII, si instare voluerit, exaudietur.

18. G(arsidonius) autem Mantuanus ad episcopatum quondam suum restituetur, ita tamen quod ille qui nunc est Mantuanus, auctoritate domini pape et auxilio domini imperatoris ad Tridentinum episcopatum transferetur, nisi forte inter dominum papam et dominum imperatorem convenerit, ut in alio ei episcopatu provideatur.

19. Archipresbiter vero de Sacco in archipresbiteratu quondam suo et in aliis benefitiis, quae ante scisma habuit, cum omni plenitudine restituetur.

20. Universi etiam ordinati a quondam catholicis vel ab ordinatis eorum in Theutonico regno restituentur in ordinibus taliter perceptis nec occasione huius scismatis gravabuntur.

21. De Argentinensi autem et Basiliensi dictis episcopis, qui ordinati fuerunt a Guidone Cremensi, in eodem regno a praedictis mediatoribus committetur X vel octo quos ipsi elegerint, qui praestito iuramento firmabunt, quod illud consilium de ipsis Romano pontifici et domino imperatori dabunt quod viderint se canonice posse dare absque periculo scilicet anime domini pape et domini imperatoris et sue, et dominus papa adquiescet eorum consilio.

22. Dominus autem papa et omnes cardinales sicut receperunt dominum imperatorem F(ridericum) in Romanorum et catholicum imperatorem, ita recipient B(eatricem) felicem uxorem eius in catholicam et Romanorum imperatricem, ita tamen quod ipsa coronetur a domino papa A(lexandro) vel a legato ipsius. Dominum autem Hericum filium eorum in catholicum regem recipient.

23. Pacem etiam veram reddent dominus papa et cardinales domino imperatori F(riderico) et domine imperatrici B(eatrice) et Herico regi filio eorum et universis adiutoribus ipsorum, salvis que de spiritualibus dispositioni et iuditio domini pape A(lexandri) ei Romane ecclesie presenti scripto relinquuntur et salvo omni iure Romane ecclesie adversus detentatores rerum beati Petri et salvis his que prescripta sunt tam pro parte ecclesie quam pro parte domini imperatoris et imperii.

24. Pacem vero predictam promittit dominus papa se observaturum in verbo veritatis et omnes cardinales, et privilegium inde faciet cum subscriptione omnium cardinalium. Ipsi etiam cardinales scriptum confirmationis praedicte pacis facient cum appositione sigillorum suorum.

25. Et dominus papa statim advocato concilio, quale subito advocari poterit, cum cardinalibus episcopis aliisque religiosis viris qui interfuerint excommunicationem statuet in omnes qui hanc pacem infringere temptaverint. Deinde in generali concilio idem faciet.

26. Plures etiam de nobilibus Romanis et capitaneis Campanie hanc eandem pacem iuramento firmabunt.

27. Imperator vero praedictam pacem ecclesie et iam dictam pacem XV annorum illustris regis Sicilie et treuquam Lombardorum a proximis scilicet Kal. Augusti usque ad VI annos firmabit iuramento suo et principum et faciet Lombardos qui ex parte sua sunt, sicut in communi scripto treuque dispositum et scriptum est, eandem treuquam firmari. Si vero aliquis fuerit ex parte imperatoris qui predictam treuquam iurare recusaverit, imperator precipiet universis, qui ex parte sua sunt, sub debito fidelitatis et gratie sue, ut nullum prestent ei auxilium et volentibus eum offendere in nullo obsistant vel contradicant, et si quis offenderit, non teneatur inde. Mandatum autem istud non revocabit dominus imperator, donec treuqua durabit. Et dominus Hericus rex filius eius predicta firmabit, sicut scripto dispositum est. Dominus etiam imperator predictam pacem ecclesie et illustris regis Sicilie usque ad XV annos et treuquam Lombardorum corroborabit scripto suo cum subscriptione sua et principum.

28. Si vero, quod absit, dominus papa premoriatur, dominus imperator et dominus Hericus rex filius eius et principes hanc formam pacis et compositionis firmiter observabunt successoribus suis et universis cardinalibus et toti Romane ecclesie et illustri regi Sicilie et Lombardis et ceteris qui secum sentiunt. Similiter, quod absit, si dominus imperator pre-

moriatur, dominus papa et cardinales et ecclesia Romana iam dictam pacem firmiter observabunt successori suo et B(eatrici) felici uxori eius et Herico regi filio eius et omnibus de Theutonico regno et ceteris adiutoribus suis, sicut prescriptum est. Et successores domini pape similiter observabunt.

† Wicmannus Madiburgensis archiepiscopus subscripsi. — † Philippus Coloniensis archiepiscopus subscripsi. — † Ego Christianus Maguntinus archiepiscopus subscripsi. — † Ego Arnuldus Treuerensis archiepiscopus subscripsi. — † Ego Arduinus imperialis prothonotarius subscripsi.

55. INNOCENTIUS III. (1198–1216.)

a) Innocentius III. Alexio Constantinopolitorum Imperatori. [*Potthast n. 1278;* in c. b. X. (de maior. et oboed.) I. 33.]

* *Corpus iuris canonici.* ed. Friedberg. Lipsiae 1879—1881. Tom. II. col. 196. Migne, *Patr. Latina.* Tom. 216. p. 1182. Hurter, *Geschichte Papst Innocenz III. und seiner Zeitgenossen.* Hamburg 1841—1843. Tom. I. p. 104 seq. Buchaire, *Innocent III. Rome et l' Italie.* Paris 1904. Friedberg, *Lehrbuch.* § 14. II. Stutz, § 29.

Solitae benignitatis affectu † *recepimus literas, quas per dilectum filium archidiaconum Durachii, virum providum et fidelem, imperialis nobis excellentia destinavit, per quas intelleximus, quod literae, quas per dilectum filium I. capellanum nostrum, tunc apostolicae sedis legatum, tibi transmisimus, imperio tuo praesentatae fuerant et perlectae.* § 1. Mirata est *autem* imperialis sublimitas, *sicut per easdem nobis literas destinasti,* quod te nisi fuimus in nostris literis *aliquantulum* increpare, *licet non increpandi animo, sed affectu potius commonendi quod scripsimus meminerimus nos scripsisse.* Huic autem tuae admirationi non causam, sed occasionem praebuit, *sicut ex eisdem coniecimus literis,* quod legisti, beatum Petrum Apostolorum principem sic scripsisse: «Subditi estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi, tanquam praecellenti, sive ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum». † *Volens enim, de quo nos rationabilius admiramur, imperatoria celsitudo per haec et alia, quae induxit, imperium sacerdotio dignitate ac potestate praeferre, ex auctoritate praemissa triplex trahere voluit argumentum, primum ex eo, quod legitur: «subditi estote;» secundum ex eo, quod sequitur: «regi tanquam praecellenti;» tertium ex eo, quod est adiectum subsequenter: «ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum;» per primum subesse sacerdotium, per secundum imperium praeeminere, per tertium imperatorem tam in sacerdotes quam laicos iurisdictionem, immo etiam gladii potestatem accepisse praesumens. Quem enim et boni quidam sint sacerdotes, et quidam eorum malefactores exsistant, is, qui secundum Apostolum gladium portat ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum, in malefacientes presbyteros excessus praesumptos potest ultore gladio vindicare, quum inter*

Novimus esse scriptum: «Omnis qui se exaltat, humiliabitur, et qui se humiliat, exaltabitur;» et iterum: «Quanto maior es, humilia te in omnibus;» et alibi: «Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.» Propter quod exaltationem nostram in humilitate ponimus, et humilitatem nostram exaltationem maximam reputamus. Unde etiam servos non solum Dei, sed etiam servorum Dei nos esse scribimus et fatemur, et tam sapientibus quam insipientibus secundum Apostolum sumus debitores. § 7. Utrum autem imperatoriam excellentiam ad bonum et utile per literas nostras duxerimus invitandam, utrum tibi iusta suggesserimus et honesta, tua sollicitudo discernat, quum non nisi ad utilitatem ecclesiae et terrae Hierosolymitanae subsidium nos te meminerimus invitasse. *[Inspiret igitur etc.]*

b) Innocentius III. Willelmo. Domino Montispessuloni.
[Ep. V. 128 *De legitimatione liberorum. Potthast n. 1794.*]

* Migne, *Patr. lat.* Tom. 123. col. 1130. Molitor. *Die Decretale «Per venerabilem» von Innocenz III.* Münster 1879.

Per venerabilem fratrem nostrum, Arelatensem archiepiscopum, ad sedem apostolicam accedentem, tua nobis nobilitas supplicavit, ut filios tuos legitimationis dignaremur titulo decorare, quatenus eis, quo minus tibi succederent, natalium objectio non noceret.

Quod autem super hoc apostolica sedes plenam habeat potestatem, ex illo videtur, quod cum, diversis causis inspectis, cum quibusdam minus legitime genitis, non naturalibus tantum, sed adulterinis etiam dispensavit, sic ad actus spirituales ipsos legitimans, ut possent in episcopos promoveri, verisimilius creditur et probabilius reputatur, ut eos ad actus legitimare valeat saeculares, praesertim si praeter Romanum pontificem inter homines superiorem alium non cognoscunt, qui legitimandi habeat potestatem; quia cum maior in spiritualibus tam prudentia quam auctoritas et idoneitas requiratur, quod in maiori conceditur, licitum esse videtur etiam in minori. Per simile quoque idem videtur posse probari, cum eo ipso quod aliquis ad apicem episcopalis dignitatis extollitur, eximitur a patria potestate. Praeterea, si etiam simplex episcopus scienter servum alterius in presbyterum ordinaret, licet ordinator satisfacere domino iuxta formam canonicam teneretur, ordinatus tamen iugum evaderet servitutis. Videretur siquidem monstruosum, ut qui legitimus ad spirituales fieret actiones, circa saeculares actus illegitimus remaneret. Unde, cum quo in spiritualibus dispensatur, consequenter intelligitur in temporalibus dispensatus. Id autem in patrimonio beati Petri libere potest apostolica sedes efficere, in quo et summi pontificis auctoritatem exercet et supremi principis exsequitur potestatem.

Cum ergo videatur ex his legitimandi auctoritas non tantum in spiritualibus sed in temporalibus etiam penes Romanam ecclesiam residere, ut super hoc filiis tuis gratiam faceremus ob tua et progenitorum tuorum me-

rita, qui semper in devotione sedis apostolicae perstitistis humiliter ex parte tua idem archiepiscopus requirebat.

Videbatur autem ex eo trahere maiorem audaciam postulandi, quod non longe petere cogebatur exemplum, sed in favorem petitionis huiusmodi, quod nos ipsos in causa simili fecisse dicebat, poterat allegare. Cum enim clarissimus in Christo filius noster Philippus, rex Francorum illustris, carisimam in Christo filiam nostram, Ingeburgem, Francorum reginam illustrem dimiserit et ex alia postmodum superducta puerum susceperit et puellam, et tu similiter exclusa legitima superduxeris aliam, ex qua filios suscepisti, sicut cum filiis regis eiusdem, sic cum tuis credebatur de benignitate sedis apostolicae dispensandum; praesertim, cum maior id necessitas suaderet, et tu nobis specialius sis subiectus. Siquidem rex Francorum ex inclitae recordationis Isabella, regina Francorum, legitimum olim suscepit haeredem, qui ei optatur et creditur in regni solio successurus. Tu vero ex legitima coniuge masculinum non habes haeredem, qui tibi et in devotione nostra et propria haereditate succedat. Insuper, cum rex ipse in spiritualibus nobis subiaceat, tu nobis et in temporalibus es subiectus, cum partem terrae tuae ab Ecclesia Magalonensi possideas, quam ipsa per sedem apostolicam temporaliter recognoscit. Quare Magalonensis ecclesia mediante, te nobis idem archiepiscopus asserebat temporaliter subiacere.

Verum si veritas diligenter inspicitur, res non similis sed valde dissimilis invenitur. Nam rex ipse a praedicta regina per bonae memoriae archiepiscopi Remensis, apostolicae sedis legati, fuit sententiam separatus. Tu vero uxorem tuam a te, sicut dicitur, temeritate propria separasti. Ipse quoque, priusquam ad eum prohibitio de non contrahendo cum altera perveniret, aliam superduxit, ex qua prolem geminam noscitur suscepisse. Tu in contemptum ecclesiae superinducere attentasti; propter quod ipsa in te gladium exercuit ecclesiasticae ultionis. Praeterea, rex ipse praedictae reginae contra matrimonium affinitatem obiecit, et coram praefato archiepiscopo testes induxit, cuius sententia quia cassata fuit solummodo propter iudiciarium ordinem non servatum, nos ei, post restitutionem praefatae reginae, super hoc venerabilem fratrem nostrum, Octavianum, Hostiensem episcopum et dilectum filium, Joannem, tituli sanctae Priscae presbyterum cardinalem, cognitores duximus concedendos.

Tu vero uxori tuae nihil quod divortium induceret, sicut asseritur, obiecisti; cum, etsi fides tori sit unum de tribus bonis coniugii, non tamen ipsius violatio coniugale vinculum violasset. De filiis quoque regis eiusdem, utrum legitimi an illegitimi fuerint, quamdiu pendet quaestio affinitatis obiectae, potest non immerito dubitari. Nam, si affinitas fuerit comprobata, praedictam reginam non esse regis coniugem apparebit, et per consequens alia videretur sibi legitime compulata, et filios ei legitimos peperisse. De tuis vero, quod sint legitime nati, nec tu ipse proponis, nec ulla praesumi-

tur ratione. Insuper, cum rex ipse superiorem in temporalibus minime recognoscat, sine iuris alterius laesione in eo se iurisdictioni nostrae subiicere potuit et subiecit, in quo forsitan videretur aliquibus, quod per se ipsum, non tanquam pater cum filiis, sed tanquam princeps cum subditis, potuerit dispensare. Tu autem aliis nosceris subiacere. Unde, sine ipsorum forsan iniuria, nisi praestarent assensum, nobis in hoc subducere te non posses, nec eius auctoritatis existis, ut dispensandi super his habeas potestatem.

Rationibus igitur his inducti, regi gratiam fecimus requisiti, causam tam ex veteri quam ex novo testamento tenentes, quod non solum in ecclesiae patrimonio, super quo plenam in temporalibus gerimus potestatem, verum etiam in aliis regionibus, certis causis inspectis, temporalem iurisdictionem casualiter exercemus; non quod alieno iuri praeiudicare velimus, vel potestatem nobis indebitam usurpare, cum non ignoremus Christum in evangelio respondisse: (Matth. 22$_{21}$) *Reddite quae sunt caesaris caesari et quae sunt dei deo* — propter quod postulatus ut haereditatem divideret inter duos: *Quis,* inquit (Luc. 12$_{14}$), *constituit me iudicem super vos?* — sed quia sic in Deuteronomio continetur: (Deut. 17$_{8-12}$) *Si difficile et ambiguum apud te iudicium esse perspexeris inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram, et iudicium intra portas tuas verba videris variari, surge, et ascende ad locum quem elegerit dominus deus tuus; veniesque ad sacerdotes Levitici generis et ad iudicem qui fuerit illo tempore, quaeresque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem; et facies, quaecunque dixerint qui praesunt loco, quem elegerit dominus, et docuerint te iuxta legem eius; sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram vel ad sinistram. Qui autem superbierit nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministraverit domino deo tuo, decreto iudicis morietur, et auferes malum de Israel.* Sane, cum Deuteronomium lex secunda interpretetur, ex vi vocabuli comprobatur in hoc, quod ibi decernitur, ut in novo testamento debeat observari. Locus enim, quem elegit dominus, apostolica sedes esse cognoscitur sic, quod eam dominus in se ipso lapide angulari fundavit. Cum enim Petrus urbem fugiens exiisset, volens eum dominus ad locum, quem elegerat, revocare, interrogatus ab eo: Domine, quo vadis? respondit: Venio Romam iterum crucifigi. Quod intelligens pro se dictum, ad locum ipsum protinus est reversus. Sunt autem sacerdotes Levitici generis fratres nostri, qui nobis iure Levitico in exsecutione sacerdotalis officii coadiutores existunt. Is vero super eos sacerdos sive iudex existit, cui dominus inquit (Matth. 16$_{19}$) in Petro: *Quodcunque ligaveris super terram, erit solutum et in coelis;* — eius vicarius, qui est sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, constitutus a deo iudex vivorum et mortuorum. Tria quippe distinguunt iudicia; primum inter sanguinem et sanguinem, per quod criminale intelligitur et civile; ultimum inter lepram et lepram, per quod ecclesiasticum et criminale notatur; medium inter causam et causam,

quod ad utrumque refertur tam ecclesiasticum quam civile; in quibus cum aliquid fuerit difficile vel ambiguum, ad iudicium est sedis apostolicae recurrendum, cuius sententiam qui superbiens contempserit observare, mori praecipitur et auferri malum de Israel, id est per excommunicationis sententiam velut mortuos a communione fidelium separari. Paulus etiam, ut plenitudinem potestatis exponeret, ad Corinthios scribens ait: (I. Cor. 6_8) *Nescitis quoniam angelos iudicabimus; quanto magis saecularia?* Porro saecularis officium potestatis interdum et in quibusdam per se, nonnunquam autem et in nonnulis per alios exsequi consuevit. Licet igitur cum filiis saepedicti regis Francorum, de quibus an fuerint legitimi ab initio dubitatur, duxerimus dispensandum, quia tamen tam lex Mosaica (Deut. 23_2) quam canonica sobolem susceptam ex adulterio detestatur, testante domino, ***mamzer*** et spurius ***usque in decimam generationem in ecclesiam non intrabunt,*** canone vero vetante tales ad sacros ordines promoveri; saecularibus quoque legibus non solum repellentibus eos a successione paterna, sed negantibus ipsis etiam alimenta, supersedendum adhuc duximus petitioni praedictae, nec ad praesens super hoc tuis precibus annuendum, donec, si fieri poterit, et culpa levior et iurisdictio liberior ostendatur; licet personam tuam specialis dilectionis bracchiis amplexemur, et in quibus cum deo et honestate possumus, specialem tibi velimus gratiam exhibere.

c) Innocentius III. compositionem inter Iohannem regem Anglorum et barones dicti regni de libertatibus anglicanis factam reprobat penitus et damnat. *[Potthast n. 4990].*

* *Bullarium diplomatum et privilegium SS. Rom. Pontificum.* Taurinensis editio. Tom. III. p. 298. Hurter, *Innocenz. III.* Tom. II. p. 656 seqq. Green. *History of the English People.* London 1887. Tom. I. pag. 247 seq. Gneist, *Englische Verfassungsgeschichte.* Berlin 1882. § 17. Stubbs, *The Constitutional History of England.* Oxford 1875. Tom. II. p. 6 seqq. Ladenbauer, in *Zeitschrift für kathol. Theologie.* 1882. p. 201—247; 393—437. Maitland, *Roman Canon Law in the Church of England.* London 1898. p. 50—100.

Etsi charissimus in Christo filius noster Joannes rex Anglorum illustris, Deum et Ecclesiam vehementer offenderit, unde nos eum vinculo excommunicationis innodavimus, et regnum eius ecclesiastico subiecimus interdicto, ipse tamen (illo misericorditer inspirante, qui non vult mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat), tandem conversus ad cor, Deo et Ecclesiae humiliter satisfecit, in tantum quod non solum recompensationem pro damnis, restitutionem exhibuit pro ablatis, verum etiam plenariam libertatem contulit Ecclesiae Anglicanae. Quinimo utraque sententia relaxata, regnum suum tam Angliae, quam Hiberniae beato Petro, et Ecclesiae Romanae concessit: reciqiens illud in feudum sub annuo censu mille marcarum, fidelitatis nobis inde praestito iuramento, sicut per privilegium eius aurea bulla munitum. Adhuc etiam omnipotenti Deo amplius placere de-

siderans, signum vivificae Crucis reverenter accessit, profecturus in subsidium Terrae Sanctae, ad quod se magnifice praeparabat. Sed humani generis inimicus qui semper consuevit bonis actibus invidere, suis callidis artibus adversus eum barones Angliae concitavit, ita ut ordine perverso in illum insurgerent, postquam conversus Ecclesiae satisfecit, qui assistebant eidem quando Ecclesiam offendebat. Orta siquidem inter eos dissentionis materia, cum plures dies statuti fuissent ad tractandum de pace, utrinque interim solemnes nuncii ad nostram fuerunt praesentiam destinati. Cum quibus habito diligenti tractatu, post plenam deliberationem scripsimus per eosdem Stephano Cantauriensi archiepiscopo et episcopis Anglicanis, praecipiendo mandantes, ut ad reformandam inter utrosque veram et plenam concordiam diligens impenderent studium et operam efficacem, omnes coniurationes et conspirationes, si quae fuerant forte praesumptae a tempore subortae discordiae inter regnum et sacerdotium, apostolica denunciantes auctoritate cassatas, et per excommunicationis sententiam inhibentes, ne talia de caetero praesumerentur a quoquam, magnates et nobiles Angliae monendo prudenter, et efficaciter iniungendo, ut per manifesta devotionis et humilitatis indicia ipsum regem sibi placere studerent; ac deinde si quid ab eo deducerent postulandum, non insolenter, sed humiliter implorarent; regalem conservantes ei honorem, et exhibentes servitia consueta, quae ipsi et praedecessores eorum sibi et praedecessoribus suis impenderunt: cum ex eis ipse rex non debeat absque iudicio spoliari, ut sic quod intenderent, possent facilius obtinere. Nos enim eundem regem per litteras nostras rogavimus, et monuimus, et per praefatos archiepiscopum et episcopos nihilominus rogari et moneri mandavimus in remissionem sibi peccaminum iniungentes, quatenus praedictos magnates et nobiles benigne tractaret, et iustas eorum petitiones clementer admitteret, ut et ipsi congaudendo cognoscerent eum in meliorem statum divina gratia esse mutatum, ac per hoc ipsi et haeredes eorum sibi et haeredibus suis deberent promptius et devotius famulari: plena eis in veniendo, morando et recedendo securitate concessa, ita quod si forte nequiret inter eos concordia provenire, in curia sua per partes eorum, secundum leges et consuetudines regni suborta dissentio sopiretur. Verum antequam nuncii cum hoc provido et iusto mandato rediissent, illi iuramento fidelitatis omnino contempto, cum etsi rex eos iniuste gravasset, ipsi tamen non debuissent sic agere contra eum, ut in causa sua iidem iudices et executores existerent, vassalli contra dominum, et milites contra regem publice coniurantes, non solum cum aliis, sed cum eius manifestissimis inimicis praesumpserunt contra eum arma movere, occupantes et devastantes terras illius; ita quoque, quod civitatem Londinensem, quae sedes est regni, proditione sibi traditam invaserunt. Interim praefatis autem nunciis revertentibus, rex obtulit eis secundum formam mandati nostri iustitiae plenitudinem exhibere, quam ipsi omnino spernentes, coeperunt manus

extendere ad peiora. Unde rex ipse ad audientiam nostram appellans, obtulit eis exhibere iustitiam coram nobis, ad quem huius causae iudicium ratione dominii pertinebat, quod ipsi sunt penitus aspernati. Deinde obtulit illis, ut tam ab ipso, quam illis quatuor viri eligerentur prudentes qui una nobiscum subortam inter eos discordiam terminarent, promittens, quod ante omnia revocaret universos abusus, quicumque fuissent in Anglia suo tempore introducti: sed nec hoc illi dignati sunt acceptare. Tandem illis rex proposuit, quod cum regni dominium ad Romanam Ecclesiam pertineret, ipse non poterat, nec debebat absque nostro speciali mandato quicquam de illo in nostrum praeiudicium immutare. Unde rursus ad nostram audientiam appellavit; seipsum, ac regnum cum omni honore ac iure suo apostolicae protectioni supponens. Sed cum nullo modo proficeret, postulavit ab archiepiscopo et episcopis, ut nostrum exequerentur mandatum, ius Ecclesiae Romanae defenderent, ac tuerentur eundem secundum formam privilegii crucesignatis indulti. Porro cum ipsi nihil horum facere voluissent, videns se omni auxilio et consilio destitutum, quicquid illi ausi sunt petere, non est ausus ipse negare. Unde compulsus est per vim et metum, qui cadere non poterat in virum etiam inconstantissimum, compositionem invit cum ipsis, non solum vilem, et turpem, verum etiam illicitam et iniquam in nimiam derogationem ac diminutionem sui iuris pariter et honoris. Quia vero nobis a Domino dictum est in Propheta: Constitui te super gentes et regna, ut evellas et destruas, aedifices et plantes; itemque per alium Prophetam: Dissolve colligationes impietatis, solve fasciculos deprimentes; nos tantae malignitatis audaciam dissimulare nolentes in Apostolicae Sedis contemptum, regalis iuris dispendium, Anglicanae gentis opprobrium, et grave periculum totius negotii Crucifixi, quod utique immineret, nisi per auctoritatem nostram revocarentur omnia, quae a tanto principe crucesignato taliter sunt exorta, et ipso volente ea servare, ex parte Dei omnipotentis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, auctoritate quoque apostolorum Petri et Pauli ac nostra, de communi fratrum nostrorum consilio compositionem huiusmodi reprobamus penitus et damnamus sub intimatione anathematis prohibentes, ne dictus rex eam observare praesumat, aut barones cum complicibus suis ipsam exigant observari: tam chartam quam obligationes seu cautiones quaecumque pro ipsa vel de ipsa sunt factae, irritantes penitus, et cassantes, ut nullo unquam tempore aliquam habeant firmitatem.

Datum Anagniae nono kalendas septembris, pontificatus nostri anno decimo octavo. Dat. die 24 augusti 1215, pontif. anno XVIII. [l. c. pag. 298-300.]

56. FRIDERICUS II.

* *Monumenta Germaniae histor.; Legum Sect. IV. Constitutiones et acta publica imperatorum ac regum.* Tom. II. pag. 107 seqq. Winkelmann, *Geschichte Kaiser Friedrich II. und seiner Reiche.* Berlin 1863—65. T. I. p. 112.

Ficker, *Die gesetzliche Einführung der Todesstrafe für Ketzerei* in *Mitth. für österr. Geschichtsforschungen.* T. I. p. 192. Köhler, *Das Verhältnis Friedrich II. zu den Päpsten seiner Zeit* in Gierckes, *Untersuchungen zur deut. Staats- u. Rechtsgeschichte. Heft 24.* Breslau 1888. Ruffini, *La libertà religiosa.* Tom. I. pag. 43—44. Tocco, *L'eresia nel Medio Evo.* Firenze 1881. Pertile, *Storia del diritto italiano.* Tom. III. § 100, p. 219 seq. Salvioli, *Storia del diritto italiano.* § 163.

Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus ducibus, marchionibus, comitibus cunctisque populis, quos clementie nostre regit imperium, salutem et gratiam.

In die, qua de manu sacratissimi patris nostri summi pontificis recepimus imperii diadema, curavimus ad Dei et ecclesie sue honorem edere quasdam leges, quas presenti pagine iussimus annotari per totum nostrum imperium publicandas, per imperialia vobis scripta precipiendo mandantes, quatinus eas quisque in suo districtu irrefragabiliter et inconcusse servetis Sunt autem hee leges:

§ 1. Ad decus et decorem imperii et ad laudem Romani principis nichil magis videtur accedere, quam ut, expurgatis quorundam erroribus et iniquis quorundam statutis penitus destitutis, de cetero ecclesia Dei plena quiete vigeat et secura gaudeat libertate. Sane adeo infidelium quorundam et perversorum iniquitas habundavit, ut non dubitent contra apostolicam disciplinam et sacros canones sua statuta confingere adversus ecclesiasticas personas et ecclesie libertatem. Cum ergo ecclesia, que nichil debet preter bonum appetere, dispositione divina faciente nichil velit quod nobis eodem concursu voluntatum non placeat, nos Fridericus Dei gratia Romanorum imperator et semper augustus hac edictali lege irritamus et precipimus irrita nuntiari omnia statuta et consuetudines, que civitates vel loca, potestates, consules vel quecunque alie personae contra libertates ecclesie ac personas ecclesiasticas edere vel servare temptarunt adversus canonicas vel imperiales sanctiones, et ea de capitularibus suis mandamus infra duos menses post huiusmodi publicationem edicti penitus aboleri; et si de cetero similia attemptaverint, ipso iure decernimus esse nulla et eos sua iurisditione privatos, necnon locum ubi deinceps talia presumpta fuerint banno mille marcarum precipimus subiacere. Potestates vero, consules, rectores, statutarii et scriptores dictorum statutorum necnon consiliarii locorum ipsorum et qui secundum statuta vel consuetudines memoratas iudicaverint sint extunc ipso iure infames; quorum sententias et actus alias legitimos statuimus aliquatenus non tenere. Qui si per annum huius nostre constitutionis inventi fuerint contemptores, bona eorum per totum nostrum imperium mandamus impune ab omnibus occupari, salvis nichilominus aliis penis contra tales in generali concilio promulgatis.

§ 2. Item nulla communitas vel persona, publica vel privata, collectas sive exactiones, angarias vel parangarias ecclesiis aliisque piis locis aut eccle-

siasticis personis imponant aut invadere ecclesiastica bona presumant; quod si fecerint et requisiti ab ecclesia vel imperio emendare contempserint, triplum refundant, et nichilominus banno imperiali subiaceant, quod absque satisfactione debita nullatenus remittatur.

§ 3. Item quecumque communitas vel persona per annum in excommunicatione propter libertatem ecclesie facta perstiterit, ipso iure imperiali banno subiaceat, a quo nullatenus extrahatur, nisi prius ab ecclesia beneficio absolutionis obtento.

§ 4. Statuimus autem, ut nullus ecclesiasticam personam in criminali quaestione vel civili trahere ad iudicium seculare praesumat, contra constitutiones imperiales et canonicas sanctiones. Quod si fecerit, actor a iure suo cadat, iudicatum non teneat, et iudex sit ex tunc iudicandi potestate privatus.

§ 5. Sancimus etiam, ut si qui clericis vel personis ecclesiasticis iustitiam denegare praesumpserint, tertio requisiti suam iurisdictionem amittant.

§ 6. Chataros, Patarenos, Leonistas, Speronistas, Arnaldistas, Circumcisos et omnes haereticos utriusque sexus, quocumque nomine censeantur, perpetua damnamus infamia, diffidamus atque bannimus, censentes, ut bona talium confiscentur nec ad eos ulterius revertantur, ita quod filii ad successionem eorum pervenire non possint, cum longe sit gravius eternam quam temporalem offendere maiestatem. Qui autem inventi fuerint sola suspitione notabiles, nisi ad mandatum ecclesiae iuxta considerationem suspitionis qualitatemque persone propriam innocentiam congrua purgatione monstraverint, tamquam infames et banniti ab omnibus habeantur, ita quod, si sic per annum permanserint, extunc eos sicut haereticos condemnamus.

§ 7. Statuimus etiam hoc edicto in perpetuum valituro, ut potestates vel consules seu rectores, quibuscumque fungantur officiis, pro defensione fidei praestent publice iuramentum, quod de terris sue iurisdictioni subiectis universos hereticos ab ecclesia denotatos bona fide pro viribus exterminare studebunt, ita quod amodo quandocumque quis fuerit in potestatem sive perpetuam vel temporalem assumptus, hoc teneatur capitulum iuramento firmare. Alioquin neque pro potestatibus neque pro consulibus habeantur, eorumque sententias decernimus extunc irritas et inanes. Si vero dominus temporalis requisitus et amonitus ab ecclesia terram suam purgare neglexerit ab heretica pravitate, post annum a tempore monitionis elapsum terram ipsius exponimus catholicis occupandam; qui eam exterminatis hereticis absque ulla contradictione possideant et in fidei puritate conservent, salvo iure domini principalis, dum modo super hoc nullum prestet obstaculum nec aliquod impedimentum opponat; eadem nihilominus lege servata contra eos, qui non habent dominos principales. Credentes praeterea, receptatores, defensores et fautores hereticorum bannimus, firmiter statuentes, ut si postquam quilibet talium fuerit excommuni-

catione notatus, satisfacere contempserit infra annum, extunc ipso iure sit factus infamis nec ad publica officia seu consilia vel ad eligendos aliquos ad huiusmodi nec ad testimonium admittatur. Sit etiam intestabilis, ut nec testamenti liberam habeat factionem nec ad haereditatis successionem accedat. Nullus praeterea ei super quocumque negotio, sed ipse alii respondere cogatur. Quod si forte iudex exstiterit, eius sententia nullam obtineat firmitatem, nec cause alique ad eius audientiam perferantur. Si fuerit advocatus, eius patrocinium nullatenus admittatur; si tabellio, instrumenta confecta per ipsum nullius penitus sint momenti. [l. c. pag. 107—109.]

57. GREGORIUS X. (1271—1276).

a) *Engelbertus Archiepiscopus Coloniensis Gregorio Papae X.*

* *Mon. Germaniae. Legum Sect. II.* p. 393. Böhmer, *Regesta Imperii.* VI. p. 19 seq. Redlich in *Mittheilungen des Instituts für österr. Geschichtsforsch.* T. X. p. 340 seqq. Grauert, *Ibidem.* Tom. XV. p. 59 seqq. Zisterer, *Gregor X. und Rudolf von Habsburg.* Freiburg i. B. 1891. Walter, *Politik der Curie unter Gregor X.* Berlin 1894. Otto, *Die Beziehungen Rudolfs von Habsburg zu Papst Gregor X.* Innsbruck 1895. Lindner, *Deutsche Geschichte im XIII. und XIV. Jahrhundert.* Wien, 1863. Tom. I.; Strassburg 1890, p. 24 seqq. Idem, *Deutsche Geschichte unter den Habsburgern und Luxenburgern.* Strassburg 1890. Tom. I. p. 24 seqq. Engelmann, *Der Anspruch der Päpste auf Confirmation und Approbation bei den deutschen Königswahlen.* (1077—1379.) Breslau 1886. p. 57 seqq. Redlich, *Rudolf von Habsburg.* Innsbruck 1903.

Sanctissimo etc. E(ngelbertus) archiepiscopus Coloniensis.

Vacante siquidem iam pridem imperio, ne sic diutius aberraremus acephali, apud talem locum [sc. Francofurtum] die ad hoc ab omnibus indicta et acceptata concorditer ad providendum eidem imperio convenientes in unum, tandem post aliquantulum de futuri regis substitutiones tractatum iu inclitum virum dominum Rudolphum comitem de Havesburg, invocata primitus spiritus sancti gratia, cum solennitatibus debitis et consuetis, servato in omnibus modo et ordine congruo tanquam in magis utilem ad id et magis idoneum, quem cognovimus, habito ad deum praecipue et ad rei publicae causam respectu, potissime de communi consensu, omnes et singuli oculos nostros iniecimus, eum in regem Romanorum, tmperatorem futurum, una voce votoque unanimi autore altissimo, eligentes. Quae quidem electione canonice, imo divinitus procul dubio celebrata, eundem cum inenarrabilis immensitate tripudii, omnium applaudente caterva nobilium necnon populi comitiva laetante ac in supernae laudis canticum gratulabundius exsurgente apud Aquisgranum, utpote sedem quae primum sublimationis et gloriae regiae gradum ponit, magnifice duximus; ubi in die apostolorum a nobis, Coloniensi episcopo, cuis interest regibus ab antiquo beneficium consecrationis impendere, fuit in sede magnifici Caroli coronatus et unctionis sanctissimae oleo delibutus.

Et ut de regis electi sic et coronati persona sacrosanctae Romanae ecclesiae matri nostrae nova gaudia cumulentur, idem rex est fide catholicus, ecclesiarum amator, iustitiae cultor, pollens consilio, fulgens pietate, propriis potens viribus et multorum potentium affinitate connexus, deo, ut firmiter opinamur, amabilis et humanis aspectibus, ut cernitur, gratiosus, insuper corpore strenuus et in rebus bellicis contra infideles fortunatus.

Propter quod speramus in eo, qui reges et regna constituit, quod sub eius principatu pacifica quies regno proveniet, pax ecclesiis, concordia plebibus et moribus disciplina, ita quod gladii conflabuntur in vomeres, cornu christi sui a rege regum magnifice sublimato.

Vos itaque quaesumus, pater sancte, suscipite filium singularem, quem procul dubio sentietis intrepidum matris ecclesiae pugilem et invictum fidei catholicae defesorem. Processum vero tam rite, tam provide, tam mature de ipso sic habitum gratiose approbationis applausu benevolo prosequentes ac ex affluenti paternae dulcedine pietatis opus perficientes dei in ipso, eundem, cum vestrae sanctitati placuerit et visum fuerit opportunum, ad imperialis fastigii diadema dignemini misericorditer evocare, ut sciant et intelligant universi, quod posuerit vos in lucem gentium dominus et per vestrae discretionis arbitrium orbi terrae post nubilum exoptata serenitas illucescat.

b) *Archiepiscopis Treverensi, Maguntino, Coloniensi, Salzeburgensi, Magdeburgensi, Bremensi; Ludovico comiti palatino, Henrico Duci Bavariae, Iohanni marchioni Brandeburgensi, duci Saxoniae, Henrico marchioni Misuensi, langravis Thuringiae Theodorico marchioni de Landesperch Iohanni duci Brabantiae, duci Lotharingiae universisque aliis episcopis, praelatibus, civitatibus etc. regni Alemanniae notum facit, se Rudolphum declarasse regem Romanorum, iubetque ut eum manu teneant in iure suo et praestant ei auxilium et favorem.] (Potthast n. 20931.)*

* Theiner, *Codex diplomaticus sanctae sedis.* Romae 1861. Tom. I. p. 186. n. 332. Böhmer, *Regesta* VI. n. 233.

Gregorius episcopus etc. Carissimo in Christo filio . . . regi Romanorum illustri salutem etc. Solent ardua, praecipue perpensis digesta consiliis, sentire potius celeritatis ex directione compendium, quam pati dispendium tarditatis. Sic longa belli praeparatio celerem consuevit afferre victoriam, sic iter festinatur instanter, dum sollicite praeparatur. Haec nos consideratio in imperialis negotii prosecutione hucusque detinuit, haec in tui consummatione fastigii multa uti maturitate suasit, haec varias vias suggessit exquirere diversaque remedia cogitare, ut deo auspice tanto illa, quae instant deducamus securius, quanto accuratius praeparamus. Licet itaque non sine causa distulerimus hactenus regiam tibi denominationem ascribere, cum fratribus tamen nostris nuper deliberatione praehabita te regem Romanorum de ipsorum consilio nominamus. Causas autem salubris dilationis, immo potius consultae accelerationis huiusmodi ad totius orbis et ad

ipsius maxime profuturae pacem imperii, ut speramus, dilectus filius .... Tridentinus electus et frater Henricus de ordine Minorum tuae celsitudinis nuntii non solum ad veritatis expressionem, sed ad exhortationis sollicitationem aperient, ut in eis doctrinae specimen exemplaris inspiciens et salutaris consuetudinis informationem recipiens prudenter satagas in cunctis tuis processibus vitare discordias, vias tuas facere pro posse pacificas, et [per] semitas, quas princeps pacis, rex regum et dominatium dominus docuit, quantum ipse tibi concessit, pro viribus ambulare. Ceterum cum inchoata feliciter ad eiusdem culmen imperii tuae promotionis auspitia non prosecutionis procrastinatione differri, sed festina deinceps consummatione compleri utilitas manifesta suadeat, serenitatem tuam hortamur ac sincero tibi affectu et consilio suademus, quatenus sic te praepares, sic disponas, ut, cum te ad unctionem, consecrationem et imperialis diadematis coronationem de nostris recipiendas manibus duxerimus evocandum, — ad quod terminum, in proximo, prout circumstantiae pensandae permiserint, intendimus assignare —, non improvisus, sed sicut tanti negotii sollemnia exigunt, paratus appareas et ad praemissa non morosus, sed promptus et festinus occurras. Expedit autem, ut aliquem vel aliquos, qui super eiusdem assignatione termini, quid tuae commoditati congruat, et alias plene tuam super hoc per omnia voluntatem nobis insinuare valeant, cito ad praesentiam nostram mittas. Datum Lugduni 6 kalendas octobris, pontificatus nostri anno tertio.

58. DANTIS ALLIGHERII: DE MONARCHIA.

Liber III.

* *De Monarchia libri III.* per Carolum Witte, Wien 1873. Maas, *Dante's Monarchia.* Hamburg 1891. Idem, in *Zeitschrift für Geschichtswissenschaft.* VI. 178. Meyer, in *Romania.* 1873. Tom. XXII. 172. Raina, *Rassegna bibliografica.* 1893. p. 9. Prompt in *Giornale Dantesco.* I. 270. Guerrini e Ricci, *Studi e polemiche dantesche.* Bologna 1880. p. 71 seqq. Scartazzini, *Dantes Handbuch.* Leipzig 1892, p. 199, 345 seqq. Cipolla, *Il trattato della Monarchia di Dante Aliglieri e l'opuscolo de potestate regia et populi di Giovanni di Parigi.* Torino 1892. Cipolla, *Il popolo nelle opere di Dante.* Cassino 1901. Scaduto, *Stato e Chiesa negli scritti politici ecc.* p. 51—64. F. X. Kraus, *Dante, sein Leben und sein Werk, sein Verhältnis zur Kunst und zur Politik.* Berlin 1897. p. 271—282.

Cap. 1. Quaestio igitur praesens, de qua inquisitio futura est, inter duo luminaria magna versatur: Romanum scilicet Pontificem, et Romanum Principem; et quaeritur: utrum auctoritas Monarchae Romani, qui de jure Monarcha mundi est, ut in secundo libro probatum est, immediate a Deo dependeat, an ab aliquo Dei vicario vel ministro, quem Petri successorem intelligo, qui vere claviger est regni coelorum.

Cap. 2. Ad praesentem quaestionem discutiendam, sicut in superioribus est peractum, aliquod principium est adsumendum, in virtute cujus aperiendae veritatis argumenta formentur. Nam sine praefixo principio,

etiam vera dicendo, laborare quid prodest? quum principium solum adsumendorum mediorum sit radix.

Haec igitur irrefragabilis veritas praefigatur, scilicet *quod illud, quod naturae intentioni repugnat, Deus nolit*. Nam si hoc verum non esset, contradictorium ejus non esset falsum, quod est: Deum non nolle quod naturae intentioni repugnat. Et si hoc non falsum, nec ea quae sequuntur ad ipsum. Impossibile enim est in necessariis consequentiis falsum esse consequens, antecedente non falso existente.

Sed ad *non nolle*, alterum duorum sequitur de necessitate, aut *velle*, aut *non velle*: sicut ad non odire, necessario sequitur, aut amare, aut non amare: non enim non amare, est odire; nec non velle, est nolle, ut de se patet. Quae si falsa non sunt, ista non erit falsa: Deus vult quod non vult; cujus falsitas non habet superiorem.

Quod autem verum sit quod dicitur, sic declaro: Manifestum est quod Deus finem naturae vult: aliter coelum otiose moveretur; quod dicendum non est. *Si Deus vellet impedimentum finis*, vellet etiam finem impedimenti; aliter etiam otiose vellet. Et quum finis impedimenti sit, non esse rei impeditae; sequeretur, Deum velle non esse finem naturae, quem dicitur velle esse.

Si enim *Deus non vellet impedimentum finis*, prout non vellet, sequeretur ad non velle, nihil de impedimento curaret, sive esset, sive non esset. Sed qui impedimentum non curat, rem quae potest impediri non curat, et per consequens, non habet in voluntate, et quod quis non habet in voluntate, non vult. Propter quod, si finis naturae impediri potest, quod potest, de necessitate sequitur, quod Deus finem naturae non vult; et sic sequitur prius, videlicet Deum velle quod non vult. Verissimum est igitur illud principium, ex cujus contradictorio tam absurda sequuntur.

Cap. 3. In introitu, ad questionem hanc notare oportet, quod *primae* quaestionis veritas magis manifestanda fuit ad ignorantiam tollendam, quam ad tollendum litigium. Sed quae fuit *secundae* questionis quaestio, aequaliter ad ignorantiam et litigium se habet. Multa etenim ignoramus, de quibus non litigamus; nam geometra circuli quadraturam ignorat, non tamen de ipsa litigat; theologus vero numerum Angelorum ignorat, non tamen de illo litigium facit; Aegyptius vero Scytharum civilitatem, non propter hoc de ipsorum civilitate contendit.

Hujus quidem *tertiae* quaestionis veritas tantum habet litigium, ut quaemadmodum in aliis ignorantia solet esse causa litigii, sic hic litigium causa ignorantiae sit magis. Hominibus namque, rationis intuitum voluntate praevolantibus, hoc semper contingit: ut male affecti, lumine rationis postposito, affectu quasi caeci trahantur, et pertinaciter suam denegent caecitatem. Unde fit persaepe, quod non solum falsitas patrimonium habeat, sed ut plerique, de suis terminis egredientes, per aliena castra discur-

rant, ubi nihil intelligentes ipsi, nihil intelliguntur; et sic provocant quosdam ad iram, quosdam ad dedignationem, nonnullos ad risum.

Igitur contra veritatem, quae queritur, tria hominum genera maxime colluctantur.

Summus namque Pontifex, Domini nostri Jesu Christi Vicarius, et Petri successor, cui non quidquid Christo, sed quidquid Petro debemus. zelo fortasse clavium, nec non alii gregum Christianorum pastores, et alii, quos, credo, zelo solo matris Ecclesiae promoveri, veritati, quam ostensurus sum, de zelo forsan (ut dixi), non de superbia, contradicunt.

Quidam vero alii, quorum obstinata cupiditas lumen rationis extinxit, et, dum ex patre diabolo sunt, Ecclesiae se filios esse dicunt, non solum in hac quaestione litigium movent, sed sacratissimi Principatus vocabulum abhorrentes, superiorum quaestionum et hujus principia impudenter negarent.

Sunt etiam tertii, quos Decretalistas vocant, qui Theologiae ac Philosophiae cujuslibet inscii et expertes, suis Decretalibus (quas profecto venerandas existimo) tota intentione innixi, de illarum praevalentia credo sperantes, Imperio derogant. Nec mirum, quum jam audiverim quemdam de illis dicentem, et procaciter asserentem, traditiones Ecclesiae fidei fundamentum. Quod quidem nefas de opinione mortalium illi submoveant, qui, ante traditiones Ecclesiae, in Filium Dei Christum, sive venturum, sive praesentem, sive jam passum crediderunt, et credendo speraverunt, et sperantes caritate arserunt, et ardentes ei coheredes factos esse mundus non dubitat.

Et, ut tales de praesenti gymnasio totaliter excludantur, est advertendum, quod quaedam scriptura est ante Ecclesiam, quaedam cum Ecclesia, quaedam post Ecclesiam.

Ante quidem Ecclesiam sunt vetus et novum Testamentum, quod in aeternum mandatum est, ut ait Propheta; hoc enim est quod dicit Ecclesia, loquens ad Sponsum: «Trahe me post te».

Cum Ecclesia vero sunt veneranda illa Concilia principalia, quibus Christum interfuisse nemo fidelis dubitat, quum habeamus, Ipsum dixisse discipulis, ascensurus in coelum: «Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem saeculi», ut Mattaeus testatur. Sunt etiam scripturae Doctorum, Augustini et aliorum, quos a Spiritu Sancto adjutos qui dubitat, fructus eorum vel omnino non vidit, vel si vidit, minime degustavit.

Post Ecclesiam vero sunt traditiones, quas Decretales dicunt: quae quidem etsi auctoritate Apostolica sunt venerandae, fundamentali tamen Scripturae postponendas esse dubitandum non est; quum Christus Sacerdotes objurgaverit de contrario. Quum enim interrogassent, «Quare discipuli tui traditionem seniorum transgrediuntur?» (negligebant enim manuum lotionem), Christus eis Matthaeo testante, respondit: «Quare et

vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram?» In quo satis innuit, traditionem postponendam.

Quod si traditiones Ecclesiae post Ecclesiam sunt, ut declaratum est; necesse est, ut non Ecclesiae a traditionibus, sed ab Ecclesia traditionibus accedat auctoritas, hique, solas traditiones habentes, ab hoc, ut dicebatur, gymnasio excludendi sunt. Oportet enim hanc veritatem venantes, ex iis, ex quibus Ecclesiae manat auctoritas, investigando procedere.

His itaque sic exclusis, excludendi sunt alii, qui, corvorum plumis operti, oves albas in grege Domini se jactant. Hi sunt impietatis filii, qui, ut flagitia sua exsequi possint, matrem prostituunt, fratres expellunt, et denique judicem habere nolunt. Nam cur ad eos ratio quaereretur, quum sua cupiditate detenti principia non viderent?

Quapropter cum solis concertatio restat, qui, aliquali zelo erga matrem Ecclesiam ducti, ipsam, quae quaeritur, veritatem ignorant. Cum quibus illa reverentia fretus, quam pius filius debet patri, quam pius filius matri, pius in Christum, pius in Ecclesiam, pius in Pastorem, pius in omnes Christianam religionem profitentes, pro salute veritatis in hoc libro certamen incipio.

Cap. 4. Isti vero, ad quos erit tota disputatio sequens, asserentes auctoritatem Imperii ab auctoritate Ecclesiae dependere, velut artifex inferior dependet ab architecto, pluribus adversis argumentis moventur, quae quidem de sacra Scriptura eliciunt, et de quibusdam gestis tam summi Pontificis, quam ipsius Imperatoris, nonnullum vero rationis indicium habere nituntur.

Dicunt enim primo, secundum scripturam Geneseos, quod Deus fecit duo magna luminaria, luminare majus, et luminare minus, ut alterum praeesset diei, et alterum nocti. Quae allegorice dicta esse intelligebant ista duo regimina, scilicet spirituale et temporale. Deinde arguunt, quod quemadmodum Luna, quae est luminare minus, non habet lucem, nisi prout recipit a Sole, sic nec regimen temporale auctoritatem habet, nisi prout recipit a spirituali regimine.

Propter hanc et propter alias eorum rationes dissolvendas, praenotandum, quod, sicut Philosopho placet in iis quae de sophisticis Elenchis, «solutio argumenti est erroris manifestatio.» Et quia error potest esse in materia et in forma argumenti, dupliciter peccare contingit: aut scilicet adsumendo falsum, aut non syllogizando. Quae duo Philosophus objiciebat contra Parmenidem et Melissum, dicens: «Qui falsa recipiunt, et non syllogizantes sunt». Et accipio hic largo modo falsum, etiam pro inopinabili, quod in materia probabili habet naturam falsi. Si vero in forma sit peccatum, conclusio interimenda est ab illo qui solvere vult, ostendendo formam syllogisticam non esse servatam. Si vero peccatum sit in materia, aut est quia simpliciter falsum adsumptum est,

aut quia falsum secundum quid. Si simpliciter, per interemptionem adsumpti solvendum est; si secundum quid, per distinctionem.

Hoc viso, ad meliorem hujus et aliarum inferius factarum solutionum evidentiam, advertendum, quod circa sensum mysticum dupliciter errare contingit: aut quaerendo ipsum ubi non est, aut accipiendo aliter quam accipi debeat.

Propter primum dicit Augustinus in Civitate Dei: Non omnia quae gesta narrantur, etiam significare aliquid putanda sunt; sed propter illa quae aliquid significant, etiam ea quae nihil significant, attexuntur. Solo vomere terra proscinditur; sed ut hoc fieri possit, etiam caetera aratri membra sunt necessaria.

Propter secundum, idem ait in Doctrina Christiana, loquens de illo, qui vult aliud in scripturis sentire, quam ille qui scripsit eas dicit, quod «ita fallitur, ac si quisquam deserens viam, eo tamen per gyrum pergeret, quo via illa perducit.» Et subdit: «Demonstrandum est, ut consuetudine deviandi etiam in transversum aut perversum ire cogatur.» Deinde innuit causam, quare cavendum sit hoc in scripturis, dicens: «Titubabit fides, si divinarum scripturarum vacillat auctoritas.» Ego autem dico, quod si talia fuerint de ignorantia, correptione diligenter adhibita, ignoscendum est, sicut ignoscendum esset illi, qui leonem in nubibus formidaret. Si vero industria, non aliter cum sic errantibus est agendum, quam cum tyrannis, qui publica jura non ad communem utilitatem sequuntur, sed ad propriam retorquere conantur.

Oh summum facinus, etiamsi contingat in somniis, aeterni Spiritus intentione abuti! Non enim peccatur in Moysen, non in David, non in Job, non in Matthaeum, nec in Paulum, sed in Spiritum Sanctum, qui loquitur in illis. Nam quamquam scribae divini eloquii multi sint, unicus tamen dictator est Deus, qui beneplacitum suum nobis per multorum calamos explicare dignatus est.

His itaque praenotatis, ad id quod superius dicebatur dico per interemptionem illius dicti, quod dicunt: illa duo luminaria typice importare duo haec regimina, in quo quidem dicto tota vis argumenti consistit. Quod autem ille sensus omnino sustineri non possit, duplici via potest ostendi. Primo, quia quum huiusmodi regimina sint accidentia quaedam ipsius hominis, videretur Deus usus fuisse ordine perverso, accidentia prius producendo, quam proprium subjectum; quod absurdum est dicere de Deo. Nam illa duo luminaria producta sunt die quarto, et homo die sexto; ut patet in litera.

Praeterea, quum ista regimina sint hominum directiva in quosdam fines, ut infra patebit, si homo stetisset in statu innocentiae, in quo a Deo factus est, talibus directivis non indiguisset. Sunt ergo hujusmodi regimina remedia contra infirmitatem peccati. Quum ergo non solum in die quarto

peccator homo non erat, sed etiam simpliciter homo non erat, producere remedia fuisset otiosum, quod est contra divinam bonitatem. Stultus enim esset medicus, qui ante nativitatem hominis, pro apostemate futuro, illi emplastrum conficeret. Non igitur dicendum est, quod quarto die Deus haec duo regimina fecerit; et per consequens intentio Moysi esse non potuit illa, quam fingunt.

Potest etiam hoc mendacium, tolerando, per distinctionem dissolvi. Mitior namque est in adversarium solutio distinctiva; non enim omnino mentiens esse videtur, sicut interemptiva illum videri facit. Dico ergo, quod licet Luna non habeat lucem abundanter, nisi ut a Sole recipit, non propter hoc sequitur, quod ipsa Luna sit a Sole. Unde sciendum, quod aliud est esse ipsius Lunae, aliud virtus ejus, et aliud operari. Quantum est ad esse, nullo modo Luna dependet a Sole, nec etiam quantum ad virtutem, nec quantum ad operationem simpliciter; quia motus ejus est a motore proprio, influentia sua est a propriis suis radiis. Habet enim aliquam lucem ex se, ut in ejus eclipsi manifestum est; sed quantum ad melius et virtuosius operandum, recipit aliquid a Sole, quia lucem abundantem, qua recepta, virtuosius operatur.

Sic ergo dico, quod regnum temporale non recipit esse a spirituali, nec virtutem, quae est ejus auctoritas, nec etiam operationem simpliciter; sed bene ab eo recipit, ut virtuosius operetur per lucem gratiae, quam in coelo et in terra benedictio summi Pontificis infundit illi. Et ideo argumentum peccabat in forma: quia praedicatum in conclusione non est extremitas majoris, ut patet; procedit enim sic: Luna recipit lucem a Sole, qui est regimen spirituale; regimen temporale est Luna: ergo regimen temporale recipit auctoritatem a regimine spirituali. Nam in extremitate majoris, ponunt lucem: in praedicato vero conclusionis, auctoritatem: quae sunt res diversae subjecto et ratione, ut visum est. [l. c. p. 88—103.]

59. BONIFATIUS VIII. (1294—1303).

* *Corpus iuris canonici.* ed. Friedberg, *Extravagantes communes.* c. 1 *(de maioritate et obedientia)* I. 8. Tom. II. col. 1245—46. Berchtold, *Die Bulle Unam Sanctam.* München 1888. Joos, *Die Bulle Unam Sanctam.* Schaffhausen 1896. Ehrmann, *Die Bulle Unam Sanctam.* Würzburg 1896. Funk, *Zur Bulle Unam Sanctam* (*Abhandlungen und Untersuchungen.* Tom. I. p. 483 seqq.) Mury, in *Revue des quest. histor.* XXVI. 91. Langen, in *Revue intern. de théol.* 1896. Philipps, *Kirchenrecht.* Tom. III. p. 265 seq. Friedberg, *Lehrbuch.* § 14. III.

[Omnes Christi fideles de necessitate salutis subsunt Romano Pontifici, qui utrumque gladium habet et omnes iudicat, a nemine autem iudicatur. Haec tamen extravagans regem Franciae et regnicolas non amplius subiicit ecclesiae Romanae, quam prius erant, ut patet infr. de privil. c. Meruit.] *(Potthast n. 25189.)*

Unam sanctam ecclesiam catholicam et ipsam apostolicam, urgente fide credere cogimur et tenere, nosque hanc firmiter credimus et

simpliciter confitemur, extra quam nec salus est, nec remissio peccatorum, sponso in Canticis proclamante: «*Una est columba mea, perfecta mea. Una est matri suae, electa generatrici suae*»; quae unum corpus mysticum repraesentat, cuius caput Christus Christi vero Deus. In qua unus Dominus, una fides, unum baptisma. Una nempe fuit diluvii tempore arca Noe, unam ecclesiam praefigurans, quae in uno cubito consummata unum, Noe videlicet, gubernatorem habuit et rectorem, extra quam omnia subsistentia super terram legimus fuisse deleta. Hanc autem veneramur et unicam, dicente Domino in Propheta: «*Erue a framea, Deus, animam meam, et de manu canis unicam meam*». Pro anima enim, id est pro se ipso, capite simul oravit et corpore, quod corpus unicam scilicet ecclesiam nominavit, propter sponsi, fidei, sacramentorum et caritatis ecclesiae unitatem. Haec est tunica illa Domini inconsutilis, quae scissa non fuit, sed sorte provenit. Igitur ecclesiae unius et unicae unum corpus, unum caput, non duo capita, quasi monstrum, Christus videlicet et Christi vicarius Petrus, Petrique successor, dicente Domino ipsi Petro: «*Pasce oves meas*». Meas, inquit, et generaliter, non singulariter has vel illas: per quod commisisse sibi intelligitur universas. Sive ergo Graeci sive alii se dicant Petro eiusque successoribus non esse commissos: fateantur necesse se de ovibus Christi non esse, dicente domino in Ioanne *unum ovile et unicum esse pastorem.*

In hac eiusque potestate duos esse gladios, spiritualem videlicet et temporalem, evangelicis dictis instruimur. Nam dicentibus apostolis: «*Ecce gladii duo hic*», in ecclesia scilicet, quum apostoli loquerentur, non respondit Dominus, nimis esse, sed satis. Certe qui in potestate Petri temporalem gladium esse negat, male verbum attendit Domini proferentis: «*Converte gladium tuum in vaginam*». Uterque ergo est in potestate ecclesiae, spiritualis scilicet gladius et materialis. Sed is quidem pro ecclesia, ille vero ab ecclesia exercendus. Ille sacerdotis, is manu regum et militum, sed ad nutum et patientiam sacerdotis. Oportet autem gladium esse sub gladio, et temporalem auctoritatem spirituali subiici potestati. Nam quum dicat apostolus: «*Non est potestas nisi a Deo; quae autem sunt, a Deo ordinata sunt*», non ordinata essent, nisi gladius esset sub gladio, et tamquam inferior reduceretur per alium in suprema. Nam secundum B. Dionysium lex divinitatis est infima per media in suprema reduci. Non ergo secundum ordinem universi omnia aeque ac immediate, sed infima per media et inferiora per superiora ad ordinem reducuntur. Spiritualem autem et dignitate et nobilitate terrenam quamlibet praecellere potestatem, oportet tanto clarius nos fateri, quanto spiritualia temporalia antecellunt. Quod etiam ex decimarum datione, et benedictione, et sanctificatione, ex ipsius potestatis acceptione, ex ipsarum rerum gubernatione claris oculis intuemur. Nam, veritate testante, spiritualis potestas ter-

renam potestatem instituere habet, et iudicare, si bona non fuerit. Sic de ecclesia et ecclesiastica potestate verificatur vaticinium Hieremiae. «*Ecce constitui te hodie super gentes et regna*» etc. quae sequuntur.

Ergo, si deviat terrena potestas, iudicabitur a potestate spirituali; sed si deviat spiritualis minor, a suo superiori; si vero suprema, a solo Deo, non ab homine poterit iudicari, testante apostolo: «*Spiritualis homo iudicat omnia, ipse autem a nemine iudicatur*». Est autem haec auctoritas, et si data sit homini, et exerceatur per hominem, non humana, sed potius divina potestas, ore divino Petro data, sibique suisque successoribus in ipso quem confessus fuit petra, firmata, dicente Domino ipsi Petro: «*Quodcunque ligaveris*» etc. Quicunque igitur huic potestati a Deo sic ordinatae resistit, Dei ordinationi resistit, nisi duo, sicut Manichaeus, fingat esse principia, quod falsum et haereticum esse iudicamus, quia testante Moyse, non in principiis, sed in principio coelum Deus creavit et terram. Porro subesse Romano Pontifici omni humanae creaturae declaramus, dicimus, et difinimus et pronunciamus omnino esse de necessitate salutis. Dat. Laterani Pont. nostri Ao. VIII. [1302.]

60. MARSILIUS PATAVINUS.

* *Marsilii Patavini. Opera, rec.* Fr. Gomarus. Francofurti 1592. Riezler, *Die literarischen Widersacher der Päpste zur Zeit Ludwig des Baiers.* Leipzig 1874. p. 193. 233. Labanca, *Marsilio da Padova, riformatore politico e religioso del secolo XIV.* Padova 1882. Scaduto, *Stato e Chiesa negli scritti politici, dalla fine della lotta per le investiture etc.* p. 112—134. Scholz, *Die Publicistik zur Zeit Philipps des Schönen und Bonifaz VIII.* Stuttgart 1903. (Stutz, *Kirchenr. Abhandl.* VI—VIII.) p. 452 seq. Karl Müller, *Kirchengeschichte* Tom. II. p. 30 seqq.

Pars III. c. 2 conclusio I. Solam divinam seu canonicam scripturam, et ad ipsam per necessitatem sequentem quamcunque ipsiusque interpretationem, ex communi concilio fidelium factam, veram esse, ad aeternam beatitudinem consequendam necesse credere, si alicui debite proponatur. — c. 2 Legis divinae dubias definire sententias, in his praesertim, qui christianae fidei vocantur articuli, reliquisque credendis de necessitate salutis aeternae, solum generale concilium fidelium, aut illius valentiorem multitudinem, sive partem determinari debere, nullumque aliud partiale collegium, aut personam singularem cuiuscunque conditionis existat, iam dictae determinationis auctoritatem habere. — c. 3. Ad observanda praecepta divinae legis poena vel supplicio temporali seu praesentis saeculi nemo evangelica scriptura compelli praecipitur. — c. 5. In divinis novae legis praeceptis aut prohibitis neminem mortalem dispensare posse; permissa vero prohibere, obligando ad culpam aut poenam pro statu praesentis saeculi vel venturi solum posse generale concilium aut fidelem legislatorem humanum. — c. 6. Legislatorem humanum solam civium

universitatem esse aut valentiorem illius partem. — c. 7. Decretales vel decreta Romanorum aut aliorum quorumlibet pontificum, communiter aut divisim, absque concessione legislatoris humani constituta, neminem obligare poena vel supplicio temporali seu saeculi huius. — c. 8. In humanis legibus solum legislatorem vel illius auctoritate alterum dispensare posse. — c. 9. Principatum electum aut alterum qualecunque officium a sola electione auctoritatem habentis ad illam, nullaque alia confirmatione seu approbatione pendere. — c. 14. Principatum seu iurisdictionem coactivam supra quemquam clericum aut laicum, etiamsi haereticus extet, nullum episcopum vel sacerdotem, inquantum huiusmodi, ullam habere. — c. 16. Excommunicare quemquam aut divinorum officia interdicere absque fidelis legislatoris auctoritate nulli episcopo vel sacerdoti aut ipsorum collegio licere. — c. 17. Omnes episcopos aequalis auctoritatis esse immediate per Christum neque secundum legem divinam convinci posse in spiritualibus aut temporalibus praeesse invicem vel subesse. — c. 18. Auctoritate divina, legislatoris humani fidelis interveniente consensu seu concessione, sic alios episcopos communiter aut divisim excommunicare posse Romanum episcopum et in ipsum auctoritatem aliam exercere quemadmodum e converso. — c. 19. Coniugia seu matrimonia divina lege, nova praesertim, prohibita, per mortalem neminem dispensari posse, humana vero lege prohibita ad solius legislatoris vel per ipsius principantis auctoritatem pertinere. — c. 20. Natos non ex legitimo thoro seu matrimonio legitimos facere sic, ut haereditarie succedere possint aliaque suscipere civilia et ecclesiastica officia et beneficia ad solum fidelem legislatorem noscitur pertinere. — c. 21. Ad ecclesiasticos ordines promovendos ipsorumque sufficientiam iudicare iudicio coactivo ad solum legislatorem fidelem spectare ac sine ipsius auctoritate quemquam promovere ad hoc cuiquam sacerdoti vel episcopo non licere. — c. 22. Numerum ecclesiarum sive templorum ac in ipsis ministrare debentium, sacerdotum, diaconorum et reliquorum officialium ad solum principantem secundum leges fidelium pertinet mensurare. — c. 23. Ecclesiastica officia separabilia solius fidelis legislatoris auctoritate debere conferri et similiter auferri posse sicut quoque beneficia et propter pias causas reliqua constituta. — c. 25. Docendi aut operandi publice secundum artem aut disciplinam aliquam neminem episcopum, communiter aut divisim, inquantum huiusmodi, licentiam concedere posse, sed haec ad legislatorem saltem fidelem aut eius auctoritate principantem tantummodo pertinere. — c. 27. Ecclesiasticis temporalibus, expleta sacerdotum et aliorum evangelii ministrorum et his quae ad cultum divinum pertinent ac impotentum pauperum necessitate, licite ac secundum legem divinam pro communibus seu publicis utilitatibus aut defensionibus uti posse legislatorem humanum totaliter et in parte. — c. 28. Cuncta temporalia quae ad pias causas seu misericordiae opera statuta sunt, ut quae te-

stamentis legantur pro ultramarino transitu ad resistendum infidelibus aut pro captivorum ab ipsis redemptione vel pauperum impotentum substentatione ceterisque similibus, ad solum principantem secundum legislatoris determinationem ac legantis vel aliter largientis intentionem disponere pertinet. — c. 30. Haereticos omnesque delinquentes et arcendos poena vel supplicio temporali iudicare iudicio coactivo poenasque personales infligere ac reales exigere ipsasque applicare ad solius principantis auctoritatem pertinet secundum legislatoris humani determinationem. — c. 31. Neminem subditum et per iuramentum licitum alteri obligatum . . . . . per episcopum aut presbyterum aliquem solvi posse. — c. 33. Generale concilium aut partiale sacerdotum et episcoporum ac reliquorum fidelium per coactivam potestatem congregare, ad fidelem legislatorem aut eius auctoritate principantem in communitatibus fidelium tantummodo pertinere nec in aliter congregato determinata vim aut robur habere ad observationem quoque neminem obligare temporali aut spirituali poena vel culpa. — c. 34. Ieiunia et aliquorum ciborum prohibitiones solius generalis concilii fidelium seu fidelis legislatoris auctoritate fieri debere. — c. 35. Canonizari aut tamquam sanctam adorari quempiam, per solum generale concilium statui et ordinari debere. — c. 36. Episcopis aut presbyteris aliisque templorum ministris si uxores interdicere convenit, reliqua quoque circa ecclesiasticum ritum per generale solum fidelium concilium id statui et ordinari, aut illud solum collegium aut personam in hoc cum praedictis dispensare posse, cui data fuerit eius auctoritas per concilium supradictum. — c. 37. A iudicio coactivo, episcopo vel sacerdoti concesso, semper ad legislatorem contendentem liceat appellare vel ad eius auctoritate principantem. — c. 39. Episcopis reliquisque ministris evangelicis quae ad alimentum et tegumentum necesse fuerint, saltem quotidiana vitae, quae ministrat evangelium, multitudo vel persona singularis secundum legem divinam et suam possibilitatem exhibere tenetur, decimas vero vel alterum quid aliud, si superfuerit dictorum ministrorum necessitati supplendae nequaquam. — c. 40. Legislatorem fidelem aut eius auctoritate principantem in subiecta sibi provincia compellere posse tam episcopos quam reliquos evangelicos ministros, quibus de sufficientia victus et tegumenti provisum est, ad divina officia celebranda et sacramenta ecclesiastica ministranda. — c. 41. Episcopum Romanum et alium quemlibet ecclesiasticum seu spiritualem ministrum secundum legem divinam per solum fidelem legislatorem aut eius auctoritate principantem vel fidelium generale concilium ad officium ecclesiasticum separabile promoveri debere, ab eodem quoque suspendi atque privari exigente delicto [l. c. 473—479.]

61. EUGENIUS IV. (1431–1447).

* Schwind-Dopsch, *Ausgewählte Urkunden zur Verfassungsgeschichte der Deutsch-österr. Erblande im M. A.* Innsbruck 1895. n. 188. p. 360—361. Chmel, *Materialien zur österr. Geschichte.* Linz 1832—1838. I. II. 195. Idem, *Regesta chron. diplom. Friederici IV. Romanorum regis imperatoris III.* Vindobonae 1838. II. 386. Lichnowsky-Birk, *Geschichte des Hauses Habsburg.* Wien 1836—44. Tom. VI. Reg. n. 1118. Jäger, in *Sitzungsberichte der Wiener Akad.* Tom. X. p. 72 seq. Mayer, in *Archiv für Kunde österr. Geschichtsquellen.* Tom. 55. p. 173. Srbik, *Die Beziehungen von Staat und Kirche in Österreich etc.* p. 83.

[Eugenius IV., Friderico III. Imperatori jura provisionis ecclesiae Tridentinae, Brixinensis, Gurcensis, Tergestinensis, Curiensis et Petinensis defert.]

Eugenius episcopus servus servorum dei ad futuram rei memoriam. Regimini universalis ecclesie divina disponente clementia presidentes sic ad statum ecclesiarum omnium prospere dirigendum officii nostri sollicitudinem convertimus, ut ipse ecclesie sublatis quibusvis scandalis preficiendorum eis utilium pastorum presidio fulciantur ac exinde felicia in spiritualibus et temporalibus suscipiant incrementa. Sane pro parte carissimi in Christo filii nostri Frederici regis Romani illustris exibita nobis nuper petitio continebat, quod alias Tridentine, Brixinensi, Gurcensi, Tergestinensi, Curiensi et Petinensi ecclesiis vel earum aliqua vacantibus nonnulla in partibus illis scandala suborta fuere pro eo, quod ecclesiis ipsis de personis principibus aut populis dictarum partium qui pro tempore fuerunt, minus gratis et acceptis per electionem aut alias provisum extitit, ex quo discordiarum et divisionum semina in partibus illis inter principes et populos huiusmodi suborta dicuntur. Nos, ne similia temporibus nostris et dicti regis scandala imposterum provenire contingat, huiusmodi scandalis, quantum cum deo possumus, obviare, quodque ut ecclesiis predictis et cuilibet earum per circumspectam apostolice sedis providentiam ydonei preficiantur prelati qui eisdem ecclesiis preesse utiliter et prodesse sciant ipsarumque statum pacificum et prosperum zelent, pacem et iusticiam diligant necnon nobis et dicte sedi devoti ac prefato regi fideles et accepti existant, providere cupientes, prefato rege, in quorum terris et dominiis hereditariis fortilicia, iura, possessiones et bona, ut asserit, ipsarum ecclesiarum pro maiori parte sunt constituta, ac cuius progenitores ad dictas ecclesias plurimum affecti et attenti fuerunt, nobis humiliter supplicante, provisiones dictarum ecclesiarum et cuiuslibet earum, quamprimum illas per cessum vel decessum pastorum earum regimini de presenti presidentium aut alias quovis modo vacare contigerit, personis ydoneis et utilibus nobis et dicte sedi ut premittitur devotis ac prefato regi fidelibus et acceptis, pro quibus ipse rex supplicaverit, aut eas nobis vel successoribus nostris canonice intrantibus duxerit nominandas, committendarum, dispositioni et ordinationi nostre et prefate sedis, quandiu memoratus rex vitam duxerit, in humanis de fratrum

nostrorum consilio et apostolice potestatis plenitudine reservamus, districtius inhibentes universis ipsarum ecclesiarum capitulis et personis pro tempore existentibus, ne in eisdem aut earum aliqua ad electionem nominationem postulationem seu quancunque aliam provisionem, cum et quotiens vacationis casus in eis aut earum aliqua acciderit, aut si forte de presenti immineat, contra reservationem nostram huiusmodi procedere quoquo modo presumant. Nos enim ex nunc irritum decernimus et inane, si secus super hiis per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis ac sinodalibus et supradictarum ecclesiarum iuramento confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus ceterisque contrariis quibuscunque. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostre reservationis et inhibitionis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attemptare presumpserit, indignationem omnipotentis dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Rome apud sanctum Petrum anno incarnationis dominice millesimo quadringentesimo quadragesimo quinto pridie nonas februarias, pontificatus nostri anno quinto decimo.

A. de Florentia. *[in plica]* A. de Magio.

62. CONCORDATUM VIENNENSE (a. 1448 initum).

* Koch, *Sancti pragmatica Germanorum illustr.* Argentorati 1789. p. 210 seqq. Pückert, *Die kurfürstliche Neutralität während des Baseler Concils.* Leipzig 1858. Hübler, *Die Constanzer Reformation und die Concordate von 1418.* Leipzig 1867. p. 322. Gebhardt, *Die Gravamina der deutschen Nation gegen den römischen Hof.* Breslau 1898. 2. ed. Bachmann, *Der deutschen Könige und der Kurfürstl. Neutralität.* Wien 1889. Idem, in *Archiv für österr. Geschichte* Tom. 75. p. 1 seqq. Pastor. *Geschichte der Päpste im Mittelalter.* 2. ed. Tom. I. pag. 297 seqq. Hinschius, *Kirchenrecht.* T. III. p. 138, 412.

In nomine Domini amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo quadrigentesimo quadragesimo octavo die decima septima mensis februarii inter sanctissimum in Christo patrem ac dominum nostrum dominum Nicolaum divina providentia papam quintum apostolicamque sedem ac nationem Alamanicam sanctissimi domini nostri et sedis eorundem nominibus per reverendissimum in Christo patrem ac dominum dominum Iohannem sacrosancte Romane ecclesie cardinalem legatum ad nationem Germanicam de latere missum plena in ea parte auctoritate et potestate munitum et pro ipsa natione Alamanica per gloriosissimum principem ac dominum nostrum dominum Fridericum Romanorum regem semper augustum etc. plurimorum sacri Romani imperii electorum aliorumque eiusdem nationis tam ecclesiasticorum quam secularium principum consensibus accedentibus conclusa laudata et acceptata sunt concordata subscripta.

Sanctissimus dominus noster Nicolaus papa quintus super provisione ecclesiarum benefitiorumque quorumcunque utetur reservationibus iuris scripti et constitutionibus ‚execrabilis' et ‚ad regimen' modificatis, ut sequitur:

[1] Ad regimen ecclesie generalis quamquam immeriti superna dispositione vocati gerimus in nostris desideriis, ut debemus, quod per nostre diligentie studium ad quarumlibet ecclesiarum et monasteriorum regimina et alia beneficia ecclesiastica iuxta divinum beneplacitum et nostre intentionis affectum viri assumantur idonei, qui presint et prosint committendis eis ecclesiis monasteriis et beneficiis prelibatis. Premissorum itaque consideracione inducti et suadentibus nobis aliis rationabilibus causis nonnullorum predecessorum nostrorum Romanorum pontificum vestigiis inherentes omnes patriarchales archiepiscopales episcopales ecclesias monasteria prioratus dignitates personatus et officia necnon canonicatus et prebendas et ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica cum cura vel sine cura secularia et regularia, quecunque et qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa persone consueverint seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, nunc apud sedem apostolicam quocunque modo vacantia et in posterum vacatura necnon per depositionem seu privationem seu translationem per nos seu auctoritate nostra factas et inantea faciendas ubilibet n e c n o n ad que aliqui in concordia seu discordia electi vel postulati fuerint, quorum electio cassata seu postulatio repulsa vel per eos facta renuntiatio et admissa auctoritate nostra extiterit seu quorum electorum vel postulatorum et inantea eligendorum vel postulandorum electionem cassari seu postulationem repelli aut renuntiationem admitti per nos aut auctoritate nostra continget, apud sedem predictam vel alibi ubicunque, et e t i a m per obitum cardinalium eiusdem ecclesie Romane aut officiariorum dicte sedis, quamdiu ipsa officia actualiter tenebunt, videlicet vicecancellarii camerarii, septem notariorum, auditorum litterarum contradictarum et apostolici pallacii causarum auditorum, correctorum, centum et unius scriptorum litterarum apostolicarum et viginti quatuor poenitentiare prefate sedis et vigenti quinque abbreviatorum necnon verorum commensalium nostrorum et aliorum viginti quinque cappellanorum sedis eiusdem in ephitaphio descriptorum et etiam quorumcunque legatorum seu collectorum ac in terris Romane ecclesie rectorum et thesaurariorum deputatorum seu missorum hactenus vel deputandorum aut mittendorum imposterum vacantia et inantea vacatura, ubicunque dictos legatos vel collectores seu rectores aut thesaurarios, antequam ad Romanam curiam redierint seu venerint, rebus eximi contigerit ab humanis, n e c n o n quorumlibet pro quibuscunque negociis ad Romanam curiam venientium seu etiam recedentium ab eadem, si in locis a dicta curia ultra duas dietas legales non distantibus iam forsan obierint vel eos inantea ab hac luce *transire* contigerit, e t i a m simili modo quorumcunque curialium peregrinacionis infirmitatis seu recreationis vel alia quacunque causa

ad quevis loca secedentium, si eos, antequam ad dictam curiam redierint, in locis ultra duas dietas ab eadem curia, ut premittitur, non remotis, dummodo eorum proprium domicilium non existat ibidem, iam forsan decesserint vel imposterum eos contingerit de medio submoveri et nunc per obitum huiusmodi vacantia vel imposterum vacatura, *rursus* monasteria prioratus et decanatus dignitates personatus administraciones officia canonicatus prebendas et ecclesias ceteraque beneficia ecclesiastica secularia et regularia cum cura vel sine cura, quecunque et qualiacunque fuerint, etiamsi ad illa persone consueverint seu debuerint per electionem seu quemvis alium modum assumi, que promoti per nos vel auctoritate nostra ad patriarchialium archiepiscopalium et episcopalium ecclesiarum necnon monasteriorum regimina obtinebant tempore promocionum de ipsis factarum, nunc quocunque modo vacantia aut imposterum vacatura necnon etiam que per assecucionem pacificam quorumcunque prioratuum *dignitatum* personatuum officiorum canonicatuum prebendarum ecclesiarum aut beneficiorum aliorum per nos seu auctoritate nostrarum litterarum immediate collatorum seu conferendorum imposterum, preterquam si virtute gratie expectative assecutio fiat, nunc vacantia et inantea vacatura, plena super premissis omnibus et singulis cum fratribus nostris collatione prehabita et matura deliberatione secuta ordinacioni disposicioni ac promissioni nostre de ipsorum fratrum consilio auctoritate apostolica *reservamus*, decernentes exnunc irritum et inane, si secus super premissis et quolibet eorum per quoscunque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attemptari.

[2] Item in ecclesiis metropolitanis et cathedralibus etiam apostolice sedi immediate non subiectis et in monasteriis apostolice sedi immediate subiectis fiant electiones canonice, que ad sedem apostolicam deferantur, quas etiam ad tempus constitutum in constitucione Nicolai, que incipit ‚cupientes‘ papa expectet; quo facto si non fuerint presentate vel si presentate minus canonice fuerint, papa provideat; si vero canonice fuerint, papa eos confirmet, nisi ex causa rationabili et evidenti et de fratrum consilio de digniori et utiliori persona duxerit providendum, proviso, quod confirmati et provisi per papam nichilhominus metropolitanis et aliis prestent debita iuramenta et alia, ad que de iure tenentur.

[2[b]] In monasteriis que non sunt immediate subiecta sedi apostolice, necnon in aliis beneficiis regularibus, super quibus pro confirmatione seu provisione non consuevit haberi recursus ad sedem apostolicam, non teneantur venire electi seu illi, quibus providendum est, ad curiam ad habendum confirmacionem vel provisionem; nec eciam dicta beneficia regularia cadant in graciis expectativis. Ubi autem in monasteriis ad curiam Romanam venire seu mittere consueverunt, ibi papa aliter non confirmet seu provideat, quam superius de cathedralibus ecclesiis est expressum. De monasteriis

monialium papa non disponat, nisi sint exempta, et tunc per commissionem in partibus.

[3] De ceteris dignitatibus et beneficiis quibuscunque secularibus et regularibus vacaturis ultra reservationes iam dictas (maioribus dignitatibus post pontificales in cathedralibus et principalibus in collegiatis exceptis, de quibus iure ordinario provideatur per illos inferiores, ad quos alias pertinet) idem sanctissimus dominus noster per quamcunque aliam reservacionem graciam exspectativam aut quamvis aliam dispositionem sub quacunque verborum forma per eum aut eius auctoritate factam vel fiendam non impediet, quominus de illis, cum vacabunt de mensibus februarii aprilis iunii augusti octobris et decembris, libere disponatur per illos, ad quos collatio provisio presentatio electio aut alia quevis dispositio pertinebit, reservationibus aliis a premissis ac dispositionibus auctoritate eiusdem domini nostri pape factis vel fiendis non obstantibus quibuscunque. Quociens vero aliquo vacante beneficio de mensibus ianuarii marcii maii iulii septembris et novembris specialiter dispositioni apostolice sedis reservatis non apparuerit infra tres menses a die note vacationis in loco beneficii, quod alicui de illo apostolica auctoritate fuerit provisum, extunc et non antea ordinarius vel alius, ad quem illius dispositio pertinebit, de illo libere disponat. [3ª] Item ad finem, ut hec ordinatio collationis beneficiorum non reservatorum per alternos menses possit per nationem pubblicari, et omnes, qui ipsa gaudere voluerint, tempus congruum habeant eandem acceptandi, tunc quoad apostolicam sedem in kalendis iunii proxime futuris ipsa currere incipiet durabitque deinceps, nisi in futuro concilio de consensu nationis aliter fuerit ordinatum.

[4] Item circa provisionem apostolice sedi ordinandam modus annatarum hoc modo currat: de ecclesiis cathedralibus omnibus et monasteriis virorum dumtaxat vacantibus et vacaturis solventur pro fructibus primi anni a die vacacionis summe pecuniarum in libris camere apostolice taxate, que communia servitia nuncupantur. Si que vero excessive taxate sunt, retaxentur; et provideatur specialiter in gravatis regionibus secundum qualitatem rerum temporum et regionum, ne nimium pregraventur; ad quod sanctissimus dominus noster petentibus dabit commissarios in partibus, qui diligenter inquirant et retaxent. Taxe autem predicte pro media parte infra annum a die habite possessionis pacifice totius vel maioris partis solvantur et pro media parte alia infra sequentem annum. Et si infra annum bis vel pluries vacaverit, semel tantum solvetur; nec debitum huiusmodi in successorem in ecclesia vel monasterio transeat.

[4ᵇ] De ceteris dignitatibus personatibus officiis et beneficiis secularibus quibuscunque et regularibus, que auctoritate sedis apostolice conferentur vel de quibus providebitur preterquam vigore graciarum expectativarum aut causa permutacionis, solvantur annate seu medii fructus iuxta taxam

solitam a tempore possessionis infra annum; et debitum huiusmodi in successorem in beneficio non transeat. De beneficiis vero, que valorem viginti quatuor florenorum de camera non excedunt, nihil solvatur. Curratque hec observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro concilio de consensu nationis inmutari contingat.

[5] In aliis autem, que per felicis recordacionis dominum Eugenium papam quartum pro natione prefata usque ad tempus futuri generalis concilii permissa concessa indulta atque decreta et per memoratum sanctissimum dominum nostrum papam Nicolaum confirmata fuere, in quantum illa concordie presenti non obviant, ista vice nihil extitit immutatum.

[6] Voluit etiam memoratus dominus legatus, quod super concordatis presentibus singuli metropolitani predictae nationis petentibus quibuscunque, quantum opus eis videbitur, sub *suis* sigillis transsumpta concedere valeant, quodque transsumtis eisdem in iudicio et extra stetur et adhibeatur tanquam huic originali carte per omnia plena fides. Per hoc autem, quod in concordatis huiusmodi sive quibusvis aliis eorum occasione conficiendis litteris propter competentiorem descriptionem Alamania specialis appellatur natio, ipsa censeri non debet a Germanica natione distincta seu quomodolibet separata.

Ad fidem igitur et robur ac testimonium omnium premissorum nos Fridericus Romanorum rex et nos Iohannes cardinalis legatus supradicti cartam presentem nostris appensis mandavimus communiri sigillis.

Ad mandatum domini regis in consilio.

68. ALEXANDER VI. (1492—1503).

* ***Bullarium romanum***, Edit. Taurin. Tom. V. p. 361 seq. Peschel, *Geschichte des Zeitalters der Entdeckungen.* Stuttgart 1858. p. 230. Idem, *Die Theilung der Erde unter Alexander VI. und Julius II.* Leipzig 1871. Leonetti, *Alexander VI.* Roma 1880. 3. vol. Baum, *Die Demarcationslinie Papst Alexander VI. und ihre Folgen.* Köln 1890. Pastor, *Geschichte der Päpste.* Tom. III. p. 489. *Civiltà cattolica.* VI. 1. p. 662 seq. Hergenröther, *Kirchengeschichte.* Tom. II. p. 1056.

[Insulae novi orbis a Ferdinando Hispaniarum rege et Elisabetha regina repertae et reperiendae concedit eisdem.]

Inter caetera divinae maiestati beneplacita opera et cordis nostri desiderabilia illud profecto potissimum extitit, ut fides catholica et christiana religio, nostris praesertim temporibus, exaltetur ac ubilibet amplietur et dilatetur, animarumque salus procuretur ac barbaricae nationes deprimantur et ad fidem ipsam reducantur. Unde, cum ad hanc sacram Petri sedem, divina favente clementia, meritis licet imparibus, evecti fuerimus, cognoscentes vos tamquam veros catholicos reges et principes, quales semper fuisse novimus, et a vobis praeclare gesta toti paene iam orbi notissima demonstrant, nedum id ex-

optare sed omni conatu, studio et diligentia, nullis laboribus, nullis impensis nullisque parcendo periculis, etiam proprium sanguinem effundendo, efficere; ac omnem animum vestrum omnesque conatus ad hoc iamdudum dedicasse, quemadmodum recuperatio regni Granatae a tyrannide Saracenorum, hodiernis temporibus per vos cum tanta divini nominis gloria facta, testatur, digne ducimus non immerito, et debemus illa vobis etiam sponte et favorabiliter concedere, per quae huiusmodi sanctum et laudabile ab immortali deo coeptum propositum in dies ferventiori animo ad ipsius dei honorem et imperii christiani propagationem prosequi valeatis.

§ 1. Sane accepimus quod vos dudum animum proposueratis aliquas insulas et terras firmas remotas et incognitas ac per alios hactenus non repertas quaerere et invenire, ut illarum incolas et habitatores ad colendum redemptorem nostrum et fidem catholicam profitendum reduceretis, hactenus in expugnatione et recuperatione ipsius regni Granatae plurimum occupati, huiusmodi sanctum et laudabile propositum vestrum ad optatum finem perducere nequivistis; sed tandem, sicut domino placuit, regno praedicto recuperato, volentes desiderium adimplere vestrum, dilectum filium Christophorum Columbum, virum utique dignum et plurimum commendandum ac tanto negotio aptum cum navigiis et hominibus ad similia instructis, non sine maximis laboribus et periculis ac expensis destinastis, ut terras firmas et insulas remotas et incognitas huiusmodi per mare, ubi hactenus navigantum non fuerat, diligenter inquireret.

2. Qui tandem divino auxilio, facta extrema diligentia, in mare Oceano navigantes, certas insulas remotissimas et etiam terras firmas, quae per alios hactenus repertae non fuerant, invenerunt, in quibus quam plurimae gentes pacifice viventes et, ut asseritur, nudae incedentes nec carnibus vescentes inhabitant, et, ut praefati nuntii vestri possunt opinari, gentes ipsae in insulis et terris praedictis habitantes credunt unum deum creatorem in coelis esse, ac ad fidem catholicam amplexandum et bonis moribus imbuendum satis apti videntur: spesque habetur quod, si erudirentur, nomen salvatoris domini nostri Iesu Christi in terris et insulis praedictis fateretur. Ac praefatus Christophorus in una ex principalibus insulis praedictis, iam unam turrim satis munitam, in qua certos christianos, qui secum iverant, in custodiam, et ut alias insulas et terras firmas remotas et incognitas inquirerent, posuit, construi et aedificari fecit.

3. In quibus quidem insulis et terris iam repertis, aurum, aromata et aliae quam plurimae res diversi generis et diversae qualitatis reperiuntur.

4. Unde omnibus diligenter et praesertim fidei catholicae exaltatione et dilatatione, prout decet catholicos reges et principes, consideratis, more progenitorum vestrorum clarae memoriae regum terras firmas et insulas praedictas illarumque incolas habitatores vobis, divina favente clementia, subiicere et ad fidem catholicam reducere proposuistis.

5. Nos igitur, huiusmodi vestrum sanctum et laudabile propositum plurimum in domino commendantes, ac cupientes ut illud ad debitum finem perducatur, et ipsum nomen salvatoris nostri in partibus illis inducatur, hortamur vos quam plurimum in domino et per sacri lavacri susceptionem, qua mandatis apostolicis obligati estis et viscera misericordiae domini nostri Iesu Christi, attente requirimus ut, cum expeditionem huiusmodi omnino prosequi et assumere proba mente, orthodoxae fidei zelo, intendatis, populos in huiusmodi insulis et terris degentes ad christianam religionem suscipiendum inducere velitis et debeatis; nec pericula nec labores ullo umquam tempore vos deterreant, firma spe fiduciaque conceptis, quod deus omnipotens conatus vestros feliciter prosequetur.

6. Et ut tanti negotii provinciam, apostolicae gratiae largitate donati, liberius et audacius assumatis, motu proprio non ad vestram vel alterius pro vobis super hoc nobis oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate et ex certa scientia ac de apostolicae potestatis plenitudine omnes insulas et terras firmas inventas et inveniendas, detectas et detegendas versus occidentem et meridiem, fabricando et construendo unam lineam a polo arctico scilicet septentrione, ad polum antarcticum, scilicet meridiem, sive terrae firmae et insulae inventae et inveniendae sint versus Indiam aut versus aliam quamcumque partem, quae linea distet a qualibet insularum, quae vulgariter nuncupantur de los Azores y Cabo Vierde, centum leucis versus occidentem et meridiem, ita quod omnes insulae et terrae firmae repertae et reperiendae, detectae et detegendae a praefata linea versus occidentem et meridiem per alium regem aut principem christianum non fuerint actualiter possessae usque ad diem nativitatis domini nostri Iesu Christi proxime praeteritum, a quo incipit annus praesens 1493, quando fuerunt per nuntios et capitaneos vestros inventae aliquae praedictarum insularum, auctoritate omnipotentis dei, nobis in beato Petro concessa, ac vicariatus Iesu Christi, qua fungimur in terris, cum omnibus illarum dominiis, civitatibus, castris, locis et villis, iuribusque et iurisdictionibus ac pertinentiis universis, vobis haeredibusque et successoribus vestris, Castellae et Legionis regibus, in perpetuum, tenore praesentium donamus et assignamus, vosque et haeredes ac successores praefatos illarum dominos cum plena, libera et omnimoda potestate, auctoritate et iurisdictione facimus, constituimus et deputamus.

7. Decernentes nihilominus per huiusmodi donationem, concessionem et assignationem nostram nulli christiano principi, qui actualiter praefatas insulas et terras firmas possederit usque ad dictum diem nativitatis domini nostri Iesu Christi, ius quaesitum sublatum intelligi posse aut auferri debere. Et insuper mandamus vobis in virtute sanctae obedientiae (sicut pollicemini, et non dubitamus pro vestra maxima devotione et regia magnanimitate res esse facturos) ad terras firmas et insulas praedictas viros probos et deum timentes, doctos, peritos et expertos ad instruendum in-

colas et habitatores praefatos in fide catholica et bonis moribus imbuendum destinare debeatis, omnem debitam diligentiam in praemissis adhibentes.

8. Ac quibuscumque personis, cuiuscunque dignitatis, etiamsi imperialis et regalis, status, gradus, ordinis vel conditionis, sub excommunicationis latae sententiae poena, quam eo ipso, si contrafecerint, incurrant, districtius inhibemus, ne ad insulas et terras firmas inventas et inveniendas, detectas et detegendas versus occidentem et meridiem, fabricando et construendo lineam a polo arctico ad polum antarcticum, sive terrae firmae et insulae inventae et inveniendae sint versus Indiam aut versus aliquam quamcumque partem, quae linea distet a qualibet insularum, quae vulgariter nuncupantur de los Azores y Cabo Vierde, centum leucis versus occidentem et meridiem, ut praefertur, pro mercibus habendis vel quamvis alia de causa accedere praesumant, absque vestra ac haeredum et successorum vestrorum praedictorum licentia speciali. [l. c. pag. 361—364.]

Dat. die 4 Maii 1493. Pontif. an. I.

D) *A Reformatione usque ad Concilium Vaticanum.*

Friedberg, *Die Grenzen zwischen Staat und Kirche.* p. 63 seq. Ranke, *Die römischen Päpste in den letzten vier Jahrhunderten.* 10 ed. Leipzig 1900. 3. vol. Pastor, *Geschichte der Päpste seit dem Ausgang des Mittelalters.* Freiburg i. B. 1891². Maurenbrecher, *Geschichte der kathol. Reformation.* Nördlingen 1880.

Pieper, *Zur Entstehungsgeschichte der ständigen Nuntiaturen.* Freiburg 1894. I. *Die päpstlichen Legaten und Nuntien.*

Scaduto, *Stato e Chiesa nelle due Sicilie.* Palermo 1887. Galante, *Il diritto di placitazione e gli economati dei benefici vacanti in Lombardia.* Milano 1894.

Dittrich, *Geschichte des Katholizismus in Altpreussen, von 1525 bis zum Ausgang des 18. Jahrhunderts.* München 1855. Lehmann und Granier, *Preussen und die katholische Kirche seit 1640.* Berlin 1878—1902. G. Mayer, *Die Entstehung des landesherrlichen Kirchenregimentes.* Leipzig 1891. Bonin, *Die praktische Bedeutung des ius reformandi.* Stuttgart 1902. (Stutz, *Kirch. Abh.* I).

Pithou, *Les libertés de l'Église gallicane.* Paris 1594. Petrus de Marca, *De concordia sacerdotii et imperii seu de libertatibus ecclesiae gallicanae.* Parisiis 1639. Gerin, *Recherches historiques sur l'assemblee du clergé de France.* Paris 1869. Idem, *Louis XIV. et le Saint-Siege.* Paris 1894.

Febronius, *De statu ecclesiae et legitima potestate Romani Pontificis.* Bullioni 1765. P. Ballerini, *De potestate ecclesiae summi Pontificis et Conciliorum generalium.* Veronae 1768.

Ritter, *Kaiser Joseph II. und seine kirchliche Reformen.* Wien 1869. Rautenstrauch, *Synopsis iuris ecclesiastici publici et privati.* Vindobonae 1776. Maassen, *Neun Capitel über freie Kirche und Gewissensfreiheit.* Graz 1876. p. 232 seq. Roesch, *Das Kirchenrecht im Zeitalter der Aufklärung* (in *Archiv für kathol. Kircherrecht.* 1903.)

Pressensé, *L'Église et la Revolution française.* Paris 1864. Gazier, *Études sur l'Histoire religieuse de la Rivolution Française.* Paris 1887. Debidour, *Histoire des rapports de l'Église et de l'État en France de 1789 a 1870.* Paris 1898.

Kopp, *Die kathol. Kirche im XIX. Jahrhundert.* Mainz 1830. Brück, *Geschichte der kathol. Kirche in Deutschland.* Leipzig 1896—1903. Nippold, *Handbuch der neuesten Kirchengeschichte.* Elberfeld 1883. Kremer-Auenrode, *Aktenstücke zur Geschichte des Verhältnisses von Staat und Kirche im XIX. Jahrhundert.* Leipzig 1873—1880. Nürnberger, *Zur Kirchengeschichte*

des XIX. Jahrhundert. Papsthum und Kirchenstaat (1800–1870). Mainz 1897–1900. Erhard, *Der Katholizismus und das zwanzigste Jahrhundert.* Stuttgart und Wien 1903. Sect. IV. 5.

Scaduto, *Guarantigie pontificie e relazioni fra Stato e Chiesa.* Torino 1889². Brunialti, *Stato e Chiesa.* Torino 1892.

Acta et decreta sacrorum conciliorum recentiorum. Collatio Lacensis. Friburgi Brisg. 1890. Tom. VII. Friedberg, *Sammlung der Actenstücke zum ersten Vaticanischen Conzil mit einem Grundrisse der Geschichte derselben.* Tübingen 1872. Fromman, *Geschichte und Kritik des vaticanischen Conzils.* Gotha 1872. Cecconi, *Storia del Concilio Vaticano.* Roma 1872–1879.

Friedberg, §§ 16–20. Stutz, §§ 37–43. Schiappoli, *Manuale del diritto ecclesiastico.* Torino 1902. Tom. I. Sect. 3–6. Calisse, *Diritto ecclesiastico.* Firenze 1902. Cap. I. Sect. III.

---

64. Paulus III. (1534–1549.).

* *Bullarium Romanum.* Ed. Taurin. Tom. VI. p. 195–203. Turner, *History of the Reign of Henry VIII.* London 1835. Tyrler, *Life of Henry VIII.* Edinburgh 1861. Brewer, *Calendar of Letter Foreign and Domestic of the Reign of Heny VIII.* London 1862 seq. Idem, *The Reign of Henry VIII from his Accession to the Death of Wolsey.* Lonbon 1884. Audin, *Histoire de Henri VIII et du Schisme d'Angleterre.* Paris 1876. Froude, *History of England* London 1893. New Ed. III. 187. Ranke, *Englische Geschichte.* Leipzig 1870. I. p. 150 seq. Idem, *Die Römischen Päpste etc.* I. 8 seq. *Nuntiaturberichte aus Deutschland.* 1533–1559. ed. Friedensburg. Gotha 1892. Ehses, *Römische Documente zur Geschichte der Ehescheidung Heinrich VIII.* Paderborn 1893.

[Damnatio et excomunicatio Henrici VIII regis Angliae, eiusque fautorum et complicum.]

§ 1. Sane, cum superioribus diebus nobis relatum fuisset quod Henricus, Angliae rex, licet tempore pontificatus felicis recordationis Leonis Papae X, praedecessoris nostri, diversorum haereticorum errores saepe ab Apostolica Sede et sacris conciliis praeteritis temporibus damnatos, et novissime nostra aetate per perditionis alumnum Martinum Lutherum suscitatos et innovatos, zelo catholicae fidei et erga dictam Sedem devotionis fervore inductus non minus docte quam pie, per quemdam librum per eum desuper compositum, et eidem Leoni praedecessori, ut eum examinaret et approbaret, oblatum, confutasset, ob quod ab eodem Leone praedecessore. ultra dicti libri, cum magna ipsius Henrici regis laude et commendatione, approbationem, titulum defensoris fidei reportaverit; a recta fide et apostolico tramite devians, ac propriae salutis, famae et honoris immemor, postquam carissima in Christo filia nostra Catherina, Angliae regina illustri, sua progenie coniuge, cum qua publice in facie Ecclesiae matrimonium contraxerat, et per plures annos continuaverat, ac ex qua, dicto constante matrimonio, prolem pluries susceperat, nulla legitima subsistente causa et contra Ecclesiae prohibitionem, dimissa, cum quadam Anna Bolena, muliere anglica, dicta Catherina adhuc vivente, de facto matrimonium contraxerat, ad deteriora prosiliens, quasdam leges seu generales constitutiones edere

non erubuit, per quas subditos suos ad quosdam haereticos et schismaticos articulos tenendos, inter quos et hoc erat quod Romanus Pontifex caput Ecclesiae et Christi vicarius non erat, et quod ipse in Anglica Ecclesia supremum caput existebat, sub gravibus, etiam mortis, poenis cogebat. Et his non contentus, diabolo sacrilegii crimen suadente, quamplures praelatos, etiam episcopos, aliasque personas ecclesiasticas, etiam regulares, necnon saeculares sibi ut haeretico et schismatico adhaerere, ac articulos praedictos sanctorum Patrum decretis et sacrorum conciliorum statutis, immo etiam ipsi evangelicae veritati contrarios, tamquam tales alias damnatos, approbare et sequi nolentes, et intrepide recusantes, capi et carceribus mancipari: hisque similiter non contentus, mala malis accumulando, bonae memoriae Ioannem, tituli S. Vitalis presbyterum cardinalem Roffensem, quem, ob fidei constantiam et vitae sanctimoniam, ad cardinalatus dignitatem promoveramus, cum dictis haeresibus et erroribus consentire nollet, horrenda immanitate et detestanda saevitia, publice miserabili supplicio tradi, et decollari mandaverat, et fecerat, excommunicationis et anathematis aliasque gravissimas sententias, censuras et poenas in literis ac constitutionibus recolendae memoriae Bonifacii VIII, Honorii III. Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, desuper editis contentas, et alias in tales a iure latas damnabiliter incurrendo, ac regno Angliae et dominiis, quae tenebat, necnon regalis fastigii celsitudine ac praefati tituli praerogativa et honore se indignum reddendo.

§ 2. Nos, licet ex eo quod, prout non ignorabamus, idem Henricus rex in certis censuris ecclesiasticis, quibus a piae memoriae Clemente PP. VII, etiam praedecessore nostro, postquam humanissimis literis et paternis exhortationibus multisque nunciis et mediis, primo, et postremo etiam iudicialiter, ut praefatam Annam a se dimitteret, et ad praedictae Catherinae suae verae coniugis consortium rediret, frustra monitus fuerat, innodatus extiterat, Pharaonis duritiam imitando, per longum tempus, in clavium contemptum, insorduerat et insordescebat, quod ad cor rediret vix sperare posse videremus; ob paternam tamen caritatem, qua, in minoribus constituti, donec in obedientia et reverentia Sedis praedictae permansit, eum prosecuti fueramus, utque clarius videre possemus an clamor, qui ad nos delatus fuerat (quem certe, etiam ipsius Henrici regis respectu, falsum esse desiderabamus), verus esset, statuimus, ab ulteriori contra ipsum Henricum regem processu ad tempus abstinendo, huius rei veritatem diligentius indagare.

§ 3. Cum autem debitis diligentiis desuper factis, clamorem ad nos, ut praefertur, delatum, verum esse, simulque, quod dolenter referimus, dictum Henricum regem ita in profundum malorum descendisse, ut de eius resipiscentia nulla penitus videatur spes haberi posse, repererimus; nos, attendentes veteri lege crimine adulterii notatum lapidari mandatum, ac

auctores schismatis hiatu terrae absorptos, eorumque sequaces coelesti igne consumptos, Elymamque magum, viis Domini resistentem, per Apostolum aeterna severitate damnatum fuisse; volentesque, ne in districto examine ipsius Henrici regis et subditorum suorum, quos secum in perditione trahere videmus, animarum ratio a nobis exposcatur, quantum nobis ex alto conceditur, providere, contra Henricum regem eiusque complices, fautores, adhaerentes et sequaces, et in praemissis quomodolibet culpabiles, contra quos, ex eo quod excessus et delicta praedicta adeo manifesta sunt et notoria, ut nulla possint tergiversatione celari, absque ulteriori mora, ad executionem procedere possemus, benignius agendo, decrevimus infrascripto modo procedere.

§ 4. Habita itaque super his cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione matura, et de illorum consilio et assensu, praefatum Henricum regem eiusque complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces, ac quoscumque alios in praemissis seu eorum aliquo quoquomodo culpabiles, tam laicos quam clericos, etiam regulares, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, praeeminentiae et excellentiae existant (quorum nomina et cognomina, perinde ac si praesentibus insererentur, pro sufficienter expressis haberi volumus), per viscera misericordiae Dei nostri, hortamur et requirimus in Domino quatenus Henricus rex a praedictis erroribus prorsus abstineat; et constitutiones seu leges praedictas, sicut de facto eas fecit, revocet, casset et annullet; et coactione subditorum suorum ad eas servandas, necnon carceratione, captura et punitione illorum, qui ipsis constitutionibus seu legibus adhaerere aut eas servare noluerint, et ab aliis erroribus praedictis penitus et omnino abstineat; et si quos, praemissorum occasione, captivos habeat, relaxet.

§ 5. Complices vero, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces dicti Henrici regis in praemissis et circa ea ipsi Henrico regi super his de cetero non adsistant nec adhaereant vel faveant, nec ei consilium, auxilium vel favorem desuper praestent.

§ 6. Alias si Henricus rex ac fautores, adhaerentes, consultores et sequaces hortationibus et requisitionibus huiusmodi non annuerint, cum effectu, Henricum regem, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces ac alios culpabiles praedictos, auctoritate apostolica, ac ex certa nostra scientia et de apostolicae potestatis plenitudine, tenore praesentium, in virtute sanctae obedientiae, ac sub maioris excommunicationis latae sententiae, a qua, etiam praetextu cuiuscumque privilegii vel facultatis etiam in forma confessionalis, cum quibuscumque efficacissimis clausulis a nobis et Sede praedicta quomodolibet concessis, et etiam iteratis vicibus innovatis, ab alio quam a Romano Pontifice, praeterquam in mortis articulo constituti (ita tamen, quod si aliquem absolvi contingat, qui postmodum convaluerit,

nisi post convalescentiam monitioni et mandatis nostris huiusmodi paruerit cum effectu, in eadem excommunicationis sententiam reincidat), absolvi non possint.

§ 7. Necnon rebellionis et, quoad Henricum regem, etiam perditionis regni et dominiorum praedictorum; et tam quoad eum quam quoad alios monitos supradictos supra et infrascriptis poenis, quas si dictis monitioni et mandatis, ut praefertur, non paruerint, eos et eorum singulos, ipso facto respective incurrere volumus, per praesentes monemus: eisque et eorum cuilibet districte praecipiendo mandamus quatenus Henricus rex per se vel procuratorem legitimum, et sufficienti mandato suffultum, infra nonaginta; complices vero, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces ac alii in praemissis quomodolibet culpabiles supradicti saeculares et ecclesiastici, etiam regulares, personaliter, infra sexaginta dies compareant coram nobis, ad se super praemissis legitime excusandum et defendendum, alias videndum et audiendum, contra eos et eorum singulos, etiam nominatim, quos sic monemus quatenus expediat, ad omnes et singulos actus, etiam sententiam definitivam, declaratoriam, condemnatoriam et privatoriam ac mandatum executivum, procedi.

Quod si Henricus rex et alii moniti praedicti intra dictos terminos eis, ut praefertur, respective praefixos non comparuerint et praedictam excommunicationis sententiam per tres dies post lapsum dictorum terminorum, animo, quod absit, sustinuerint indurato, censuras ipsas aggravamus et successive reaggravamus, Henricumque regem privationis regni et dominiorum praedictorum, et tam eum quam alios monitos praedictos et eorum singulos, omnes et singulos alias poenas incurrisse ab omnibusque Christi fidelibus cum eorum bonis perpetuo diffidatos esse. Et si interim ab humanis decedat, ecclesiastica debere carere sepultura, auctoritate et potestatis plenitudine praedictis decernimus et declaramus eosque anathematis, maledictionis et damnationis aeternae mucrone percutimus.

§ 8. Necnon quae praefatus Henricus rex quomodolibet et ex quavis causa tenet, habet aut possidet, quamdiu Henricus rex et alii moniti praedicti, et eorum singuli in aliis per dictum Henricum regem non tentis, habitis aut possessis permansuris, et triduo post eorum inde recessum, et alia quaecumque, ad quae Henricum regem et alios monitos praedictos post lapsum dictorum terminorum declinare contigerit, dominia civitates terras, castra, villas, oppida metropolitanasque et alias cathedrales ceterasque inferiores ecclesias, nec non monasteria, prioratus, domos, conventus et loca religiosa vel pia, cuiuscumque, etiam S. Benedicti, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemostratensis ac Praedicatorum, Eremitarum S. Augustini, Carmelitarum et aliorum Ordinum ac Congregationum et militiarum quarumcumque in ipsis dominiis, civitatibus, terris, castris, villis, oppidis et locis existentia ecclesiastico supponimus interdicto: ita ut, illo durante, in illis,

etiam praetextu cuiuscumque apostolici indulti, ecclesiis, monasteriis, prioratibus, domibus, conventibus, locis, Ordinibus aut personis, etiam quacumque dignitate fulgentibus, concessi, praeterquam in casibus a iure permissis, ac etiam in illis, alias quam clausis ianuis et excomunicatis et interdictis exclusis, nequeant missae aut alia divina officia celebrari.

§ 9. Et Henrici regis complicumque, fautorum etc. filii, poenarum, ut hic in hoc casu par est, participes sint; omnes et singulos Henrici regis ex dicta Anna ac singulorum aliorum praedictorum filios natos et nascituros aliosque descendentes usque in eum gradum, ad quem iura poenas in casibus huiusmodi extendunt (nemine excepto nullaque minoris aetatis aut sexus vel ignorantiae vel alterius cuiusvis causae habita ratione), dignitatibus et honoribus, in quibusquomodolibet constituti existunt, seu quibus gaudent, utuntur, potiuntur aut muniti sunt, necnon privilegiis, concessionibus, gratiis, indulgentiis, immunitatibus, remissionibus, libertatibus et indultis, ac dominiis, civitatibus, castris, terris, villis, oppidis ceterisque omnibus bonis, mobilibus et immobilibus, iuribus et actionibus eis quomodolibet competentibus privatos et ad illa ac alia in posterum obtinenda inhabiles esse, similiter decernimus et declaramus [198].

§ 10. Ipsiusque Henrici regis ac regni omniumque aliorum dominiorum, civitatum, terrarum, castrorum, villarum, fortalitiorum, arcium, oppidorum et locorum suorum, etiam de facto obtentorum, magistratos, iudices, castellanos, custodes et officiales quoscumque, necnon universitates, collegia, feudatarios, vassallos, subditos cives, incolas et habitatores etiam forenses, dicto regi de facto obedientes, tam saeculares, quam, si qui, ratione alicuius temporalitatis, ipsum Henricorum regem in superiorem recognoscant, etiam ecclesiasticos, a praefato rege seu eius complicibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus supradictos deputatos, a iuramento fidelitatis, iure vasallitico et omni erga regem et alios praedictos subiectione absolvimus ac penitus liberamus. Eis nihilominus sub excommunicationis poena, mandantes, ut ab eiusdem Henrici regis suorumque officialium, iudicum et magistratuum quorumcunque obedientia penitus et omnino recedant, nec illos in superiores recognoscant neque illorum mandatis obtemperent.

§ 11. Et ut alii, eorum exemplo perterriti, discant ab huiusmodi excessibus abstinere, eisdem auctoritate, scientia et plenitudine volumus ac decernimus, quod Henricus rex et complices, fautores etc. necnon praefati descendentes ex tunc infames existant et ad testimonium non admittantur; testamenta et codicillos aut alias dispositiones, etiam inter vivos, concedere et facere non possint; et ad alicuius successionem ex testamento vel ab intestato, nec non ad iurisdictionem seu iudicandi potestatem et ad notariatus officium omnesque actus legitimos quoscunque (ita ut eorum processus sive instrumenta atque alii actus quicunque nullius sint roboris

vel momenti) inhabiles existant: et nulli ipsis sed Ipsi aliis, super quocunque debito et negotio tam civili quam criminali de iure respondere teneatur.

§ 12. Et nihilominus omnes et singulos chistifideles, sub excommunicationis et aliis infrascriptis poenis, monemus ut monitos, excommunicatos, aggravatos, interdictos, privatos, maledictos et damnatos praedictos evitent, et, quantum in eis est, ab aliis evitari faciant, nec cum eisdem seu praefati regis civitatum, dominiorum, terrarum, castrorum, comitatuum, villarum fortalitiorum, oppidorum et locorum praedictorum civibus, incolis vel habitatoribus aut subditis et vassallis, emendo, vendendo, permutando aut quamcumque mercaturam seu negotium exercendo, commercium seu aliquam conversationem seu communionem habeant; aut vinum, granum, sal seu alia victualia, arma, pannos, merces vel quasvis alias mercantias vel res per mare in eorum navibus, triremibus aut aliis navigiis, sive per terram cum mulis vel aliis animalibus deferre aut conducere seu deferri aut conpuci facere, vel delata per illos recipere, publice vel occulte, aut talia facientibus auxilium, consilium vel favorem, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis quaesito colore, per se vel alium seu alios, quoquomodo praestare praesumant. Quod si fecerint, ultra excommunicationis praedictae, etiam nullitatis contractuum, quos inirent, nec non perditionis mercium, victualium et bonorum omnium delatorum, quae capientium fiant, poenas similiter eo ipso incurrant.

§ 13. Ceterum, quia convenire non videtur ut cum his qui Ecclesiam contemnunt, dum praesertim ex eorum pertinacia spes corrigibilitatis non habetur, hi qui divinis obsequiis vacant, conversentur, quod etiam illos facere non posse dubitandum est, omnium et singularum metropolitanarum et aliarum cathedralium caeterarumque tnferiorum ecclesiarum et monasteriorum, domorum et locorum religiosorum et piorum quorumcunque, etiam S. Augustini, S. Benedicti, Cluniacensis, Cisterciensis, Praemostratensis, ac Praedicatorum, Minorum, Carmelitarum aliorumque quorumcumque Ordinum et Militiarum, etiam Hospitalis Hierosolymitani, praelatis, abbatibus, prioribus, praeceptoribus, praepositis, ministris, custodibus, guardianis, conventibus, monacis et canonicis, necnon parochialium ecclesiarum rectoribus aliisque quibuscumque prrsonis ecclesiasticis, in regno et dominiis praedictis commorantibus, sub excommunicationis ac privationis administrationum et regiminum monasteriorum, dignitatum, personatum, administrationum ac officiorum canonicatuumque et praebendarum, parochialium ecclesiarum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum quorumcumque, quomodolibet qualificatorum, per eos quomodolibet obtentorum, poenis, mandamus quatenus, infra quinque dies post omnes et singulos minos praedictos elapsos, de ipsis regno et dominiis, dimissis tamen aliquibus presbyteris in ecclesiis, quorum curam habuerint, pro administrando baptismate parvulis, et poenitentia decedentibus, ac aliis sacramentis eccle-

siasticis, quae tempore interdicti ministrari permittuntur, exeant et discedant, neque ad regnum et dominia praedicta revertantur, donek moniti et excommunicati, aggravati, reaggravati, privati, maledicti et damnatis praedicti monitionibus et mandatis nostris huiusmodi obtemperaverint, et meruerint a censuris huiusmodi absolutionis beneficium obtinere, seu interdictum in regno et dominiis praedictis fuerit sublatum.

§ 14. Praeterea, si praemissis non obstantibus, Henricus rex, complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces praedicti in eorum pertinacia perseveraverint, nec conscientiae stimulos eos ad cor reduxerit, in eorum forte potentia et armis confidentes, omnes et singulos duces, marchiones, comites et alios quoscumque tam saeculares quam ecclesiasticos, etiam forenses, de facto dicto Henrico regi obedientes, sub eiusdem excommunicationis ac perditionis bonorum suorum (quae, ut infra dicitur, similiter capientium fiant) poenis requirimus et monemus quatenus, omni mora et excusatione postposita, eos et eorum singulos ac ipsorum milites et stipendiarios, tam equestres quam pedestres, aliosque quoscumque, qui eis cum armis faverint, de regno et dominiis praedictis, etiam vi armorum si opus fuerit, expellant; ac quod Henricus rex et eius complices, fautores, adhaerentes, consultatores et sequaces, mandatis nostris non obtemperantes praedictis, de civitatibus, terris, castris, villis, oppidis, fortalitiis aut aliis locis regni et dominii praedictorum se non intromittant, procurent; eis, sub omnibus et singulis poenis praedictis, inhibentes ne in favorem Henrici eiusqne complicum, fautorem, adhaerentium, consultorum et sequacium aliorumque monitorum praedictorum mandatis nostris non obtemperantium, arma cuiuslibet generis offensiva et defensiva, machinas quoque bellicas seu tormenta (artellarias nuncupata) sumant aut teneant seu illis utantur, aut armatos aliquos, praeter consuetam familiam, parent; aut ab Henrico rege, complicibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus vel aliis in regis ipsius favorem paratos, quomodolibet, quavis occasione vel causa, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, teneant vel receptent; aut dicto Henrico regi seu illius complicibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus praedictis consilium, auxilium vel favorem quomodolibet ex quavis causa vel quovis quaesito colore sive ingenio, publice vel occulte, directe vel indirecte, tacite vel expresse, per se vel alium seu alios, in praemissis vel aliquo praemissorum praestent seu praestari faciant quomodolibet.

§ 15. Praeterea, ad dictum Henricum regem facilius ad sanitatem, et praefatae Sedis obedientiam reducendum, omnes et singulos christianos principes, quacumque, etiam imperiali et regali, dignitate fulgentes, per viscera misericordiae Dei nostri (cuius causa agitur) hortamur et in Domino requirimus, eis nihilominus, qui imperatore et rege inferiores fuerint, quos, propter excellentiam dignitatis, a censuris excipimus, sub excommu-

nicationis poena mandantes ne Henrico regi eiusque complicibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus vel eorum alicui, per se vel alium seu alios, publice vel occulte. directe vel indirecte, tacite vel expresse, etiam sub praetextu confoederationum aut obbligationum quarumcumque, etiam iuramento aut quavis alia firmitate roboratarum et saepius geminatarum, a quibus quidem obligationibus et iuramentis omnibus nos eos et eorum singulos, eisdem auctoritate et sententia ac potestatis plenitudine, per praesentes absolvimus, ipsasque confoederationes et obligationes, tam factas quam in posterum faciendas, quas tamen (in quantum Henricus rex et complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces praedicti circa praemissa vel eorum aliquod se directe vel indirecte iuvare possent), sub eadem poena, fieri prohibemus, nullius roboris vel momenti, nullasque, irritas, cassas, inanes, ac pro infectis habendas fore decernimus et declaramus, consilium, auxilium vel favorem quomodolibet praestent; quinimmo, si qui illis aut eorum alicui ad praesens quomodolibet assistant, ab ipsis omnino et cum effectu recedant. Quod si non fecerint, postquam praesentes publicatae et executioni demandatae fuerint, et dicti termini lapsi fuerint, omnes et singulas civitates, terras, oppida, castra, villas et alia loca eis subiecta simili ecclesiastico interdicto supponimus; volentes ipsum interdictum, donec ipsi principes a consilio, auxilio et favore Henrico regi et complicibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus praedictis prestando destiterint, perdurare.

§ 16. Insuper, tam principes praedictos quam quoscumque alios, etiam ad stipendia quorumcumque christifidelium militantes, et alias quascumque personas, tam per mare quam per terras armigeros habentes, similiter hortamur et requirimus, et nihilominus eis in virtute sanctae obedientiae mandantes quatenus contra Henricum regem, complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces praedictos, dum in erroribus praedictis ac adversus Sedem praedictam rebellione permanserint, armis insurgant, eosque et eorum singulos persequantur, ac ad unitatem Ecclesiae et obedientiam dictae Sedis redire cogant et compellant; et tam eos, quam ipsorum subditos et vassallos, ac civitatum, terrarum, castrorum, oppidorum, villarum et locorum suorum incolas et habitatores, aliasque omnes et singulas personas, supradictis mandatis nostris, ut praefertur, non obtemperantes, et quae praefatum Henricum regem, postquam censuras et poenas praedictas incurrerit, in dominum quomodolibet, etiam de facto, recognoverint, vel ei quovis modo obtemperare praesumpserint, aut qui eum ac complices, fautores, adhaerentes, consultores, sequaces ac alios non obtemperantes praedictos ex regno et dominiis praedictis, ut praefertur, expellere noluerint, ubicumque eos invenerint, eorumque bona mobilia et immobilia, mercantias, pecunias, navigia, credita, res et animalia, etiam extra territorium dicti Henrici regis ubilibet consistentia, capiant.

§ 17. Nos enim eis bona, mercantias, pecunias, navigia, res et animalia praedicta sic capta, in proprios eorum usus convertendi, eisdem auctoritate, scientia et potestatis plenitudine plenariam licentiam, facultatem et auctoritatem concedimus, illa omnia ad eosdem capientes plenarie pertinere et spectare, et personas ex regno et dominiis praedictis originem trahentes seu in illis domicilium habentes aut quomodolibet habitantes, mandatis nostris praedictis non obtemperantes, ubicumque eos capi contigerit, capientium servos fieri decernentes; praesentesque literas, quoad hoc, ad omnes alios, cuiuscumque dignitatis, gradus, status, ordinis vel conditionis fuerint, qui ipsi Henrico regi vel ejus complicibus, fautoribus, adhaerentibus, consultoribus et sequacibus aut aliis, monitionibus et mandatis nostris huiusmodi, quoad commercium, non obtemperantibus, vel eorum aliqui victualia, arma vel pecunias subministrare aut cum eis commercium habere, seu auxilium, consilium vel favorem, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, quovis modo, contra tenorem praesentium, praestare praesumpserint, extendentes.

§ 18. Et ut praemissa facilius iis, quos concernunt, innotescant, universis et singulis patriarchis, archiepiscopis, episcopis et patriarchalium, metropolitanarum et aliarum cathedralium et collegiatarum ecclesiarum praelatis, capitulis aliisque personis ecclesiasticis saecularibus ac quorumvis Ordinum regularibus, necnon omnibus et singulis, etiam Mendicantium Ordinum, professoribus, exemptis et non exemptis, ubilibet constitutis, per easdem praesentes, sub excommunicationis et privationis ecclesiarum, monasteriorum ac aliorum beneficiorum ecclesiasticorum, graduum quoque et officiorum, necnon privilegiorum et indultorum quorumcumque, etiam a Sede praedicta quomodolibet emanatorum, poenis ipso facto incurrendis, praecipimus et mandamus quatenus ipsi ac eorum singuli, si et postquam vigore praesentium desuper requisiti fuerint, infra tres dies immediate sequentes praefatum Henricum regem omnesque alios et singulos, qui supradictas censuras et poenas incurrerint, in eorum ecclesiis, dominicis et aliis festivis diebus, dum maior inibi populi multitudo ad divina convenerit, cum crucis vexillo, pulsatis campanis, et accensis ac demum extinctis et in terram proiectis et conculcatis candelis, et aliis, in similibus servari solitis, caeremoniis servatis, excommunicatos publice nunciari, ac ab omnibus arctius evitari faciant et mandent; necnon, sub supradictis censuris et poenis, praesentes literas vel earum transumptum, sub forma infrascripta confectum, infra terminum trium dierum, postquam, ut praefertur, requisiti fuerint, in ecclesiis, monasteriis, conventibus et aliis eorum locis publicari et affigi faciant.

§ 19. Volentes omnes et singulos, cuiuscumque status, gradus, conditionis, praeeminentiae, dignitatis aut excellentiae fuerint, qui, quominus praesentes literae vel earum transumpta, copiae seu exemplaria in suis civi-

tatibus, terris, castris, oppidis, villis et locis legi et affigi ac publicari possint, per se vel alium seu alios, publice vel occulte, directe vel indirecte, impediverint, easdem censuras et poenas ipso facto incurrere. Et cum fraus et dolus nemini debeant patrocinari, ne quisquam ex his, qui alicui regimini et administrationi deputati sunt, infra tempus sui regiminis seu administrationis, praedictas sententias, censuras et poenas sustineat, quasi post dictum tempus sententiis, censuris et poenis praedictis amplius ligatus non existat, quemcunque, qui, dum in regimine et administratione existens, monitioni et mandato nostris, quoad praemissa vel aliquid eorum, obtemperare noluerit, etiam deposito regimine et administratione huiusmodi, nisi paruerit, eisdem censuris et poenis subiacere decernimus.

§ 20. Et ne Henricus rex eiusque complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces aliique, quos praemissa concernunt, ignorantiam earumdem praesentium literarum et in eis contentorum praetendere valeant, literas ipsas (in quibus omnes et singulos, tam iuris quam facti, etiam solemnitatum et processuum citationumque omissarum defectus, etiamsi tales sint, de quibus specialis et expressa mentio facienda esset, propter notorietatem facti, auctoritate, scientia et potestatis plenitudine similibus, supplemus) in basilicae Principis apostolorum et Cancellariae Apostolicae de Urbe, et in partibus in collegiatae Beatae Mariae Brugensis, Tornacensis, et Parochialis de Dunkerke oppidorum Morinensis dioecesis, ecclesiarum valvis affigi et publicari mandamus, decernentes quod earumdem literarum publicatio sic facta, Henricum regem eiusque complices, fautores, adhaerentes, consultores et sequaces omnesque alios et singulos, quos literae ipsae quomodolibet concernunt, perinde eos arctent, ac si literae ipsae eis personaliter lectae et intimatae fuissent, cum non sit verisimile quod ea, quae tam patenter fiunt, debeant apud eos incognita remanere.

§ 21. Ceterum, quia difficile foret etc.

§ 22. Nulli ergo omnino hominum etc.

Datum Romae apud S. Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo trigesimo quinto, tertio kalendas septembris, pontificatus nostri anno 1. (Dat. die 30 augusti 1535, pontif. anno 1.) [l. c. pag. 194—203.]

65. PIUS V. (1566—1572).

* *Bullarium Roman.* Ed. Taurinensis. Tom. VII, p. 810—811. Friedberg, *Gränzen zwischen Staat und Kirche.* p. 749. Froude, *History of England. Reign of Elisabeth.* Tom. VI—VII. Strype, *Annals of the Reformation.* London 1865. Green, *Short History of the English People.* p. 400—401. Lee, *The Church under Queen Elisabeth.* London 1883. Beesley, *Queen Elisabeth.* London 1872. p. 185. Maurenbrecher, *England im Reformationszeitalter.* Düsseldorf 1866.

[Damnatio et excommunicatio Elisabeth reginae Angliae eiusque adhaerentium.]

Pius etc. Regnans in excelsis, Cui data est omnis in coelo et terra potestas, unam sanctam, catholicam, et apostolicam ecclesiam, extra quam

nulla est salus, uni soli in terris, videlicet apostolorum principi Petro, Petrique successori Romano Pontifici, in potestatis plenitudine tradidit gubernandam. Hunc unum super omnes gentes et omnia regna principem constituit, qui evellat, destruat, dissipet, disperdat, plantet, et aedificet, ut fidelem populum mutuae caritatis nexu constrictum in unitate spiritus contineat, salvumque et incolumem suo exhibeat salvatori. 1. Quo quidem in munere obeundo, nos ad praedictae Ecclesiae gubernacula, Dei benignitate vocati, nullum laborem intermittimus, omni opera contendentes, ut ipsa unitas et catholica religio (quam illius auctor ad probandam suorum fidem et correctionem nostram tantis procellis conflictari permisit) integra conservetur. Sed impiorum numerus tantum potentia invaluit, ut nullus iam in orbe locus sit relictus, quem illi pessimis doctrinis corrumpere non tentarint, adnitente inter ceteros flagitiorum serva Elisabeth, praetensa Angliae Regina, ad quam veluti ad asylum omnium infestissimi profugium invenerunt. Haec eadem, Regno occupato supremi ecclesiae capitis locum in omni Anglia, eiusque praecipuam auctoritatem atque iurisdictionem monstruose sibi usurpans, regnum ipsum iam tum ad fidem catholicam et bonam frugem reductum rursus in miserum exitium revocavit. 2. Usu namque verae religionis, quam ab illius desertore Henrico VIII. olim eversam, clarae memoriae Maria, regina legitima, huius Sedis praesidio reparaverat, potenti manu inhibito, secutisque et amplexis haereticorum erroribus, regium consilium ex Anglica nobilitate confectum diremit, illudque obscuris hominibus haereticis complevit, catholicae fidei cultores oppressit, improbos concionatores atque impietatum administros reposuit; missae sacrificium, preces, ieiunia, ciborum delectum, coelibatum, ritusque catholicos abolevit; libros manifestam haeresim continentes toto regno proponi; impia mysteria et instituta ad Calvini praescriptum, a se suscepta et observata, etiam a subditis servari mandavit; Episcopos, ecclesiarum rectores, et alios sacerdotes catholicos suis ecclesiis et beneficiis eiicere, ac de illis et aliis rebus ecclesiasticis in haereticos homines disponere; deque Ecclesiae causis decernere ausa, praelatis, clero et populo, ne Romanam Ecclesiam agnoscerent, neve eius praeceptis sanctionibusque canonicis obtemperarent, interdixit; plerosque in nefarias leges suas venire, et Romani Pontificis auctoritatem atque obedientiam abiurare, seque solam in temporalibus et spiritualibus dominam agnoscere iureiurando coegit; poenas et supplicia in eos, qui dicto non essent audientes, imposuit; easdemque ab iis, qui in unitate fidei et praedicta obedientia perseverarunt, exegit; catholicos antistites et ecclesiarum rectores in vincula coniecit, ubi multi diuturno languore et tristitia confecti, extremum vitae diem misere finiverunt. Quae omnia cum apud omnes nationes perspicua et notoria sint, et gravissimo quamplurimorum testimonio ita comprobata, ut nullus omnino locus excusationi, defensioni, aut tergiversationi relinquatur. 3. Nos, multiplicantibus aliis atque aliis super alias impie-

tatibus et facinoribus. et praeterea fidelium persecutione, religionisque afflictione impulsu et opera dictae Elisabeth quotidie magis ingravescente; quoniam illius animum ita obfirmatum atque induratum intelligimus, ut non modo pias catholicorum principum de sanitate et conversione preces monitionesque contemserit, sed ne huius quidem Sedis ad ipsam hac de causa nuncios in Angliam traiicere permiserit; ad arma iustitiae contra eam de necessitate conversi, dolorem lenire non possumus, quod abducamur in unam animadvertere, cuius maiores de republica christiana tantopere meruere. Illius itaque auctoritate suffulti, qui nos in hoc supremo iustitiae throno, licet tanto operi impares, voluit collocare, de apostolicae potestatis plenitudine, declaramus praedictam Elisabeth haereticam et haereticorum fautricem, eique adhaerentes in praedictis, anathematis sententiam incurisse, esseque a Christi corporis unitate praecisos. 4. Quin etiam ipsam praetenso regni praedicti iure, necnon omni et quocunque dominio, dignitate, privilegioque privatam. 5. Et item proceres, subditos et populos dicti regni, ac ceteros omnes, qui illi quomodocunque iuraverunt, a iuramento huiusmodi, ac omni prorsus dominii, fidelitatis, et obsequii debito perpetuo absolutos, prout nos illos praesentium auctoritate absolvimus, et privamus eandem Elisabeth praetenso iure regni, aliisque omnibus supradictis; praecipimusque et interdicimus universis et singulis proceribus, subditis, populis, et aliis praedictis, ne illi, eiusve monitis, mandatis, et legibus audeant obedire. Qui secus egerint, eos simili anathematis sententia innodamus. 6. Quia vero difficile nimis esset praesentes quocumque illis opus erit perferre, volumus ut earum exempla, notarii publici manu et praelati ecclesiastici eiusve curiae sigillo obsignata, eamdem illam prorsus fidem, in iudicio et extra illud, ubique gentium faciant, quam ipsae praesentes facerent, si essent exibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum anno incarn. domin. 1570. V. Kal. Maii, pontif. nostri anno quinto. [l. c. pag. 810—811.]

66. PAULUS V. (1605—1621).

* Roscovány, *Monumenta catholica pro indipendentia potestatis ecclesiasticae ab imperio civili* Pestini 1856. Tom. III. p. 87. Friedberg, *Gränzen zwischen Staat und Kirche* p. 688. Romanin, *Storia documentata di Venezia.* 1853. Tom. VII. Cap. 1. 2. Cornet, *Paolo V e la Repubblica Veneta* in *Archivio veneto.* Tom. V. e VI. Papadopoli, *Leggi venete intorno agli ecclesiastici fino al secolo XVIII.* Venetia 1864. Cecchetti, *La Repubblica di Venezia e la Corte di Roma.* Venezia 1874. Scaduto, *Stato e Chiesa secondo Fra Paolo Sarpi e la coscienza pubblica durante l' interdetto di Venezia* (1606—1607). Firenze 1885. p. 10 seq. Ruffini, *Lineamenti storici delle relazioni fra lo Stato e la Chiesa in Italia.* Torino 1891. p. 15. Pascolato, *Fra Paolo Sarpi.* Milano 1893.

[Pius V. Ducem et Senatum Venetum excommunicat.]

Superioribus mensibus ad nostram et Apost. Sedis audientiam pervenit, Ducem et Senatum Reipublicae Venetorum annis elapsis in eorum

consiliis plura ac diversa Decreta tum Sedis Apostolicae auctoritati et Ecclesiae libertati ac immunitati contraria, tum Generalibus Conciliis et sacris Canonibus nec non Rom. Pontif. constitutionibus repugnantia statuisse; et inter cetera sub die 23. Maii a. 1602. sumta occasione ex quadam lite seu controversia inter Doctorem Franciscum Zabarellam ex una et Monachos Monasterii de Praglia Ord. S. Ben. Congr. Cassin. alias S. Justinae de Padua in Dioecesi Paduana ex altera parte, statuisse: non solum ut dicti Monachi tunc aut deinceps ullo unquam tempore actionem, per quam sub quovis titulo aut colore in bonis ecclesiasticis emphyteuticis a laicis possessis praeferantur, praetendere ac etiam iure praelationis seu consolidationis directi cum utili dominio aut extinctionis lineae inprimis investiturae comprehensae, aut alia quavis causa bonorum praedictorum proprietatem sibi vindicare minime possent, sed tantummodo ius directi dominii illis praeservatum esset; verum etiam ut id ipsum quoad ceteras omnes personas ecclesiasticas seculares et regulares, Monasteria Monialium, hospitalia et alia loca pia in eorum temporali dominio existentia declaratum et firmiter deliberatum censeretur. Et sub die 10. Januar. (1603) ad superiora quaedam consilia ab eorum maioribus, ut asserebant, habita respicientes, quibus cavebatur, ne quisquam sive secularis sive ecclesiasticus in urbe Venetiarum Ecclesias, Monasteria, Hospitalia, atque alias religiosas domos et pia loca sine eorum speciali licentia fundaret et erigeret, in Consilio Rogatorum congregatos iterum decrevisse, ut id eadem in omnibus iurisdictionis eorum locis vim obtineret, et praeterea exilii ac perpetui carceris, et publicationis fundi, venditionisque aedificii contra secus facientes poenam edixisse. Ulterius eosdem Ducem et Senatum die 26. Martii a. 1605. inhaerentes alteri decreto a. 1536. ab eodem Senatu facto, in quo erat expresse prohibitum, ne quis sub certis in illo contentis poenis in urbe Venetiarum eiusque Ducatu bona immobilia ad pias causas testamento seu donatione inter vivos relinqueret, aut aliquovis titulo alienaret, sive ad earum favorem ultra certum tunc expressum tempus obligaret, non modo iterum vetuisse sed expresse etiam prohibuisse, ne bonorum eiusmodi immobilium alienationes in favorem personarum eccles. sine Senatus praedicti licentia fierent, ac insuper decretum ipsum et poenas in eo contentas per universum eorum dominium extendisse, et per rectores et potestates Civitatum et locorum sui dominii promulgari fecisse, atque bona immobilia omnia, quae contra praemissorum formam vendi aut quovis modo alienari contingeret, ultra nullitatis poenam publicari et vendi, eorumque pretium inter Rempublicam ipsam, Magistratum exequentem, et eius Ministros ipsumque denuntiatorem dividi mandasse. Ac praeterea eosdem Ducem et Senatum Scipionem Saracenum Canonicum Vicentinum et Brandolinum Valdemarinum Forojuliensem Abbatem Monasterii seu Abbatiae de Nervesa Tarvisiae Dioecesis, personam in dignitate eccles. constitutam ob quaedam praetensa crimina

in urbe Vicentina et alibi per illos commissa carceri mancipasse et mancipatos detinuisse sub praetextu, quod eis facere haec liceret, inter alia ob quaedam ipsis Duci et Reipublicae a quibusdam Rom. Pont. concessa privilegia. Cumque praemissa in aliquibus Ecclesiarum iuribus et personarum eccles. privilegiis praeiudicium inferant, ipsamque libertatem ac immunitatem eccles. tollant, ac ea omnia in ipsorum Ducis et Senatus animarum perniciem et scandalum plurimorum tendant; et cum ii, qui supradicta ac similia edere et promulgare, illisque uti ausi sunt, in censuras eccles. a sacris canonibus Gen. Conc. decretas et Rom. Pont. constitutionibus inflictas, nec non etiam privationis feudorum et bonorum, si quae ab Ecclesiis obtinent, poenas eo ipso incurrerint, a quibus censuris et poenis nonnisi a nobis aut Rom. Pontifice pro tempore existente absolvi et liberari possint, ac propterea inhabiles et incapaces sint, qui absolutionis et liberationis beneficium consequantur, donec editas leges novis edictis atque decretis sustulerint, omniaque inde secuta reipsa in pristinum statum reintegraverint; cumque etiam Dux et Senatus post plures paternas nostras monitiones a multis mensibus citra eis factas adhuc decreta et edicta praefata non revocaverint, ac eosdem Canonicum ac Abbatem carceratos detineant, et illos ven. fr. Horatio Eppo Hieracensi nostro et Apost. Sedis apud eos Nuntio, ut debebant, non consignaverint: Nos, qui nullo pacto ferre debemus, ut ecclesiastica libertas et immunitas, nostraque et Sedis Apost. auctoritas violetur, et contemnatur, inhaerentes plurium Gener. Conc. decretis, ac vestigiis Rom. Pont. Innocentii III. Honorii III. Gregorii IX. etc. quorum aliqui similia statuta tamquam ipso iure nulla, invalida et irrita revocarunt, ac nulla esse decreverunt et declararunt, et aliqui contra similium edictionum statutarios ad excommunicationis promulgationem, nec non ad alia devenerunt, habita cum ven. fr. nostris S. R. E. Cardinalibus matura consultatione de ipsorum consilio et assensu, licet supradicta decreta, edicta et mandata ipso iure nulla, invalida et irrita sint, ea nihilominus ipso iure adhuc de novo nulla, invalida et irrita, nulliusque roboris et momenti fuisse et esse, et neminem ad illorum observantiam teneri decernimus et declaramus. Et insuper auctoritate omnipotentis Dei — nisi Dux et Senatus intra 24 dies a die publicationis praesentium — praedicta decreta — publice revocaverint, — et ulterius nisi a similibus decretis contra libertatem, immunitatem et iurisdictionem eccles. ac nostram et Sedis Ap. auctoritatem edendis cavere et penitus abstinere promiserint, ac nos de his certiores reddiderint, et nisi etiam praedictos Canonicum et Abbatem Nuntio cum effectu consignaverint, ipsos — ex nunc pro tunc excommunicamus et excommunicatos nunciamus et declaramus. — Et si dicti Dux et Senatus per tres dies post lapsum dictorum 24 dierum excomm. sententiam animo, quod absit, sustinuerint indurato, ex nunc pariter pro tunc Civitatem Venetia-

rum et alia loca quaecunque ac universum temporale dominium dictae Reipublicae Ecclesiastico Interdicto supponimus.

Datum Romae die 17. April. 1606.

67. BULLA «IN COENA DOMINI» (a. 1627). (URBANUS VIII. 1623–1644).

* *Bullarium Romanum.* Ed. Taurinensis, Tom. XIII. p. 530—537. Le Bret, *Pragmatische Geschichte der so berufenen Bulle «In Coena Domini».* [Ulm] 1769. Contini, *Riflessioni sopra la bolla «In Coena Domini».* Venezia 1770. Lopez, *Historia legal de la bulla clamada «In Coena Domini».* Madrid 1708. Bertani, *S. Carlo, la bolla «Coenae» e la giurisdizione ecclesiastica in Lombardia.* Milano 1888. Friedberg, *Gränzen zwischen Staat und Kirche.* p. 151, 224, 545—558, 596, 663, 686, 694. Reusch, *Der Index librorum prohibitorum.* Bonn 1883. I. p. 71. Hausmann. *Geschichte der päpstlichen Reservatfälle.* Regensburg 1868. p. 89—209; 375—378. Galante, *Diritto di placitazione.* p. 4—12, 24, 28, 57, 109. Hinschius, *System.* Tom. V. p. 646 seq. Friedberg, *Lehrbuch.* §§ 17, 103. Stutz, *Kirchenrecht.* § 29. 2. Friedberg, *Aktenstücke zur Geschichte des vatikanischen Conzils.* p. 403. (Const. *Apostolicae Sedis.* 12 oct. 1869). Mittermüller, in *Archiv für kathol. Kirch.* 1871, p. 153 seq. Wetzer u. Welte's, *Kirchenlexicon; Realencyclopädie für protestantische Theologie:* s. v. *Bulla «In Coena Domini.*

Urbanus episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

[Litterae, quae in die Coenae Domini singulis annis solent publicari.]

Pastoralis Romani Pontificis vigilantia et sollicitudo in omni christianae reipublicae pace et tranquillitate procuranda pro sui muneris officio assidue versatur, tum potissimum in catholicae fidei, sine qua impossibile est placere Deo, unitate atque integritate retinenda, maxime elucet; nimirum, ut fideles Christi non sint parvuli fluctuantes, neque circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum ad circumventionem erroris, sed omnes occurrant in unitatem fidei et agnitionis Filii Dei in virum perfectum, neque se in huius vitae societate et communione laedant, aut inter se alter alteri offensionem praebeat, sed potius in vinculo charitatis coniuncti, tamquam unius corporis membra, sub Christo capite, eiusque in terris Vicario Romano Pontifice beatissimi Petri successores, a quo totius Ecclesiae unitas dimanat, augeantur in aedificationem, atque ita, divina gratia adiutrice, sic praesentis vitae quiete gaudeant, ut futura quoque beatitudine perfruantur. Ob quas sane causas Romani Pontifices praedecessores nostri hodierna die, quae anniversaria Dominicae Coenae commemoratio solemnis est, spiritualem ecclesiasticae disciplinae gladium et salutaria iustitiae arma per ministerium summi apostolatus ad Dei gloriam et animarum salutem solemniter exercere consueverunt. Nos igitur, quibus nihil optabilius est, quam fidei inviolatam integritatem, publicam pacem et iustitiam, Deo auctore, tueri, vetustum et solemnem hunc morem sequentes:

§ 1. Excommunicamus et anathematizamus ex parte Dei omnipotentis, Patris, Filii et Spiritus Sancti, auctoritate quoque beatorum apostolorum Petri et Pauli, ac nostra, quoscunque Hussitas, Wichlefitas, Lutheranos, Zuinglianos, Calvinistas, Ugonottos, Anabaptistas, Trinitarios et a christiana fide apostatas, ac omnes et singulos alios haereticos, quocumque nomine censeantur, et cuiuscunque sectae existant, ac eis credentes, eorumque receptatores, fautores et generaliter quoslibet illorum defensores, ac eorundem libros haeresim continentes, vel de religione tractantes, sine auctoritate nostra et sedis apostolicae scienter legentes, aut retinentes, imprimentes, seu quomodolibet defendentes, ex quavis causa, publice vel occulte, quovis ingenio vel colore, necnon schismaticos, et eos, qui se a nostra et Romani pontificis pro tempore existentis obedientia pertinaciter subtrahunt vel recedunt.

§ 2. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, cuiuscunque status, gradus seu conditionis fuerint (universitates vero collegia et capitula, quocunque nomine nuncupentur, interdicimus), ab ordinationibus seu mandatis nostris ac Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad universale futurum concilium appellantes: nec non eos, quorum auxilio, consilio vel favore appellatum fuerit.

§ 3. Item excommunicamus et anathematizamus omnes piratas, cursarios ac latrunculos maritimos, discurrentes mare nostrum, praecipue a monte Argentario usque ad Terracinam, ac omnes eorum fautores, receptatores et defensores.

§ 4. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et singulos, qui christianorum quorumcumque navibus tempestate, seu in transersum, ut dici solet, iactatis vel quoquomodo naufragium passis, sive in ipsis navibus sive ex eisdem eiecta in mari vel in litore inventa, cuiuscumque generis, bona, tam in nostris Tyrrheni et Adriatici, quam in ceteris cuiusque maris regionibus et litoribus surripuerint; ita ut nec ob quodcumque privilegium, consuetudinem, aut longissimi etiam immemorabilis temporis possessionem, seu alium quemcumque praetextum, excusari possit.

§ 5. Item excommunicamus et anathematizamus omnes, qui in terris suis nova pedagia seu gabellas, praeterquam in casibus sibi a iure seu ex speciali sedis apostolicae licentia permissis, imponunt, vel augent, seu imponi vel augeri exigunt.

§ 6. Item excommunicamus et anathematizamus omnes falsarios literarum apostolicarum, etiam in forma Brevis ac supplicationum, gratiam vel iustitiam concernentium, per Romanum pontificem, vel sanctae Romanae ecclesiae vicecancellarios, seu gerentes vices eorum, aut de mandato eiusdem Romani Pontificis signatarum, necnon falso fabricantes literas apostolicas, etiam in forma Brevis, et etiam falso signantes supplicationes huiusmodi sub nomine Romani Pontificis, seu vicecancellarii, aut gerentium vices praedictorum.

§ 7. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, et alios christiani nominis hostes et inimicos, vel haereticos, per nostras sive huius Sanctae Sedis sententias expresse et nominatim declaratos, deferunt seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera atque bellica instrumenta, lignamina, canapem, funes, tam ex ipso canape, quam alia quacunque materia, et ipsam materiam, aliaque huiusmodi, quibus christianos et catholicos impugnant, nec non illos, qui per se vel alios de rebus statum christianae reipublicae concernentibus, in christianorum perniciem et damnum, ipsos Turcas et christianae religionis inimicos, necnon haereticos, in damnum catholicae religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestant.

§ 8. Item excommunicamus et anathematizamus omnes impedientes seu invadentes eos, qui victualia seu alia ad usum Romanae Curiae necessaria adducunt, ac etiam eos, qui ne ad Romanam Curiam adduncantur vel afferantur, prohibent, impediunt seu perturbant, seu haec facientes defendunt per se vel alios, cuiuscunque fuerint ordinis, praeeminentiae, conditionis et status, etiamsi pontificali seu regali, aut alia quavis ecclesiastica vel mundana praefulgeant dignitate.

§ 9. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui ad Sedem Apostolicam venientes et recedentes ab eadem, sua vel aliorum opera interficiunt, mutilant, spoliant, capiunt, detinent, nec non illos omnes, qui iurisdictionem ordinariam, vel delegatam a nobis, vel nostris iudicibus non habentes, illam sibi temere vindicantes, similia contra morantes in eadem curia audent perpetrare.

§ 10. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, detinentes, capientes, seu depraedantes Romipetas seu peregrinos ad Urbem causa devotionis seu peregrinationis accedentes et in ea morantes, vel ab ipsa recedentes, et in his dantes auxilium, consilium vel favorem.

§ 11. Item excommunicamus et anathematizamus omnes interficientes, mutilantes, vulnerantes, percutientes, capientes, carcerantes, detinentes, vel hostiliter insequentes S. R. E. cardinales, patriarchas, archiepiscopos, episcopos, sedisque apostolicae legatos, vel nuntios, aut eos a suis dioecesibus, territoriis, terris seu dominiis eiicientes, necnon ea mandantes, vel rata habentes, seu praestantes in eis auxilium, consilium vel favorem.

§ 12. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se, vel per alios, personas ecclesiasticas quascunque, vel saeculares, ad Romanam Curiam super eorum causis et negotiis recurrentes, ac illa in eadem curia prosequentes aut procurantes, negotiorumque gestores, advocatos, procuratores et agentes, seu etiam auditores vel iudices super dictis

causis vel negotiis deputatos, occasione causarum vel negotiorum huiusmodi occidunt, seu quoquomodo percutiunt, bonis spoliant.

§ 13. Item excommunicamus et anathematizamus omnes tam ecclesiasticos, quam saeculares, cuiuscunque dignitatis, qui praetexentes frivolam quandam appellationem a gravamine vel futura executione literarum apostolicarum, ad curias saeculares et laicam potestatem recurrunt.

§ 14. Item excommunicamus et anathemizamus omnes et singulos, qui per se vel alios, auctoritate propria ac de facto, quarumcumque exemptionum, vel aliarum gratiarum et litterarum apostolicarum praetextu, beneficiales et decimarum ac alias causas spirituales aut spiritualibus annexas ab auditoribus et commissariis nostris, aliisque iudicibus ecclesiasticis avocant, illorumve cursum et audientiam, ac personas, capitula, conventus, collegia, causas ipsas prosequi volentes impediunt, ac se de illarum cognitione tamquam iudices interponunt; quive partes actrices, quae illas committi fecerunt et faciunt, ad revocandum et revocari faciendum citationes vel inhibitiones, aut alias litteras in eis decretas, et ad faciendum vel consentiendum eos, contra quos tales inhibitiones emanarunt, a censuris et poenis in illis contentis absolvi, per statutum vel alias compellunt, vel exequutionem litterarum apostolicarum seu exequutorialium, processuum ac decretorum praedictorum quomodolibet impediunt, vel suum ad id favorem consilium aut assensum praestant, etiam praetextu violentiae prohibendae vel aliarum praetensionum, seu etiam donec ipsi ad nos informandos, ut dicunt, supplicaverint aut supplicari fecerint, nisi supplicationes huiusmodi coram nobis et Sede Apostolica legitime prosequantur, etiam si talia committentes fuerint praesidentes cancellariarum, consiliorum, parlamentorum, cancellarii, vicecancellarrii, consiliarii, ordinarii vel extraordinarii, quorumcumque principum secularium, etiamsi imperiali, regali, ducali vel alia quacumque praefulgeant, dignitate, aut archiepiscopi, episcopi, abbates, commendatarii seu vicarii fuerint.

§ 15. Quive ex eorum praetenso officio, vel ad instantiam partis, aut aliorum quorumcumque, personas ecclesiasticas, capitula, conventus, collegia ecclesiarum quarumcumque, coram se ad suum tribunal, audientiam, cancellariam, consilium, vel parlamentum praeter iuris canonici dispositionem trahunt vel trahi faciunt, procurant, directe vel indirecte, quovis quaesito colore; necnon qui statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas, seu quaevis alia decreta in genere vel in specie, ex quavis causa et quovis quaesito colore, ac etiam praetextu cuiusvis consuetudinis, aut privilegii, vel alias quomodolibet fecerint et publicaverint, vel factis et ordinatis usi fuerint, unde libertas ecclesiastica tollitur, seu in aliquo laeditur vel deprimitur, aut alias quovis modo restringitur, seu nostris, et dictae Sedis, ac quarumcumque ecclesiarum iuribus quomodolibet, directe vel indirecte, tacite vel expresse praeiudicatur.

§ 16. Nec non qui archiepiscopos, episcopos, aliosque superiores et inferiores praelatos, et omnes alios quoscumque iudices ecclesiasticos ordinarios, quomodolibet hac de causa directe vel indirecte, carcerando vel molestando eorum agentes, procuratores, familiares, necnon consanguineos et affines, aut alias, impediunt, quominus sua iurisdictione ecclesiastica contra quoscunque utantur, secundum quod canones et sacrae constitutiones ecclesiasticae, et decreta conciliorum generalium et praesertim Tridentini statuunt; ac etiam eos, qui post ipsorum ordinariorum vel etiam ab eis delegatorum quorumcumque sententias et decreta, aut alias fori ecclesiastici iudicem eludentes, ad cancellarias et alias curias saeculares recurrunt, et ab illis prohibitiones et mandata, etiam poenalia, ordinariis et delegatis praedictis decerni, et contra illos exequi procurant; eos quoque, qui haec decernunt et exequuntur, seu dant auxilium, consilium, patrocinium et favorem in eisdem.

§ 17. Quive iurisdictiones, seu fructus, redditus et proventus ad nos et Sedem Apostolicam, et quascunque ecclesiasticas personas, ratione ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum pertinentes, usurpant, vel etiam quavis occasione vel causa, sine Romani Pontificis vel aliorum ad id legitimam facultatem habentium expressa licentia, sequestrant.

§ 18. Quive collectas, decimas, talleas, praestantias et alia onera clericis praefatis et aliis personis ecclesiasticis, ac eorum et ecclesiarum, monasteriorum et aliorum beneficiorum ecclesiasticorum bonis, illorumque fructibus, redditibus et proventibus huiusmodi, absque simili Romani Pontificis speciali et expressa licentia, imponunt, et diversis etiam exquisitis modis exigunt, aut sic imposita etiam a sponte dantibus et concedentibus recipiunt. Necnon qui per se vel alios directe vel indirecte praedicta facere, exequi, vel procurare, aut in eisdem auxilium, consilium vel favorem praestare non verentur, cuiuscunque sint praeeminentiae, dignitatis, ordinis, conditionis aut status, etiam si imperiali aut regali praefulgeant dignitate, seu principes, duces, comites, barones et alii potentatus, quicunque etiam regnis, provinciis, civitatibus et terris quoquomodo praesidentes, consiliarii et senatores aut quavis etiam pontificali dignitate insigniti. Innovantes decreta super his per sacros canones, tam in Lateranensi novissime celebrato, quam conciliis generalibus edita, etiam cum censuris et poenis in eis contentis.

§ 19. Item excommunicamus et anathematizamus omnes et quoscunque magistratus et iudices, notarios, scribas, executores, subexecutores, quomodolibet se interponentes in causis capitalibus seu criminalibus contra personas ecclesiasicas, illas processando, banniendo, capiendo, seu sententias contra illas proferendo, vel exequendo, sine speciali, specifica, et expressa huius sanctae Sedis Apostolicae licentia; quique huiusmodi licentiam ad personas et casus non expressos extendunt, vel alias illa perperam abutuntur;

etiam si talia committentes fuerint consiliarii, senatores, praesidentes, cancellarii, vicecancellarii, aut quovis alio nomine nuncupati.

§ 20. Item excommunicamus et anathematizamus omnes illos, qui per se seu alios, directe vel indirecte, sub quocunque titulo vel colore invadere, destruere, occupare ac detinere praesumpserint in totum vel in partem, almam Urbem, regnum Siciliae, insulas Sardiniae et Corsicae, . . . et alias civitates, terras et loca, vel iura ad ipsam Romanam Ecclesiam pertinentia, dictaeque Romanae Ecclesiae mediate vel immediate subiecta, necnon supremam iurisdictionem in illis, nobis et eidem Romanae Ecclesiae competentem, de facto usurpare, perturbare, retinere et vexare variis modis praesumunt, necnon adhaerentes, fautores, et defensores eorum, seu illis auxilium, consilium vel favorem quomodolibet praestantes.

§ 21. Volentes praesentes nostros processus ac omnia et quaecunque his literis contenta, quousque alii huiusmodi processus a nobis aut Romano Pontifice pro tempore existente fiant, aut publicentur, durare suosque effectus omnino sortiri.

§ 22. Caeterum a praedictis sententiis nullus per alium, quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc. nisi de stando Ecclesiae mandatis et satisfaciendo cautione praestita, absolvi possit, etiam praetextu quorumvis facultatum et indultorum . . .

§ 23. Quod si forte aliqui contra tenorem praesentium talibus excommunicatione et anathemate laqueatis, vel eorum alicui, absolutionis beneficium impendere de facto praesumpserint, eos excommunicationis sententia innodamus, gravius contra eos spiritualiter et temporaliter, prout expedire noverimus, processuri.

§ 24. Declarantes ac protestantes quamcunque absolutionem, etiam solemniter per nos faciendam, praedictos excommunicatos sub praesentibus comprehensos, nisi prius a praemissis cum vero proposito ulterius similia non committendi, destiterint, ac (quoad eos, qui contra ecclesiasticam libertatem, ut praemittitur, statuta fecerint) nisi prius statuta, ordinationes, constitutiones, pragmaticas et decreta huiusmodi publice revocaverint, et ex archiviis, seu capitularibus locis, aut libris, in quibus adnotata reperiuntur, deleri et cassari, ac nos de revocatione huiusmodi certiores fecerint, eos non comprehendere, nec eis aliter suffragari, quin etiam per huiusmodi absolutionem, aut quoscunque alios actus contrarios, tacitos vel expressos, ac etiam per patientiam et tolerantiam nostram vel successorum nostrorum quantocunque tempore continuatam in praemissis omnibus et singulis, ac quibuscunque iuribus Sedis Apostolicae ac sanctae Romanae Ecclesiae undecunque et quandocunque quaesitis vel quaerendis, nullatenus praeiudicari posse aut debere.

§ 25. Non obstantibus privilegiis, indulgentiis, indultis et literis apostolicis generalibus vel specialibus.

§ 26. Ut vero praesentes nostri processus ad publicam omnium notitiam facilius deducantur, chartas, seu membranas, processus ipsos continentes, valvis ecclesiae S. Iohannis Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum de Urbe appendi faciemus, ut ii, quos processus huiusmodi concernunt, quod ad ipsos non pervenerint, aut quod ipsos ignoraverint, nullam possint excusationem praetendere, aut ignorantiam allegare, cum non sit verisimile, id remanere incognitum, quod tam patenter omnibus publicatur.

§ 27. Insuper ut processus ipsi et praesentes literae, ac omnia et singula in eis contenta, eo fiant notiora, quo in plerisque civitatibus et locis fuerint publicata, universis et singulis patriarchis, primatibus, archiepiscopis, episcopis et locorum Ordinariis et praelatis ubilibet constitutis, per haec scripta committimus, et in virtute sanctae obedientiae districte praecipiendo mandamus, ut per se, vel per alium, seu alios, praesentes literas, postquam eas receperint, seu earum habuerint notitiam, semel in anno, aut, si expedire viderint, etiam pluries in ecclesiis suis, dum in eius maior populi multitudo ad divina convenerit, solemniter publicent, et ad Christi fidelium mentes reducant, nuntient et declarent.

§ 28. Ceterum patriarchae, archiepiscopi, episcopi, aliique locorum Ordinarii, et ecclesiarum praelati, necnon rectores, ceterique curam animarum exercentes, ac presbyteri saeculares et quorumvis ordinum regulares, ad audiendas peccatorum confessiones quavis auctoritate deputati, transumptum praesentium litterarum penes se habeant, easque diligenter legere et percipere studeant.

§ 29. Volentes, earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, notarii publici manu, subscriptis et sigillo iudicis ordinarii Romanae Curiae vel alterius personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eamdem prorsus fidem in iudicio et extra illud ubique locorum adhibendam fore, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si essent exhibitae vel ostensae.

§ 30. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae excommunicationis, anathematizationis, interdicti, innovationis, innodationis, declarationis, protestationis, sublationis, revocationis, commissionis, mandati et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius, se noverit incursurum.

Dat. die 1. aprilis 1627, pontif. anno IV.

68. INSTRUMENTUM PACIS OSNABRUGENSE (1648).

* *Neue und vollständigere Sammlung der Reichsabschiede.* Frankfurt a. M. 1747. p. 741 seq. Meyern, *Acta pacis Westphalicae.* Hannover 1734—1736. Zeumer, *Quellensammlung zur Geschichte der deutschen Reichsverfassung im Mittelalter und Neuzeit.* Leipzig 1904. p. 332 seq. Pütter, *Geist des Westphälischen Friedens.* Göttingen 1795. Phillips, *Kirchenrecht* Tom. III. p. 462 seq. Friedberg, *Lehrbuch.* § 29. Stutz, *Kirchenrecht.* § 47. Fürstenau, *Das*

Grundrecht der Religionsfreiheit. Leipzig 1891. p. 49 seq. Philippi, *Der Westphälische Friede.* Münster 1898. Rieker, *Die rechtliche Stellung der evangelischen Kirche Deutschlands.* Leipzig 1893. p. 275 seq. Ruffini, *Libertà religiosa.* p. 227 seq. Bonin, *Die praktische Bedeutung des ius reformandi.* (Stutz, *Kirchenr. Abh.* I.) p. 28, 59, 78.

Articulus V.

§ 1. I. Transactio a. 1552 Passavii inita et hanc a. 1555 secuta pax religionis prou ea anno 1566 Augustae Vindelicorum et post in diversis sacri Romani Imperii Comitiis universalibus confirmata fuit in omnibus suis capitulis unanimi Imperatoris, Electorum, Principum et Statuum utriusque Religionis consensu initis ac conclusis rata habeatur sancteque et inviolabiliter servetur. Quae vero de nonnullis in ea articulis controversis hac transactione communi partium placito statuta sunt, ea pro perpetua dictae pacis declaratione, tam in iudiciis quam alibi observanda, habebuntur, donec per Dei gratiam de Religione ipsa convenerit, non attenta cuiusvis seu ecclesiastici seu politici intra vel extra Imperium, quocunque tempore interposita contradictione vel protestatione, quae omnes inanes et nihili vigore horum declarantur. In reliquis omnibus autem inter utriusque Religionis electores, Principes, Status omnes et singulos sit aequalitas exacta mutuaque, quatenus formae reipublicae, constitutionibus imperii et praesenti conventioni conformis est, ita ut quod uni parti iustum est, alteri quoque sit iustum, violentia omni et via facti, ut alias, ita et hic inter utramque partem perpetuo prohibita.

§ 2. Terminus a quo restitutionis in ecclesiasticis et quae intuitu eorum in politicis mutata sunt, sit dies I. Januarii anni 1624. Fiat itaque restitutio omnium Electorum, Principum et Statuum utriusque religionis comprehensa libera Imperii Nobilitate ut et Comunitatibus et Pagis immediatis plenarie et pure; cassatis omnibus interim istiusmodi causis latis publicatis et institutis sententiis decretis, transactionibus, pactis seu dedititiis seu aliis et executionibus; reductione ad statum dicti anni dieique in omnibus facta.

§ 3. Civitates Augusta Vindelicorum, Dunckelspühla, Biberacum et Ravensburgum retineant bona, iura et exercitium Religionis dicti anni dieique; sed ratione dignitatum senatoriarum aliorumque munerum publicorum sit inter utrique Religioni addictos aequalitas idemque numerus.

§ 4. In specie autem quoad civitatem Augustam, sint septem Senatores Consilii secretioris ex familiis patriciis delecti, ex his desumpti reipublicae Praesides duo, vulgo Stadtpfleger dicti, unus sit Catholicus, alter Augustanae Confessionis, ex reliquis quinque tres Catholicae Religioni et duo Augustanae Confessioni addicti, Senatores reliqui Senatus, ut vocant, minoris, nec non Syndici, Assessores Iudicii Urbani aliique Officiales omnes sint aequali numero utriusque Religionis. Quaestores rei nummariae sint tres, quorum duo unius, tertius diversae Religionis, ita quidem, ut primo

excidant illi statim suo iure, honore tamen famaque illibatis, fructusque et reditus citra moram et exceptionem cedant, capituloque, aut cui id de iure competit, integrum sit, aliam personam Religioni ei, ad quam beneficium istud vigore huius Transactionis pertinet, addictam, eligere aut postulare, relictis tamen Archiepiscopo, Episcopo, Praelato etc. decedenti fructibus et reditibus interea perceptis et consumptis. Si ergo Status, seu Catholici seu Augustanae Confessioni addicti, Archiepiscopatibus, Episcopatibus, beneficiis aut praebendis suis immediatis a die prima Ianuarii anni millesimi sexcentesimi vicesimi quarti, iudicialiter aut extraiudicialiter exciderint, aut quocunque modo turbati fuerint, vigore harum illico tam in ecclesiasticis quam politicis, omnibus novationibus abolitis, restituantur, ita quidem, ut quaecunque bona ecclesiastica immediata die prima Ianuarii anni millesimi sexcentesimi vigesimi quarti Catholico praesule regebantur, Catholicum caput recipiant, et vicissim quae dicto anno dieque Augustanae Confessioni addicti possidebant, retineant etiam in posterum; remissis tamen, quae una pars contra alteram praetendere posset, perceptis interea fructibus, damnis et expensis.

§ 16. IV. In omnibus Archiepiscopatibus, Episcopatibus et reliquis fundationibus immediatis iura eligendi et postulandi iuxta cuiusque loci consuetudines et statuta antiqua illibata maneant, quatenus illa Imperii constitutionibus, Transactioni Passaviensi, Paci Religiosae, et imprimis huic declarationi et Transactioni sunt conformia et intuitu Archiepiscopatuum et Episcopatuum Augustanae Confessioni addictis permanentium ea nihil in se contineant illi Confessioni adversum, sicut etiam pariter in Episcopatibus et Ecclesiis, in quibus Catholicis et Augustanae Confessionis ordinibus mixta iura admittuntur, statutis antiquis nihil de novo admisceatur, quod Catholicorum vel Augustanae Confessioni addictorum conscientiam et causam pro cuiusque parte laedere eorumve ius imminuere possit.

§ 17. Postulati vero seu electi in capitulationibus suis spondeant, se susceptos Ecclesiasticos Principatus, dignitates et beneficia nequaquam haereditario iure possessuros aut id acturos, ut haereditaria fiant, sed libera sit ubique capitulo, et quibus id praeterea pariter cum capitulo pro more competit, tam electio et postulatio, quam sede vacante administratio et iurium Episcopalium exercitium, operaque detur, ne Nobiles, Patricii, gradibus Academicis insigniti aliaequae personae idoneae, ubi id fundationibus non adversatur, excludantur, sed ut potius in iis conserventur.

§ 18. V. Ubi Sacra Caesarea Maiestas ius primariarum precum exercuit, exerceat etiam in posterum, dummodo decedente Augustanae Confessioni addicto in eius Religionis Episcopatibus Augustanae Confessioni addictus ad normam statutorum et observantiae idoneus precibus fruatur. In mixtis vero ex utraque Religione seu Episcopatibus, seu aliis locis im-

mediatis precibus primariis praesentatus non gaudeat, nisi beneficium vacans Religionis consors possederit.

§ 19. Si quid Annatarum, Iurium Pallii, Confirmationum, Mensium Papalium et huiusmodi iurium et reservationum nomine in bonis Statuum Augustanae Confessionis Ecclesiasticis immediatis a quocunque quandocunque aut quomodocunque praetendatur, id validitate et executione a brachio seculari impertienda careat.

§ 20. In quorum autem Ecclesiasticorum bonorum immediatorum Capitulis utriusque Religionis Capitulares et Canonici vigore praefati termini certo utrinque numero admittuntur, Mensesque Papales id temporis in usu fuerunt, porro quoque, si decedentes Capitulares et Canonici ex numero Catholicorum definito fuerint, obtineant atque executioni casu eveniente mandentur, modo Papalis provisio Capitulis immediate e Curia Romana et tempore legitimo insinuetur.

§ 21. VI. Electi aut postulati in Archiepiscopos, Episcopos aut Praelatos Augustanae Confessioni addicti a Sacra Caesarea Maiestate, postquam intra annum electionis aut postulationis suae fidem fecerint, et iuramenta regalibus sueta feudis praestiterint, absque ulla exceptione investiantur ultraque taxae ordinariae summam insuper eiusdem dimidium pro infeudatione pendant. Iidem aut sede vacante Capitula, et quibus administratio cum iis coniunctim competit, ad universales aeque ac particulares deputationum, visitationum, revisionum aliosque conventus Imperiales, literis solitis evocentur et suffragii iure fruantur, prout quisque Statuum ante Religionis dissidia eorum iurium particeps fuit. Quae vero et quot personae ad eiusmodi conventus mitti debeant, de eo Praesulibus cum Capitulis et conventualibus statuere liberum esto.

§ 22. De titulis Principum Ecclesiasticorum ex Augustana Confessione ita convenit, ut absque tamen praeiudicio status et dignitatis titulis Electorum aut Postulatorum in Archiepiscopum, Episcopum, Abbatem, Praepositum insigniantur. Sessionem autem in Scamno inter Ecclesiasticos et Seculares intermedio et transverso capiant. Quibus a latere assideant in conventu omnium trium Imperii Collegiorum, Director Cancellariae Moguntinensis, nomine Domini Archiepiscopi actorum Comitialium generali directione fungens, et post ipsum Directores Collegii Principum. Idemque observetur in Senatu Principum collegialiter congregato a solis istius Collegii actorum Directoribus.

§ 23. VII. Quot Capitulares aut Canonici die prima Ianuarii anni 1624. uspiam vel Augustanae Confessionis vel Catholici fuerunt, totidem illic ex utraque Religione erunt semper, nec decedentibus nisi eiusdem Religionis consortes surrogentur. Si vero alicubi iam plures Catholici vel Augustanae Confessionis Capitulares aut Canonici beneficia possident, quam anno 1624, ii quidem supernumerarii beneficia et praebendas ad

vitam retineant, mortuis vero, tamdiu Catholicis Augustanae Confessioni addicti et his Catholici succedant, donec redintegratus fuerit utriusque Religionis Capitularium et Canonicorum numerus, qui die 1. Ianuarii anno 1624. erat. Exercitium vero Religionis in mixtis Episcopatibus ita restituatur et permaneat, ubi et quatenus id 1624 palam receptum permissumque fuit; neque supradictis omnibus vel eligendo vel praesentando aliterve quicquam detrimenti creetur.

§ 24. VIII. Qui Archiepiscopatus, Episcopatus et aliae fundationes atque bona ecclesiastica immediata vel mediata in satisfactionem Regiae Maiestatis Regnique Sueciae aut aequivalentem recompensationem indemnitatemque suorum foederatorum, amicorum et interessatorum concesserunt, peculiaribus suis conventionibus infra contentis per omnia relinquantur; in omnibus vero iis, quae ibi non continentur, et inter haec, quod § *Ius dioecesanum* etc. XVI. infra positum, constitutionibus Imperii et huic Transactioni subiecta manento.

§ 25. IX. Quaecunque Monasteria, Collegia, Ballivias, Commendas, templa, fundationes, scholas, hospitalia, aliave bona ecclesiastica mediata, ut et eorum reditus iuraque, quocunque nomine ea appellata fuerint, Augustanae Confessionis Electores, Principes, Status anni millesimi sexcentesimi vicesimi quarti die prima Ianuarii possederunt, eadem omnia et singula, sive retenta semper, sive Restituta, sive vigore huius Transactionis restituenda, iidem possideant, donec controversiae Religionis amicabili partium compositione universali definiantur, non attentis exceptionibus sive ante sive post Transactionem Passaviensem aut Pacem religiosam reformata et occupata, aut quod non de vel in territorio Augustanae Confessionis Statuum, vel exempta, vel aliis Statibus iure suffraganeatus, diaconatus aliave quavis ratione obligata fuisse dicuntur. Unicum solumque huius transactionis, restitutionis, observantiaeque futurae fundamentum sit die prima Ianuarii anno millesimo sexcentesimo vigesimo quarto habita possessio, irritis prorsus exceptionibus, quae ex introducto alicubi locorum exercitio interimistico vel anterioribus aut secutis pactis generalibus aut specialibus transactionibus vel litibus motis causisve decisis, vel etiam decretis, mandatis, rescriptis, paritoriis, reversalibus, litis pendentiis vel aliis quibuscunque praetextibus et rationibus desumi possent. Ubi igitur supradictorum omnium bonorum, eorundem pertinentium, fructuumve Augustanae Confessionis Statibus aliquid quovis modo aut praetextu, sive iudicialiter, sive extraiudicialiter, a dicto tempore interversum aut ademptum est, omnino absque mora et indistincte (interque illa specialiter etiam Monasteria, fundationes atque bona Ecclesiastica omnia et singula a Principe Würtenbergico anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto possessa) cum suis pertinentiis, reditibus et accessionibus ubicunque sitis, una cum amotis documentis in priorem statum restituantur. Nec Augustanae Confessioni addicti

posthac in habita vel recuperata possessione ullo modo turbentur, sed ab omni persecutione iuris et facti perpetuo tuti sint, donec controversiae Religionis compositae fuerint.

§ 26. (a) Omnia quoque Monasteria, fundationes et sodalitia mediata, quae die prima Ianuarii, anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto Catholici realiter possederunt, possideant et ipsi similiter, utut in Augustanae Confessionis Statuum territoriis et ditionibus ea sita sint; non tamen in alios Religiosorum ordines, quam quorum regulis primitus dicata sunt, commutentur; nisi talium Religiosorum ordo plane interciderit. Tunc enim Magistratui Catholicorum liberum esto, ex alio in Germania ante dissidia Religionis exorta usitato ordine novos Religiosos substituere. In quibuscunque vero fundationibus, Ecclesiis Collegiatis, Monasteriis, hospitalibus eiusmodi mediatis Catholici et Augustanae Confessioni addicti promiscue vixerunt, vivant etiam posthac promiscue, numero prorsus eodem, qui die prima Ianuarii, anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto ibidem repertus fuit. Publicum etiam Religionis exercitium idem maneat, quod quovis in loco dicto anno dieque usitatum fuit, absque unius vel alterius partis impedimento. In quibuscunque etiam fundationibus mediatis anno millesimo sexcentesimo vicesimo quarto, die prima Ianuarii Sacra Caesarea Maiestas primarias preces exercuit, exerceat eas et imposterum ad modum circa bona immediata superius explicatum. Idem plane hic observetur de Mensibus Papalibus, quod supra de iis § quinto dispositum est. Conferant etiam Archiepiscopi, et quibus aliis id iuris competit, beneficia mensium extraordinariorum. Quod si quoque Augustanae Confessioni addicti in eiusmodi bonis ecclesiasticis mediatis dicto anno dieque a Catholicis realiter, plene vel ex parte possessis iura praesentandi, visitandi, inspectionis, confirmandi, corrigendi, protectionis, aperturae, hospitationis, servitiorum, operarum habuerunt, item parochos, praepositos ibi aluerunt, iura ista illis sarta tectaque maneant. Et si electiones debito tempore modove non fiant, praebendarum vacantium distributio et collatio in eiusdem Religionis personas, cuius decedens fuit, ex iure devoluto ad eosdem pertineat, modo per hoc, in istiusmodi bonis ecclesiasticis mediatis instituto Catholicae Religionis nihil praeiudicetur, et magistratui Catholicorum ecclesiastico sua iura ex instituto ordinis in ipsos Religiosos competentia, salva et illibata sint. Quibus etiam si electiones aut collationes praebendarum vacantium debito tempore factae non fuerint, ius devolutum salvum esto.

(b) Quod ad Oppignorationes Imperiales attinet, cum in Capitulatione Caesarea dispositum reperiatur, quod electus Romanorum Imperator Electoribus Principibus caeterisque Statibus immediatis Imperii eiusmodi oppignorationes confirmare atque illos in earundem tranquilla [et quieta] possessione defendere ac manutenere debeat: conventum est, hanc dispositionem, donec consensu Electorum, Principum et Statuum aliter statutum

fuerit, observandam esse, atque propterea civitati Lindau, nec non Weissenburgo in Noricis reddita sorte oppignorationes Imperiales ipsis ademptas, illico et plenarie restituendas.

§ 27. Quae vero bona Status Imperii sibi invicem pignoris iure ante hominis memoriam obligaverunt, in iis reluitioni aliter locus non detur, nisi possessorum exceptiones et merita causarum sufficienter examinentur. Quod si bona eiusmodi durante hoc bello vel absque praevia causae cognitione vel non soluta sorte ab aliquo occupata fuerint, una cum documentis statim plenarie prioribus possessoribus reddantur, et si sententia reluitioni locum concedat, inque rem iudicatam transierit, atque sorte numerata restitutio subsecuta fuerit, domino quidem directo liberum esse debet, in huiusmodi terras oppignoratas, ad se reversas, suae Religionis exercitium publice introducere; incolae tamen et subditi migrare aut suam, quam sub priori possessore huiusmodi terrarum oppignoratarum amplexi fuerant, Religionem deserere non cogantur, de publico vero suae Religionis exercitio inter ipsos et reluentem dominum directum transigatur.

§ 28. X. Libera et immediata Imperii Nobilitas omniaque et singula eius membra una cum subditis et bonis suis feudalibus et allodialibus, nisi forte in quibusdam locis ratione bonorum et respectu territorii vel domicilii aliis Statibus reperiantur subiecti, vigore Pacis Religiosae et praesentis Conventionis in iuribus Religionem concernentibus et beneficiis inde promanantibus idem ius habeant, quod supra dictis Electoribus, Principibus et Statibus competit, nec in iis sub quocunque praetextu impediantur aut turbentur, turbati vero omnes omnino in integrum restituantur.

§ 29. XI. Liberae Imperii Civitates, prout omnes atque singulae sub appellatione Statuum Imperii non tantum in Pace Religionis et praesenti eiusdem declaratione, sed et alias ubique indubitate continentur, ita et ex illarum numero eae, in quibus unica tantum Religio anno 1624. in usu fuit, tam ratione Iuris reformandi, quam aliorum casuum Religionem concernentium, in territoriis suis et respectu subditorum non minus ac intra muros et suburbia, idem cum reliquis Statibus Imperii superioribus ius habeant; adeoque de istis generaliter disposita et conventa, de his quoque dicta et intellecta sunto, non attento, quod in iis civitatibus, in quibus praeter Augustanae Confessionis exercitium nullum aliud a magistratu et civibus iuxta morem et statuta cuiusque loci anno 1624. introductum fuit, aliqui Catholicae Religioni addicti cives commorentur, vel etiam in aliquibus capitulis, ecclesiis collegiatis, monasteriis et coenobiis ibidem sitis, immediate vel mediate Imperio subiectis, inque eo statu, qui fuit die prima Ianuarii, anno 1624. deinceps quoque cum clero intra praedictum terminum non introducto, et civibus Catholicis pro tempore ibi existentibus, tam active quam passive omnino relinquendis, Catholicae Religionis exercitium vigeat. Ante omnia veroillae Civitates Imperiales, quae sive uni, sive utrique Reli-

gioni addictae (et inter has posteriores cumprimis Augusta Vindelicorum itemque Dunckelspula, Biberacum, Ravenspurgum et Kaufbeura) ab anno 1624. propter Religionem, vel bona Ecclesiastica ante vel post Transactionem Passaviensem et insecutam Pacem Religiosam occupata et reformata vel alias intuitu Religionis in politicis quocunque modo sive extra-, sive iudicialiter, aggravatae sunt, in eum statum, in quo Kalendis Ianuarii praedicti anni 1624. tam in sacris, quam in profanis fuerunt, non minus ac reliqui Status Imperii superiores plenissime reponantur, inque eo, absque ulteriore turbatione perinde atque illae, quae tum temporis adhuc possederunt, aut interea possessionem recuperarunt, usque ad amicabilem Religionum compositionem conserventur. Neutrique partium alteram de Religionis suae exercitio, Ecclesiae ritibus et ceremoniis deturbare fas sit, sed cives pacifice et comiter invicem cohabitent, liberumque Religionis suae et bonorum usum ultro citroque habeant; cassatis rerum iudicatarum et transactarum, litis pendentiarum, aliisque §§ II. et IX. enumeratis exceptionibus; salvis tamen iis, quae Politicorum ratione de Augusta Vindelicorum, Dunckelspula, Biberaco et Ravenspurgo dicto superius § II. disposita sunt.

§ 30. XII. Cum statibus immediatis cum iure Territorii et Superioritatis ex communi per totum Imperium hactenus usitata praxi, etiam ius reformandi exercitium Religionis competat, ac dudum in Pace Religionis talium statuum subditis, si a Religione Domini territorii dissentiant, beneficium emigrandi concessum, insuper maioris concordiae inter status conservandae causa, cautum fuerit, quod nemo alienos subditos ad suam religionem pertrahere eave causa in defensionem ac protectionem suscipere illisve ulla ratione patrocinari debeat, conventum est, hoc idem porro quoque ab utriusque Religionis Statibus observari, nullique Statui immediato ius, quod ipsi ratione territorii et superioritatis in negotio religionis competit, impediri oportere.

§ 31. Hoc [sc. iure reformandi] tamen non obstante Statuum catholicorum Landsassii, Vasalli et Subditi cuiuscunque generis, qui sive publicum sive privatum Augustanae confessionis exercitium a. 1624 quacunque anni parte, sive certo pacto aut privilegio, sive longo usu, sive sola denique observantia dicti anni habuerunt, retineant id etiam imposterum una cum annexis, quatenus illa dicto anno exercuerunt aut exercita fuisse probare poterunt. Cuiusmodi annexa habentur institutio Consistoriorum, Ministeriorum tam scolasticorum quam ecclesiasticorum, ius patronatus aliaque similia iura. . . .

§ 32. Turbati aut quocunque modo destituti vero sine ulla exceptione in eum, quo anno 1624. fuerant, statum, plenarie restituantur. Idemque observetur ratione subditorum Catholicorum Augustanae Confessionis Statuum, ubi dicto anno 1624. usum et exercitium Catholicae Religionis publicum aut privatum habuerunt.

§ 33. Pacta autem, transactiones, conventiones aut concessiones, quae inter tales immediatos Imperii Status eorumque Status provinciales et subditos supradictos de publico vel etiam privato exercitio Religionis introducendo, permittendo et conservando ante hac intercesserunt, initae et factae sunt, eatenus ratae et firmae manento, quatenus observantiae dicti anni 1624 non adversantur, nec ab iisdem nisi mutuo consensu recedere liceat, non attentis, sed annihilatis omnibus anni 1624. observantiae, utpote quae instar regulae obtineat, contrariis latis sententiis, reversalibus, pactis, quibuscunque transactionibus. Et inter illa, quae Episcopus Hildesiensis et Duces Brunsvico-Luneburgenses de Religione eiusque exercitio Statuum et subditorum Episcopatus Hildesiensis nonnullis pactis anno 1643. transegerunt. Excipiantur vero a dicto termino et Catholicis reserventur novem monasteria in Episcopatu Hildesiensi sita, quibus Duces Brunsvicenses certis conditionibus eodem anno cesserunt.

§ 34. Placuit porro, ut illi catholicorum subditi Augustanae confessioni addicti, ut et catholici Augustanae confessionis statuum subditi, qui a. 1624 publicum vel etiam privatum religionis suae exercitium nulla anni parte habuerunt, nec non qui post Pacem publicatam deinceps futuro tempore diversam a Territorii Domino Religionem profitebuntur et amplectentur, patientertolerentur et conscientia libera domi devotionis suae, sine inquisitione aut turbatione privatim vacare, in vicinia vero ubi et quoties voluerint, publico religionis exercitio interesse vel liberos suos exteris suae religionis scholis aut privatis domi praeceptoribus instruendos committere non prohibeantur. . . .

§ 35. Sive autem catholici sive Augustanae confessionis fuerint subditi, nullibi ob religionem despicatui habeantur, nec a mercatorum, opificum aut tribuum communione, haereditatibus, legatis, hospitalibus, leprosoriis, eleemosynis aliisve iuribus aut commerciis, multo minus publicis coemeteriis honoreve sepulturae arceantur . . sed in his et similibus pari cum concivibus iure habeantur, aequali iustitia protectioneque tuti.

§ 36. Quodsi vero subditus — sua sponte emigrare voluerit aut a Territorii Domino iussus fuerit, liberum ei sit, aut retentis bonis aut alienatis discedere, retenta per ministros administrare et quoties ratio id postulat, ad res suas inspiciendas vel persequendas lites aut debita exigenda, libere et sine literis commeatus adire.

§ 37. Conventum autem est, ut a Territoriorum Dominis illis subditis, qui neque publicum neque privatum exercitium Religionis suae dicto anno habuerunt, et tamen tempore publicatae praesentis Pacificationis in unius vel alterius Religionis Statuum immediatorum ditionibus habitare deprehenduntur, quibus illi etiam annumerandi erunt, qui ob calamitates bellicas evitandas, non tamen animo transferendi domicilium alio emigrarunt, et facta pace in patriam redire volunt, terminus non minor quinquen-

nio, illis vero, qui post Pacem publicatam Religionem mutant, non minor triennio, nisi tempus magis laxum et spatiosum impetrare potuerint, ad emigrandum praefigatur, neque sive voluntarie sive coacte emigrantibus, nativitatis, ingenuitatis, manumissionis, noti opificii, honestae vitae testimonia denegentur, aut iidem reversalibus inusitatis vel decimationibus substantiae secum exportatae plus aequo extensis praegraventur, multo minus spontaneam suscipientibus emigrationem servitutis aut ullo alio praetextu impedimentum inferatur.

§ 38. XIII. Silesiae etiam Principes Augustanae Confessioni addicti, Duces scilicet in Brieg, Liegnitz, Münsterberg et Oels itemquem civitas Vratislaviensis in libero suorum ante bellum obtentorum iurium et privilegiorum, nec non Augustanae Confessionis exercitio ex gratia Caesarea et Regia ipsis concesso manutenebuntur.

§ 39. Quod vero ad Comites, Barones, Nobiles eorumque subditos, in reliquis Silesiae ducatibus, qui immediate ad Cameram Regiam spectant, tum etiam de praesenti in Austria Inferiori degentes Comites, Barones et Nobiles attinet, quamvis Caesareae Maiestatis ius reformandi exercitium Religionis non minus, quam aliis Regibus et Principibus competat, tamen non quidem ex pacto iuxta dispositionem praecedentis versiculi: *Pacta autem* etc., sed ad interventionem Regiae Maiestatis Sueciae, et in gratiam intercedentium Augustanae Confessionis Statuum permittit, ut eiusmodi Comites, Barones et Nobiles illorumque in praedictis Silesiae Ducatibus subditi ob professionem Augustanae Confessionis loco aut bonis cedere aut emigrare non teneantur, nec etiam prohibeantur dictae Confessionis exercitium in locis vicinis extra territorium frequentare, modo in reliquis tranquille et pacifice vivant, seque tales praestent, quales erga suum summum Principem decet. Si vero sua sponte emigraverint et bona sua immobilia vendere vel nolint vel commode non possint, liber iis aditus rerum suarum inspiciendarum et curandarum causa concessus esto.

§ 40. Praeter haec autem, quae supra de dictis Silesiae Ducatibus, qui immediate ad Cameram Regiam spectant, disposita sunt, Sacra Caesarea Maiestas ulterius pollicetur, se illis, qui in his Ducatibus Augustanae Confessioni addicti sunt, pro huius Confessionis exercitio tres ecclesias propriis eorum sumptibus extra civitates Schweinitz, Iauer et Glogavium, prope moenia, locis ad hoc commodis iussu suae Maiestatis designandis, post Pacem confectam aedificandas, quamprimum id postulaverint, concessuram.

§ 41. Et cum de maiore Religionis libertate et exercitio in supradictis et reliquis Caesareae Maiestatis et Domus Austriacae regnis et provinciis concedendo in praesenti tractatu varie actum sit, nec tamen ob Caesareanorum Plenipotentiariorum contradictiones conveniri potuerit, Regia Maiestas Sueciae et Augustanae Confessionis Ordines facultatem sibi reser-

vant, eo nomine in proximis Comitiis aut alias apud Suam Caesaream Maiestatem, pace tamen semper permanente et exclusa omni violentia et hostilitate, ulterius respective amice interveniendi et demisse intercedendi.

§ 42. XIV. A sola qualitate feudali vel subfeudali, sive a Regno Bohemiae, sive ab Electoribus, Principibus et Statibus Imperii, sive aliunde procedant, Ius reformandi non dependet, sed feuda ista et subfeuda, nec non Vasalli, subditi et bona ecclesiastica in causis Religionis, et quicquid iuris dominus feudi praetendat, introduxerit aut sibi arrogarit, ex statu anni 1624. die prima Ianuarii perpetuo censeantur, quae vel iudicialiter vel extraiudicialiter innovata fuerint, tollantur et in pristinum statum restituantur.

§ 43. Territorii iure vel ante vel post terminum anni millesimi sexcentesimi vicesimi quarti controverso, donec super possessorio et petitorio cognoscatur et decidatur, possessori praefati anni idem ius esto, quantum equidem ad publicum exercitium attinet. Subditi vero propter mutatam interim Religionem, pendente territorii controversia, migrare non cogantur. In iis locis, ubi Catholici et Augustanae Confessionis Status ex aequo iure Superioritatis fruuntur, tam ratione publici exercitii, quam aliarum rerum Religionem concernentium idem status maneat, qui fuit anno dieque supradictis.

§ 44. Sola criminalis iurisdictio, Cent-Gericht, solumque ius gladii et retentionis, patronatus, filialitatis neque coniunctim neque divisim Ius reformandi tribuunt. Quae itaque hoc colore reformationes hucusque irrepserunt pactisve intrusa sunt, cassantor, gravati restituuntor, et imposterum ab eiusmodi penitus abstinetor.

§ 45. XV. Ratione redituum cuiuscunque generis ad bona ecclesiastica eorumque possessores pertinentium, ante omnia observetur id, quod in Pace Religionis §. Dagegen sollen die Stände der Augsburgischen Confession etc. et §. Alsdann auch denen Ständen der alten Religion etc. dispositum invenitur.

§ 46. Illi vero reditus, census, decimae, pensiones, quae vigore iam dictae Pacis Religionis Statibus Augustanae Confessionis ob immediatas vel mediatas fundationes ecclesiasticas, ante vel post Pacem Religiosam acquisitas, e Catholicorum provinciis debentur, quorumque in possessione vel quasi percipiendi anno 1624. die 1. Ianuarii fuerunt, absque ulla exceptione solvantur; si alicubi etiam Augustanae Confessionis Status quaedam protectionis, advocatiae, aperturae, hospitationis, operarum aut alia iura in Catholicorum ecclesiasticorum ditionibus et bonis, sive intra sive extra territorium sitis, legitimo usu aut concessione habuerunt, quemadmodum etiam Catholici Status, si quid eiusmodi ipsis circa bona ecclesiastica Augustanae Confessionis Statibus acquisita competit, omnes ex aequo iura sua pristina retineant; ita tamen, ut ne per usum eiusmodi iurium bonorum ecclesiasticorum reditus nimium praegraventur et exhauriantur.

§ 47. Reditus etiam, nec non decimae, canones et pensiones Augustanae Confessionis Statibus, fundationibus iam destructis et collapsis, ex alienis territoriis debitae, iis exsolvantur, qui anno 1624. die 1. Ianuarii in possessione perceptionis vel quasi fuerunt. Quae vero ab anno 1624. destructae fuerunt, aut in futurum concident, earum pensiones etiam in alienis territoriis Domino destructi monasterii seu loci, in quo id situm fuit, exsolvantur. Quae itidem fundationes die 1. Ianuarii anni 1624. in possessione vel quasi iuris decimandi e bonis novalibus in alieno territorio fuerunt, sint etiam in posterum, nihil autem novi iuris quaeratur. Inter caeteros Status Imperii et subditos id iuris esto, quod ius commune vel cuiusque loci consuetudo et observantia de decimis ex bonis novalibus constituunt, aut per pactiones voluntarias conventum est.

§ 48 XVI. Ius dioecesanum et tota iurisdictio ecclesiastica cum omnibus suis speciebus contra Augustanae confessionis electores, principes, status (comprehensa libera Imperii Nobilitate), eorumque subditos tam inter catholicos et Augustanae confessioni addictos, quam inter ipsos solos Augustanae confessionis status usque ad compositionem christianam dissidii Religionis suspensa esto, et intra terminos territorii cuiusque ius dioecesanum et iurisdictio ecclesiastica se contineat. . . .

§ 49. In quibus Civitatibus vero Imperii mixtae Religionis exercitium in usu est, Catholicis Episcopis contra cives Augustanae Confessionis nulla sit iurisdictio, at Catholici iuxta observantiam dicti anni 1624. suo iure experiantur.

§ 50. XVII. Utriusque Religionis Magistratus severe et rigorose prohibeat, ne quisquam publice privatimve concionando, docendo, disputando, scribendo, consulendo Transactionem Passaviensem, Pacem Religiosam vel hanc imprimis sive Declarationem sive Transactionem uspiam impugnet, dubiam faciat, aut assertiones contrarias inde deducere conetur. Quicquid etiam contrarii hactenus vel editum, vel promulgatum publicatumve fuerat, irritum esto; sed si dubii quid hinc aut aliunde incidat aut ex causis Pacem Religiosam aut hanc Transactionem tangentibus resultet, de eo in Comitiis vel aliis Imperii Conventibus inter utriusque Religionis proceres non nisi amicabili ratione transigatur.

§ 51. XVIII. In Conventibus Deputatorum Imperii Ordinariis numerus ex utriusque Religionis proceribus aequetur. De personis autem vel Statibus Imperii adiungendis in Comitiis proximis statuatur; in horum Conventibus itemque Comitiis universalibus, sive ex uno, sive duobus aut tribus Imperii Collegiis quacunque occasione aut ad quaecunque negotia deputandi veniant, aequetur Deputatorum numerus ex utriusque Religionis proceribus. Ubi Extraordinariis Commissionibus negotia in Imperio expedienda occurrunt, si res inter Augustanae Confessionis Status versatur, soli eidem Religioni addicti deputentur, si inter Catholicos, soli Catholici, si

inter Catholicos et Augustanae Confessionis Status utriusque Religionis pari numero Commissarii denominentur et ordinentur. Placuit etiam, ut Commissarii quidem res a se gestas referant et vota subiungant, instar tamen sententiae nihil definiant.

§ 52. XIX. In causis Religionis omnibusque aliis negotiis, ubi Status tanquam unum Corpus considerari nequeunt, ut etiam Catholicis et Augustanae Confessionis Statibus in duas partes euntibus, sola amicabilis compositio lites dirimat, non attenta votorum pluralitate. Quod vero ad pluralitatem votorum in materia collectarum attinet, cum res haec in praesenti Congressu decidi non potuerit, ad proxima Comitia remissa esto.

§ 53. XX. Praeterea, cum ob enatas ex praesenti bello mutationes et alias causas de Iudicio Camerae Imperialis ad alium universis Imperii Statibus commodiorem locum transferendo et Iudicem, Praesides, Assessores et quoscunque iustitiae ministros pares numero utriusque Religionis praesentando, sicut etiam de reliquis ad Iudicium Camerale spectantibus quaedam in medium allata fuerint, sed in praesenti Congressu ob negotii gravitatem, non tam plene expediri queant, in proxime indicendis Comitiis de his omnibus agi et conveniri, deliberationesque de reformatione iustitiae in Deputatorum Imperii Conventu Francofurtensi habitae effectum dari, et si quae in his desiderari videntur, suppleri et emendari debere, conventum est. Ne tamen res haec prorsus in incerto maneat, placuit, praeter Iudicem et quatuor Praesides, et quidem duos horum ex Augustana Confessione a sola Caesarea Maiestate constituendos, numerum Assessorum Cameralium ad quinquaginta in universum adaugeri; ita ut Catholici, computatis duobus Assessoribus Imperatoris praesentationi reservatis, viginti sex, Augustanae Confessioni Status viginti quatuor Assessores praesentare possint et teneantur, atque ex singulis Circulis mixtae Religionis, non tantum duos Catholicos, sed etiam binos Augustanae Confessioni addictos assumere et eligere fas sit, caeteris ad Iudicium Camerale pertinentibus, ut dictum est, ad proxima Comitia reiectis.

§ 54. Ac proinde Circuli de praesentandis mature in locum demortuorum novis ad Camerale Iudicium Assessoribus secundum schema subsequens admoneantur. Catholici etiam suo tempore de ordine praesentandi convenient, Caesareaque Maiestas mandabit, ut non solum in isto Iudicio Camerali causae ecclesiasticae, ut et politicae, inter Catholicos et Augustanae Confessionis Status vel inter hos solos vertentes, vel etiam quando Catholicis contra Catholicos Status litigantibus tertius interveniens Augustanae Confessionis Status erit, et vicissim quando Augustanae Confessionis Statibus contra eiusdem Confessionis Status litigantibus tertius interveniens erit Catholicus, adlectis ex utraque Religione pari numero Assessoribus discutiantur et iudicentur. Sed idem etiam in Iudicio Aulico observetur, huicque fini aliquot Augustanae Confessionis doctos et rerum Imperii pe-

ritos viros ex iis Imperii Circulis, ubi vel sola Augustana Confessio vel simul etiam Catholica viget Religio, adsciscat, eo quidem numero, ut eveniente casu paritas iudicantium ex utraque Religione Assessorum observari possit. Idem etiam quoad paritatem Assessorum observetur, quoties Augustanae Confessionis Status immediatus a mediato Catholico, vel immediatus Catholicus a mediato Augustanae Confessionis Statu Iudicio convenitur.

§ 55. Quoad Processum iudiciarium Ordinatio Camerae Imperialis etiam in Iudicio Aulico servabitur per omnia; tum ut ne partes ibidem litigantes omni remedio suspensivo destituantur, loco revisionis in Camera usitatae licitum esto parti gravatae, a sententia in Iudicio Aulico lata ad Caesaream Maiestatem supplicare, ut acta iudicialia denuo, adhibitis aliis gravitati negotii paribus neutrique partium addictis ex utraque Religione aequali numero Consiliariis, et qui concipiendae et ferendae priori sententiae non interfuerint, aut certe referentium et correferentium partes non sustinuerint, revideantur; liberumque sit Suae Maiestati in causis maioribus, et unde tumultus in Imperio timeri possent, insuper etiam quorundam utriusque Religionis Electorum et Principum sententias et vota requirere.

§ 56. Visitatio Consilii Aulici fiat ab Electore Moguntino toties, quoties opus fuerit, observatis iis, quae in proximis Comitiis de communi Statuum placito observanda esse videbuntur; si quae vero dubia circa interpretationem constitutionum ac recessuum Imperii publicorum occurrunt, aut in dijudicandis causis ecclesiasticis vel politicis inter partes supra expressas vertentibus, ex paritate Assessorum utriusque Religionis, postquam in pleno etiam Senatu, pari tamen semper utrinque iudicantium numero examinata fuerint, contrariae oriantur sententiae, Catholicis quidem in unam, Augustanae vero Confessionis Assessoribus in aliam abeuntibus, remittuntor ad Comitia Imperii universalia. Sin autem duo pluresve Catholici cum uno aut altero Augustanae Confessionis Assessore et vicissim unam, reliqui vero totidem numero, quamvis religione dispares, alteram amplexi fuerint sententiam, indeque contrarietas oriatur, hoc casu iuxta ordinationem Camerae lis terminabitur, ulteriori remissione ad Comitia cessante. Et haec omnia in causis Statuum, comprehensa immediata Imperii Nobilitate, sive actores illi, sive rei, sive intervenientes fuerint, observentur. Si vero inter mediatos vel actor vel reus vel tertius interveniens fuerint Augustanae Confessionis, et paritatem iudicantium ex utriusque Religionis Assessoribus postulaverit, adhibeantur pares. Eveniente autem tunc votorum paritate, cesset remissio ad Comitia, et lis iuxta ordinationem Camerae terminetur. Caetera in Aulico non minus quam in Camerae Imperialis Iudicio, Privilegium primae instantiae, Austregarum, Iura et Privilegia de non appellando Statibus Imperii illibata sunto, nec per mandata aut commissiones aut avocationes aut quovis alio modo turbantor. Denique cum etiam de abolendis Curia Imperiali Rottvilae, Iudiciis provincialibus Suaeviae et aliis hinc inde per Imperium

hactenus usitatis mentio iniecta fuerint, resque haec gravioris visa sit momenti, de his quoque ulterior deliberatio ad proxima Comitia remissa esto.

§ 57. Assessores Augustanae Confessionis praesententur

ab Electore { Saxonico, Brandenburgico, Palatino }	6
Circulo Superioris Saxoniae	4
Inferioris Saxoniae	4
alternando per hos duos Circulos [.	1]
Circuli Franconici Statibus Augustanae Confessionis	2
Suevici	2
Superioris Rhenani	2
Westphalici	2
alternando per hos quatuor Circulos [. . . .	1]

§ 58. Et quamvis sub schemate nulla fiat mentio Statuum Imperii Augustanae Confessionis, qui sub Circulo Bavarico comprehenduntur, nihil tamen ex eo ipsis praeiudicetur, sed salva maneant horum iura, privilegia et libertates.

Articulus VII.

§ 1. Unanimi quoque Caesareae Maiestatis omniumque Ordinum Imperii consensu placuit, ut quicquid iuris aut beneficii cum omnes aliae constitutiones Imperii, tum Pax Religionis et publica haec transactio in eaque decisio gravaminum caeteris Catholicis et Augustanae confessioni addictis Statibus et subditis tribuunt, id etiam iis, qui inter illos Reformati vocantur, competere debeat; salvis tamen semper Statuum, qui Protestantes nuncupantur, inter se et cum subditis suis conventis pactis, privilegiis, reversalibus et dispositionibus aliis, quibus de Religione eiusque exercitio et inde dependentibus cuiusque loci Statibus et subditis hucusque provisum est, salva itidem cuiusque conscientiae libertate.

§ 2. . . . . . Praeter religiones super nominatas nulla alia in sacro imperio Romano recipiatur vel toleretur.

Articulus XVII.

§ 3. Contra hanc Transactionem ullumve eius articulum aut clausulam nulla iura Canonica vel Civilia, communia vel specialia, Conciliorum decreta, privilegia, indulta, edicta, commissiones, inhibitiones, mandata, decreta, rescripta, litispendentiae, quocunque tempore latae sententiae, res iudicatae, Capitulationes Caesareae et aliae, Religiosorum Ordinum regulae aut exemtiones, sive praeteriti sive futuri temporis protestationes, contradictiones, appellationes, investiturae, transactiones, iuramenta, renuntiationes, pacta sive dedititia sive alia, multo minus Edictum a. 1629 vel transactio

Pragensis cum suis appendicibus aut Concordata cum Pontificibus aut Interimistica anni 1548 ullave alia statuta sive politica sive ecclesiastica decreta, dispensationes, absolutiones vel ullae aliae, quocunque nomine aut praetextu excogitari poterunt, exceptiones unquam allegentur, audiantur aut admittantur, nec uspiam contra hanc Transactionem in petitorio aut possessorio seu inhibitorii seu alii Processus vel commissiones unquam decernantur.

69. INNOCENTIUS X. (1644—1655).

**Bullarium Roman.* Ed. Taurinensis. Tom. XV. p. 603 seq. Phillips, *Kirchenrecht.* § 141. Tom. III. p. 477. Ruffini, *Libertà religiosa,* p. 227. Koch, *Geschichte des deutschen Reiches unter Ferdinand III.* Wien 1865—1866. Mirbt, *Der Toleranzantrag des Centrums.* Leipzig 1902. p. 1.

[Declaratio nullitatis articulorum nuperae pacis Germaniae religioni catholicae, Sedi Apostolicae, ecclesiis, aliisque locis piis ac personis et iuribus ecclesiasticis quomodolibet praeiudicialium.]

Zelo domus Dei animum nostrum assidue commovente, in eam praecipue curam sedulo incumbimus, ut orthodoxae fidei integritas, ac Ecclesiae catholicae dignitas et auctoritas ubique sarta tecta conservetur, neve eorum, qui quaerunt sua potius quam quae Dei sunt, facto iura ecclesiastica, quorum assertores a Domino constituti sumus, aliquod detrimentum accipiant, nosque, supremo iudici rationem villicationis nostrae reddituri, negligentiae in credita nobis administratione arguamur.

§ 1. Sane cum intimo doloris sensu accepimus, quod per complures unius Osnabrugis, die VI augusti praesentis anni MDCXLVIII, inter charissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Romanum regem in imperatorem electum cum suis foederatis et adherentibus ex una, ac Svecos cum eorum itidem foederatis et adhaerentibus ex altera, necnon alterius pacis Monasterii Westphaliae, die XXIV octobris eiusdem anni MDCXLVIII, inter eumdem Ferdinandum regem in imperatorem electum cum suis pariter foederatis et adherentibus ex una, atque charissimum etiam in Christo filium nostrum Ludovicum Francorum regem christianissimum cum suis similiter foederatis ex altera partibus, respective initarum, articulos gravissima religioni catholicae, divino cultui, Sedi Apostolicae, et Romanae ac inferioribus ecclesiis, ordinique ecclesiastico, ac iurisdictionibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, privilegiis, rebus, bonis, ac iuribus illorum illata fuerunt praejudicia. Etenim pactionibus partim utriusque, partim alterius pacis huiusmodi, inter alia, bona ecclesiastica, alias ab haereticis occupata, illis eorumque successoribus in perpetuum addicuntur, haereticis Augustanae ut vocant confessionis liberum suae haereseos exercitium in plerisque locis permittitur, et locorum pro aedificandis ad hunc effectum templis assignatio promittitur, ipsique cum catholicis ad publica munia et officia, ac ad nonnullos archiepiscopatus, episcopatus, aliasque

dignitates et beneficia ecclesiastica, precumque primariarum eidem Ferdinando regi in imperatorem electo a praefata Sede Apostolica concessarum participationem admittuntur. Annatae, iura palatii, confirmationes, menses papales et huiusmodi iura, ac reservationes in bonis ecclesiasticis dictae confessionis Augustanae excluduntur. Confirmationes electionum, seu postulationum praetensorum archiepiscoporum, episcoporum, aut praelatorum eiusdem confessionis potestati seculari attribuuntur. Plures archiepiscopatus, episcopatus, monasteria, praeposíturae, balliviae, commendae, canonicatus et alia beneficia et bona ecclesiastica principibus haereticis, eorumque haeredibus etiam, sublata denominatione ecclesiastica, in feudum perpetuum sub dignitatis secularis titulo conceduntur. Contra pacem huiusmodi, ullumve eius articulum nulla iura, canonica et civilia, communia vel specialia, conciliorum decreta, religiosorum Ordinum regulas, iuramenta, aut concordata cum Romanis Pontificibus, ullave alia statuta, sive politica sive ecclesiastica, decreta, dispensationes, absolutiones, aut alias exceptiones allegari, audiri vel admitti debere disponitur. Numerus septem electorum imperii, olim apostolica auctoritate praefinitus, sine nostro et Sedis praefatae beneplacito, augetur, et octavus electoratus in favorem Caroli Ludovici comitis palatini Rheni haeretici instituitur, aliaque multa, quae pudet referre, orthodoxae religioni, Sedique praefatae, ac Romanae et inferioribus ecclesiis, ceterisque praemissis summopere praeiudicialia et damnosa decernuntur.

§ 2. Et quamvis venerabilis frater Fabius episcopus Neritonensis, noster et Sedis praefatae ad tractum Rheni et inferiores Germaniae partes nuntius extraordinarius, in executionem mandatorum nostrorum, fuerit palam nostro et eiusdem Sedis nomine protestatus huiusmodi articulos esse irritos, nullos, iniquos, ac per non habentes potestatem temere contractos, atque pro talibus ab omnibus habendos; ac notissimi iuris sit quamcunque transactionem, seu pactionem in rebus ecclesiasticis sine praefatae Sedis auctoritate factam, nullam, nulliusque roboris et momenti existere:

§ 3. Attamen, quo efficacius praemissorum indemnitati consultum sit, pro commissi nobis ex alto pastoralis officii debito, providere volentes, ac instrumentorum utriusque pacis huiusmodi, omniumque in illis contentorum, ceterorumque hic etiam necessario exprimendorum et inserendorum tenores, etiam veriores, et datas, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque apostolicae potestatis plenitudine, praedictos alterius seu utriusque pacis huiusmodi articulos, ceteraque in dictis instrumentis contenta, quae catholicae religioni, divino cultui, animarum saluti, eidem Sedis Apostolicae, Romanae et inferioribus ecclesiis, ac ordini et statui ecclesiastico, illorumque personis, membris, rebus, bonis, iurisdictionibus, auctoritatibus, immunitatibus, libertatibus, privilegiis, praerogativis et iuribus quibuscumque quomodolibet of-

ficium seu praeiudicium etiam minimum afferunt, aut inferre, seu intulisse, et alias nocere, seu nocuisse quoquomodo dici, intelligi, praetendi, vel censeri possent, cum omnibus inde secutis et quandocumque sequendis, ipso iure nulla, irrita, invalida, iniqua, iniusta, damnata, reprobata, inania, viribusque et effectu vacua omnino fuisse, esse et perpetuo fore, neminemque ad illorum, et cuiuslibet eorum, etiamsi iuramento vallata sint, observantiam teneri, neque ex illis cuiquam aliquod ius, vel actionem, aut titulum coloratum, vel causam praescribendi, etiamsi longissimi et immemerabilis temporis possessio, seu quasi possessio, etiam citra ullam interpellationem seu interruptionem subsequatur, acquisitum fuisse, nec esse, minusve ullo tempore acquiri et competere posse, neque ulla ullum statum facere vel fecisse, atque, perinde ac si nequaquam emanassent, pro non extantibus et non factis perpetuo haberi debere, tenore earumdem praesentium decernimus. Et nihilominus, ad abundantiorem cautelam, et quatenus opus sit, articulos praefatos, aliaque praemissa, ut praefertur, praeiudicialia, motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine paribus, damnamus reprobamus, irritamus, cassamus, annullamus, viribusque et effectu evacuamus, et contra illa, deque eorum nullitate, coram Deo potestamur. Et, quatenus itidem opus sit, easdem Sedem Apostolicam, Romanamque et inferiores ecclesias, ac quaelibet loca pia et quascumque personas ecclesiasticas adversus illa in integrum, ac pristinum, et eum in quo, ante praedictam, et quascumque alias assertas, seu praetensas anteriores transactiones, pactiones, seu conventiones circa praemissa ubicumque quomodocumque factas, erant statum restituimus, reponimus ac plenarie reintegramus.

§ 4. Praesentes quoque litteras, cum omnibus et singulis in eis contentis, etiam ex eo, quod praefati, et quicumque alii, etiam speciali mentione et expressione digni, et in praemissis seu eorum aliquo interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis nullatenus consenserint, nec ad ea vocati, citati vel auditi, minusve causae, propter quas eaedem praesentes emanarunt, deductae, verificatae, seu alias sufficienter, aut etiam ullo modo iustificatae fuerint, nullo unquam tempore de subreptionis, obreptionis, nullitatis, aut invaliditatis vitio, seu intentionis nostrae, aut alio quovis quantumlibet magno, inexcogitato et substantiali defectu, aut ex quovis alio capite, a iure vel facto, aut statuto, vel consuetudine resultante, aut ex quocumque alio colore, praetextu, causa et occasione, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad terminos iuris reduci ullatenus posse, sed illas semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et spectabit quo quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari.

§ 5. Sicque et non aliter in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam palatii apostolici auditores,

necnon S. R. E. cardinales, etiam de latere legatos ac eiusdem Sedis nuntios, et quosvis alios quacumque auctoritate fungentes, nunc et pro tempore existentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, declarandi et interpretandi facultate et auctoritate, semper et ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contingerit attentari, decernimus.

§ 6. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, tam generalibus quam specialibus, etiam in conciliis universalibus editis, et, quatenus opus sit, nostra et cancellariae apostolicae regula de non tollendo iure quaesito, et constitutione felicis recordationis Pii Papae IV praedecessoris nostri de gratiis qualecumque interesse camerae apostolicae concernentibus infra certum tunc expressum tempus in eadem camera praesentandis et registrandis, ita ut praesentes nullo unquam tempore in eadem camera praesentari seu registrari necesse sit, legibus quoque imperialibus et municipalibus, necnon quibusvis, etiam iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate roboratis, statutis, usibus et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis, concessionibus et litteris apostolicis, quibuscumque locis et personis, etiam imperiali, regali, et alia quavis, sive ecclesiastica sive mundana, dignitate fulgentibus, et alias quomodolibet qualificatis, ac specialem expressionem requirentibus, etiam motu, scientia, deliberatione et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialiter, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis, et decretis etiam irritantibus, et alias quomodolibet, in contrarium praemissorum concessis, editis, factis, ac pluries et iteratis vicibus confirmatis, approbatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro sufficienti illorum derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio seu quaevis alia expressio facienda aut alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis formamque in illis traditam pro servata habentes, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus, ac derogatum esse volumus; ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Volumus autem, ut earumdem praesentium transumptis, etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis, et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prosus fides ubique locorum et gentium in iudicio et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub annulo Piscatoris, die XX nombris MDCXLVIII, pontificatus nostri anno V.

[l. c. pag. 603—609.]

70. DECLARATIO CLERI GALLICANI.

* Walter, *Fontes iur. eccl. ant. et hodierni.* Bonnae 1867. p. 127, 133. Dupuys, *Preuves des libertés de l'église gallicane.* Paris 1652. Durand de Maillane, *Les libértes de l'église gallicane.* Lyon 1771. Idem, *Dictionaire de droit canonique.* Paris 1786. Crousaz-Crétet, *L'Église et l'État ou les deux puissances au XVIII siéc.* Paris 1893. Maynard, *Rapports de l'État et de l'Église des origines à 1789.* Lyon 1894 seq. Reusch, *Der Index librorum prohibitorum.* Tom. II. p. 354, 552, 788. Cauchie, *Le Gallicanisme en Sorbonne (1668—1671)*, in *Revue d'hist. eccl.* Tom III, IV. Friedberg, *Gränzen zwischen Staat und Kirche.* p. 516. Schulte, *Geschichte der Quellen und Literatur des canonischen Rechtes.* Tom. III. 1. p. 619—621 (Bossuet). Phillips, *Kirchenrecht,* III. p. 476 seq. Hinschius, *System.* Tom. I. § 22. Friedberg, *Lehrbuch.* § 17. Stutz, *Kirchenrecht.* § 41.

a) Declaratio cleri Gallicani a. 1682. *[I. B. Bossuet 1627—1704.]*

Ecclesiae Gallicane decreta et libertates a maioribus nostris tanto studio propugnatas, earumque fundamenta sacris Canonibus et Patrum traditione nixa, multi diruere moliuntur; nec desunt, qui earum obtentu primatum beati Petri eiusque Successorum Romanorum Pontificum a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam, Sedisque Apostolicae, in qua fides praedicatur, et unitas servatur Ecclesiae, reverendam omnibus gentibus maiestatem, imminuere non vereantur. Haeretici quoque nihil praetermittunt, quo eam potestatem, qua pax Ecclesiae continetur, invidiosam et gravem regibus et populis ostentent, iisque fraudibus simplices animas, ab Ecclesiae matris Christique adeo communione dissocient. Quae ut incommoda propulsemus, Nos Archiepiscopi et Episcopi, Parisiis mandato regio congregati, Ecclesiam Gallicanam repraesentantes, una cum caeteris Ecclesiasticis viris nobiscum deputatis, diligenti tractatu habito, haec sancienda et declaranda esse duximus:

I. Primum: beato Petro eiusque Successoribus Christi Vicariis ipsique Ecclesiae rerum spiritualium et ad aeternam salutem pertinentium, non autem civilium ac temporalium, a Deo traditam potestatem, dicente Domino: «*Regnum meum non est de hoc mundo*» (Ioan. XVIII. 36.) et iterum: «*Reddite ergo, quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo*»; (Luc. XX. 25.) ac proinde stare apostolicum illud: «*Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinate sunt. Itaque qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit.*» (Rom. XIII. 1, 2.) Reges ergo et Principes in temporalibus nulli ecclesiasticae potestati Dei ordinatione subiici, neque auctoritate clavium Ecclesiae, directe vel indirecte, deponi, aut illorum subditos eximi a fide atque obedientia, ac praestito fidelitatis Sacramento solvi posse: eamque sententiam publicae tranquillitati necessariam, nec minus Ecclesiae quam imperio utilem, ut, verbo Dei, Patrum traditioni et Sanctorum exemplis consonam, omnino retinendam.

17*

II. Sic autem inesse apostolicae Sedi ab Petri Successoribus Christi Vicariis rerum Spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant sanctae oecumenicae Synodi Constantiensis a Sede apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiae usu confirmata, atque ab ecclesia Gallicana, perpetua religione custodita decreta de auctoritate Conciliorum generalium, quae sessione quarta et quinta continentur; nec probari a Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiae sint auctoritatis ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus, Concilii dicta detorqueant.

III. Hinc Apostolicae potestatis usum moderandum per Canones Spiritu Dei conditos et totius mundi reverentia consecratos: valere etiam regulas, mores et instituta a regno et ecclesia Gallicana recepta, Patrumque terminos manere inconcussos; atque id pertinere ad amplitudinem apostolicae Sedis, ut statuta et consuetudines tantae Sedis et ecclesiarum consensione firmatae, propriam stabilitatem obtineant.

IV. In fidei quoque quaestionihus praecipuas Summi Pontificis esse partes, eiusque decreta ad omnes et singulas ecclesias pertinere, nec tamen irreformabile esse iudicium, nisi Ecclesiae consensus accesserit. [l. c. pag. 127—128.]

b) Episcoporum et praelatorum Galliae retractatio a. 1692.

Cum in hoc tandem exultantis Ecclesiae felicitate ingentes Christiani omnes paternae providentiae Sanctitatis vestrae fructus percipiant, facilemque in sinum Clementiae vestrae aditum experiantur; nihil accidere molestius potuit, quam quod eo nunc loco res nostrae sint, ut aditus in Gratiam Sanctitatis vestrae nobis hactenus interclusus videatur. Cuius quidem rei cum eam fuisse rationem perceperimus, quod nos Cleri Gallicani Comitiis anno 1682 Parisiis habitis, interfuerimus; id circo ad pedes Beatitudinis vestrae provoluti profitemur, et declaramus, nos vehementer quidem, et supra id quod dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in Comitiis praedictis, quae Sanctitati vestrae eiusque Praedecessoribus summopere displicuerunt. Ac proinde quidquid de istis Comitiis circa Ecclesiasticam potestatem, et Pontificiam auctoritatem decretum censeri potuit, *pro non decreto habemus, et habendum esse declaramus.* Quin imo a mente nostra alienum fuisse testamur quidquam decernere, et Ecclesiis praedictis praeiudicium inferre: Prompti insuper in profundissimi obsequii, quod Sanctitati vestrae profitemur, et demissae reverentiae pignus, ita nos gerere, ut de debita nostra, quam ad extremum vitae spiritum Sanctitati vestrae impensissime praestabimus, obedientiam, et de nostro pro tuendis Ecclesiae iuribus zelo, nihil unquam possit desiderari. His itaque perlectis nostris Litteris speramus, et Sanctitatem vestram humillime obtestamur, ut nos in gratiam benevolentiamque tandem receptos Ecclesiis, ad quas Rex noster Christia-

nissimus nos nominaverit, praeficere non dedignetur. Quo maturius animarum saluti, et Christianae Religioni utilitati, ipsarum Ecclesiarum iuribus, et dignitati, ut sincere Sanctitati vestrae profitemur, studium omne nostrum et curam impendamus. Interim Beatitudini vestrae tamquam B. Petri Apostolorum Principi Successori, Christi Domini Vicario, totiusque militantis Ecclesiae Capiti, veram, et sinceram obedientiam, quam jam promisimus, iterum promittimus vovemus, et iuramus, ac multos, et felices annos pro bono totius Ecclesiae ex animo precamur. [l. c. pag. 133—134.]

71. PIUS VI. (1775—1799) ET JOSEPHUS II. (1780—1790).

* Roskovány, *Monumenta catholica pro indipendentia potestatis ecclesiasticae ab imperio civili.* Tom III. p. 136—258. Schlitter, *Die Reise des Papstes Pius VI. nach Wien und sein Aufenthalt daselbst.* Wien 1892. (*Fontes rerum austriacarum.* II. Abth. XLVII. 1) p. 61—69, 81—84, 177, 180, 187, 191. Idem, *Pius VI. und Joseph II. von der Rücker des Papstes nach Rom bis zum Abschlusse des Concordats.* Wien 1894. (Ibid. XLVII. 2.) Idem, *Die Regierung Josephs II. in den österr. Niederlanden.* I. Th. Wien 1900. p. 17—32. *Sammlung der k. k. landesfürstlichen Gesetze und Verordnungen* in *Publico ecclesiasticis.* Wien 1782—1801. Ritter, *Kaiser Joseph II. und seine kirchlichen Reformen.* Wien 1864. Riehl u. Reinhöl, *Kaiser Joseph II. als Reformator auf kirchlichem Gebiete.* Wien 1881. Seb. Brunner, *Die theol. Dienerschaft am Hofe Joseph II.* Wien 1861. Rösch, in *Archiv für kathol. Kirchenrecht.* 83, 84, 85. Stutz, *Kirchenrecht.* § 39. 3.

a) *Declarationes Summi Pontificis Pii VI. circa Constitutiones Caesaris Josephi II. in rebus ecclesiasticis editas, Viennae propositae, cum responsis Imperatoris, 1782. (ex Italico).*

Declarationes Summi Pontificis.	Responsa Imperatoris.
Exponimus paterna cum fiducia Maiestati Vestrae Pontificiam nostram sollicitudinem quoad nonnullos illorum articulorum, in quibus iam cum consolatione nostra cognovimus bonae intentionis Mai. Vrae fundamentum. Loquimur Eidem de corde ad cor, missa omni politica formalitate. Implementum officiorum nostrorum prout itineris nostri, ita huius quoque fiducialis declarationis unicum obiectum constituit.	Filiali cum adhaesione, quam mihi suggerit tum venerabilis character, tum aestimatissima persona Sanctitatis Vestrae, quae venerationem et amorem erga Eandem in corde meo non legere non potuit, amicas Sanctitatis Vestrae legi literas. Sanctitas Vestra ne minimum quidem dubitet de sinceritate, qua breviter et sine ulla politica formalitate ad illas respondendi honorem habeo, sequendo eas de articulo in articulum.
1. Inprimis dignetur se reflectere, quod in nullo Regno Catholico sit unquam inducta Tolerantia cum tali resultato, quale nunc eadem in Statibus suis reportavit; tum quod Nos	Ad 1. Longe excederem limites scripto huic praefixos, si repetere hic deberem omne id, quod Sanctitati Vrae viva voce dicendi honorem habui; item probe fundatas rationes,

nequeamus illam ex ulla parte approbare.

circumstantias, considerationes ac obtutus, omnia in censum vocata cum gravi reflexione ad provinciarum mearum adiuncta, tam ad bonum religionis, ac ipsius Status, et bonum quoque maius animarum: haec me determinarunt ad edendam irrevocabiliter provisionem Tolerantialem; de quibus Ipsa Sanctitas Vra convicta esse mihi videtur. Quod decreto Tolerantiali ad perfectionem adhuc deest, Sanctitatem Vram certam reddo, me tempore opportuno eatenus provisurum.

2. Novum et peius malum est sane et porta, quae ad apostasiam aperta manet; quia mali aut idiotae Catholici abutendo recentioribus Edictis Mai. Vrae, impune mutare pergunt religionem, in qua nati sunt et educati. Etiam in Statibus, in quibus violentia quaedam aut publica necessitas extorsit ab Imperantibus Catholicis contra voluntatem Tolerantiam civilem variarum Confessionum, non est intermissum una de eo provideri, ne sub tali praetextu ulla sequatur Apostasia. Unde cum maiori animi nostri fervore supplicamus Mai. Vrae, velit quoad designata puncta solertem et efficacem medelam procurare.

Ad 2. In indulgenda Tolerantia non poteram certe id intendere, ut liberum locum relinquam Apostasiae; sed potius eius firmae eram persuasionis, quod ipsius Religionis bono consulam, cum Tolerantia larvam detrahat non catholicis, tranquillet animas timoratae conscientiae, et tollat sacrilegia, quae hypocrisis fecit perpetrari.

3. Cum Ecclesia sola acceperit a Jesu Christo depositum fidei et doctrinae cum strictissima obligatione eam intactam et illibatam conservandi: quanta ruina non impendet fidelibus ex eo, quod Ecclesia eiusque Pastores haud permittantur libere censurare libros perniciosos, qui publicantur! Et quales, quaeso, ruinae non parantur per tot libellos calumniantes ac irrisorios de Clero, disciplina, de-

Ad 3. Factae sunt, et fient adhuc quoad censuram librorum provisiones, quas necessarias credidero, ad satisfaciendum sub omni respectu muneri meo.

que ipsa Ecclesia, qui impune concinnantur!

4. Ex eodem fonte derivatur etiam auctoritas, quae competit Ecclesiae instruendi Clerum, parochos, et confessarios; quomodo igitur Seminaria, in quibus hi formantur, non debeant dependere ab Episcopis, et ab his accipere libros ad institutionem?

Ad 4. Si institutio in Seminariis Eppalibus talis reapse fuisset, quae Clero necessariam instructionem praebuit tum pro se ipso tum pro populo: non reperiretur tanta ignorantia in Parochis, et stupiditas in personis pastorali illorum curae creditis. Grave hoc malum pro religione et animabus necessario provocavit providentiam et inspectionem Gubernii ad formandos tales Parochos, qui una cum suo grege sint eruditi christiani, boni subditi, et simul evadant utiles religioni, proximo, et Statui publico.

5. Maiestas Vra non potest non esse persuasa de subiectione et obedientia, quae debetur Bullae Unigenitus, qua iudicio dogmatico Ecclesiae; idque tenore declarationis Benedicti XIV. in nota sua Decretali; unde rogamus, ut declaret, ne ullus audeat tueri propositiones in ea damnatas, et ne Professores scholarum theologicarum sinant eam ignorari a suis discipulis.

Ad 5. Relate ad bullam Unigenitus habui honorem Sanctitati Vrae iterato exponendi meas rationes et considerationes, et tam hae quam illae mereri mihi videbantur Eiusdem adprobationem. Si adhuc superest aliquod dubium inter nonnulla individua, paratus sum ad dandam ipsis accomodam explanationem.

6. Nemo subiecit lege publica iudicia dogmatica Sanctae Sedis et Ecclesiae Placeto Regio, nec possunt haec de natura sua eidem subiici: igitur hac in parte petimus a Mai. Vra opportunam aliquam declarationem.

Ad 6. Quod obiecta dogmatica non fuerint exemta ab obligatione accipiendi Placetum Regium, id inde factum est, quia cum in omnibus Monarchiae Universitatibus doceatur verus sensus, et extensio ac limites Placeti Regii, non credebatur necessarium esse, ut id fiat.

7. Non potest controverti, spectare ad Caput Ecclesiae reservationem casuum fori poenitentialis: proin supplicamus, velit removeri facere obstacula, quae iisdem in posterum interponerentur.

Ad 7. Quantum ad reservationem casuum fori poenitentiae, quatenus sunt obiecta Confessionis et mere spirituales, numquam habui intentionem iis vel minimum impedimentum ponendi.

8. Ne in minimo quidem repu-

Ad 8. Si formula iuramenti Eppo-

gnamus, ut Episcopi Statuum Suorum Mai. Vrae praestent illa iuramenta fidelitatis, queis Eidem obligantur: sed duntaxat modificata formula nova per Mai. Vram recenter stabilita, et quin immutetur formula altera, quae in Pontificali Romano praescribitur.

rum a me praescripta vel verbum aut expressionem continet, quae Sanctitati Vrae aequivoca esse videretur, favorem mihi praestabit, si id mihi indicare voluerit; et si non tangit essentiam, promtissimum me offero ad permutationem; ceterum manifestum et universitaliter recognitum est in omnibus Statibus Catholicis, quod verus sensus iuramenti Pontificii Epporum non obstante eo, quod ibidem reperiantur diversae expressiones plus quam aequivocae, alter esse non possit, quam praestatio obedientiae canonicae.

9. Per longam seculorum seriem inusitata erant in Ecclesia matrimonia in gradibus prohibitis, et ex quo introductae sunt dispensationes, sola Sancta Sedes illas concessit, aut immediate per seipsam, aut delegando earum facultatem Episcopis; quomodo itaque poterunt unquam Eppi id facere, ut resumendum existiment nunc ius illud, circa quod nulla lex existit, quae id ipsis tribueret, quodve ipsi antehac non exercuerunt?

Ad 9. Non ingredior in quampiam dissertationem super iuribus primitivis et fundatis Epporum quoad dispensationes matrimoniales. Si Sanctitas Vra vellet semel pro semper tranquillare animos Epporum Monarchiae meae, qui non credunt se auctorisatos ad dandas illas iure proprio (procul enim absum a cogenda aut inquietanda illorum conscientia), permitterem ipsis petere illas a Sanctitate Vra; et si Eadem vellet ultra facultatem, quam habent dispensandi in gradibus prohibitis cum pauperibus, sed non cum nobilibus, impertiri eisdem etiam illam quoad nobiles et divites: parte ex mea quoad gradus viciniores consanguinitatis facerem provisionem maxime congruentem ad satisfaciendum eo certius gravibus obtutibus et providis intentionibus Conc. Tridentini super hoc puncto.

10. Si obtutus exportationis pecuniae e Statu poterat inducere Mai. Vram ad impediendum cursum dispensationum apostolicarum in tali materia, persuasi sumus, Eandem ma-

iore studio expensuram, quales quantosve respectus habuerimus nos et praedecessores nostri erga subditos Austriacos, quam tenues summas inde perceperit annue S. Sedes, in qualem usum ipsa convertat similes contributiones in Orbe catholico, in subsistentiam ministrorum destinatorum ad servitium et ministerium universalis Ecclesiae, non secus multorum collegiorum constitutorum in variis regnis, pro bono religionis ac missionum, pro conservatione et propagatione fidei in omnibus mundi partibus.

11. In horum seriem non referimus exorbitantiam Agentium et Expeditorum Regiorum et aliorum, qui a Mai. Vra dependent; in Eadem stabit aequius regulare mercedem operae et fatigio ipsorum convenientem; parte ex nostra pollicemur, quod in omni expeditione tam Datariae, quam aliorum officiorum Curiae nostrae in qualicunque materia se subscripturi sint Cardinales Praesides respectivorum horum Officiorum cum nota omnium expensarum, etiam ordinariorum emolumentorum pro Agentibus, unde Maj. Vra de veritate plene convincatur.

Ad 10. et 11. Longe a me abest, ut in legibus meis super quaestionata materia respectum habuerim Finantiae, aut minutias, exorbitantiam exactionis Agentium respicientes.

12. Commendamus Maj. Vrae peculiariter conservationem Communitatum, Domuum, et personarum eccles. Regularium et Secularium in sua proprietate, possessoriis, et administratione bonorum. In Communitate Catholica numquam steterunt Ecclesiae in inferiori conditione, quam laici quoad possessiones legitime acquisitas; nec stare inferius possunt, quin iniuria fiat iustitiae distributivae

Ad 12. Non deero unquam in protegendo personas ecclesiasticas seculares et regulares in suis iustis iuribus et possessoriis, item in promovendo bono religionis et proximi; hic erit semper solus et unicus respectus in cunctis ordinationibus meis.

et piorum fundatorum voluntati. Et si unquam bonum religionis ac ecclesiae desideraret in futurum quampiam suppressionem, oramus Maj. Vram, velit se regulis canonicis conformare.

13. Imploramus misericordiam Eiusdem, quatenus Religiosi ac Religiosae ex iis, qui via facti suppressi sunt, possint, se reunire in quibusdam Conventibus ad id destinatis, ibique residuos vitae dies agere secundum regulas Instituti, quod profitebantur; ii, qui legitimas causas habuerint pro translatione ad seculum, iuxta exigentiam casuum per nos dispensabuntur; cum in votis solennibus dispensandi facultas nullatenus usurpari possit per Ordinarios locorum.

Ad 13. Individuis suppressorum Monasteriorum plena data fuit libertas eligendi e quatuor diversis modis, quibus vitam sustentare possint in plena tranquillitate conscientiae. Si Sanctitas Vestra informari voluerit super delectu et determinatione singillativa suprafatarum personarum religiosarum utriusque sexus, inveniet stipendia non solum misericordiae, quam implorat, verum et paternae curae meae circa illas, ad quasvis earum necessitates se extendentis.

14. Volumus sperare, Maj. Vram lubenter in id consensuram, ut stabiliter subsistat quaepiam e Domibus vitae contemplativae destinatis, quo sic animae, quae id a Deo vocatae sunt, possint pro communi aedificatione vocationi suae respondere.

Ad 14. Cum in aliis provinciis extra meos Status existant sufficienti numero Conventus, in quibus vita contemplativa ducitur: quodcunque individuum existimaverit, se non esse natum ad labores, sed urgeri ad operandam salutem suam in tali instituto, facile obtinebit indultum ex patria excedendi, et dictum institutum ingrediendi.

15. Exemtiones Ordinum aut Domuum Regularium gravibus nitebantur motivis, quae concernebant subsistentiam ac uniformitatem disciplinae ipsorum, conservatam in Ecclesia atque regulatam ea ratione, ut nullam iustam querelam eatenus amplius allegare valeant locorum Ordinarii; quodsi in hoc ipso abusus irrepserint, eos non solum revocabimus, verum dabimus quoque operam ut emendentur.

Ad 15. Super exemtione Ordinum aut Domuum Regularium a iurisdictione Epporum tanti doctissimi Viri omne id, quod eatenus dici potest, iam dixerunt, ut nil plus de eo dicendum sit, quod de facto videmus in provinciis a centro Romano remotis; sacrosancta et necessaria est proinde lex a me lata.

16. Relate ad gubernium eiusmodi Ordinum proponimus facturos nos ipsis Praesides aut Superiores Generales, et Vicarios cum facultatibus, quibus indigere possunt, quin tolerare debeamus onus sumtuum pro communicatione, quam habent cum suis Praepositis. Ceterum persuasi sumus, Maj. Vram interea experiri potuisse, quam exiguae summae contribuantur a Regularibus Statuum suorum pro iuvamine et subsistentia Assistentium Nationalium. Itaque dum iidem Generales praesentes fuerint in Eiusdem Provinciis Italicis aut Germanicis, vel aliis partibus Monarchiae Suae, convenit, ut liberum habeant exercitium primariae suae auctoritatis, cessentque Vicarii Generales.

Ad 16. Si Generales existunt in Statibus meis, duplex munus implent, qua Praesides Ordinis sui, et qua subditi. Si Vicarii Generales, quos Sanctitas Vra proponere dignatur, electi fuerint a Provincialibus, et Guardianis, aut Superioribus Provinciarum Monarchiae, et non nominati a Generali extra Provinciam existente, nulla erit difficultas dandi ipsis nomen Vicariorum Generalium in vicem illius Provincialis, quod iis dare volebant, salva semper respectu illorum immediata iurisdictione Ordinarii.

17. Relate ad provisionem Episcopatuum, Abbatiarum, Canonicatuum, Parochiarum et aliorum beneficiorum Lombardiae Austriacae, eatenus iam habuimus honorem Maj. Vrae dicendi: non posse nos privare Sanctam Sedem et episcopos libertate, qua gaudebant ea conferendi, et in modo hucusque exercito; recordabitur quoque Maj. Vra concessionis nostrae, quam eidem fecimus, offerendo quartam partem redituum (demtis Eppatibus et parochiis), quo Maj. Vra de ea disponere possit in favorem operum et usuum piorum, quae a pietate sua Eidem suggesta fuerint, aut in emolumentum Ecclesiasticorum bene meritorum; aut vero stabiliatur nominatio alternativa per menses in Abbatiis, canonicatibus, et beneficiis simplicibus.

Ad 17. Quantum ad provisionem Eppatuum, Abbatiarum, Canonicatuum et aliorum similium beneficiorum Lombardiae Austriacae: Sanctitas Vra probe novit id, quod honorem habui Eidem iterato scribendi, et viva etiam voce repetendi; tantum ut recognoscat semel indubitatum meum ius, nihil est, quod nimium fecisse mihi videar in contestationem erga sacram, venerabilem et caram personam Sanctitatis Vestrae tam quoad Eppatus, quam quoad alia beneficia, permittendo Eidem vita sua durante nominationem in dimidia parte, et etiam omnium, si Eadem voluerit; tantum quippe est desiderium meum contestandi toti mundo, quam beatus et obstrictus sim pro paterna visitatione Sanctitatis Vestrae, proque eximiis dotibus animi et cordis sui.

Hae sunt declarationes et modificationes, quas inter multas novas

Munus meum stricte alligatum est ad procurandum omne bonum, quod

dispositiones desideramus a Maj. Vra fieri utpote maximi ponderis, per quas confortabit reditum nostrum, et consolabitur omnes bonos; qui in praesentibus circumstantiis stant in expectatione magna cum anxietate. Magno autem nobis solatio est, collaudandi non minus pietatem Maj. Vrae, quam simul publicum edendi testimonium de viva religione, quam cum summa nostra aedificatione reperimus tam in ista Imperiali urbe, quam in Provinciis Statuum Eiusdem, per quas transivimus.

Viennae, 10. April. 1782.

Pius PP. VI.

possum, religioni et Statui meo; spero quoque, id Sanctitatem Vram e datis etiam per me provisionibus cognovisse. Summa consolatio pro me et pro toto meo populo promanat exinde, quod non solum Summus Pontifex nos honoraverit, et aedificaverit sua praesentia, sed quod etiam se declaraverit, contentum se esse cum statu religionis et aedificatione quam tantam comperit in meis provinciis transitu suo honoratis. Istud est, quod breviter Eidem respondendi honorem habeo, assecurando Eandem, quod praesidium ac puritas verae religionis semper fuerint, futuraque sint prima mea consilia, absque ullo secundario fine seu vanae gloriae, seu amoris proprii, eo minus alicuius commodi.

Viennae, 13. April 1782.

Josephus.

b) *Declarationes secundi ordinis Pii Papae VI. super eodem merito, cum responsis Imperatoris. (Ex Ital.)*

Declarationes Summi Pontificis.

Omnia semper sperabamus a religione, ab animo, et a singularibus dotibus Maj. Vrae: et nunc ius reddimus Nobismet ipsis super iudicio, quod eatenus formabamus; pari modo reddimus in Domino propensissimas et intimas grates pro explicationibus, quas hesterno mane dignabatur fieri fecisse super illis articulis, de quibus nobis sermo est.

1. Satis erit itaque, si Maj. Vra dignaretur declarare illis Guberniis aut Dicasteriis, ad quae directa fuere respectiva decreta controversa: quod circa Bullam Unigenitus Maj. Vra suo

Responsa Imperatoris.

Si Sanctitas Vra iustitiam reddit meae religioni et meo cordi: Eadem tuto credere potest, quantopere ego parte ex mea convictus sim post comparatam personalem notitiam sacrae ac venerabilis Eiusdem personae, quod religio et cor Sanctitatis Vrae praevaleat in Eadem cuicunque alteri considerationi, cum Eadem nec regnet, nisi ut sit Pastor.

Ad 1. Non possum dare aliam quampiam publicam declarationem pro explanandis meis decretis, quoniam intime persuasus sum, illa esse iusta, clara, et pariter congruentia

decreto dd. 4. Maii 1781. et sequentibus aliis non intenderit impedire eius usum in scholis, velleque, ne ullus praesumat tueri propositiones in illa proscriptas, solumque abstineant a publicis disputationibus ad evitandum scandalum sectarum.

bono religionis, ac Status mei; nullam proinde habeo difficultatem resolvendi me ad declarationem decreti concernentis bullam Unigenitus tam respectu meorum Epporum, quam mearum scholarum publicarum; prioribus notam reddam eam esse meam voluntatem, ne ullus audeat tueri seu pro seu contra propositiones in bulla proscriptas; et eodem ipso tempore permittam posterioribus, ut in hac modalitate id ipsum detur notitiae studentibus Theologiae.

2. Super Placeto Regio: quod cum Edicto 26. Mart. 1781. aut aliis suis ordinibus non intenderit unquam substerni sibi decreta proprie dogmatica S. Sedis.

Ad 2. Quantum ad Placetum Regium: quamvis in Scholis publicis Monarchiae meae doceatur, in quibus casibus, et quando sit necessarium: non recuso nihilominus declarare Sanctitati Vestrae, quod, si Gubernio constiterit, bullam quampiam esse pure dogmaticam, liberum ei cursum admittet in executione, quin illa quoad id, quod dogma respicit, Placeto Regio substernatur.

3. Super iuramento nuper admodum novis Eppis praescripto: dum sublatae fuerint expressiones, quas Maj. Vra velit, ut designemus, cessat omnis difficultas.

Ad 3. Quod iuramentum Epporum constitui adoptari facere iuramentum, quod praestant Eppi Gallici, et taliter cessabit omnis quaestio.

4. Quoad libros permittat Maj. Vra Eppos in libertate, prohibendi tales, quos ipsi gregi suo nocivos iudicaverint; nec recuset recursus ipsorum admittere ad impediendam cum brachio seculari illorum invectionem et distractionem.

Ad 4. Eppi in censurandis libris possunt facere, et fecerunt semper repraesentationes Gubernio, quod illos secundavit in casibus, quibus id convenit; non possum igitur consentire in maximam prohibitionem, et publicum quodpiam edictum relate ad libros, quorum cursus adprobatus est a Censura in Statu auctorisata.

5. Nunciaturis Apostolicis in Statibus suis permittat Maj. Vra consuetum cursum causarum ad competentiam earumdem spectantium, ut quip-

Ad 5. Norma stabilita pro ordine iudicario in Monarchia haud admittit, ut Nunciatura se reponat in possessionem iuris cuiuspiam ferendi sententias.

pe sententiae Nunciorum emanent cum voto aliorum doctorum ac qualificatorum virorum ab ipsis assumtorum; prout iam in causis gravioribus exercitum est per modernum Nuncium Viennensem.

6 Quoad beneficia Lombardiae Austriacae: nos eligemus unum e quatuor individuis quae Maj. Vra proposuerit in singulis vacantiis Eppatus, excepto AEppatu Mediolanensi, stantibus peculiaribus praerogativis Civitati illi competentibus. Quantum ad Ecclesias Praepositurales aut Parochiales, et ad Praebendas, quae exigunt concursum ad formam Conc. Tridentini, collatio manebit penes normam inter S. Sedem et Eppos hactenus observatam. Quod Abbatias, in quantum hactenus sub plena et libera nostra dispositione fuerant, non secus Canonicatus et alia beneficia non curata, quae vacatura sunt per obitum, inter S. Sedem et Maj. Vram observabitur alternativa mensium, expeditione bullarum Datariae nostrae reservata.

Ad 6. Relate ad beneficia Lombardiae provocare debeo ad id, quod in altero meo responso iam dicendi honorem habui; et totum hoc dictatum mihi fuerat unice a tenera amicitia et sublimi veneratione, quam concepi et semper conservabo erga Sanctitatem Vram; addam adhuc, quodsi Eadem mihi recommendaverit quodpiam individuum in casu vacantiae unius ex Eppatibus Lombardiae, primum semper respectum habiturus sim in denominatione commendati. Quantum ad dignitates et alia beneficia, quae concursum exigunt, aut quae hucadusque ab Eppis ordinaria eorum auctoritate collata erant, profecto longe abest a me, velle unquam impedire bonum usum, et Sanctitas Vra persuasa pariter sit de mea providentia et sollicitudine, quoniam beneficia curata collata semper fuerint individuis idoneis ad cooperandum pro bono religionis, sine respectu aut consideratione quacunque alterius generis.

7. Ut in facultate, quae a S. Sede delegatur Eppis, dispensandi cum pauperibus in impedimentis matrimonialibus, comprehendantur etiam nobiles, et in toto remaneat tenor solitae formulae, et ut dentur illae facultates ad septennium, renovando eas elapso septennio; pro impedimentis vero ab arctioribus gradibus provenientibus Maj. Vra permittat partibus recursum ad S. Sedem.

Ad 7. Quantum ad dispensationes matrimoniales: removeri non possum a principio iam adoptato, nimirum, ut Eppi, qui dubitant habere se ius dispensandi propria auctoritate, privatim possint recurrere ad Sanctitatem Vram, et hoc tam in uno, quam in aliis gradibus cons. et affin. Id quod desiderabam in scripto a Sanctitate Vra semel pro semper pro nobilibus et ditioribus, erat e solo ob-

tutu tranquillandi conscientiam magis timoratam, et incertam de norma potestatis ipsius; etiam his liberum relinquam uti formula consueta.

8. Ut Provinciales cuiusvis Ordinis Regularis Monarchiae Austriacae debeant per literas significare Generalibus suis in exteris Statibus residentibus electionem suam, et ab ipsis Generalibus denominari debeant Vicarii Generales cum ampla facultate, renovanda tam a quovis Generali novitus electo, quam etiam occasione electionis Provincialis aut alterius, qui vices eius suppleret, in casum mortis ad tempus constituti in officio.

Dat. 14. April. 1782.

Ad 8. Reflexe ad Provinciales aut Vicarios Generales electos aut eligendos ab Ordinibus Regularibus in tota Monarchia, quorum Generalis in aliis Provinciis extra Statum domiciliatur, Sanctitas Vra ipsamet perspiciet, non posse per me adoptari propositum modum, quin penitus subruantur principia maturo examine iam stabilita. Proinde Provinciales iam electi aut in futurum eligendi non poterunt habere ullam aliam a Generalibus dependentiam et obligationem, nisi precum et suffragiorum; liberum tamen manebit, iisdem in actu electionis suae literas exarare ad Generalem, quin tamen ab illo petant aut acceptent cuiuscunque generis facultatem.

Istud est, quod possum habere honorem respondendi Sanctitati Suae, provocando in reliquo ad illa, quae iam significaveram tam scripto quam viva voce, et assecurando Eandem, istud esse totum id, quod explanare valeo, et quod non sim in statu aliud scribendi, quam id, quod his comprehenditur; quia non expedit discedere a principiis, quae exacte sequi obligor. Spero itaque, Sanctitatem Suam agnituram, quod parte ex mea omnimode cooperari voluerim Eiusdem desideriis, hisque me accomodaverim nominatim quoad bullam Unigenitus, quoad iuramentum Epporum, quoad Placetum Regium, quoad dispensationes, et quoad modum conferendi beneficia per concursum in Lombardia. Hac eadem opportunitate blandior mihi, Sanctitatem Suam cooperari velle tum viva voce, tum scripto ad exhortandum Clerum Statuum meorum, quo officiis catholici et subditi plane satisfaciat, et cooperetur toto zelo ac sinceritate animi ad implendas meas ordinationes, quae unice in bonum religionis et animarum populi mei tendunt. Haec sensa summae suae religioni, zelo apostolico, et principali suo muneri maxime congruentia animum mihi addunt, iterato obtestandi Sanctitatem Suam, velit mihi ac populo meo impertiri consolationem, quatenus ante discessum suum scripto testimonio nobis significet, quod cum satisfactione tam viva voce quam primo suo scripto declarare dignabatur, se nimirum plene contentam esse statu religionis, quem in hac metropoli et provinciis transitu suo honoratis invenit.

Viennae, 15. April. 1782. [l. c. pag. 236—258.]

72. CONVENTIO INTER PIUM VII. (1800—1823) ET GUBERNIUM GALLICANUM (a. 1801).

* *Bullarium romanum.* Contin. Tom. 11. p. 175 seq. Theiner, *Histoire des deux concordats.* Paris 1869. — Boulay de la Meurthe, *Documents sur la négociacion du concordat français 1800—1801.* Paris 1891—1895. Duc de Broglie, *Le Concordat.* Paris 1893. — Raux, *La republique et le concordat du 1801.* Paris 1895. Baissac, *Le concordat du 1801 et les articles organiques.* Paris 1903. Mathieu (Cardinal). *Le concordat de 1801, ses origines, son histoire.* Paris 1903. Sevestre, *L'historie le texte et la destinée du concordat de 1801.* Angers 1903. Menusier, *Les cahiers de l'église de France.* Paris 1892. Madelin, *Pius VI et la première coalition* (in *Revue ecclesiastique 1993*). Birè, *Le clergè de France pendant la revolution.* Paris 1901. Sicard, *L'ancien clergè de France.* Paris 1903. Debidour, *Histoire des rapports de l'église et de l'état en France.* p. 2—77. Wirtz, in *Archiv für kathol. Kirchenrecht.* 85, 1. 2. Friedberg, *Lehrbuch.* § 14. III. Stutz, *Kirchenrecht.* § 42.

[§ 1.] Nominatio plenipotentiariorum. Sanctitas sua summus pontifex Pius VII. atque primus consul Gallicae reipublicae in suos respective plenipotentiarios nominarunt.

[§ 2.] De plenipotentiariis pro parte sanctae Sedis. Sanctitas sua emmum dominum Herculem Consalvi S. R. E. cardinalem diaconum s. Agathae ad Suburram suum a secretis status; Josephum Spina archiepiscopum Corinti, Sanctitatis suae praelatum domesticum, ac pontificio solio assistentem; et patrem Caselli theologum consultorem Sanctitatis suae pariter munitos facultatibus in bona et debita forma.

Articles organiques de la Convention du 26. Messsidon An. IX.

* Debidour, *Histoire des rapports de l'église et de l'état en France.* p. 375—379. Portalis, *Les articles organiques.* Paris 1845. P. Mayer, *Portalis und die organischen Artikel.* Strassburg 1902.

Titre premier. Du régime de l'èglise catholique dans ses rapports généraux avec les droits et la police de l'État. — Art. 1. Aucune bulle, bref, rescrit, décret, mandat, provision, signature servant de provision, ni autres expéditions de la cour de Rome, même ne concernant que les particuliers, ne pourront être reçus, publiés, imprimés, ni autrement mis à exécution, sans l'autorisation du gouvernement. — 2. Aucun individu se disant nonce, légat, vicaire ou commissaire apostolique, ou se prévalant de toute autre dénomination, ne pourra, sans la même autorisation, exercer sur le sol français, ni ailleurs, aucune fonction relative aux affaires de l'Église gallicane. — 3. Les décrets des synodes étrangers, même ceux des conciles généraux, ne pourront être publiés en France, avant que le gouvernement en ait examiné la forme, leur conformité avec les lois, droits et franchises de la République française, et tout ce qui, dans leur publication, pourrait altérer ou intéresser la tranquillité publique. — 4. Aucun concile national ou métropolitain, aucun synode diocésain, aucune assemblée délibérante, n'aura lieu sans la permission expresse du gouvernement. — 5. Toutes les fonctions ecclésiastiques seront gratuites, sauf les oblations qui serout autorisées et fixées par les règlements. — 6. Il y aura recours au conseil d'État, dans tout le cas d'abus de la part des supé-

[§ 3.] Similes pro parte primi consulis Galliarum. Primus consul cives Josephum Bonaparte consiliarium status, Cretet consiliarium pariter status, ac Bernier doctorem in s. theologia, parochum s. Laudi Andegavensis plenis facultatibus munitos.

[§ 4.] Tenor initarum conventionum. Qui post sibi mutuo tradita respectivae plenipotentiae instrumenta, de iis quae sequuntur convenerunt.

Conventio.

Inter summum pontificem Pium VII. et gubernium Gallicanum.

[§ 5.] De catholicae fidei recognitione in republica Gallicana. Gubernium reipublicae recognoscit religionem catholicam apostolicam Romanam eam esse religionem, quam longe maxima pars civium Gallicanae reipublicae profitetur.

---

rieurs et autres personnes ecclesiastiques. Les cas d'abus sont: l'usurpation ou l'excès de pouvoir, la contravention aux lois et règlements de la république, l'infraction de règles consacrées par les canons reçus en France, l'attentat aux libertés, franchises et coutumes de l'église gallicane, et toute entreprise ou tout procédé qui, dans l'exercice du culte, peut compromettre l'honneur des citoyens, troubler arbitrairement leur conscience, dégénérer contre eux en oppression ou en injure, ou en scandale public. — 7. Il y aura pareillement recours au conseil d'état, s'il est porté atteinte à l'exercice public du culte et à la liberté que les lois et les règlements garantissent à ses ministres. — 8. Le recours compétera à toute personne intéressée. A défaut de plainte particulière, il sera exercé d'office par les préfets. Le fonctionnaire public, l'ecclésiastique ou la personne qui voudra exercer ce recours, adressera un mémoire détaillé et signé, au conseiller d'état chargé de toutes les affaires concernant les cultes, lequel sera tenu de prendre, dans le plus court délai, tous les renseignements convenables, et, sur son rapport, l'affaire sera suivie et définitivement terminée dans la forme administrative, ou renvoyée, selon l'exigence des cas, aux autorités compétentes. —

Titre deuxième. Des ministres. Section I. Dispositions génerales. 9. Le culte catholique sera exercé sous la direction des archevêques et évêques dans leur diocèses, et sous celle des curés dans leurs paroisses. — 10. Tout privilège portant exemption ou attribution de juridiction épiscopale est aboli. — 11. Les archevêques et évêques pourront, avec l'autorisation du gouvernement, établir dans leurs diocèses des chapitres cathédraux et des séminaires. Tous autres établissements ecclésiastiques sont supprimés. — 12. Il sera libre aux archevêques et évêques d'ajouter â leur nom le titre de *citoyen* ou de *monsieur*. Toutes autres qualifications sont interdites. — Section II. Des archevêques ou métropolitains. 13. Les archevèques consacreront et installeront leurs suffragants. En cas d'empêchement ou de refus de leur part, ils seront suppléés par le plus ancien évêque de l'arrondissement métropolitain. — 14. Ils veilleront au maintien de la foi et de la discipline dans les diocèses dépendants de leur métropole. — 15. Ils connaîtront des réclamations et des plaintes, portées contre la conduite et les décisions des évêques suffragants. — Section III. De évêques, des vicaires généraux et des séminaires. — 16. On ne pourra être nommé évêque avant l'âge de trente ans, et si on n'est originaire Français. — 17. Avant l'expédition de l'arrêté

Summus Pontifex pari modo recognoscit eandem religionem maximam utilitatem, maximunque decus percepisse, et hoc quoque tempore praestolari ex catholico cultu in Gallia constituto, nec non ex peculiari ejus professione, quam faciunt Reipublicae Consules.

Haec cum ita sint, atque utrinque recognita, ad religionis bonum, internaeque tranquillitatis conservationem, ea quae sequuntur inter ipsos conventa sunt.

Art. I. [§ 6.] De libero exercitio ejusdem Religionis in Gallia. Religio catholica, apostolica, Romana libere in Gallia exercebitur: cultus publicus erit, habita tamen ratione ordinationum quoad politiam, quas gubernium pro publica tranquillitate necessarias existimabit.

Art. II. [§ 7.] De finibus dioecesium circumscribendis collatis consiliis. Ab apostolica Sede, collatis cum Gallico gubernio consiliis, novis finibus Galliarum dioeceses circumscribentur.

---

de nomination, celui ou ceux qui seront proposés, seront tenus de rapporter une attestation de bonne vie et moeurs, expédiée par l'évêque dans le diocèse duquel ils auront exercé les fonctions du ministère ecclésiastique; et ils seront examinés sur leur doctrine par un évêque et deux prêtres, qui seront commis par le premier consul, lesquels addresseront le résultat de leur examen au conseiller d'état chargé de toutes les affaires concernant les cultes. — 18. Le prêtre nommé par le premier consul fera les diligences pour rapporter l'institution du pape. Il ne pourra exercer aucune fonction, avant que la bulle portant son institution ait reçu l'attache du gouvernement, et qu'il ait prêté en personne le serment prescrit par la convention passée entre le gouvernement français et le Saint-Siège. Ce serment sera prêté au premier consul; il en sera dressé procès-verbal par le secrétaire d'état. — 19. Les évêques nommeront et institueront les curés. Néanmoins ils ne manifesteront leur nomination, et ils ne donneront l'institution canonique, qu'après que cette nomination aura été agréée par le gouvernement. — 20. Ils seront tenus de résider dans leur diocèses; ils ne pourront en sortir qu'avec la permisson du premier consul. — 21. Chaque évêque pourra nommer deux vicaires généraux, et chaque archevêque pourra en nommer trois: ils les choisiront parmi les prêtres ayant les qualités requises pour être évêques. — 22. Ils visiteront annuellement et en personne une partie de leur diocèse, et, dans l'espace de cinq ans, le diocèse tout entier. En cas d'empêchement légitime, la visite sera faite par un vicaire général. — 23. Les évêques seront chargés de l'organisation de leurs séminaires, et les règlements de cette organisation seront soumis à l'approbation du premier consul. — 24. Ceux qui seront choisis pour l'enseignement dans les sèminaires, souscriront la déclaration faite par le clergé de France en 1682, et publiée par un édit de la même année; ils se soumettront à y enseigner la doctrine qui y est contenue, et les évêques adresseront une expédition en forme de cette soumission au conseiller d'état chargé de toutes les affaires concernant les cultes. — 25. Les évêques enverront, toutes les années, à ce conseiller d'état, le nom des personnes qui étudieront dans ces séminaires et qui se destineront à l'état ecclésiastique. — 26. Ils ne pourront ordonner aucun ecclésiastique, s'il ne iustifie d'une propriété produisant au moins un revenu annuel de 300 francs, s'il n'a atteint l'âge de vingt-cinq ans, et s'il ne réunit les qualités requises par les canons reçus en France. Les évêques ne feront aucune ordination avant que

Art. III. [§ 8.] De sacrificiis excepto habendis a Galliarum episcopis, et ecclesiarum rectoribus. Summus pontifex titularibus Gallicarum ecclesiarum episcopis significabit se ab iis pro bono pacis et unitatis omnia sacrificia firma fiducia expectare, eo non excepto quo, ipsas suas episcopales sedes resignent.

Hac hortatione praemissa, si huic sacrificio quod Ecclesiae bonum exigit, renuere ipsi vellent (fieri id autem posse Summus Pontifex suo non reputat animo), gubernationibus Gallicarum ecclesiarum novae circumscriptionis de novis titularibus providebitur, eo qui sequitur modo.

Art. IV. [§ 9.] De nominatione novorum episcoporum, et archiepiscoporum. Consul primus Gallicanae reipublicanae intra tres menses, qui promulgationem constitutionis apostolicae consequentur, archiepiscopos novae circumscriptionis dioecesibus praeficiendos nominabit. Summus Pontifex institutionem canonicam dabit, juxta formas relate ad Gallias ante regiminis commutationem statutas.

---

le nombre des personnes à ordonner ait été soumis au gouvernement et par lui agréé. — Section IV. Des curés. — 27. Les curés ne pourront entrer en fonction qu'après avoir prêté, entre les mains du préfet, le serment prescrit par la convention passée entre le gouvernement et le Saint Siège. Il sera dressé procès-verbal de cette prestation par le secrétaire général de la préfecture, et copie collectionnée leur en sera délivrée. — 28. Il seront mis en possession par le curé ou le prêtre que l'évêque désignera. — 29. Ils seront tenus de résider dans leurs paroisses. — 30. Les curés seront immédiatement soumis aux évêques dans l'exercice de leurs fonctions. — 31. Les vicaires et desservants exerceront leur ministère sous la surveillance et la direction des curés. Ils seront approuvés par l'évêque et révocables par lui. — 32. Aucun étranger ne pourra être employé dans les fonctions du ministère ecclésiastique sans la permission du gouvernement. — 33. Toute fonction est interdite à tout ecclésiastique, même français, qui n'appartient à aucun diocèse. — 34. Un prêtre ne pourra quitter son diocèse pour aller desservir dans un autre sans la permission de son évêque. — Section V. Des Chapitres cathédraux et du Gouvernement du Diocèse pendant la vacance du siège. — 35. Les archevêques et évêques qui voudront user de la faculté qui leur est donnée d'établir des chapitres ne pourront le faire sans avoir rapporté l'autorisation du gouvernement, tant pour l'établissement lui-même que pour le nombre et le choix des ecclésiastiques destinés à le former. — 36. Pendant la vacance des sièges, il sera pourvu par le métropolitain, et, à son défaut, par le plus ancien des évêques suffragants, au gouvernement des diocèses. Les vicaires généraux de ces diocèses continueront leurs fonctions, même après la mort de l'évêque, jusqu'à leur remplacement. — 37. Les métropolitains, les chapitres cathédraux, seront tenus, sans délai, de donner avis au gouvernement de la vacance des sièges et des mesures qui auront été prises pour le gouvernement des diocèses vacants. — 38. Les vicaires généraux qui gouverneront pendant la vacance, ainsi que les métropolitains ou capitulaire, ne se permettront aucune innovation dans les usages et coutumes des diocèses.

Titre troisième. Du culte. — 39. Il n'y aura qu'une liturgie et un catéchisme pour toutes les églises catholiques de France. — 40. Aucun curé ne pourra

Art. V. [§ 10.] De novis episcopis nominandis vacationum tempore. Item Consul Primus ad episcopales sedes, qua in posterum vacaverint novos antistites nominabit, iisque, ut in articulo praecedenti constitum est, apostolica Sedes canonicam dabit institutionem.

Art. VI. [§ 11.] De juramento ab episcopis praebendo. Episcopi antequam munus suum gerendum suscipiant, coram primo Consule juramentum fidelitatis emittent, quod erat in more ante regiminis commutationem, sequentibus verbis expressum.

«Ego juro et promitto ad sancta Dei Evangelia obedientiam, et fidelitatem gubernio per constitutionem Gallicanae Reipublicae statuto. Item promitto me nullam communicationem habiturum, nulli consilio interfuturum, nullamque suspectam unionem, neque intra, neque extra conservaturum, quae tranquillitati publicae noceat, et si tam in dioecesi mea, quam alibi, noverim aliquid in Status damnum tractari, gubernio manifestabo».

Art. VII. [§ 12.] De juramento praebendo ab ecclesiasticis secundi ordinis. Ecclesiastici secundi ordinis idem juramentum emittent coram auctoritatibus civilibus a Gallicano gubernio designatis.

---

ordonner des prières publiques extraordinaires dans sa paroisse, sans la permission spéciale de l'évèque. — 41. Aucune fête, à l'exception du dimanche, ne pourra être établie sans la permission dú gouvernement. — 42. Les ecclésiastiques useront, dans les cérémonies religieuses, des habits et ornaments convenables à leur titre: ils ne pourront, dans aucun cas ni sous aucun prétexte, prendre la couleur et les marques distinctives réservées aux évèques. — 43. Tous les ecclésiastiques seront habillés à la française et en noir. Les évèques pourront joindre à ce costume la croix pastorale et les bas violets. — 44. Les chapelles domestiques, les oratoires particuliers, ne pourront être établis sans une permission expresse du gouvernement, accordée sur la demande de l'évèque. — 45. Aucune cérémonie religieuse n'aura lieu hors des édifices consacrés au culte catholique, dans les villes où il y a des temples destinés à différents cultes. — 46. Le même temple ne pourra être consacré qu'à un même culte. — 47. Il y aura dans les cathedrales et paroisses une place distinguée pour les individus catholiques qui remplissent les autorités civiles et militaires. — 48. L'évèque se concertera avec le préfet pour régler la manière d'appeler les fidèles au service divin par le son des cloches. On ne pourra les sonner pour toute autre cause sans la permission de la police locale. — 49. Lorsque le gouvernement ordonnera des prières publiques, les évèques se concerteront avec le préfet et le commandant militaire du lieu, pour le jour, l'heure et le mode d'exécution de ces ordonnances. — 50. Les prédications solennelles appelées *sermons* et celles connues sous le nom de station de l'Avent et du Carême, ne seront faites que par des prêtres qui en auront reçu une autorisation spéciale de l'évèque. — 51. Les curés, aux prônes des messes paroissiales, prieront et feront prier pour la prospérité de la république francaise et pour les consuls. — 52. Ils ne se permettront, dans leurs instructions, aucune inculpation directe ou indirecte, soit contre les personnes soit contre les autres cultes autorisés dans l'état. — 53. Ils ne feront au prône aucune publication étrangère à l'exercice du culte, si ce n'est celles qui seront ordonnées par le gouvernement. — 54. Ils ne donneront la bénédiction nuptiale qu'à ceux qui justi-

Art. VIII. [§ 13.] De orationibus recitandis post divina officia. Post divina officia in omnibus catholicis Galliae templis sic orabitur.

«Domine salvam fac Rempublicam»

«Domine salvos fac Consules».

Art. IX. [§ 14.] De novarum paraeciarum circumscriptione. Episcopi io sua quisque dioecesi novas paraecias circumscribent; quae circumscriptio suum non sortietur effectum, nisi postquam gubernii consensus accesserit.

Art. X. [§ 15.] De nominandis ad paroecias. Iidem episcopi ad paroecias nominabunt, nec personas seligent nisi gubernio acceptas.

Art. XI. [§ 16] De capitulis, ac seminariis in qualibet dioecesi erigendis. Poterunt iidem episcopi habere unum capitulum in cathedrali ecclesia, atque unum seminarium in sua quisque dioecesi sine dotationis obligatione ex parte gubernii.

Art. XII. [§ 17.] De ecclesiis episcopis restituendis. Omnia templa metropolitana, cathedralia, parochialia, atque alia, quae non alienata sunt, cultui necessaria, episcoporum dispositioni tradentur.

---

tieront, en bonne et due forme, avoir contracté mariage devant l'officier civil. — 55. Les registres tenus par les ministres du culte, n'étant et ne pouvant être relatifs qu'à l'administration des sacrements, ne pourront, dans aucun cas, suppléer les registres ordonnés par la loi pour constater l'état civil des Français. — 56. Dans tous les actec ecclésiastiques; et religieux on sera obligé de se servir du calendrier d'équinoxe établi par les lois de la République; on désignera les jours par les noms qu'ils avaient dans le calendrier des solstices. *(Annullé per le sénatus-consulte 22 fruct. an XIII.)*

Titre quatrième. De la circonscription des archevêchés, des évêchés et, des paroisses; des édifices destinés au culte et du traitement des ministres. — Section I. De la circonscription des archevêchés et évêchés. — 60. Il y aura en France dix archevêchés ou métropoles, et cinquantes évêchés. — 59. La circonscription des métropoles et des diocèses sera faite conformement au tableau ci-joint. — Section II. De la circonscription des Paroisses. 60. Il y aura au moins une paroisse dans chaque justice de paix. Il sera en outre établi autant de succursales que le besoin pourra l'exiger. — 61. Chaque évêque, de corcert avec le préfet réglera le nombre et l'étandue de ces succursales. Les plans arrêtés seront soumis au gouvernement, et ne pourront être mis à exécution sans son autorisation. — 62. Aucune partie du territoire français ne pourra être érigée en cure ou en succursale sans l'autorisation expresse du gouvernement. — 63. Les prêtres desservants des succursales sont nommés par les évêques. — Sectio III. Du traitement des ministres. 64. Le traitement des archevêques sera de 15.000 francs. — 65. Le traitement des évêques sera de 10.000 francs. — 66. Les curés seront distribués en deux classes. Le traitement des curés de première classe sera porté à 1.500 francs; celui des curés de seconde classe à 1.000 francs. — 67. Les pensions dont ils jouissent en exécution de lois de l'Assemblée constituante seront précomptées sur leur traitement. Les conseils généraux des grandes communes pourront, sur leurs biens ruraux ou sur leurs octrois, leur accorder une augmen-

Art. XIII. [§ 18.] De molestiis non inferendis emptoribus bonorum ecclesiasticorum. Sanctitas Sua pro pacis bono, felicique religionis restitutione, declarat eos, qui bona Ecclesiae alienata acquisiverunt, molestiam nullam habituros neque a se, neque a Romanis Pontificibus successoribus suis, ac consequenter proprietas eorundem bonorum, redditus et jura iis inhaerentia immutabilia penes ipsos erunt, atque ab ipsis causam habentes.

Art. XIV. [§ 19.] De substentatione episcoporum, et parochorum. Gubernium Gallicanae Reipublicae in se recipit tum episcoporum, tum parochorum, quorum dioeceses atque parochias nova circumscriptio complectetur, sustentationem, quae cujusque statum deceat.

Art. XV. [§ 20.] De novis fundationibus ecclesiarum. Idem gubernium curabit, ut catholicis in Gallia liberum sit, si libuerit, ecclesiis consulere novis fundationibus.

Art. XVI. [§ 21.] De privilegiis fruendis a primo consule apud sanctam Sedem. Sanctitas Sua recognoscit in primo consule Gallicanae reipublicae eadem jura ac privilegia quibus apud sanctam Sedem fruebatur antiquum regimen.

Art. XVII. [§ 22.] De nova conventione ineunda in casu quod successor primi consulis religionem catholicam minime profiteatur. Utrinque conventum est, quod, in casu quo aliquis ex successoribus hodierni primi consulis catholicam religionem non profiteretur super juribus ac privilegiis in superiori articulo commemoratis, nec non super nominatione ad archiepiscopatum, et episcopatus respectu ipsius nova conventio fiet.

---

tation de traitement, si les circonstances l'exigent. — 68. Les vicaires et desservants seront choisis parmi les ecclésiastiques pensionnés en exécution des lois de l'Assemblée constituante. Le montant de ces pensions et le produit de ces oblations formeront leur traitement. — 69. Les évêques rédigeront les projets de réglements relatifs aux oblations que les ministres du culte sont autorisés à recevoir pour l'administration des sacraments. Les projets de règlements rédigés par les évêques ne pourront être publiés, ni autrement mis à exécution, qu'après avoir été approuvés par le gouvernement. — 70. Tout ecclésiastique pensionnaire de l'État sera privé de sa pension s'il refuse, sans cause légitime, les fonctions qui pourront lui être confiées. — 71. Les conseils généraux des départements sont autorisés à procurer aux archévêques et évêques un logement convenable. — 72. Les presbytères et les jardins attenants, non aliénés, seront rendus aux curés et aux desservants de succursales. A défaut de ces presbytères, les conseils généraux des communes sont autorisés à leur procurer un logement et un jardin. — 73. Les fondations qui ont pour objet l'entretien des ministres et l'exercice du culte, ne pourront consister qu'en rentes constituées sur l'État: elles seront acceptées par l'évêque diocésain et ne pourront être exécutées qu'avec l'autorisation du gouvernement. — 74. Les immeubles autres que les édifices destinés aux logements et les jardins attenant, ne pourront être affectés à des titres ecclésia-

[§ 23.] De traditione ratificationum. Ratificationum traditio Parisiis fiet quadraginta dierum spatio. Datum Parisiis die 15. mensis julii 1801.

Hercules cardinalis Consalvi. — Joseph Bonaparte. — Joseph archiepiscopus Corinthi. — Cretet. — Fr. Carolus Caselli. — Bernier.

---

stiques, ni possédés par les ministres du culte à raison de leurs fonctions. — Section IV. Des édifices destinés au culte. 75. Les èdifices anciennement destinés au culte catholique, actuellement dans les mains de la nation, à raison d'un édifice par cure et par succursale, seront mis à la disposition des évêques par arrêtés du préfet du département. Une expédition de ces arrêtés sera adressée au conseiller d'Etat chargé de toutes les affaires concernant les cultes. — 76. Il sera établi des fabriques pour veiller à l'entretien et à la conservation des temples, à l'administration des aumônes. — 77. Dans les paroisses où il n'y aura point d'édifice disponible pour le culte, l'évêque se concertera avec le préfet pour la désignation d'un édifice convenable.

78. PIUS VII. (1800–1823).

* Schneider, *Die particulären Kirchenrechtsquellen in Deutschland und Oesterreich.* Regensburg 1898. p. 46–69. Walter, *Fontes iur. eccl. ant. et hod.* p. 239—262. Laspeyers, *Geschichte und heutige Verfassung der katholischen Kirche Preussens.* Berlin 1840. Heckert, *Handbuch der kirchlichen Gesetzgebung Preussens.* Berlin 1846. Thudichum, *Deutsches Kirchenrecht des XIX. Jahrhunderts.* Leipzig 1877. Tom. I. p. 268, 275. Grattenauer, *Das heutige preussische Kirchenrecht.* Berlin 1875. Hinschius, *Das preussische Kirchenrecht im Gebiete des allgemeinen Landrechts.* Berlin 1884.

[Bulla circumscriptionis Diocesium Regni Borussici d. 16 Iulii 1821.]

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad Perpetuam Rei Memoriam.

(I.) De salute animarum, deque Catholicae Religionis incremento pro Apostolicae servitutis officio impense solliciti curas Nostras continuo intendimus ad ea omnia, quae Christi fidelium Spirituali regimini procurando magis apta, et utilia comparare posse dignoscamus. Hoc sane consilio jamdiu cogitationes Nostras praecipue intendimus in regiones illas, quae actu Dominatui subsunt Serenissimi Principis Friderici Guilielmi Borussorum Regis, ut illius intercedente ope, ac liberalitate rem sacram ibidem meliori, qua fieri posset, methodo componere valeremus.

(II.) Probe siquidem Nobis ante oculos versabatur praesens Regionum illarum ratio, nec unquam deplorare cessaveramus ingentia damna promanata ex praeteritis rerum perturbationibus, quae florentissimas olim, atque ditissimas Germaniae Ecclesias a veteri, quo praestabant, splendore dejectas, ac bonorum praesidio spoliatas, ad miserrimum redegerant statum, ex quo summa in Catholicam Religionem, et in Catholicos ipsos pernicies promanavit.

(III.) Cumque temporum conditio minime pateretur inclytae nationis Germanicae Ecclesias ad splendidum antiquum statum aspicere revocatas, omne studium diligentiamque adhibuimus, ut tantis malis ea saltem pararemus remedia, quae ad conservandam illis in regionibus Catholicam fidem, et ad animarum Christi fidelium salutem procurandam inprimis necessaria, et opportuna esse viderentur.

(IV.) Hujus modi autem votis Nostris mirifice obsecundavit laudatus Borussorum Rex, cujus propensam admodum invenimus, et grato animo prosequimur voluntatem in Catholicos magno numero sibi subditos, praesertim ex ei attributa grandi parte Provinciarum ad Rhenum, ita ut omnia tandem fausto felicique exitu componere, ac pro Locorum positione, atque Incolarum commoditate novum in Borussiae Regno Ecclesiarum Statum, et Dioecesium limites nunc constituere, singulasque deinde Sedes, ubi deficiant, propriis, dignis, et idoneis Pastoribus donare valeamus.

(V.) Pro expressis igitur, ac de Verbo ad Verbum insertis habentes, omnibus iis, quae respiciunt infra dicendas, vel Ecclesiarum, et Capitulorum, eorumque peculiarium anteriorum jurium, ac praerogativarum extinctionem, aut immutationem seu reordinationem ac respectivarum Dioecesium dismembrationem, seu novam applicationem, nec non cujuscumque praecedentis juris metropolitici annullationem, et insuper quorumcumque interesse habentium consensui plenarie supplentes ex certa scientia, et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, praevia ex nunc omnimoda suppressione, extinctione, et annullatione vacantis Episcopalis Sedis Aquisgranensis, cum illius Cathedrali Capitulo ad statum simplicis Collegiatae ut infra reducendo, atque alterius Episcopalis Ecclesiae, et Capituli Cathedralis Corbejensis, nec non Monasterii Abbatiae nuncupati Neocellensis, vulgo Neuenzell, ex nunc intemque alterius Monasterii Abbatiae pariter nuncupati Olivensis ex nunc pro tunc, quando scilicet ex persona Venerabilis Fratris Josephi de Hohenzollern Episcopi Warmiensis moderni Abbatis Olivensis quomodocumque vacaverit; ut communia quoque Germanorum vota Regiis etiam aucta commendationibus benigno favore prosequamur, ad Omnipotentis Dei gloriam, et ad honorem Beati Petri Apostolorum Principis Coloniensem Ecclesiam, jam antea inter Germaniae Sedes nulli antiquitate ac splendore secundam, sub Invocatione laudati Principis Apostolorum ad Metropolitanae Ecclesiae gradum restituimus, ac in illo perpetuo constituendam esse decernimus, eidemque Metropolitanae Suffraganeas assignamus Episcopales Ecclesias Trevirensem, Monasteriensem, atque Paderbornensem.

(VI.) Episcopalem pariter Ecclesiam Posnaniensem sub Invocatione Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ad Sedis Metropolitanae gradum extollimus, ac constituimus, eamdemque alteri Archiepiscopali Ecclesiae Gnesnensi sub Invocatione Sancti Adalberti per dimissionem Venerabilis

Fratris Ignatii Raczinski ultimi illius Archiepiscopi in manibus Nostris libere factam, et per Nos admissam ad praesens vacanti, aeque principaliter perpetuo unimus, et aggregamus, ac Venerabili Fratri Timotheo Gorszenski moderno Episcopo Posnaniensi curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiae Gnesnensis plenarie committimus, eundemque Archiepiscopum Gnesnensem ac Posnaniensem constituimus, et deputamus, ac Archiepiscopum Gnesnensem ac Posnaniensem semper esse, et appellari mandamus, ejusque juri Metropolitico Episcopalem Ecclesiam Culmensem Suffraganeam assignamus.

(VII.) Episcopales vero Ecclesias Wratislaviensem, ac Warmiensem huic Sanctae Sedi perpetuo immediate subjectas esse, ac remanere debere declaramus.

(VIII.) Singulis autem Archiepiscopis et Episcopis omnia et singula jura, praeeminentias, praerogativas, ac privilegia aliis illarum partium Archiepiscopis et Episcopis legitime competentia tribuimus, et confirmamus.

(IX.) Quod spectat Capitulum Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis, in eo duas erigimus Dignitates, Praeposituram videlicet. quae maior erit post Pontificalem, ac Decanatum secundam, decem Canonicatus Numerarios, et quatuor Canonicatus Honorarios ac praeterea octo Vicarias, seu Praebendatus.

(X.) Archiepiscopalis Ecclesiae Gnesnensis Capitulum constabit inposterum ex unica dumtaxat Praepositi Dignitate, et ex numero sex Canonicatuum, alterius vero Posnaniensis Archiepiscopalis Ecclesiae Capitulum efformabunt duo Dignitates, Praepositi videlicet, ac Decani, octo Canonicatus Numerarii, et alii quatuor Canonicatus Honorarii, nec non octo Vicariae, seu Praebendatus.

(XI.) Cathedralium Ecclesiarum Trevirensis, atque Paderbornensis respectivum Capitulum constabit ex duabus Dignitatibus, una nempe Praepositi, ac altera Decani, ex octo Canonicatibus Numerariis, et quatuor Canonicatibus Honorariis, atque e sex Vicariis, seu Praebendatis.

(XII.) In Cathedrali Ecclesia Monasteriensi Capitulum constituent binae Dignitates, major nempe Praepositurae, ac secunda Decanatus, octo Canonicatus Numerarii, quatuor Honorarii Canonicatus, et octo Vicariae, seu Praebendatus.

(XIII.) Culmensis Cathedralis Ecclesiae Capitulum constabit ex binis Dignitatibus, Praepositurae videlicet ac Decanatus, ex octo Canonicatibus Numerariis, ex quatuor Honorariis Canonicatibus, et e sex Vicariis, seu Praebendatis.

(XIV.) Cathedralis Ecclesiae Wratislaviensis Capitulum efformabunt duo Dignitates, una videlicet Praepositurae, et altera Decanatus, decem Canonicatus Numerarii, quorum primus Scholastici Praebendam adnexam habebit, sex Canonicatus Honorarii, atque octo Vicariae, seu Praebendatus.

(XV.) Demum quod attinet ad Episcopalem Ecclesiam Warmiensem, illius Cathedrale Capitulum in eo quo nunc reperitur statu consistet; reservata tamen Nobis, ac Romanis Pontificibus Successoribus Nostris facultate Capitulum ipsum ad aliarum in Regno Borussico existentium Ecclesiarum normam imposterum conformandi.

(XVI.) Porro in qualibet ex antedictis Ecclesiis tam Archiepiscopalibus quam Episcopalibus Animarum Parochianorum cura habitualis residebit penes Capitulum, actualis vero ab uno e Capitularibus ad hoc expresse designando, et praevio examine ad formam sacrorum Canonum ab ordinario approbando cum Vicariorum auxilio exercebitur, ac in unoquoque ex iisdem Capitulis duo ab ordinario stabiliter deputandi erunt idonei Canonici, a quorum uno Poenitentiarii, ab altero vero sacram scripturam statis diebus Populo exponendo Theologi respective munera fideliter adimpleantur.

(XVII.) Singulis profecto ex primodictorum Capitulorum Canonicis Honorariis, quos ad personalem residentiam et ad Servitium Chori minime obligatos esse declaramus, idem cum Residentibus Canonicis aditus ad Chorum et ad caeteras Ecclesiasticas Functiones patebit; Nosque ad majus praedictarum Ecclesiarum decus, ac splendorem omnibus antedictis Dignitatibus, et Canonicis Indultum utendi iisdem Insigniis, quibus antea fruebantur, expresse confirmamus et quatenus opus sit de novo concedimus, et elargimur.

(XVIII.) Cuilibet similiter ex supradictis Capitulis Cathedralibus nunc, et pro tempore existentibus, ut ipsi capitulariter congregati pro novo, et circumstantiis magis accomodato earumdem Archiepiscopalium, et Episcopalium Ecclesiarum, earumque Chori quotidiano servitio, nec non rerum, ac jurium tam spiritualium, quam temporalium prospero, felicique regimine, gubernio, ac directione, onerumque iis respective incumbentium supportatione, distributionum quotidianarum, et aliorum quorumcumque emolumentorum exactione, ac divisione, et poenarum incurrendarum a non interessentibus Divinis Officiis incursu, singulorum praesentiis, et absentiis notandis, caeremoniis, ac ritibus servandis, et quibusvis aliis rebus circa praemissa necessariis, et opportunis quaecumque Statuta, Ordinationes, Capitula, et Decreta, licita tamen, atque honesta, et Sacris Canonibus, Constitutionibus Apostolicis. Decretisque Concilii Tridentini minime adversantia sub praesidentia, inspectione, et approbatione respectivorum Archiepiscoporum, et Episcoporum edere, atque edita declarare, et interpretari, ac in meliorem formam redigere, et reformare, seu alia de novo, ab illis ad quos spectat, et pro tempore spectabit inviolabiliter observanda, sub poenis in contrafacientes statuendis pariter condere, atque edere libere, ac licite valeant, facultatem perpetuo concedimus, et impertimur.

(XIX.) Dignitatum, Canonicorum, et Vicariorum, seu Praebendatorum numero tam in Metropolitanis, quam in Cathedralibus Capitulis ut supra

praefinito, ad ea tam pro hac prima vice, quam pro futuris temporibus componenda statuimus, ut imposterum quilibet ad Dignitates, et Canonicatus assequendos infrascriptis ornatus esse debeat requisitis, nempe, quod majores sacros ordines susceperit, utilemque Ecclesiae operam saltem per quinquennium navaverit, vel in animarum Cura exercenda, aut adjuvanda sese praestiterit, vel Theologiae, aut Sacrorum Canonum Professor extiterit, vel alicuique in Regno Borussico existenti Episcopo in Dioecesanae administrationis munere inservierit, vel demum in sacra Theologia, aut in Jure Canonico Doctoratus Lauream rite fuerit consequutus; postremae tamen hujusce conditionis effectu ex justis, gravibusque causis per Decennium a Data praesentium computandum in suspensum remanente. Cujuscumque vero conditionis ecclesiasticos Viros aequali jure ad Dignitates, et Canonicatus obtinendos gaudere debere decernimus. Itemque statuimus unam in Monasteriensi, ac alteram in Wratislaviensi Cathedralibus Ecclesiis Canonicalem Praebendam designandam, et ab eo ad quem juxta mensium alternativam pertinebit, semper, et quandocumque conferendam esse uni, et alteri Canonica requisita habentibus ex professoribus Universitatum in dictis respectivis Civitatibus existentium; atque ulterius decernimus, tam Praepositum Parochialis Ecclesiae Sanctae Hedwigis Civitatis Berolinensis, quam Decanum commissarium Ecclesiasticum in comitatu Glacensi pro tempore existentes inter Honorarios Canonicos Wratislaviensis Cathedralis Capituli esse cooptandos; ita ut pari cum iis fruantur jure, locum illum, atque Ordinem tenentes, qui secundum respectivae Nominationis tempus ipsis competere dignoscatur. Quilibet autem ex Canonicis Honorariis in unumquodque ex antedictis Capitulis cooptandus sumendus erit ex numero Archipresbyterorum Animarum curam in respectiva Dioecesi laudabiliter exercentium.

(XX.) Quod vero attinet ad novam Supradictorum Capitulorum pro hac prima vice ea qua convenit celeritate explendam compositionem, infra nominando harum Literarum Nostrarum Exequutori potestatem facimus, ut in unaquaque Ecclesia tam Dignitates, et Canonicatus, quam Vicarias, seu Praebendatus actu vacantes, quae ad aequandum numerum ut supra designatum fortasse deficient, dignis et idoneis Ecclesiasticis Viris ex delegata sibi speciali Apostolica facultate, ac hujus sanctae sedis nomine conferat: ita tamen ut ii dumtaxat, qui de Dignitatibus, et Canonicatibus ab ipso provisi fuerint, Apostolicas novae Provisionis, et Confirmationis Literas infra sex menses ex tunc proximos a Dataria Nostra impetrare, et expedire facere teneantur. Et si contingat, quod in aliqua ex Metropolitanis, vel Cathedralibus in Borussiae Regno existentibus Ecclesiis Dignitates, Canonici, et Vicarii, seu Praebendati legitime, et canonice instituti adhuc viventes respectivum numerum a Nobis ut supra praefinitum excedant, praedictus Exequutor Apostolicus, vocatis auditisque interesse habentibus aut per voluntarias jurium abdicationes ab illis, vel ab illorum aliquibus emitendas rem

componat, proviso insimul per congruas vitalitias Pensiones, jam a Serenissimo Rege pollicitas Dimittentium sustentationi, aut si abdicationes hujusmodi minime habeantur, vel sufficientem numerum non attingant in hoc casu, qui numerum in supradicta Nostra dispositione praefinitum excedentes Dignitatum, Canonicatuum, et Vicariatuum possessionem postremo loco adepti fuerint, si apud Ecclesias suas resideant, Capitulares quidem, et Vicarii respective esse pergent, juribus, et praerogativis nunc iis competentibus fruentur, suosque reditus in ea quantitate percipient, qua in praesens gaudent. Sed quando Beneficia ab iis obtenta quocumque modo vacaverint aliis conferri minime poterunt, atque ex nunc pro tunc suppressa, et extincta debeant intelligi, ad hoc ut deinceps praefixus ut supra numerus in respectivis Capitulis ad amussim observetur. Quod si in aliquo Capitulo Canonici minoribus in praesentiarum fruantur reditibus, quam qui futuris eorum loco assignatur, nullum isti redituum augmentum consequentur, nisi ab Exequutore Apostolico singillatim similibus amplioribus reditibus donati fuerint.

(XXI.) Futuro autem tempore, ac successivis vacationibus a Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris Praepositura, quae Major post Pontificalem Dignitas in supramemoratis Archiepiscopalibus, et Episcopalibus Ecclesiis, nec non in Ecclesia Aquisgranensi in Collegiatam ut infra erigenda, itemque Canonicatus in Mensibus Januarii, Martii, Maii, Julii, Septembris, ac Novembris in praefatis Ecclesiis vacantes conferentur quemadmodum in Capitulo Wratislaviensi hactenus factum est: quo vero ad Decanatus in praedictis Metropolitanis, et Cathedralibus Ecclesiis, et ad Canonicatus tam in ipsis, quam in dicta Aquisgranensi Ecclesia in Collegiatam erigenda, in aliis sex mensibus vacantes ab Archiepiscopis et Episcopis respective conferentur. Vicariatus autem, seu Praebendatus in praedictis Ecclesiis quocumque mense vacaverint respectivorum Archiepiscoporum et Episcoporum collationi relinquimus.

(XXII.) Rem denique Germaniae gratissimam, simulque praelaudato Borussiae Regi acceptissimam, Nos esse facturos judicantes, si electionum jure in Transrhenanis Ecclesiis retento, ac confirmato, et in Cisrhenanis cessato per Apostolicas Dispositiones anni millesimi octingentesimi primi nunc in ipsis Cisrhenansis Dioecesibus praefati Regis Temporali Dominio subjectis, idem jus electionis redintegretur, quoad Capitula Ecclesiarum ad Germaniam pertinentium nempe Coloniensis, Trevirensis, Wratislaviensis, Paderbornensis et Monasteriensis, decernimus, ac statuimus, quod alia quacunque ratione vel consuetudine, nec non electionis, et postulationis discrimine, nobilitatisque natalium necessitate sublatis Capitulis praedictis, postquam supradicta methodo constituta, et ordinata erunt, facultatem tribuimus, ut in singulis illarum sedium vacationibus per Antistitum respectivorum obitum extra Romanam Curiam, vel per earum sedium resignationem,

et abdicationem (excepto tamen praesenti casu vacationis Coloniensis, ac Trevirensis Ecclesiarum) infra consuetum Trimestris spatium Dignitates, ac Canonici capitulariter congregati, et servatis Canonicis regulis novos Antistites ex Ecclesiasticis quibuscumque viris Regni Borussici incolis, dignis tamen, et juxta Canonicas sanctiones idoneis servatis servandis ad formam sacrorum Canonum eligere possint; ad hujusmodi autem Electiones jus suffragii habebunt Canonici tam Numerarii, quam Honorarii, nec exclusis quidem illis, qui ultra Capitularium numerum in hac reordinatione praefinitum, quoad vixerint in ipsis Capitulis conservabuntur.

(XXIII.) Nihil vero in Capitulis Episcopalium Ecclesiarum Warmiensis, et Culmensis, nec non Archiepiscopalium Gnesnensis et Posnaniensis invicem perpetuo unitarum, innovantes mandamus dumtaxat ut Gnesnenses, et Posnanienses Capitulares ad Archiepiscopi electionem conjunctim debeant procedere. Quod autem spectat vacantem Episcopalem Ecclesiam Wratislaviensem, specialem potestatem facimus, quinque actu in illa existentibus Dignitatibus, nempe Praeposito, Decano, Archidiacono, Scholastico, et Custodi, octo Canonicis residentibus, et sex Canonicis Honorariis, qui nunc ejus Ecclesiae Capitulares habentur, ut ad novi Episcopi electionem Canonicam modo, et forma praemissis, hac etiam prima vice procedere possint, et valeant.

(XXIV.) Quaelibet vero Electionum hujusmodi Instrumenta in authentica forma exarata, ad Sanctam Sedem de more mittentur, a qua si Electio Canonice peracta agnoscetur, et ex processu Inquisitionis deinde a Romano Pontifice in singulis casibus alicui ex Archiepiscopis, vel Episcopis intra fines Regni Borussici existentibus committendo, et ad formam instructionis jussu San. Mem. Urbani Octavi Praedecessoris Nostri editae diligenter exarando de electi idoneitate constiterit, electiones hujusmodi a Nobis, et Romanis Pontificibus Successoribus Nostris juxta statutum morem per Apostolicas Literas confirmabuntur.

(XXV.) In singulis praeterea Civitatibus, tam Archiepiscopalibus, quam Episcopalibus unum Clericorum Seminarium, vel conservandum vel de novo quamprimum erigendum esse statuimus, in quo is Clericorum numerus ali, atque ad formam Decretorum Sacri Concilii Tridentini institui, ac educari debeat, qui respectivarum Dioecesium amplitudini, et necessitati respondeat, quique ab Exequutore praesentium Literarum congrue erit praefiniendus: Archiepiscopi tamen Gnesnensis, et Posnaniensis judicio, et prudentiae relinquimus, vel in utraque Civitate, proprium, ac distinctum, vel unum tantum in Posnaniensi Civitate, quia amplis aedibus constat, pro Clericis ambarum Dioecesium Seminarium constabilire prout Ecclesiarum ipsarum utilitas postulaverit.

(XXVI.) Volentes nunc praevia dismembratione, separatione, atque immutatione nonnullorum Locorum, et Paraeciarum a priorum Ordina-

riorum jurisdictione subtrahendarum ad effectum illa et illas Dioecesibus infra scriptis noviter aggregandi, atque incorporandi, prout magis in Domino opportunum visum fuerit, et auditis etiam Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Congregationi de Propaganda Fide Praepositis ad novam Dioecesium circumscriptionem procedere, ut singularum distinctis finibus quaestiones omnes auferantur circa Spiritualis jurisdictionis exercitium, earum Distributionem, ac Divisionem de Apostolicae potestatis plenitudine decernimus, praescribimus, et constituimus juxta eum, qui sequitur, modum, videlicet:

(XXVII.) Metropolitanae Ecclesiae Coloniensis Dioecesis efformabitur ex Paraeciis sexcentum octoginta sex partim in sinistra, partim in dextera Rheni ripa positis. Et in sinistra quidem complectetur Paraecias omnes pridem in suppressa ad praesens Aquisgranensi Dioecesi contentas, quae ad Provincias pertinent Coloniensem, Dussoldorphinam, et Aquisgranensem, nempe ultra Paraecias Civitatum Coloniae, et Aquisgrani Ecclesias Cantonales nuncupatas Bergheimerdorff, Bonna, vulgo Bonn, Brehl, Kerpen, Lechenich, Lessenich, Loevenich, Meckenheim, Münstereiffel, Zolbiacum, vulgo Zülpich, Crefeld, Dahlen, Dormagen, Elsen, Gladbach, Neuss, Urdingen, Viersen, Burtscheid, Marcodurum, vulgo Düren, Erkelenz, Eschweiler, Geilenkirchen, Gemünd, Heinsberg, Juliacum, vulgo Jülich, Linning, Montjoie, et Niddegen, una cum earum Ecclesiis succursalibus, et adnexis, quae in dictis Provinciis intra Borussici Regni fines modo inveniuntur, a Cantonalibus disjungendo Paraecias succursales, et adnexas extra Regnum positas, et viceversa succursales, et adnexas pridem pendentes a Cantonalibus positis extra Regnum aggregando Cantonalibus in Regno existentibus. Complectetur praeterea Cantonales Ecclesias ad Leodiensem Dioecesim pertinentes, ac temporariae administrationi moderni Vicarii Capitularis Aquisgranensis ab Apostolica Sede commissas videlicet Ecclesias Cantonales nuncupatas Cronemburg, Eupen, Malmedy, Niederkrüchten, Schleiden, et St. Vith, una cum earum succursalibus, et adnexis in Borussica ditione sitis, ac sex Paraeciis succursalibus, nuncupatis Afden, Alsdorff, Merkstein, Rolduc, Ubach, et Welz, modo dependentes a Cantonali Herckraede, posita extra Regnum Borussicum. Insuper complectetur novemdecim Provinciae Aquisgranensis ad Trevirensem Dioecesim usque nunc pertinentes Paroecias nuncupatas Allendorff, Blankenheim, Dollendorff, Hollerath, Lommersdorff, Manderfeld, Marmagen, Mülheim, Nettersheim, Reifferscheid, Rescheid, Rigsdorff, Rohr, Schmittheim, Schönberg, Steinfeld, Tondorff, Udelhoven, et Wildenburg, cum suis adnexis Ecclesiis. In dextera autem Rheni ripa, Provinciisque Coloniensi, Dusseldorphiana, et Confluentina Paraecias complectetur Regionum, Juiliensis, Dusseldorphianae, Essensis, et Siegburgensis, cum earum succursalibus, et adnexis, demptis tamen Paraecia Römershagen, Paderbornensi Dioecesi ut infra applicanda, nec non Paroe-

ciis, Hachenburg et Marienstadt, nuncupatis, quae in Ducatu Nassaviae reperiuntur.

(XXVIII.) Dioecesis Episcopalis Ecclesiae Trevirensis, ab omni Metropolitico jure Archiepiscopi Mechliniensis subtractae, ac Metropolitanae Coloniensis suffraganaae adsignatae, constabit infra Regni Borussici fines ex Paraeciis Sexcentum Triginta quatuor, scilicet in sinistra Rheni ripa, ex iis omnibus, quae actu ad illam Dioecesim pertinent, et provincia Trevirensi continentur. Tum vero ex ea suppressae nunc Dioecesis Aquisgranensis parte, quae in Confluentia Provincia continentur videlicet civitate ipsa Confluentiae, et Ecclesiis Cantonalibus nuncupatis: Adenau, Ahrweiler, Andernach, Boppard, Castellaun, Cochem, Creuznach, Kaysersesch, Kirchberg, Kirn, Lützerath, Mayen, Münstermayfeld, Niederzissen, Oberwesel, Polch, Pünderich, Remagen, Rübenach, Simmern, Sobernheim, St. Goar, Stromberg, Treiss, Ulmen, Wanderath, et Zell, cum suis succursalibus, et adnexis. Porro autem ex centum triginta duabus Paraeciis tum Cantonalibus, tum succursalibus, cum suis adnexis, quae in circumscriptione Anni millesimi octingentesimi primi Dioecesi Metensi fuerant attributae, ac deinde temporariae administrationi Vicarii Capitularis Trevirensis ab apostolica sede commissae. In dextra vero Rheni ripa ex cunctis Ecclesiis ditionis Borussicae, quae pridem ad ipsam Trevirensem Dioecesim spectabant, quaeque per Gallicanarum Dioecesium circumscriptionem anno millesimo octingentesimo primo a Nobis factam ab illa fuerant dismembratae, ac in praesens a Vicario Apostolico in oppido Ehrenbreitstein residente ad Nostrum beneplacitum administrantur. Tandem vero extra praedictum Paraeciarum sexcentum triginta quatuor numerum, Regnique Borussici fines cunctis illis, quae in Territoriis Principum Coburgensis, Homburgensis, et Oldenburgensis inveniuntur jam ipsi Dioecesi Trevirensi pertinentibus.

(XXIX.) Dioecesim Episcopalis Monasteriensis Ecclesiae Suffraganae Metropolitanae Coloniensis efformabunt biscentum octoginta septem Paraeciae intra fines Regni Borussici sitae et aliae quoque extra ejusdem Regni fines in eodem Dioecesano Territorio actu comprehensae, de quibus in aliud tempus disponendi Nobis, et Romanis Pontificibus successoribus Nostris prout opportunum in Domino judicabitur facultatem reservamus. Adjungimus praeterea Regiones nuncupatas, Recklinghausensem, Sterkrathensem, et Reesensem, pridem antiquae Coloniensis Dioecesis, exclusa tamen ab hac postrema Regione Paraecia Oeffelt sub Temporali Belgici Regni dominio existente, nec non ex Dioecesi Aquisgranensi nunc suppressa Cantonales Ecclesias nuncupatas: Calcar, Cleve, Cranenburg, Dulken, Geldern, Goch, Kempen Meurs, Rheinberg, Wankum, Wesel, et Xanten, cum suis succursalibus, et adnexis, exceptis tamen iis Dominio Regis Belgarum in temporalibus subjectis. Adjungimus insuper Paraecias nuncupatas, Elten et Emmerich, cum sua filiali huc usque sub missionibus

Hollandicis extantes, itemque Paraeciam Damne, quam ab Osnabrugensi Dioecesi separamus, et Paroeciam, Oldenburgensem, quam sejungimus a Missionibus septemtrionalibus, quaeque pertinent ad ditionem Ducis Oldenburgensis. Denique moderno, ac pro tempore existenti Episcopo Monasteriensi perpetuo regendas, et administrandas committimus quinque Paraecias nuncupatas, Brochterbeck, Ibbenbühren, Mettingen, Recke, et Halverde, quae suffraganei Osnabrugensis Administrationi ad Apostolicae sedis beneplacitum erant commissae.

(XXX.) Paderbornensis Episcopalis Ecclesiae, Coloniensis Metropolitanae Suffraganeae, Dioecesis iisdem, quibus nunc reperitur, manebit circumscripta limitibus. Illi praeterea adjungimus alteram nunc suppressam Dioecesim Corbejensem cum integro suo Territorio a venerabili Fratre Ferdinando Episcopo Monasteriensi administratam, nec non ex Transrhenano antiquae Coloniensis Dioecesis Territorio Decanatus: Meschedensem, Altendornensem, Brilonensem, Wormbachensem, Medebachensem, et Wettenscheidensem, nuncupatos cum suis Parochialibus et Filialibus Ecclesiis, pariterque Commissariatum, Haarensem, et Paraeciam, Römershagen, et ulterius, Rittbergensem, et Wiedenbrückensem, Decanatus, cum suis respective Parochialibus, et Filialibus Ecclesiis ab Osnabrugensi Dioecesi separandos, nec non a Dioecesi olim Moguntina, postea Ratisbonensis disjungendas Paraecias Siegen, et Obernetphen nuncupatas, civitatem Heiligenstadt, cum suo Decanatu, et Decanatus Beurensem, Bischoferodensem, Kirchworbensem, Kühlstädtensem, Lengefeldensem, Neuendorfensem, Nordhausensem, Rüstenfeldensem, Wiesenfeldensem, cum suis Parochialibus et Filialibus Ecclesiis, et Civitatem Erfurti, cum tribus Paraeciis suburbanis, atque Paraecias in Territorio Magni Ducis Saxoniae Wimarensis existentes, nec non Paraeciam Eppensem extra Borussiae Regnum in Principatu Waldeccensi ab antiqua Coloniensi Dioecesi segregandam, et demum a Missionum septemtrionalium Vicariatu Apostolico separandas, et a futuris, ac pro tempore existentibus Paderbornensibus Episcopis perpetuo administrandas Paraecias Mindensem, scilicet in Westphalia, et in Provincia Saxoniae Adersleben, Althaldensleben, Ammensleben, Aschersleben, Hadtmersleben, Ecclesias St. Andreae, et Sanctae Catharinae Halberstadii, Hamersleben Hedersleben, Huysburg, Magdeburg, Marienbeck, Marienstuhl, Mayendorf, Stendal, Halle et Burg. Attentis autem grandaeva aetate, ac egregiis de Ecclesia et de Catholica Religione meritis, Venerabilis Fratris Francisci Egonis a Fürstemberg, praestantissimi Hildesiensis, ac Paderbornensis Praesulis, ac Missionum septentrionalium Vicarii Apostolici, nec ipsi novae administrationis onus adjungatur decernimus, et mandamus nihil circa talem Antistitem in praesens esse innovandum, sed cuncta in eo, quo nunc reperiuntur statu interea relinquendo, antedictam Paderbornensis Dioecesis ampliationem eo

duntaxat tempore suum effectum sortiri debere, cum episcopali sedi Paderbornensi de laudati Antistitis Francisci Egonis Persona quomodocumque vacanti novus Episcopus Apostolicae sedis auctoritate instituetur. Interea vero omnia Loca, et Paraeciae, quae a Coloniensi. et Osnabrugensi Dioecesibus ut supra dismembrantur, administrationi peculiaris Vicarii Apostolici a Nobis committentur, ut inibi usque ad Paderbornensis Episcopalis sedis vacationem, ac futuri novi Episcopi institutionem, exerceat spiritualem jurisdictionem: atque insuper alia loca et Paraeciae a Dioecesi olim Moguntina postea Ratisbonensi disjuncta, et ab Episcopo pridem Corbejensi, nunc Monasteriensi administrata temporaneae pariter Vicarii Apostolici Administrationi tradentur.

(XXXI.) Archiepiscopalium Gnesnensis et Posnaniensis invicem perpetuo aeque principaliter unitarum Dioeceses efformabunt ea ipsa loca, quae actu in iisdem continentur, post novissimam Dioecesium Regni Polonici a Nobis peractam Circumscriptionem, exceptis tamen Decanatibus Schlochaviensi, Tuchelensi, et Camenensi, Culmensi Dioecesi ut infra adjiciendis, ac praeterea Decanatus Kruszwicensis, Junivladislaviensis, et Gniewkowensis a Dioecesi Wladislaviensi separandi, qui ad praesens a Vicario Apostolico Gedanensi administrantur nec non Decanatus Ostrszeszowensis et Kempnensis disjungendi a Dioecesi Wratislaviensi. Divisionem autem et assignationem Territorii Dioecesani pro una, et altera Dioecesi statuendam infra dicendo praesentium Literarum Exequutori peragendam expresse committimus.

(XXXII.) Dioecesis Episcopalis Ecclesiae Culmensis, suffraganae Archiepiscopi Gnesnensis et Posnaniensis, constabit ex biscentum quindecim Paraeciis nempe cum suis respective Succursalibus, et Filialibus Ecclesiis ex Decanatibus Lessensi, Rhedensi, Neumarkano, Loebaviensi, Lautenburgensi, Strasburgensi, Gollubensi, Thorunensi, Culmensi, Culmseensi, et Gurcznensi, cum Paraecia Bialutten nuncupata: quae postremae duae olim Dioecesis Plocensis a suffraganeo Culmensi in praesens administrantur; itemque ex Decanatibus Gedanensi, Putzigensi, Mirchaviensi, Dirschaviensi, Stargardensi, Moewensi, Neuenburgensi, Schwetzensi, Lauenburgensi, Schlochaviensi, Tuchelensi, Camenensi, et Fordonensi; qui Decanatus pridem Dioecesis Wladislaviensis, nunc ab antedicto Vicario Apostolico Gedanensi administrantur, nec non ex Territorio Monasterii Abbatiae nuncupatae Olivensis ut supra suppressi ex nunc pro tunc quando ex Persona moderni Abbatis quomodocumque vacaverit. Et quoniam expositum Nobis fuit aptas Culmae deficere Domos pro Episcopi, et capituli decenti habitatione, facultatem tribuimus Apostolico harum literarum Exequutori, ut auditis interesse habentibus, ac re mature perpensa, firmo remanente Titulo, ac denominatione Episcopatus Culmensis, et opportunis assignatis Ecclesia atque aedibus, residentiam Episcopi et Capituli Culmensis, si ita in Domino

expedire judicaverit, Pelplinum transferre libere, ac licite possit, et valeat proviso insimul congruae Cathedralis Culmensis manutentioni.

(XXXIII.) Wratislaviensis Episcopalis Ecclesiae huic Apostolicae Sedi immediate subjectae Dioecesim efformabit actuale illius Territorium, exceptis dumtaxat Decanatibus Ostrszeszowensi, Kempnensi Dioecesi Posnaniensi ut supra incorporatis, et insuper Decanatus Plessensis, et Bythomiensis a Cracoviensi Dioecesi disjuncti, nec non sequentes Paraeciae in Lusatia, videlicet Neocellensis Monasterii Nullius ut supra suppressi; et aliae nuncupatae Wittichenau, Guntersdorf, Hennersdorf, Pfaffendorf, Ullersdorf, a Decano Collegiatae Ecclesiae Sancti Petri Oppidi Buddissinaeae in Lusatia superiori, hactenus administratae: quae omnes insimul intra fines Borussici Regni Paraeciae ad sexcentum viginti unius numerum ascendent. Conservabit item illas, quas actu habet in Austriaca Ditione Paraecias. Futuri praeterea, ac pro tempore existentis Wratislaviensis Episcopi Administrationi perpetuo subjicimus eas, quae a Vicario Apostolico Missionum septentrionalium fuerunt hucusque administratae Paroeciae in Civitatibus Berolini, Potsdamii, Spandaviae, Francofurti ad Viadrum, Stettini, et Stralsundiae, quaeque imposterum vi subdelegationis Episcopi Wratislaviensis a supramemorato Praeposito Parochialis Ecclesiae Sanctae Hedwigis dictae Civitatis Berolinensis erunt administrandae.

(XXXIV.) Denique Warmiensis Episcopalis Ecclesiae, Apostolicae sedi pariter immediate subjectae, Dioecesis ex proprio actuali Dioecesano Territorio constabit, atque insuper ex Decanatibus Fürstenwerdensi, Neuteichensi, Mariaeburgensi, Stumensi, et Christburgensi, cum suis Ecclesiis tam succursalibus, quam Filialibus a Dioecesi Culmensi disjungendis, ita ut integra Dioecesis Centum novemdecim Paraecias complectatur.

(XXXV.) Praedictas itaque Civitates, et Ecclesias Archiepiscopales et Episcopales, itemque Paraecias et Loca respectivis Ecclesiis pro Dioecesi attributa, eorumque Incolas utriusque Sexus tam Clericos, quam Laicos iisdem Ecclesiis eorumque Praesulibus pro suis respective Civitate, Territorio, Dioecesi, Clero et Populo perpetuo assignamus, et in spiritualibus omnimodo subjicimus ad hoc ut cuilibet Antistiti vel jam promoto, vel in futurum Apostolica auctoritate promovendo liceat per se vel per alios eorum nomine (postquam tamen supramemoratus Josephus Episcopus Warmiensis praesentes Literas debitae executioni mandaverit, et quoad nonnullas dispositiones nunc pro tunc a Nobis factas cum tempus pro illarum executione ut supra definitum advenerit) veram, realem, actualem et corporalem possessionem regiminis, administrationis, et omnimodo Juris Dioecesani, et Ordinarii in praedictis Civitatibus, ac earum Ecclesiis, et Dioecesibus, nec non bonis, aliisque redditibus ad ipsarum dotationem, ut infra assignandis vigore literarum Apostolicarum Canonicae Institutionis liberae apprehendere, apprehensamque retinere; propterea que statim, ac in locis per hanc

Nostram dispositionem singulis Dioecesibus nunc attributis possessionem sumpserint, illarumque Regimen actu consecuti fuerint, omnis antiquorum sub quocumque Ordinariorum, seu Vicariorum, vel administratorum Titulo jurisdictio cessare debebit, omnesque facultates in Partibus, et locis ab eorum jurisdictione subtractis nullius erunt amplius roboris vel momenti.

(XXXVI.) Nos enim ad respectivorum Dioecesanorum utilitati consulendum praescribimus, et injungimus, ut omnia et singula Documenta respicientia Ecclesias, Dioeceses, Paraecias, et loca ut supra dismembrata, ac de novo applicata a veteribus Cancellariis extrahi, et Cancellariis Dioecesium quibus erunt incorporata opportuna forma tradi, atque in iis perpetuo debeant asservari.

(XXXVII.) Vicissim autem Venerabiles Fratres moderni, ac pro tempore existentes Pragensis, et Olomucensis Archiepiscopi nec non Episcopi Reginorhadecensis, et Litomericensis eamdem, quam nunc exercent, Spiritualem Jurisdictionem in Regno Borussico etiam inposterum conservabunt.

(XXXVIII.) Filiales vero, et Parochiales Ecclesias earumque Fractiones in hac Nostra Dispositione non comprehensas, et extra Regnum Borussiae existentes a Matricibus, et Parochialibus in eodem Regno positis disjungimus, et a proximioribus ordinariis aliis Matricibus, et Parochialibus Ditionum, quibus in temporalibus subjacent, applicandas esse mandamus, ac vicissim de Paraeciis, et Filialibus Ecclesiis cum suis Fractionibus intra Borussicum Regnum positis, quae a Matricibus extra idem Regnum existentibus pendent, idem observandum esse decernimus; reservata Nobis, et huic Apostolicae sedi cura de Spirituali Regimine aliis Partibus, et Locis si opus fuerit providendi.

(XXXIX.) Inspectis autem Dioecesium Borussici Regni amplitudine, ac magno Dioecesanorum numero, cum difficile admodum esset Archiepiscopis, et Episcopis Confirmationis Sacramentum Christi fidelibus administrare, aliaque Pontificalia munera sine alterius Episcopi opera, et auxilio exercere; hinc Nos confirmantes Suffraganeatus in Dioecesibus Regni Borussiae in quibus constituti reperiuntur, eos in Coloniensi, ac Trevirensi Dioecesibus redintegramus, et de novo constituimus: atque idcirco quilibet Archiepiscopus, et Episcopus Nos, et Romanos Pontifices Successores Nostros juxta praescriptum morem supplicabit, ut aliquis Ecclesiasticus Vir opportunis praeditus requisitis, ad Suffraganei munus designetur, ac praevio Canonico processu, servatisque consuetis formis de Episcopatu Titulari in Partibus Infidelium cum assuetae congruae adsignatione provideatur.

(XL.) Quoniam vero praeclaram antiquissimam Coloniensem Sedem Archiepiscopalem duximus redintegrandam potius, quam Episcopalem Sedem Aquisgranensem illius quodammodo loco viginti dumtaxat ab hinc annis erectam conservare; aliquam tamen Civitatis Aquisgranensis rationem habendam esse existimantes, cognita etiam in id propensa Serenissimi Bo-

russici Regis voluntate, decernimus, ac statuimus, quod Ecclesia sub Titulo Beatae Mariae Virginis antea Cathedralis in Collegiatam immutetur, ejusque Collegiale Capitulum constet ex unica tantum Praepositi dignitate, et Sex Canonicatibus cujus, et quorum Collatio semper quoad Praepositūram Apostolicae Sedi, et quoad Canonicatus eidem Sedi Apostolicae alternatim cum Coloniensi Archiepiscopo spectare debeat ac pertinere. Hujusmodi autem Capitularibus, ex peculiari gratia licentiam deferendi Cappam magnam sericam, violacei coloris cordulis sericis subsutam cum pellibus armellinis hyemali, aestivo autem tempore Mozzettam supra Rocchettum concedimus et indulgemus, atque ulterius facultatem condendi statuta iisdem modo, et forma quibus de Capitulis Cathedralium Ecclesiarum supra eluculenter dictum est tribuimus, et impertimur.

(XLI.) In Exequutorem itaque praesentium Nostrarum Literarum praedictum Venerabilem Fratrem Josephum Episcopum Warmiensem, de cujus prudentia, doctrina, atque integritate plurimum in Domino fiduciam habemus, expresse nominamus, eligimus, constituimus, et deputamus eidemque committimus, ut supradicta omnia, et singula a Nobis disposita ad praestitutum finem perducat, atque pariter ad effectum vacantes Ecclesias de idoneis Pastoribus, quae Prima necessitas est, cito providendi, et cunctas res Ecclesiasticas ad meliorem statum, et ordinem revocandi quaslibet Ecclesias congrua, et firma dotatione muniri studeat, media ad hoc necessaria benevolentissime, ac liberaliter exhibente praelaudato Serenissimo Borussiae Rege, qui magnanimi Principis animum, et propensissimam erga Catholicos ejus Imperio subjectos voluntatem pro ordinandis absque ulla mora Dioecesibus omnibus Regni Borussiae aperte declaravit, et sequentibus ratione ac modo stabilienda, et applicanda proposuit.

(XLII.) Super publicis Regni Sylvis nominatim designandis tot Census auctoritate Regia imponentur, quot erunt Dioeceses dotandae, et in respectiva quantitate, ut ex iis annui fructus ab omnibus cujuscumque generis oneribus prorsus libere percipi possint qui satis sint, vel ad integram ipsarum Dioecesium dotationem si nullam actu habeant, vel ad Supplementum ejusdem dotationis si partem aliquam suorum Bonorum adhuc possideant, ita ut Singulae Dioeceses eos annuos reditus imposterum habeant, qui reditibus pro Archiepiscopali, vel Episcopali mensa, pro Capitulo, pro Seminario Dioecesano, proque suffraganeo statutis in quantitate singulis inferius designanda perfecte respondeant, atque hujusmodi Censuum proprietas per Instrumenta in legitima validaque Regni forma stipulanda, et a praelaudato Rege subscribenda unicuique Ecclesiae conferetur. Et quoniam enunciatae Sylvae, prout et publica Bona omnia Regni Borussiae, ob aes alienum, a Gubernio, bellorum causa contractum, hypotheca gravata sunt, atque ob id super nulla earum parte Census imponi eorumque fructus percipi, salva fide, possunt, antequam imminuta, per solutiones a Gubernio

Creditoribus hypothecariis factas, aeris alieni summa, sufficiens sylvarum quantitas hypothecae vinculo liberata fuerit; cumque secundum legem, qua Serenissimus Rex Creditoribus publicis cavit, anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio a Magistratibus definiendum sit, qui agri ab eo vinculo soluti, quique adhuc nexi remanebunt, hinc decernimus praedictos Census, super sylvis supramemoratis, dicto Anno millesimo octingentesimo trigesimo tertio, et citius etiam si prius antedictae sylvae ab hypotheca saltem pro rata Censuum imponendorum liberatae fuerint, esse imponendos, propterea que a singulis Dioecesibus immediate saltem post annum millesimum octingentesimum trigesimum tertium praedictorum Censuum fructus esse percipiendos, ex nunc autem usque ad totum annum millesimum octingentesimum trigesimum tertium, vel usque ad celeriorem dictorum Censuum impositionem, eandem argenti summam fructibus Censuum respondentem ab Aerariis Provincialibus unicuique Dioecesi esse numerandam. Ne vero ullo modo numerationis prorogatio ultra annum millesimum octingentesimum trigesimum tertium timeri possit, quum forte Magistratus intercesserint, ne Census imponantur, non satis diminuta publici aeris alieni quantitate, laudatus Rex ultro promisit, conceptisque verbis sese obligavit, si praeter omnem expectationem id accidat, se curaturum esse, ut tot agri Regiis impensis emantur pleno dominii jure singulis Ecclesiis tradendi, quot necessarii sint, ut eorum reditus annuas illas summas exaequent, quae a censibus percipiendae essent, nisi impedimentum illud intercessisset. Quae omnia cum Serenissimus Rex per Diplomata in valida Regni forma a se subscribenda in tuto ponere, sit pollicitus, ut plenum, et integrum effectum suo tempore sortiantur; hinc supradictus Josephus Episcopus Diplomata hujusmodi singulis Ecclesiis tradet in respectivis Archivis asservanda.

(XLIII.) Similes autem reditus ad formam promissionis Regiae, deductis oneribus, constare debebunt sequentes annuas dotationum summas, nempe pro Archiepiscopo Coloniensi, ac pro Archiepiscopo Gnesnensi et Posnaniensi duodecim millium thalerorum Borussicorum, pro Episcopis Trevirensi, Monasteriensi, Paderbornensi, et Culmensi octo millium thalerorum ejusdem monetae, pro Episcopo vero Wratislaviensi duodecim millium thalerorum dictae monetae, ultra reditus fundi Würbeniani ad ejus Episcopalem mensam spectantis pro parte Dioecesis in Regno Borussico, salvis manentibus illis reditibus, quos percipit ex reliqua Dioecesis parte temporali Dominio Charissimi in Christo Filii nostri Francisci Austriae Imperatoris, atque Hungariae, et Bohemiae Regis Apostolici subjecta; quod vero ad Warmiensis Episcopalis mensae dotationem pertinet, firmis bonis, ac reditibus, quibus actu illa mensa gaudet, nihil in praesens innovandum esse declaramus, sed aliquando ad aliarum in Regno Borussico mensarum normam Apostolica interveniente auctoritate fore conformandam.

(XLIV.) Pari methodo Metropolitanae Ecclessiae Coloniensis Capitulum dotabitur in annua Summa pro Praeposito thalerorum Borussicorum bismille, pro Decano thalerorum item bismille, pro quolibet ex duobus primis Canonicis numerariis thalerorum mille biscentum, pro quolibet ex sequentibus sex Canonicis thalerorum mille, pro quolibet ex duobus postremis Canonicis thalerorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, pro quolibet demum ex octo Vicariis, seu Praebendatis thalerorum biscentum.

(XLV.) In Archiepiscopali Ecclesia Gnesnensi pro Praeposito, et sex Canonicis quibus illud Capitulum imposterum constabit, ea redituum quantitas conservabitur, quae Praepositus, et sex Capitulares Seniores actu fruuntur. In Capitulo Archiepiscopalis Ecclesiae Posnaniensis reditus praedicto modo assignabuntur in annua Summa pro Praeposito thalerorum mille octingentorum, pro Decano thalerorum pariter mille octingentorum, pro quolibet ex duobus primis Canonicis thalerorum mille biscentum, pro quolibet ex quatuor sequentibus thalerorum mille, pro quolibet ex duobus postremis thalerorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, et pro quolibet ex octo Vicariis, seu Praebendatis thalerorum biscentum.

(XLVI.) In Capitulis Cathedralium Ecclesiarum tam Trevirensis, quam Paderbornensis pro Praeposito thalerorum mille quatuor centum, item pro Decano thalerorum mille quatuor centum, pro quolibet ex duobus primis Canonicis thalerorum mille, pro duobus sequentibus thalerorum noningentorum, pro quolibet ex quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, et pro quolibet e sex Vicariis, seu Praebendatis thaleorum biscentum.

(XLVII.) In Episcopali Ecclesia Monasteriensi, pro praeposito thalerorum mille octingentorum, ac pariter pro Decano thalerorum mille octingentorum, pro quolibet ex duobus primis Canonicis thalerorum mille biscentum, pro quolibet ex sequentibus quatuor thalerorum mille, pro quolibet ex duobus postremis thalerorum octingentorum, pro quolibet ex quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, et pro quolibet ex octo Vicariis, seu Praebendatis thalerorum biscentum.

(XLVIII.) In Ecclesia Cathedrali Culmensi pro Praeposito thalerorum mille biscentum, item pro Decano thalerorum mille biscentum, pro primo Canonico thalerorum mille, pro secundo thalerorum noningentorum, pro quolibet ex reliquis sex thalerorum octingentorum, pro quolibet e quatuor Canonicis Honorariis thalerorum centum, et pro quolibet e sex Vicariis, seu Praebendatis thalerorum biscentum.

(XLIX.) In Cathedrali Ecclesia Wratislaviensi, pro Praeposito thalerorum bismille, pro Decano similiter thalerorum bismille, pro primo Canonico Praebendam Scholastici obtinente thalerorum mille quingentorum,

pro quolibet e duobus sequentibus thalerorum mille centum, pro quolibet ex aliis septem thalerorum mille, pro quolibet e sex Canonicis Honorariis thalerorum centum, et pro quolibet ex octo Vicariis, seu Praebendatis thalerorum biscentum.

(L.) In Ecclesia vero Episcopali Warmiensi nihil circa ejus Capituli dotationem et formam ad praesens immutandum esse declaramus, reservata tamen Nobis et Romanis Pontificibus successoribus Nostris facultate illos aliquando ad reliquarum Borussici Regni Ecclesiarum normam conformandi.

(LI.) Aquisgranensis praeterea Ecclesiae per Nos in Collegiatam ut supra constitutae Capitulum, constans ex unica Praepositi Dignitate, et sex Canonicatibus eamdem annuorum redituum Summam conservabit, qua actu gaudet.

(LII.) Committimus pariter antedicto Josepho Episcopo Warmiensi, ut Clericorum Seminariis in qualibet Dioecesi opportune constabiliendis firma remanente possessione Bonorum, quae ad praesens obtinent eas vel partiales, vel integras prout necessitas atque utilitas postulabit, Bonorum dotationes attribuet, quae ab adpromissa Serenissimi Borussiae Regis liberalitate suppeditabuntur.

(LIII.) Mandamus quoque eidem Josepho Episcopo, ut pro cujuslibet Antistitis decenti residentia, vel vetera Episcopia, si commode fieri poterit, vel alias Domos ad id a Praefato Rege in respectivis Civitatibus, atque etiam alteras Ruri, si facile possit concedendas; itemque Domos pro Dignitatibus Canonicis, et Vicariis, seu Praebendatis, nec non pro Curia Ecclesiastica, pro Capitulo, et Archivo tribuendas opportune statuet, atque assignet.

(LIV.) Ad manutentionem vero Fabricarum tam Metropolitanarum, quam Cathedralium Ecclesiarum, comprehensis quoque suppressis Cathedralibus Corbejensi, et Aquisgranensi, atque ad divini cultus, ac Inservientium expensas ea Bona, ac reditus etiam in futurum conservabuntur, quae iis usibus jam sunt destinata, quaeque Serenissimus Rex diligentissime servaturum est pollicitus; et in casu extraordinariae necessitatis confidimus fore, ut rebus hisce de Thesauro Regio liberaliter provideatur.

(LV.) Antedicto Josepho Episcopo praeterea injungimus, ut cujuslibet Archiepiscopalis, et Episcopalis Ecclesiae suffraganeatus assuetae congruae Dotationi provideat, utque singulis Archiepiscopis et episcopis ad satisfaciendum expensis Vicariorum Generalium, et Curiae eam redituum tribuat quantitatem, quae a praelaudato Borussiae Rege juxta liberalem, ac providam suam promissionem hisce titulis factam constituetur.

(LVI.) Et quoniam Serenissimus Borussiae Rex ultro Nobis pollicitus est, se non modo Domos illas tam ad alendos emeritos senes, vel infirmos sacerdotes, quam ad coercendos Ecclesiasticos discolos, ubi existunt, conservaturum, sed etiam novas, ubi desunt, constabiliturum, propterea

ipsi Josepho Episcopo committimus, ut cognitis iis, quae de hac re statuerit praelaudatus Rex, auditisque respectivis Locorum Ordinariis, sub quorum jurisdictione hujusmodi Domus manere debebunt, omnia quae opus erunt circa memoratas Domos earumque congruam dotationem disponat.

(LVII.) Cum vero in suppressis Corbejensi, et Aquisgranensi Cathedralibus Ecclesiis Sacra reperiantur suppellectilia ad Pontificalia in illis exercenda non amplius necessaria, facultatem praedicto Josepho Episcopo concedimus, ut ea in usum, et commodum Archiepiscopalis Ecclesiae Coloniensis, si opus fuerit, sin minus in usum aliarum Regni Ecclesiarum, quae iis indigeant, libere valeat convertere.

(LVIII). Habita nunc ratione redituum supramemoratis Archiepiscopalibus, et Episcopalibus Regni Borussiae Ecclesiis ad praesens respective adsignatorum, in Libris Camerae Apostolicae prout sequitur, nempe Ecclesiam Coloniensem in Florenis Mille auri de Camera, Ecclesias invicem unitas Gnesnensem et Posnaniensem in Florenis pariter Mille, Ecclesiam Wratislaviensem in Florenis mille centum sexaginta sex cum duobus tertiis, Ecclesiasque Trevirensem, Monasteriensem, Paderbornensem, Culmensem, et Warmiensem in Florenis sexcentum sexaginta sex cum duobus tertiis taxari mandamus.

(LIX.) Ut autem cuncta a Nobis ut supra disposita rite, feliciter, ac celeriter ad optatum exitum perducantur supradicto Josepho Episcopo Warmiensi harum Literarum Exequutori deputato omnes, et singulas ad hujusmodi effectum necessarias, et opportunas concedimus facultates, ut praeviis respectivis dotationibus per Instrumenta in valida Regni forma exaranda ad uniuscujusque Ecclesiae cum suo capitulo, sive erectionem sive novam ordinationem, ac respectivi Territorii Dioecesani circumscriptionem procedere, aliaque omnia ut supra ordinata peragere, atque statuere delegata sibi Apostolica auctoritate libere, et licite possit et valeat; atque ulterius ipsi Josepho Episcopo facultatem pariter tribuimus, ut ad plenam rerum omnium in Locis praesertim ab ejus residentia remotis executionem unam, seu plures, personam vel personas in simili, vel alia Dignitate Ecclesiastica constitutam, vel constitutas subdelegare, et tam ipse Josephus, quam persona, vel personae ab eo sic subdeleganda, vel subdelegandae super quacumque oppositione, in actu executionis hujusmodi quomodolibet forsan oritura, servatis tamen de jure servandis etiam definitive, et quacumque appellatione remota pronunciare libere item, ac licite possint, et valeant, ac quilibet eorum respective possit et valeat.

(LX.) Eidem vero Josepho Episcopo expresse injungimus ac mandamus ut exempla singulorum actorum tam per se, quam per ab eo Subdelegatos in praesentium Literarum executionem conficiendornm intra Quadrimestre ab expleta ipsarum executione ad hanc Apostolicam Sedem

in authentica forma transmittat in Archivio Congregationis rebus Consistorialibus praepositae de more asservanda.

(LXI.) Praesentes autem Literas, et in eis contenta, ac statuta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet in praemissis, vel in eorum aliquo jus, aut interesse habentes, vel quomodolibet etiam in futurum habere praetendentes cujusvis status, ordinis, conditionis, et praeeminentiae, ac etiam specifica, expressa, et individua mentione digni sint, illis non consenserint, seu quod aliqui ex ipsis ad praemissa minime vocati, vel etiam nullimodo, aut non satis auditi fuerint, sive ex alia qualibet etiam laesionis, vel alia juridica privilegiata, ac privilegiatissima causa, colore, praetextu, et capite etiam in corpore juris clauso, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel interesse habentium consensus, aliove quolibet defectu quantumvis magno, inexcogitato, substantiali, ac substantialissimo, sive etiam ex eo quod in praemissis Solemnitates, et quaecumque alia forsan servanda, et adimplenda, minime servata, et adimpleta, seu causae propter quas praesentes emanaverint non sufficienter adductae, verificatae, et justificatae fuerint, notari, impugnari, aut alias infringi, suspendi, restringi, limitari, vel in controversiam vocari, seu adversus eas restitutionis in integrum, aperitionis oris, aut aliud quodcumque Juris, facti, vel justitiae remedium impetrari, aut sub quibusvis, contrariis constitutionibus, revocationibus, suspensionibus, limitationibus, decretis, aut declarationibus, generalibus, vel specialibus quomodolibet factis minime posse comprehendi, sed semper ab illis exceptas esse, et fore, ac tamquam ex Pontificiae Providentiae Officio certa scientia, et potestatis plenitudine Nostris factas, et emanatas, omnimoda firmitate perpetuo validas, et efficaces existere, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum perpetuo, et inviolabiliter observari, ac supradictarum Ecclesiarum Episcopis, et Capitulis aliisque, quorum favorem praesentes Nostrae Literae concernunt perpetuis futuris temporibus plenissime suffragari debere, eosdemque super praemissis omnibus, et singulis, vel illorum causa ab aliquibus quavis auctoritate fungentibus quomodolibet molestari, perturbari, inquietari, vel impediri, neque ad probationem, seu verificationem quorumcumque in iisdem praesentibus narratorum nullatenus unquam teneri, neque ad id in judicio, vel extra cogi, seu compelli posse, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari irritum, et prorsus inane esse, ac fore volumus, atque decernimus.

(LXII.) Non obstantibus de jure quaesito non tollendo, de suppressionibus committendis ad partes vocatis quorum interest, aliisque Nostris, et Cancellariae Apostolicae regulis, nec non dictarum Ecclesiarum etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, Indultis, et Con-

cessionibus quamvis specifica, et individua mentione dignis, omnibusque et singulis Apostolicis, ac in Synodalibus Provincialibus, et Universalibus Conciliis editis specialibus, vel generalibus Constitutionibus, et ordinationibus, quibus omnibus, et singulis eorumque totis tenoribus, ac formis, etiam si specialis, specifica, et individua mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret illorum tenores, ac si de verbo, ad verbum, nihil penitus omisso, et forma, in illis tradita, observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habentes ad praemissorum omnium, et singulorum effectum latissime, et plenissime, ac specialiter, et expresse ex certa scientia, et potestatis plenitudine paribus derogamus, et derogatum esse declaramus, caeterisque contrariis quibuscumque.

(LXIII.) Volumus praeterea, ut harum Literarum Nostrarum Transumptis, etiam impressis, manu tamen alicujus Notarii Publici subscriptis, et Sigillo Personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

(LXIV.) Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae suppressionis, extinctionis, annullationis, restitutionis, erectionis, unionis, dismembrationis, disjunctionis, separationis, aggregationis, applicationis, circumscriptionis, concessionis, Indulti, elargitionis, assignationis, suppletionis, subjectionis, attributionis, statuti, declarationis, commissionis, deputationis, Mandati, Decreti, derogationis, et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, Indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo vigesimo primo, decimo septimo Kalendas Augusti, Ponfificatus Nostri Anno vigesimo secundo.

74. GREGORIUS XVI. (1831—1846).

* *Bullarium Romanum.* Cont. Tom. XIX. p. 38 seq. Wagner, *Papst Gregor XVI., sein Leben und sein Pontificat.* Sulzbach 1846. Döllinger, *Kirche und Kirchen, Papsthum und Kirchenstaat.* München 1861. p. 561 seq. Gams, *Geschichte der Kirche Christi im 19. Jahrhundert* Innsbruck 1853—1856. Tom. II. p. 495 seq. Sylvain, *Grégoire XVI. et son pontificat.* Lille 1890. Nürnberger, *Zur Kirchengeschichte des 19. Jahrhundert. (Papsthum und Kirchenstaat).* Tom. II. p. 165—166.

[De ratione agendi a Sede Apostolica in commutationibus regnorum et principum servanda.]

Gregorius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad Futuram Rei Memoriam.

Sollicitudo Ecclesiarum, qua Romani Pontifices ex commissa sibi divinitus Christiani Gregis custodia assidue urgentur, eo ipsos impellit, ut

quod in terrarum gentiumque omnium orbe ad rectam rei sacrae procurationem, atque ad animarum salutem magis expediat, nitantur impense conciliare. Ea tamen identidem est temporum conditio, eae in imperio statuque civitatum vicissitudines, commutationesque, ut inde praepediantur ipsi haud raro, quominus spiritualibus populorum necessitatibus prompte libereque subveniant. Posset enim ab iis potissimum, qui secundum elementa mundi sapiunt, rapi in invidiam auctoritas eorumdem, quasi studio partium permoti judicium quodammodo de personarum juribus ferant, si pluribus de principatu contendentibus quidpiam ipsi pro illarum regionum Ecclesiis ac praesertim ad earum episcopos adsciscendos decernant, re cum iis collata, qui actu ibidem summa rerum potiuntur. Infestam hanc, perniciosamque suspicionem omni fere aetate insectati sunt Romani Pontifices, quorum tanti interest, ipsius fallaciam patefieri, quanti stat aeterna illorum salus, quibus ob id causae opportuna denegentur, vel saltem diutius, ac par est, differantur auxilia.

Huc sane dumtaxat spectavit felicis recordationis praedecessor noster Clemens V., qui in Generali Viennensi Concilio saluberrima Constitutione cautum edicit, ut *si quem Summus Pontifex sub titulo cujuslibet dignitatis ex certa scientia, verbo, constitutione, vel literis nominet, honoret, seu quovis alio modo tractet, per hoc in dignitate illa ipsum approbare non intelligatur, aut quicquam ei tribuere novi juris.*

Id et luculentissime testatus est Joannes XXII., quando ad Robertum Brusium, qui regem Scotorum agebat, litteras concordiae caussa se dare scripsit *sub regia intitulatione,* probe gnarus, per eam ex Clementinae Constitutionis praescripto *nec juris regis Angliae detrahi, nec ipsi novum aliquod jus acquiri.* Quod ne dum binis ad ipsum Robertum litteris denunciavit, sed et epistola officii plena expresse admonuit Eduardum Angliae Regem, cum quo de Scotiae dominatu contentio illa fervebat, ne scilicet *per huiusmodi intitulationem* censeret, quidpiam alterutrius juri vel accrevisse vel esse detractum.

Nec absimili consilio Pius II. usus est, quando de Hungarorum principatu inter Imperatorem Fridericum et Mathiam Joannis Huniadis filium dimicabatur. Respondit quippe, illum a se ex more nuncupari regem, qui regnum teneret, quo actu nulli inquit detrimentum se arbitrari illatum.

Hanc porro agendi rationem, quam ab apostolica sede vel a priscis temporibus servatam novimus, constitutione, quam *in perpetuum valituram et irrefragabilem* dixit, ratam habuit Xistus IV., fel. rec. pariter praedecessor noster, atque speciatim confirmavit, ut nimirum *si qui pro regibus, aut in aliqua dignitate constitutis a Romanis Pontificibus recepti, nominati, aut tractati fuerint tam per se, quam per nuntios, aut ipsimet se nominaverint, et ab aliis quibuslibet pro talibus nominati, recepti, vel tractati fuerint, ac si personaliter aut per eorum oratores in consistoriis, vel aliis quibuslibet*

actibus collocati, vel admissi etiam coram Pontifice extiterint, nullum, ipsis ex similibus actibus in regnis et dignitatibus hujusmodi jus quomodo libet de novo acquiratur, vel aliis jus habentibus praejudicium aliquod inferatur.

Hinc ad praestitutam hisce Constitutionibus normam superiori saeculo Clemens XI. immortalis memoriae Pontifex nedum titulo catholici regis serenissimum Austriae archiducem Carolum nuncupavit, sed et *jurium illi adnexorum usum, quod ditiones, quas tenebat, seu forsan ipsum de cetero tenere contigisset, minime in posterum se denegaturum monuit,* diserte in consitorio professus, se praenuntiatas praedecessorum constitutiones adprobare, et innovare, ut ita jura eorum praesertim, qui de Hispanici regni successione contendebant, *aequaliter salva* remanerent.

Verum si hoc fuit semper in more positum, institutoque apostolicae Sedis, sub memoratis conditionibus rectae sacrarum rerum procurationi ubique instare, quin illa inde pro cognoscendis, decernendisve dominantium juribus sancita censeretur dispositio; id certe multo magis in tanta rerum publicarum mobilitate, atque in crebris ipsarum conversionibus curandum nobis est, ne humanis ex rationibus deserere quodammodo Ecclesiae caussam videamur.

Quare audita selecta venerabilium fratrum nostrum S. R. E. cardinalium congregatione, de apostolicae potestatis plenitudine, motu proprio, ac de matura deliberatione, praedictam constitutionem felicis recordationis Clementis V. praedecessoris nostri, quam occasione non absimilium super aliquo principatu contentionum ceteri praedecessores nostri Ioannes XXII., Pius II., Xistus IV. et Clemens XI. approbarunt et innovarunt, exemplis eorumdem inducti, iisque prorsus inhaerentes, similiter approbamus, ac denue sancimus, declarantes pro futuris quoque temporibus, quod si quis a nobis vel a successoribus nostris, ad spiritualis ecclesiarum fideliumque regiminis negotia componenda, titulo cujuslibet dignitatis etiam regalis ex certa scientia, verbo, constitutione, vel literis aut legatis quoque hinc inde oratoribus nominetur, honoretur, seu quovis alio modo, actuve, quo talis in eo dignitas facto agnoscatur, aut si eadem ob caussas cum iis, qui alio quocumque gubernationis genere rei publicae praesunt, tractari, aut sanciri aliquid contigerit, nullam ex actibus, ordinationibus et conventionibus id generis ius iisdem attributum, acquisitum, probatumque sit, ac nullum adversus ceterorum iura et privilegia ac patronatus discrimen, iacturaeque et immutationis argumentum illatum censeri possit ac debeat: quam quidem de iurium partium incolumitate conditionem pro adiecta actibus istius modi habendam semper esse edicimus, decernimus, et mandamus, illud iterum nostro ac romanorum pontificum successorum nostrorum nomine denuntiantes, in huiusce modi temporum, locorum, personarumque circumstantiis ea tantum quaeri, quae Christi sunt, atque unice, veluti susceptorum

consiliorum finem, ea ob oculos versari, quae ad spiritualem aeternamque populorum felicitatem facilius conducant.

Decernentes, hasce literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab eis ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit inviolabiliter observari debere: in contrarium facientibus etiam expressa specifica et individua mentione dignis non obstantibus quibuscumque. Nulli ergo omnimo hominum liceat hanc paginam nostrae approbationis, sanctionis, declarationis, denunciationis, decreti, mandati ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire: si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum. — Datum Romae apud Sactam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo trigesimo primo nonis Augusti, pontificatus nostri anno primo.

B. card. Pacca, pro-dat. Th. card. Bernettus.
Visa de Curia.
D. Testa. V. Cugnonius.
Loco † plumbi.

75. CONVENTIO INTER S. S. PIUM IX. ET M. S. FRANCISCUM JOSEPHUM I. IMPERATOREM AUSTRIAE (a. 1855).

* Ginzel, *Handbuch des neuesten in Oesterreich geltenden Kirchenrechtes.* Wien 1862. App. p. 7—27. *Acta et decreta Conciliorum recentiorum. Coll. Lacensis.* Friburgi i. B. 1870 seq. Tom V. p. 1321 seq. *Oesterr. Reichsgesetzblatt* Nr. 3. p. 27. Kremer-Auenrode, *Aktenstücke zur Geschichte des Verhältnisses zwischen Staat und Kirche im 19. Jahrhundert.* Leipzig 1873—1880. Tom. I. p. 191 seq. Beidtel, *Untersuchungen über die kirchlichen Zustände in Oesterreich vor, während und nach der Revolution von 1848.* Innsbruck 1849. Jacobson, *Ueber das österreichische Concordat.* Leipzig 1856. Fessler, *Studien über das österr. Concordat.* Wien 1856. Loberschiner, *Versuch einer Erläuterung des österr. Concordats.* Wien 1856. Vergottini, *Analisi del Concordato Austriaco.* Venezia 1856. Wiesemann, *Vier Vorträge über Concordate, insbesondere das österr. Concordat.* Köln 1858. Buss, *Oesterr. Umbau des Verhältnisses zwischen Reich und Kirche.* Wien 1861. *Archiv für kathol. Kirchenrecht.* Tom. I. p. 180. 218, 365. Schulte, *Katholisches Kirchenrecht.* Giessen 1860. Tom. I. p. 186. Maassen, *Neun Capiteln über freie Kirche und Gewissensfreiheit.* Graz 1876. Vering, *Lehrbuch des kathol. oriental. und protestant. Kirchenrechtes.* Freiburg i. B. 1893. p. 120. Hussareck, *Grundriss des österr. Staatskirchenrechtes.* Leipzig 1899. p. 166. Galante, *Le leggi e ordinanze in materia di culto della Monarchia Austriaca.* Innsbruck 1900. p. 205 seq.

In Nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius IX. et Majestas Sua Caesarea-Regia Apostolica Franciscus Josephus I. Austriae Imperator, concordibus effecturi studiis, ut fides, pietas et omnis recti honestique vigor in Austriae Imperio conservetur et augescat, de Ecclesiae catholicae statu in eodem Imperio solemnem conventionem inire decreverunt.

Quapropter Sanctissimus Pater in Plenipotentiarium Suum nominavit: Eminentissimum Dominum Michaëlem Sacrae Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem Viale-Prelà, ejusdem Sanctitatis Suae et Sanctae Sedis apud praefatam Apostolicam Majestatem Pro-Nuntium, et Majestas Sua, Imperator Austriae, Celsissimum Dominum Josephum Othmarum de Rauscher, Principem Archiepiscopum Viennensem, Solio Pontificio Adsistentem, Caesarei Austriaci Ordinis Leopoldini Praelatum et magnae Crucis Equitem, nec non ejusdem Majestatis Caesareae a consiliis intimis.

Qui post plenipotentiae ipsis collatae instrumenta mutuo sibi tradita atque recognita de sequentibus convenerunt:

Art. I. Religio catholica Apostolica Romana in toto Austriae Imperio et singulis, quibus constituitur ditionibus, sarta tecta conservabitur semper cum iis juribus et praerogativis, quibus frui debet ex Dei ordinatione et canonicis sanctionibus.

Art. II. Cum Romanus Pontifex primatum tam honoris quam jurisdictionis in universam, qua late patet, Ecclesiam jure divino obtineat, Episcoporum, Cleri et populi mutua cum Sancta Sede communicatio in rebus spiritualibus et negotiis ecclesiasticis nulli placetum regium obtinendi necessitati suberit, sed prorsus libera erit.

Art. III. Archiepiscopi, Episcopi omnesque locorum Ordinarii cum Clero et populo dioecesano pro munere officii pastoralis libere communicabunt, libere item suas de rebus ecclesiasticis instructiones et ordinationes publicabunt.

Art. IV. Archiepiscopis et Episcopis id quoque omne exercere liberum erit, quod pro regimine Dioecesium sive ex declaratione sive ex dispositione sacrorum Canonum juxta praesentem et a Sancta Sede adprobatam Ecclesiae disciplinam ipsis competit, ac praesertim:

a) Vicarios, Consiliarios et adjutores administrationis suae constituere ecclesiasticos, quoscunque ad praedicta officia idoneos judicaverint.

b) Ad statum clericalem assumere et ad sacros ordines secundum Canones promovere, quos necessarios aut utiles Dioecesibus suis iudicaverint, et e contrario, quos indignos censuerint, a susceptione ordinum arcere.

c) Beneficia minora erigere atque collatis cum Caesarea Majestate consiliis, praesertim pro convenienti redituum assignatione, Parochias instituere, dividere vel unire.

d) Praescribere preces publicas, aliaque pia opera, cum id bonum Ecclesiae aut Status populive postulet, sacras pariter supplicationes et peregrinationes indicere, funera aliasque omnes sacras functiones servatis quoad omnia canonicis praescriptionibus moderari.

e) Convocare et celebrare ad sacrorum Canonum normam Concilia provincialia et Synodos dioecesanas, eorumque acta vulgare.

Art. V. Omnis juventutis catholicae institutio in cunctis scholis tam publicis quam privatis conformis erit doctrinae Religionis catholicae; Episcopi autem ex proprii pastoralis officii munere dirigent religiosam juventutis educationem in omnibus instructionis locis et publicis et privatis atque diligenter advigilabunt, ut in quavis tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae Religioni, morumque honestati adversetur.

Art. VI. Nemo sacram Theologiam, disciplinam catecheticam vel Religionis doctrinam in quocunque instituto vel publico vel privato tradet, nisi cum missionem tum auctoritatem obtinuerit ab Episcopo dioecesano, cujus eandem revocare est, quando id opportunum censuerit. Publici Theologiae professores et disciplinae catecheticae magistri, postquam sacrorum Antistes de candidatorum fide, scientia ac pietate sententiam suam exposuerit, nominabuntur ex iis, quibus docendi missionem et auctoritatem conferre paratum se exhibuerit. Ubi autem theologicae facultatis professorum quidam ab Episcopo ad Seminarii sui alumnos in Theologia erudiendos adhiberi solent, in ejusmodi professores nunquam non assumentur viri, quos sacrorum Antistes ad munus praedictum obeundum prae ceteris habiles censuerit. Pro examinibus eorum, qui ad gradum doctoris Theologiae vel sacrorum Canonum adspirant, dimidiam partem examinantium Episcopus dioecesanus ex doctoribus Theologiae vel sacrorum Canonum constituet.

Art. VII. In gymnasiis et omnibus, quas medias vocant, scholis pro juventute catholica destinatis nonnisi viri catholici in professores seu magistros nominabuntur, et omnis institutio ad vitae Christianae legem cordibus inscribendam pro rei, quae tractatur, natura composita erit. Quinam libri in iisdem scholis ad religiosam tradendam instructionem adhibendi sint, Episcopi collatis inter se consiliis statuent. De Religionis magistris pro publicis gymnasiis mediisque scholis deputandis firma manebunt, quae hac de re salubriter constituta sunt.

Art. VIII. Omnes scholarum elementarium pro catholicis destinatarum magistri inspectioni ecclesiasticae subditi erunt. Inspectores scholarum dioecesanos Majestas Sua Caesarea ex viris ab Antistite diocesano propositis nominabit. Casu, quo iisdem in scholis instructioni religiosae haud sufficienter provisum sit, Episcopus virum ecclesiasticum, qui discipulis catechismum tradat, libere constituet. In ludimagistrum assumendi fides et conversatio intemerata sit oportet. Loco movebitur, qui a recto tramite deflexerit.

Art. IX. Archiepiscopi, Episcopi omnesque locorum Ordinarii propriam auctoritatem omnimoda libertate exercebunt, ut libros Religioni morumque honestati perniciosos censura perstringant et fideles ab eorundem lectione avertant. Sed et Gubernium, ne ejusmodi libri in Imperio divulgentur, quovis opportuno remedio cavebit.

Art. X. Quum caussae ecclesiasticae omnes et in specie, quae fidem,

sacramenta, sacras functiones nec non officia et jura ministerio sacro annexa respiciunt, ad Ecclesiae forum unice pertineant, easdem cognoscet judex ecclesiasticus, qui perinde de caussis quoque matrimonialibus juxta sacros Canones et Tridentina cumprimis decreta judicium feret, civilibus tantum matrimonii effectibus ad judicem saecularem remissis, Sponsalia quod attinet, auctoritas ecclesiastica judicabit de eorum existentia et quoad matrimonium impediendum effectibus, servatis, quae idem Concilium Tridentinum et Apostolicae Litterae, quorum initium: «Auctorem fidei» constituunt.

Art. XI. Sacrorum Antistitibus liberum erit, in Clericos honestum habitum clericalem eorum ordini et dignitati congruentem non deferentes aut quomodocunque reprehensione dignos poenas a sacris Canonibus statutas et alias, quas ipsi Episcopi convenientes judicaverint, infligere, eosque in monasteriis, Seminariis aut domibus ad id destinandis custodire. Iidem nullatenus impedientur, quominus censuris animadvertant in quoscunque fideles ecclesiasticarum legum et Canonum transgressores.

Art. XII. De jure patronatus judex ecclesiasticus cognoscet: consentit tamen Sancta Sedes, ut, quando de laicali patronatu agatur, tribunalia saecularia judicare possint de successione quoad eundem patronatum, seu controversiae ipsae inter veros et suppositos patronos agantur seu inter ecclesiasticos viros, qui ab iisdem patronis designati fuerint.

Art. XIII. Temporum ratione habita Sanctitas Sua consentit, ut Clericorum caussas mere civiles, prout contractuum, debitorum, hereditatum judices saeculares cognoscant et definiant.

Art. XIV. Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit, quominus caussae ecclesiasticorum pro criminibus seu delictis, quae poenalibus Imperii legibus animadvertuntur, ad judicem laicum deferantur; cui tamen incumbet, Episcopum ea de re absque mora certiorem reddere. Praeterea in reo deprehendendo et detinendo ii adhibebuntur modi, quos reverentia status clericalis exigit. Quodsi in ecclesiasticum virum mortis vel carceris ultra quinquenium duraturi sententia feratur, Episcopo nunquam non acta judiciaria communicabuntur, et condemnatum audiendi facultas fiet, in quantum necessarium sit, ut de poena ecclesiastica eidem infligenda cognoscere possit. Hoc idem Antistite petente praestabitur, si minor poena decreta fuerit. Clerici carceris poenam semper in locis a saecularibus separatis luent. Quodsi autem ex delicto vel transgressione condemnati fuerint, in monasterio vel alia ecclesiastica domo recludentur.

In hujus articuli dispositione minime comprehendentur caussae majores, de quibus Sacrum Concilium Tridentinum sess. XXIV. c. 5. de reform. decrevit. Iis pertractandis Sanctissimus Pater et Majestas Sua Caesarea, si opus fuerit, providebunt.

Art. XV. Ut honoretur domus Dei, qui est Rex Regum et Dominus

Dominantium, sacrorum templorum immunitas servabitur, in quantum id publica securitas et ea, quae justitia exigit, fieri sinant.

Art. XVI. Augustissimus Imperator non patietur, ut Ecclesia catholica ejusque fides, liturgia, institutiones sive verbis, sive factis, sive scriptis contemnantur aut Ecclesiarum Antistites vel Ministri in exercendo munere suo pro custodienda praesertim fidei ac morum doctrina et disciplina Ecclesiae impediantur. Insuper efficax, si opus fuerit, auxilium praestabit, ut sententia ab Episcopis in Clericos officiorum oblitos latae executioni demandentur. Desiderans praeterea, ut debitus juxta divina mandata sacris Ministris honor servetur, non sinet quidquam fieri, quod dedecus eisdem afferre, aut eos in contemptum adducere possit, immo vero mandabit, ut omnes Imperii Sui Magistratus et ipsis Archiepiscopis seu Episcopis et Clero quacunque occasione reverentiam atque honorem eorum dignitati debitum exhibeant.

Art. XVII. Seminaria episcopalia conservabuntur, et ubi dotatio eorum haud plene sufficiat fini, cui ad mentem sacri Concilii Tridentini inservire debent, ipsi augendae congruo modo providebitur. Praesules dioecesani eadem juxta sacrorum Canonum normam pleno et libero jure gubernabunt et administrabunt. Igitur praedictorum Seminariorum rectores et professores seu magistros nominabunt, et quotiescunque necessarium aut utile ab ipsis censebitur, removebunt. Adolescentes et pueros in iis efformandos recipient, prout Dioecesibus suis expedire in Domino judicaverint. Qui studiis in Seminariis hisce vacaverint, ad scholas alius cujuscunque instituti praevio idoneitatis examine admitti nec non servatis servandis pro qualibet extra Seminarium cathedra concurrere poterunt.

Art. XVIII. Sancta Sedes, proprio utens jure, novas Dioeceses eriget ac novas earumdem peraget circumscriptiones, cum id spirituale fidelium bonum postulaverit. Verumtamen quando id contigerit, cum Gubernio Imperiali consilia conferet.

Art. XIX. Majestas Sua Caesarea in seligendis Episcopis, quos vigore privilegii Apostolici a Serenissimis Antecessoribus Suis ad Ipsam devoluti a Sancta Sede canonice instituendos praesentat seu nominat, imposterum quoque Antistitum imprimis comprovincialium consilio utetur.

Art. XX. Metropolitae ac Episcopi, antequam Ecclesiarum suarum gubernacula suscipiant, coram Caesarea Majestate fidelitatis juramentum emittent sequentibus verbis expressum: «Ego juro et promitto ad Sancta Dei Evangelia, sicut decet Episcopum, obedientiam et fidelitatem Caesareo-Regiae Apostolicae Majestati et Successoribus Suis; juro item et promitto, me nullam communicationem habiturum nullique consilio interfuturum, quod tranquillitati publicae noceat, nullamque suspectam unionem neque intra neque extra Imperii limites conservaturum, atque si publicum aliquod periculum imminere resciverim, me ad illud avertendum nihil ommissurum.»

Art. XXI. In cunctis Imperii partibus Archiepiscopis, Episcopis et viris ecclesiasticis omnibus liberum erit, de his, quae mortis tempore relicturi sint, disponere juxta sacros Canones, quorum praescriptiones et a legittimis eorum haeredibus ab intestato successuris diligenter observandae erunt. Utroque tamen in casu excipientur Antistitum dioecesanorum ornamenta et vestes pontificales, quae omnia veluti mensae episcopali propria erunt habenda et ideo ad Successores Antistites transibunt. Hoc idem observabitur quoad libros, ubi usu receptum est.

Art. XXII. In omnibus Metropolitanis seu Archiepiscopalibus suffraganeisque Ecclesiis Sanctitas Sua primam dignitatem conferet, nisi patronatus laicalis privati sit, quo casu secunda substituetur. Ad caeteras dignitates et praebendas canonicales Majestas Sua nominare perget, exceptis permanentibus iis, quae liberae collationis episcopalis sunt, vel juri patronatus legitime adquisito subjacent. In praedictarum Ecclesiarum Canonicos non assumentur, nisi sacerdotes, qui et dotes habeant a Canonibus generaliter praescriptas et in cura animarum aut in negotiis ecclesiasticis seu in disciplinis sacris tradendis cum laude versati fuerint. Sublata insuper erit natalium nobilium sive nobilitatis titulorum necessitas, salvis tamen conditionibus, quasi in fundatione adjectas esse constet. Laudabilis vero consuetudo, Canonicatus publico indicto concursu conferendi, ubi viget, diligenter conservabitur.

Art. XXIII. In Ecclesiis Metropolitanis et Episcopalibus, ubi desint, tum Canonicus Poenitentiarius tum Theologalis, in Collegiatis vero Theologalis Canonicus juxta modum a sacro Tridentino Concilio praescriptum (sess. V. c. 1. et sess. XXIV. c. 8. de reform.), ut primum fieri potuerit, constituentur, Episcopis praefatas praebendas secundum ejusdem Concilii sanctiones et Pontificia respective decreta conferentibus.

Art. XXIV. Parochiis omnibus providebitur publico indicto concursu et servatis Concilii Tridentini praescriptionibus. Pro parochiis ecclesiastici patronatus praesentabunt patroni unum ex tribus, quos Episcopus enuntiata superius forma proposuerit.

Art. XXV. Sanctitas Sua, ut singularis benevolentiae testimonium Apostolicae Francisci Josephi Imperatoris et Regis Majestati praebeat, Eidem atque catholicis Ejus in Imperio Successoribus indultum concedit, nominandi ad omnes Canonicatus et Parochias, quae juri patronatus ex fundo Religionis seu Studiorum derivanti subsunt, ita tamen, ut seligat unum ex tribus, quos publico concursu habito Episcopus ceteris digniores judicaverit.

Art. XXVI. Parochiis, quae congruam pro temporum et locorum ratione sufficientem non habeant, dos, quam primum fieri poterit, augebitur et parochis catholicis ritus orientalis eodem ac latini modo consuletur. Ceterum praedicta non respiciunt Ecclesias parochiales juris patronatus sive ecclesiastici sive laicalis, canonice adquisiti, quarum onus respectivis patronis

incumbet. Quodsi patroni obligationibus eis a lege ecclesiastica impositis haud plene satisfaciant, et praesertim, quando parocho dos ex fundo Religionis constituta sit, attentis pro rerum statu attendendis providendum erit.

Art. XXVII. Cum jus in bona ecclesiastica ex canonica institutione derivet, omnes, qui ad beneficia quaecunque vel majora vel minora nominati seu praesentati fuerint, bonorum temporalium eisdem annexorum administrationem nonnisi virtute canonicae institutionis assumere poterunt. Praeterea in possessione Ecclesiarum cathedralium, bonorumque annexorum, quae in canonicis sanctionibus et praesertim in Pontificali et Ceremoniali Romano praescripta sunt, adcurate observabuntur, quocunque usu sive consuetudine in contrarium sublata.

Art. XXVIII. Regulares, qui secundum Ordinis sui constitutiones subjecti sunt Superioribus Generalibus penes Apostolicam Sedem residentibus, ab iisdem regentur ad praefatarum constitutionum normam, salva tamen Episcoporum auctoritate juxta canonum et Tridentini praecipue Concilii sanctiones. Igitur praedicti Superiores Generales cum subditis cunctis in rebus ad ministerium ipsis incumbens spectantibus libere communicabunt, libere quoque visitationem in eosdem exercebunt. Porro regulares absque impedimento respectivi Ordinis, Instituti seu Congregationis regulas observabunt, et iuxta Sanctae Sedis praescriptiones candidatos ad novitiatum et ad professionem religiosam admittent. Haec omnia pariter observabuntur quoad moniales in iis, quae ipsas respiciunt.

Archiepiscopis et Episcopis liberum erit, in propriis Dioecesibus Ordines seu Congregationes religiosas utriusque sexus juxta sacros canones constituere; communicabunt tamen ea de re cum Gubernio Imperiali consilia.

Art. XXIX. Ecclesia jure suo pollebit, novas justo quovis titulo libere acquirendi possessiones ejusque proprietas in omnibus, quae nunc possidet, vel imposterum acquiret, inviolabilis solemniter erit. Proinde quoad antiquas novasque ecclesiasticas fundationes nulla vel suppressio vel unio fieri poterit, absque interventu auctoritatis Apostolicae Sedis, salvis facultatibus a Sacro Concilio Tridentino Episcopis tributis.

Art. XXX. Bonorum ecclesiasticorum administratio apud eos erit, ad quos secundum Canones spectat. Attentis autem subsidiis, quae Augustissimus Imperator ad Ecclesiarum necessitatibus providendum ex publico aerario benigne praestat et praestabit, eadem bona vendi vel notabili gravari onere non poterunt, nisi tum Sancta Sedes, tum Majestas Sua Caesarea aut ii, quibus hoc munus demandandum duxerint, consensum tribuerint.

Art. XXXI. Bona, quae fundos, uti appellant, Religionis et studiorum constituunt, ex eorum origine ad Ecclesiae proprietatem spectant, et nomine Ecclesiae administrabuntur, Episcopis inspectionem ipsis debitam exercentibus juxta formam, de qua Sancta Sedes cum Majestate Sua Cae-

sarea conveniet. Reditus fundi Religionis, donec collatis inter Apostolicam Sedem et Gubernium Imperiale consiliis, fundus ipse dividatur in stabiles et ecclesiasticas dotationes, erunt erogandi in divinum cultum, in Ecclesiarum aedificia et in Seminaria et in ea omnia, quae ecclesiasticum respiciunt ministerium. Ad supplenda, quae desunt, Majestas Sua eodem, quo hucusque, modo imposterum quoque gratiose succurret; immo si temporum ratio permittat, et ampliora subministraturus est subsidia. Pari modo reditus fundi studiorum unice impendentur in catholicam institutionem et juxta piam fundatorum mentem.

Art. XXXII. Fructus beneficiorum vacantium, in quantum hucusque consuetum fuit, inferentur fundo Religionis, eique Majestas Sua Caesarea proprio motu assignat quoque Episcopatuum et Abbatiarum saecularium per Hungariam et ditiones quondam annexas vacantium reditus, quos Ejusdem in Hungariae regno Praedecessores per longam saeculorum seriem tranquille possederunt. In illis Imperii provinciis, ubi fundus Religionis haud extat, pro quavis Dioecesi instituentur commissiones mixtae, quae juxta formam et regulam, de quibus Sanctitas Sua cum Caesarea Majestate conveniet, tam mensae episcopalis quam beneficiorum omnium bona vacationis tempore administrabunt.

Art. XXXIII. Cum durante praeteritarum vicissitudinum tempore plerisque in locis Austriacae ditionis ecclesiasticae decimae civili lege de medio sublatae fuerint, et attentis peculiaribus circumstantiis fieri non possit, ut earundem praestatio in toto Imperio restituatur, istante Majestate Sua et intuitu tranquillitatis publicae, quae Religionis vel maxime interest, Sanctitas Sua permittit ac statuit, ut salvo jure exigendi decimas, ubi de facto existit, aliis in locis earumdem decimarum loco seu compensationis titulo ab imperiali Gubernio assignentur dotes seu in bonis fundisque stabilibus, seu super Imperii debito fundatae iisque omnibus et singulis tribuantur, qui jure exigendi decimas potiebantur: itemque Majestas Sua declarat, dotes ipsas habendas omnino esse, prout assignatae fuerint, titulo oneroso et eodem ac decimae, quibus succedunt, jure percipiendas tenendasque esse.

Art. XXXIV. Cetera ad personas et res ecclesiasticas pertinentia, quorum nulla in his articulis mentio facta est, dirigentur omnia et administrabuntur juxta Ecclesiae doctrinam et ejus vigentem disciplinam a Sancta Sede adprobatam.

Art. XXXV. Per solemnem hanc Conventionem leges, ordinationes et decreta quovis modo et forma in Imperio Austriaco et singulis, quibus constituitur ditionibus, hactenus lata, in quantum illi adversantur, abrogata habebuntur, ipsaque Conventio ut lex Status deinceps eisdem in ditionibus perpetuo vigebit. Atque idcirco utraque contrahentium pars spondet, se successoresque suos omnia et singula, de quibus conventum est, sancte

servaturos. Si qua vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Majestas Caesarea invicem conferent ad rem amice componendam.

Art. XXXVI. Ratificationum hujus Conventionis traditio fiet intra duorum mensium spatium a die hisce articulis apposita aut citius, si fieri potest.

In quorum fidem praedicti Plenipotentiarii huic Conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignaverunt.

Datum Viennae die decima octava Augusti anno reparatae Salutis millesimo octingentesimo quinquagesimo quinto.

Mich. Card.	Joseph. Othmar
Viale-Prelà m. p.	de Rauscher m. p.
	Archiep. Viennensis.
(L. S.)	(L. S.)

Nos visis et perpensis Conventionis huius articulis illos omnes et singulos ratos hisce confirmatosque habere profitemur ac declaramus, verbo Caesareo-Regio pro Nobis atque Successoribus Nostris adpromittentes, Nos omnia, quae in illis continentur, fideliter executioni mandaturos neque ulla ratione permissuro esse, ut illis contraveniatur. In quorum fidem majusque robur praesentes ratihabitionis Nostrae tabulas manu Nostra signavimus sigilloque Nostro Caesareo-Regio appenso firmari jussimus. Dabantur in Ischl die vigesima tertia mensis Septembris anno Domini millesimo octingentesimo quinquagesimo quinto Regnorum Nostrorum septimo.

Franciscus Josephus. (L. S.)

Comes A Buol-Schauenstein.

Ad mandatum Sacr. Caes. ac. Reg. Apostolicae Majestatis proprium:
Otto Liber Baro a Meysenburg m. p.

76. PIUS IX. (1846—1878).

a) Syllabus complectens praecipuos nostrae aetatis errores, qui notantur in allocutionibus consistorialibus, in encyclicis, aliisque apostolicis litteris S. D. N. Pii Papae IX. (a. 1864).

* Friedberg, *Sammlung der Aktenstücke zum ersten vatikanischen Concil.* Tübingen 1872. p. 898—906. Idem, *Lehrbuch.* § 29. Hinschius, *Kirchenrecht,* III. 768. Idem, *Die Stellung der deutschen Staatsregierungen zum vatikanischen Concil.* Berlin 1872. p. 52. Stutz, *Kirchenrecht.* § 43. Martens, *Die Beziehungen der Ueberordnung, Nebenordnung und Unterordnung zwischen Kirche und Staat.* Stuttgart 1877. p. 382 seq. Cecconi, *Storia del Concilio vaticano.* Roma 1872—1879. Erhardt, *Der Katholicismus im XIX. Jahrhundert.* § 37. Hourat, *Genèse historique du Syllabus.* Paris 1901[2]. Féral, *La conception de l'état d'après l'église romaine.* Valence 1901.

§ VI. *Errores de societate civili tum in se, tum in suis ad Ecclesiam relationibus spectata.*

XXXIX. Reipublicae status, utpote omnium jurium origo et fons, jure quodam pollet nullis circumscripto limitibus. Alloc. Maxima quidem 9. junii 1862.

XL. Catholicae Ecclesiae doctrina humanae societatis bono et commodis adversatur. Epist. encycl. Qui pluribus 9. novembris 1846. Alloc. Quibus quantisque 10. aprilis 1849.

XLI. Civili potestati vel ab infideli imperante exercitae competit potestas indirecta negativa in sacra: eidem proinde competit nedum jus quod vocant exequatur, sed etiam jus appellationis, quam nuncupant, ab abusu. Litt. Apost. Ad apostolicae 22. augusti 1851.

XLII. In conflictu legum utriusque potestatis jus civile praevalet. Litt. Ad Apost. apostolicae 12. augusti 1851.

XLIII. Laica potestas auctoritatem habet rescindendi, declarandi ac faciendi irritas solemnes conventiones (vulgo Concordata) super usu jurium ad ecclesiasticam immunitatem pertinentium cum Sede Apostolica initas, sine huius consensu, immo et ea reclamante. Alloc. In consistoriali 1. novembris 1850. Alloc. Multis gravibusque 17. decembris 1860.

XLIV. Civilis auctoritas potest se immiscere rebus quae ad religionem, mores et regimen spirituale pertinent. Hinc potest de instructionibus judicare, quas Ecclesiae pastores ad conscientiarum normam pro suo munere edunt, quin etiam potest de divinorum sacramentorum administratione et dispositionibus ad ea suscipienda necessariis decernere. Alloc. In consistoriali 1. novembris 1850. Alloc. Maxima quidem 9. Junii 1862.

XLV. Totum scholarum publicarum regimen, in quibus juventus christianae alicujus Reipublicae instituitur, episcopalibus dumtaxat seminariis aliqua ratione exceptis, potest ac debet attribui auctoritati civili, et ita quidem attribui, ut nullum alii cuicumque auctoritati recognoscatur jus immiscendi se in disciplina scholarum, in regimine studiorum, in gradum collatione, in dilectu aut approbatione magistrorum. Alloc. In consistoriali 1. novembris 1850. Alloc. Quibus luctuosissimis 5. septembris 1851.

XLVI. Immo in ipsis clericorum seminariis methodus studiorum adhibenda civili auctoritati subiicitur. Alloc. Nunquam fore 15. decembris 1856.

XLVII. Postulat optima civilis societatis ratio, ut populares scholae, quae patent omnibus cujusque e populo classis pueris, ac publica universim Instituta, quae litteris severioribusque disciplinis tradendis et educationi juventutis curandae sunt destinata, examinantur ab omni Ecclesiae auctoritate, moderatrice vi et ingerentia, plenoque civilis ac politicae auctoritatis arbitrio subiiciantur ad imperantium placita et ad communium aetatis opinionum amussim. Epist. ad Archiep. Friburg. Quum non sine 14. julii 1864.

XLVIII. Catholicis viris probari potest ea juventutis instituendae ratio, quae sit a catholica fide et ab Ecclesiae potestate sejuncta, quaeque rerum dumtaxat naturalium scientiam ac terrenae socialis vitae fines tantummodo vel saltem primario spectet. Epist. ad Archiep. Friburg. Quum non sine 14. julii 1864.

XIL. Civilis auctoritas potest impedire quominus sacrorum Antistites et fideles populi cum Romano Pontifice libere ac mutuo communicent. Alloc. Maxima quidem 9. junii 1862.

L. Laica auctoritas habet per se jus praesentandi episcopos et potest ab illis exigere, ut ineant dioecesium procurationem, antequam ipsi canonicam a S. Sede institutionem et apostolicas litteras accipiant. Alloc. Nunquam fore 15. decembris 1856.

LI. Immo laicum gubernium habet jus deponendi ab exercitio pastoralis ministerii episcopos, neque tenetur obedire Romano Pontifici in iis quae episcopatuum et episcoporum respiciunt institutionem. Litt. Apost. Multiplices inter 10. junii 1851. Alloc. Acerbissimum 27. septembris 1852.

LII. Gubernium potest suo jure immutare aetatem ab Ecclesia praescriptam pro religiosa tam mulierum quam virorum professione, omnibusque religiosis familiis indicere, ut neminem sine suo permissu ad solemnia vota nuncupanda admittant. Alloc. Nunquam fore decembris 1856.

LIII. Abrogandae sunt leges quae ad religiosarum familiarum statum tutandum, earumque jura et officia pertinent; immo potest civile gubernium iis omnibus auxilium praestare, qui a suscepto religiosae vitae instituto deficere ac solemnia vota frangere velint; pariterque potest religiosas easdem familias perinde ac collegiatas Ecclesias et beneficia simplicia etiam juris patronatus penitus extinguere, illorumque bona et reditus civilis potestatis administrationi et arbitrio subiicere et vindicare. Alloc. Acerbissimum 27. septembris 1852. Alloc. Probe memineritis 22. januarii 1855. Alloc. Cum saepe 26. julii 1855.

LIV. Reges et Principes non solum ab Ecclesiae jurisdictione eximuntur, verum etiam in questionibus jurisdictionis dirimendis superiores sunt Ecclesia. Litt. Apost. Multiplices inter 10. junii 1851.

LV. Ecclesia a Statu, Status ab Ecclesia sejungendus est. Alloc. Acerbissimum 27. septembris 1852.

b) Pii IX. Epistola Encyclica de invasione Imperii Pontificii. d. 1. Nov. 1870.

* *Archiv für kathol. Kirchenrecht.* Tom. 59 (N. S. 19) p. XXXV—LII. Ruffini, *Lineamenti storici delle relazioni fra lo Stato e la Chiesa in Italia.* p. 41. Zeller, *Pie IX. et Victor Emanuel.* Paris 1879. A. Leroy-Beaulieu, *Un Empereur, un Roi, un Pape, une Restauration.* Paris 1879. Moribau, *La question romaine depuis le traité de Paris du 1856 iusqu' au 20 sept. 1870.* Paris 1901. Scaduto, *Guarantigie pontificie.* Cap. I—II. Calisse, *Diritto Eccle-*

siastico. Firenze 1902 p. 390 seq. Schiappoli, *Diritto Ecclesiastico.* p. 150 seq. Friedberg. *Lehrbuch.* § 58. Hinschius, *Kirchenrecht.* I. p. 214. Stutz, *Kirchenrecht.* § 43.

Pius PP. IX.

Venerabiles Fratres.

Salutem et apostolicam benedictionem!

Respicientes ea omnia, quae Subalpinum Gubernium pluribus ab annis non intermissis molitionibus gerit ad evertendum civilem Principatum singulari Dei providentia huic Apostolicae Sedis concessum, ut Beati Petri successores in exercitio spiritualis suae jurisdictionis necessaria ac plena libertate et securitate uterentur, fieri non potest, VV. FF., ut in tanta contra Ecclesiam Dei et Sanctam hanc Sedem conspiratione intimo cordis Nostri dolore non moveamur; atque hoc tam luctuoso tempore, quo idem Gubernium sectarum perditionis consilia sequens, sacrilegam almae Urbis Nostrae et reliquarum civitatum, quarum Nobis imperium ex superiori usurpatione supererat, invasionem quam jamdiu meditabatur, contra omne fas vi armisque complevit, dum Nos arcana Dei consilia coram Ipso prostrati humiliter veneramur, illam prophetae vocem usurpare cogimur «ego plorans et oculus meus deducens aquas, quia longe factus est a me consolator convertens animam meam: facti sunt filii mei perditi quoniam invaluit inimicus». (Jerem. thr. I. 16.)

Satis quidem VV. FF., a Nobis exposita et catholico orbi jamdiu patefacta est nefarii hujus belli historia, idque fecimus pluribus Allocutionibus Nostris Encyclicis, Brevibusque litteris diverso tempore habitis aut datis, nempe diebus 1. Novemb. an. 1850. 22. Jan. et 26. Julii 1855, 18. et 28. Junii et 26. Sept. 1859, 19. Jan. 1860, ac Apostolicis Litteris 26. Martii 1860, Allocutionibus deinde 28. Sept. 1860, 18. Martii et 30. Sept. 1861 et 20. Sept. 17. Octob. et 14. Nov. 1867. Horum documentorum serie perspectae atque exploratae fiunt gravissimae injuriae a Subalpino Gubernio jam ante ipsam Ecclesiasticae ditionis superioribus annis incoeptam occupationem Supremae Nostrae et hujus Sanctae Sedis auctoritati illatae, tum legibus contra naturale, divinum et ecclesiasticum jus rogatis, tum sacris ministris, religiosis familiis et Episcopis ipsis indignae vexationi subjectis, tum obligatam solemnibus conventionibus cum eadem Apostolica Sede initis fidem infringendo, atque earum inviolabile jus praefracte denegando vel eo ipso tempore, quo novas Nobiscum tractationes inire velle significabat. Ex iisdem documentis plane liquet, VV. FF. totaque videbit posteritas, quibus artibus et quam callidis ac indignis molitionibus idem Gubernium ad justitiam et sanctitatem jurium hujus Apostolicae Sedis opprimendam pervenerit: ac simul cognoscet quae curae Nostrae fuerint in illius audacia, quae augebatur in dies, quantum in Nobis erat compescenda atque in Ecclesiae causa vindicanda. Probe nostis anno 1859 ab ipsa Subalpina potestate prae-

cipuas Aemiliae civitates submissis scriptis, conspiratoribus, armis, pecunia ad perduellionem fuisse excitatas; nec multo post, comitiis populi indictis, captatisque suffragiis plebiscitum confictum esse, eoque fuco et nomine provincias Nostras in ea regione positas a paterno Nostro imperio, bonis frustra refragantibus, avulsas. Perspectum quoque est, anno deinde consequuto, idem Gubernium ut alias hujus S. Sedis provincias in Piceno, Umbria et Patrimonio sitas in praedam suam converteret, dolosis praetextibus adductis, improviso impetu milites Nostros et voluntariam Catholicae iuventutis manum, quae religionis spiritu et pietate erga communem Parentem adducta ex omni orbe ad defensionem Nostram convolaverat, magno circumvenisse exercitu, eosque tam subitam irruptionem minime suspicantes, impavide tamen pro religione certantes cruento proelio oppressisse. Neminem latet insignis ejusdem Gubernii impudentia et hypocrisis, qua ad minuendam sacrilegae hujus usurpationis individiam jactare non dubitavit se illas invasisse provincias ut principia moralis ordinis ibi restitueret, dum tamen reipsa ubique falsae cujusque doctrinae diffusionem cultumque promovit, ubique cupiditatibus et impietati habenas laxavit, immeritas etiam poenas sumens de Sacris Antistitibus, de Ecclesiasticis cujusque gradus viris, quos in custodiam abripuit et publicis contumeliis vexari permisit, cum interea insectatoribus et iis qui ne Supremi quidem Pontificatus dignitati in persona humilitatis Nostrae parcebant, impune esse pateretur. Constat praeterea, Nos debito officii Nostri munere non solum iteratis semper obstitisse consiliis et postulationibus Nobis oblatis, quibus agebatur ut officium Nostrum turpiter proderemus, vel scilicet juribus et possessionibus Ecclesiae dimissis ac traditis, vel nefaria cum usurpatoribus conciliatione inita; verum etiam Nos iniquis hisce ausibus et facinoribus contra omne humanum et divinum jus perpetratis solemnes protestationes coram Deo et hominibus opposuisse, illorumque auctores et fautores Ecclesiasticis censuris obstrictos declarasse et quatenus opus esset iisdem censuris in illos denuo animadvertisse. Denique exploratum est, praedictum Gubernium in sua contumacia suisque machinationibus nihilominus perstitisse, rebellionemque in reliquis Nostris provinciis et in Urbe praesertim promovere immissis perturbatoribus ac omnis generis artibus sine intermissione curavisse. Hisce autem conatibus minime ex sententia procedentibus propter inconcussam Nostrorum militum fidem, Nostrorumque populorum amorem ac studium insigniter et constanter Nobis declaratum, turbulentam demum illam tempestatem in Nos erupisse anno 1867, quum Autumni tempore conversae in Nostros fines et hanc Urbem fuerunt perditissimorum hominum cohortes scelere et furore inflammatae et subsidiis Gubernii ejusdem, adjutae, quorum ex numero occulti plures in ipsa hac Urbe pridem consederant; atque ab earum vi crudelitate et armis omnia Nobis Nostrisque dilectissimis subditis acerba et cruenta timenda erant, uti liquido apparuit,

nisi Deus misericors earumdem impetus et strenuitate Nostrarum copiarum et valido legionum auxilio ab inclyta natione Gallica Nobis submisso irritos reddidisset.

In tot vero dimicationibus, in tanta periculorum, sollicitudinum, acerbitatum serie maximum Nobis interim Divina Providentia solatium conferebat ex praeclara vestra, VV. FF., vestrorumque Fidelium erga Nos et hanc Apostolicam Sedem pietate ac studio, quod et insignibus significationibus editis et catholicae charitatis operibus jugiter demonstrastis. Et quamquam gravissima in quibus versabamur discrimina vix aliquas Nobis inducias relinquerent, nihil tamen unquam, Deo nos confortante, curarum remisimus, quae ad temporalem subditorum Nostrorum prosperitatem tuendam pertinebant; ac quae esset apud Nos tranquillitatis et securitatis publicae ratio, quae optimarum quarumcumque disciplinarum et artium conditio, quae populorum Nostrorum erga Nos fides et voluntas omnibus nationibus facile innotuit, ex quibus advenae frequentissimi in hanc Urbem occasione praesertim plurium celebritatum, quas peregimus, sacrorumque solemnium ceriatim omni tempore confluxerunt.

Jamvero cum res ita se haberent nostrique populi tranquilla pace fruerentur, Rex Subalpinus ejusque Gubernium capta occasione ingentis inter duas potentissimas Europae nationes flagrantis belli, quarum cum altera pepigerant se inviolatum servaturos praesentem ecclesiasticae ditionis statum, nec a factiosis violari passuros, protinus reliquas dominationis Nostrae terras Sedemque ipsam Nostram invadere et in suam potestatem redigere decreverunt. At quorsum haec hostilis invasio, quaenam causae praeferebantur? Notissima profecto cuique sunt ea quae in Epistola Regis die 8. proxime elapsi Septembris ad Nos data et per ipsius Oratorem ad Nos destinatum Nobis tradita disseruntur, in qua longo fallacique verborum et sententiarum ambitu, ostentatis amantis filii et catholici hominis nominibus causaque obtenta publici ordinis, Pontificatus ipsius et personae Nostrae servandae, illud poscebatur, ne temporalis nostrae potestatis eversionem velut hostile facinus vellemus accipere, atque ultro eadem potestate cederemus, futilibus confisi sponsionibus ab ipso oblatis, quibus vota, ut ajebat, populorum Italiae cum supremo spiritualis Romani Pontificis auctoritatis jure et libertate conciliarentur. Nos equidem non potuimus non vehementer mirari, videntes qua ratione vis quae Nobis brevi inferenda erat obtegi et dissimulari vellet, nec potuimus non dolere intimo animo vicem Regis ejusdem qui iniquis consiliis adactus nova in dies Ecclesiae vulnera infligit et hominum magis quam Dei respectu habito non cogitat esse in caelis Regem regum et Dominum dominantium, qui «non subtrahet personam cujusquam, nec veribitur magnitudinem cujusquam, quoniam pusillum et magnum ipse fecit, fortioribus autem fortior instat crutiatio». (Sap. VI. 8. et 9.

Quod autem attinet ad propositas Nobis postulationes cunctandum

Nobis non esse censuimus, quin officii et conscientiae legibus parentes, Praedecessorum Nostrorum exempla sequeremur, ac praesertim fel. rec. Pii VII, cujus invicti animi sensa ab eo prolata in simili prorsus causa, ac Nostra est, hic uti Nobis communia exprimere ac usurpare juvat. «Memineramus cum S. Ambrosio (De Basil. trad. n. 17.) *Nabuth Sanctum virum possessorem vineae suae interpellatum, petitione regia ut vineam suam daret, ubi rex succisis vilibus olus vile sereret, eumdem respondisse: absit ut ego patrum meorum tradam haereditatem.* Multo hinc minus fas esse Nobis judicavimus tam antiquam ac sacram haereditatem (temporale scilicet Sanctae hujus Sedis Dominium non sine evidenti Providentiae divinae consilio a Romanis Pontificibus praedecessoribus Nostris tam longa saeculorum serie possessum,) tradere, aut vel tacite assentiri ut quis Urbe principe Orbis Catholici potiretur, ubi perturbata destructaque sanctissima regiminis forma, quae a Jesu Christo Ecclesiae Sanctae Suae relicta fuit, atque a Sacris canonibus Spiritu Dei conditis ordinata, in ejus locum sufficeret Codicem non modo sacris Canonibus, sed Evangelicis etiam praeceptis contrarium atque repugnantem, inveheretque, ut assolet, novum hujusmodi rerum ordinem qui ad consociandas confundendasque sectas superstitionesque omnes cum Ecclesia Catholica manifestissime tendit».

«*Nabuth vites suas vel proprio cruore defendit* (S. Ambr. ibid.) Num poteramus Nos, quidquid tandem eventurum esset Nobis non jura possessionesque Sanctae Romanae Ecclesiae defendere quibus servandis, quantum in Nobis est, solemnis jusjurandi Nos obstrinximus religione? vel non libertatem Apostolicae Sedis cum libertate atque utilitate Ecclesiae universae adeo conjunctam vindicare»?

«Ac quam magna revera sit temporalis hujus Principatus congruentia atque necessitas ad asserendum Supremo Ecclesiae Capiti tutum ac liberum exercitium spiritualis illius, quae divinitus Illi toto orbe tradita est potestatis, ea ipsa, quae nunc eveniunt (etiamsi alia deessent argumenta) nimis jam multa demonstrant». (Litt. Apost. 10. Jun. 1809.)

His igitur inhaerentes sensibus quos in pluribus Allocutionibus Nostris constanter professi sumus, responsione Nostra ad Regem data, injustas ejus postulationes reprobavimus, ita tamen ut acerbum dolorem Nostrum paternae charitati conjunctam ostenderemus, quae vel ipsos filios rebellem Absalon imitantes nescit a sua sollicitudine removere. Hisce autem litteris nondum ad Regem perlatis, ab ejus interea exercitu pontificiae Nostrae ditionis intactae hactenus et pacificae urbes occupatae fuerunt, praesidiariis militibus, ubi resistere conati fuerant, facile disjectis; ac brevi deinde infaustus ille dies proxime elapsi Sebtembris vicesimus illuxit, quo hanc Urbem Apostolorum Principis Sedem, catholicae religionis centrum omniumque gentium perfugium multis armatorum millibus obsessam vidimus, factaque murorum labe et excussorum missilium terrore intra ipsam illato, vi et

armis expugnatam deplorare debuimus ejus jussu, qui paulo ante filiali in Nos affectu et fideli in religionem animo esse tam insigniter professus fuerat.

Quidnam Nobis ac bonis omnibus illo die luctuosius esse potuit? in quo copiis Urbem ingressis, magna factiosorum adventitia multitudine repleta Urbe, vidimus statim publici ordinis rationem perturbatam et eversam, vidimus in Nostrae humilitatis persona Supremi ipsius Pontificatus dignitatem et sanctitatem impiis vocibus impetitam, vidimus fidelissimas Nostrorum militum cohortes omni contumeliarum genere affectas, atque effrenem late licentiam ac petulantiam dominari, ubi paulo ante filiorum affectus communis Parentis moerorem relevare cupientium eminebat. Ab eo deinde die ea sub oculis nostris consequuta sunt, quae non sine justa bonorum omnium indignatione commemorari possunt: nefarii libri mendaciis, turpitudine, impietate referti ad facilem emptionem proponi coepti et passim disseminari; multiplices ephemerides in dies vulgari ad corruptelam mentium et honesti moris, ad contemptum et calumniam religionis, ad inflammandam contra Nos et hanc Apostolicam Sedem publicam opinionem spectantes; foedae indignaeque imagines publicari, aliaque hujus generis opera, quibus res personaeque sacrae ludibrio habentur et irrisioni publicae exponuntur; decreti honores et monumenta iis qui judicio et legibus poenas gravissimorum criminum dederunt; Ecclesiae ministri, in quos omnis conflatur invidia, plures injuriis lacessiti, ac aliqui etiam proditoriis percussionibus sauciati; nonnullae religiosae domus injustis conquisitionibus subjectae; violatae Nostrae Quirinales domus, atque ex iis ubi Sedem habebat unus e S. R. E. Cardinalibus violento jussu raptim abire coactus, aliique Ecclesiastici viri e familiarium Nostrorum numero ab illarum usu exclusi et molestiis affecti; leges et decreta edita quae libertatem, immunitatem, proprietatis et jura Ecclesiae Dei manifeste laedunt ac pessumdant; quae mala gravissima latius etiam, nisi Deus propitius avertat, progressura esse dolemus, dum Nos interim ab ullo aliquo remedio afferendo conditionis Nostrae ratione praepediti vehementius in dies admonemur de ea captivitate, in qua sumus ac de defectu plenae illius libertatis, quam Nobis relictam esse in Apostolici Nostri ministerii exercitio Orbi mendacibus verbis ostenditur, et necessariis, quas appellant, cautionibus firmari velle ab intruso Gubernio jactatur.

Neque hic praeterire possumus immane facinus quod vobis profecto innotuit VV. FF. Perinde enim ac Sedis Apostolicae possessiones et jura tot titulis sacra atque inviolabilia, ac per tot saecula semper explorata et inconcussa habita in controversiam ac disceptationem revocari possent et quasi censurae gravissimae quibus ipso facto et absque ulla nova declaratione violatores praedictorum jurium et possessionum innodantur, populari rebellione atque audacia vim suam amittere possent, ad sacrilegam quam passi sumus expoliationem honestandam, communi naturae ac gentium jure

despecto, quaesitus est ille apparatus ac ludicra plebisciti species alias in provinciis Nobis ademptis usurpata; et qui exultare solent in rebus pessimis hac occasione rebellionem et ecclesiasticarum censurarum contemptum, veluti triumphali pompa, per Italicas urbes praeferre non erubuerunt, contra germana sensa longe maximae Italorum partis, quorum religio devotio ac fides erga Nos et Ecclesiam Sanctam multis modis compressa, quominus libere manare possit, impeditur.

Nos interim qui a Deo universae domui Israel regendae et gubernandae praepositi et supremi religionis ac justitiae vindices et Ecclesiae jurium defensores constituti sumus, ne coram Deo et Ecclesia tacuisse ac silentio Nostro tam iniquae rerum perturbationi assensum praestitisse redarguamur, renovantes et confirmantes, quae in superius citatis Allocutionibus Encyclicis ac Brevibus litteris alias solemniter declaravimus ac novissime in protestatione, quam jussu ac nomine Nostro Cardinalis publicis negotiis praepositus ipso vicesimo Septembris die, ad Oratores, Ministros et Negotiorum gestores exterarum nationum apud Nos et hanc S. Sedem commorantes dedit, solemniori quo possumus modo iterum coram Vobis, VV. FF., declaramus, Nostram mentem propositum et voluntatem esse omnia hujus S. Sedis dominia ejusdemque jura integra intacta inviolata retinere atque ad successores Nostros transmittere; quamcumque eorum usurpationem, tam modo quam antea factam, injustam violentam nullam irritamque esse, omniaque perduellium et invasorum acta, sive quae hactenus gesta sunt sive quae forsitan in posterum gerentur ad praedictam usurpationem quoquo modo confirmandam, a Nobis etiam nunc pro tunc damnari, rescindi, cassari et abrogari.

Declaramus praeterea et protestamur coram Deo et universo orbe Catholico Nos in ejusmodi captivitate versari, ut supremam Nostram pastoralem auctoritatem tuto expédite ac libere minime exercere possimus.

Tandem monito illi S. Pauli obtemperantes. «Quae participatio injustitiae cum iniquitate? aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi a Belial», (2. Cor. cap. VI. 14. et 15.) palam aperteque edicimus ac declaramus, Nos memores officii Nostri et solemnis jurisjurandi quo tenemur, nulli unquam conciliationi assentiri vel assensum praestituros, quae ullo modo jura Nostra atque adeo Dei et Sanctae Sedis destruat vel imminuat; itidemque profitemur Nos paratos quidem divinae gratiae auxilio gravi Nostra aetate, usque ad fecem pro Christi Ecclesia calicem bibere quem Ipse prior bibere pro eadem dignatus est nunquam commissuros ut iniquis postulationibus quae Nobis offeruntur adhaereamus atque obsecundemus. Uti enim praedecessor Noster Pius VII. ajebat: «vim huic summo Sedis Apostolicae imperio afferre, temporalem ipsius potestatem a spirituali discerpere, Pastoris et Principis munia dissociare, divellere, exscindere, nihil aliud est nisi opus Dei pessumdare ac perdere velle, nihil nisi dare operam ut Religio maximum detrimentum capiat, nihil nisi eam effi-

cacissimo spoliare praesidio, ne summus ipsius Rector, Pastor Deique vicarius in Catholicos quoquo terrarum sparsos atque inde auxilium et opem flagitantes conferre subsidia possit, quae a spirituali Ipsius, per neminem impedienda, petuntur potestate». (Alloc. 16. Martii 1808.)

Quoniam vero Nostra monita, expostulationes et protestationes in irritum cesserunt, idcirco auctoritate omnipotentis Dei, SS. Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra vobis, VV. FF., ac per Vos universae Ecclesiae declaramus, eos omnes qualibet dignitate etiam specialissima mentione digna, fulgentes, qui quarumcumque provinciarum Nostrae ditionis atque almae hujus Urbis invasionem, usurpationem, occupationem vel eorum aliqua perpetrarunt, itemque ipsorum mandantes, fautores, adjutores, consiliarios, adhaerentes vel alios quoscumque praedictarum rerum exequutionem quolibet praetextu et quovis modo procurantes vel per seipsos exequentes, majorem excommunicationem aliasque censuras et poenas ecclesiasticas a sacris Canonibus, Apostolicis constitutionibus et generalium Conciliorum, Tridentini praesertim (Sess. 22. c. 11. de Reform.) decretis inflictas incurrisse juxta formam et tenorem expressum in superius commemoratis Apostolicis litteris Nostris die 26. Mart. a. 1860 datis.

Memores vero Nos ejus locum tenere in terris qui venit quaerere et salvum facere quod perierat, nihil magis optamus quam devios filios ad Nos revertentes paterna charitate complecti; quare levantes manus Nostras in caelum in humilitate cordis Nostri dum Deo, cujus est potius quam Nostra, justissimam causam remittimus et commendamus, Eum per viscera misericordiae suae obsecramus obtestamurque, ut adsit praesenti auxilio Nobis, adsit Ecclesiae suae, ac misericors et propitius efficiat ut hostes Ecclesiae aeternam perniciem quam sibi moliuntur cogitantes, formidandam ejus justitiam ante diem vindictae placare contendant, et mutatis consiliis Sanctae Matris Ecclesiae gemitus Nostrumque moerorem consolentur.

Quo vero hujusmodi tam insignia beneficia a divina clementia assequamur, Vos enixe ac summopere hortamur, VV. FF., ut una cum Fidelibus cujusque Vestrum curae concreditis, vestras fervidas preces Nostris votis conjungatis, atque omnes simul ad thronum gratiae et misericordiae adeuntes Immaculatam Deiparam Virginem Mariam et Beatos Apostolos Petrum et Paulum deprecatores adhibeamus. «Ecclesia Dei ab exortu sui usque ad haec tempora pluries tribulata et pluries liberata est. Ipsius vox est: *saepe expugnaverunt me a juventute mea, etenim non potuerunt mihi. Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores, prolongaverunt iniquitatem suam.* Nec nunc quoque relinquet Dominus virgam peccatorum super sortem justorum, Non est abreviata manus Domini, nec facta impotens ad salvandum. Liberabit et hoc tempore absque dubio sponsam suam qui suo sanguine redemit eam, suo spiritu dotavit, donis caelestibus exornavit, ditavit nihilominus et terrenis». (S. Bern. Ep. 244. ad Conradum Reg.)

Iterim uberrima caelestium gratiarum munera Vobis, VV. FF., cunctisque Cleris Laicisque Fidelibus cujusque Vestrum vigilantiae commissis a Deo ex anima adprecantes, praecipuae Nostrae erga vos charitatis pignus Apostolicam Benedictionem Vobis Ipsis eisdemque Dilectis Filiis ex intimo corde depromptam peramanter impertimus.

Datum Roma apud S. Petrum die 1. Nov. Anno MDCCCLXX.

Pontificatus Nostri Anno Vicesimoquinto. *Pius PP. IX.*

III. ORDINATIO.

Hallier, *De sacris electionibus et ordinationibus.* Lut. Par. 1636. Thomassinus, *Vetus et nova Ecclesiae disciplina.* Parisiis 1668. P. I. l. 1. c. 1. seq.; l. 2. c. 29 seq. Morinus, *Commentaria de sacris eccl. ordinationibus.* Antwerpen 1695. P. III. Gasparri, *Tractatus de sacra ordinatione.* Paris 1893 seq. Phillips, *Kirchenrecht.* Tom. I. §§ 35—37. Hinschius, *Kirchenrecht.* T. I. § 1—19. Scherer, *Handbuch.* § 65. Friedberg, *Lehrbuch.* § 51. Sägmüller, *Lehrbuch* § 48. Wernz, *Ius Decretalium.* Romae 1898 seq. Tom. II. P. I. C. 2. Stutz, *Kirchenrecht.* § 64.

A) *Sacramentum ordinis.*

77. CONCILIUM TRIDENTINUM.

* *Canones et decreta Concilii Tridentini ex editione romana a. 1834 repetiti.* ed. Richter. Lipsiae 1853. p. 174. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 1—6.

Sessione XXIII. De sacramento ordinis.

Can. I. Si quis dixerit, non esse in novo testamento sacerdotium visibile et externum, vel non esse potestatem aliquam consecrandi et offerendi verum corpus et sanguinem Domini, et peccata remittendi et retinendi, sed officium tantum et nudum ministerium praedicandi evangelium; vel eos, qui non praedicant, prorsus non esse sacerdotes: anathema sit.

Can. II. Si quis dixerit, praeter sacerdotium non esse in ecclesia catholica alios ordines, et maiores et minores, per quos velut per gradus quosdam in sacerdotium tendatur: anathema sit.

Can. III. Si quis dixerit, ordinem sive sacram ordinationem non esse vere et proprie sacramentum a Christo Domino institutum, vel esse figmentum quoddam humanum, excogitatum a viris rerum ecclesiasticarum imperitis, aut esse tantum ritum quendam eligendi ministros verbi Dei et sacramentorum: anathema sit.

Can. IV. Si quis dixerit, per sacram ordinationem non dari Spiritum sanctum, ac proinde frustra episcopos dicere: Accipe Spiritum sanctum;

aut per eam non imprimi characterem; vel eum, qui sacerdos semel fuit, laicum rursus fieri posse: anathema sit.

Can. V. Si quis dixerit, sacram unctionem, qua ecclesia in sancta ordinatione utitur, non tantum non requiri, sed contemnendam et perniciosam esse, similiter et alias ordinis caeremonias: anathema sit.

Can. VI. Si quis dixerit, in ecclesia catholica non esse hierarchiam divina ordinatione institutam, quae constat ex episcopis, presbyteris et ministris: anathema sit.

Can. VII. Si quis dixerit, episcopos non esse presbyteris superiores vel non habere potestatem confirmandi et ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem; vel ordines ab ipsis collatos sine populi vel potestatis saecularis consensu aut vocatione irritos esse; aut eos, qui nec ab ecclesiastica et canonica potestate rite ordinati, nec missi sunt, sed aliunde veniunt, legitimos esse verbi et sacramentorum ministros: anathema sit.

Can. VIII. Si quis dixerit, episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos et veros episcopos, sed figmentum humanum: anathema sit. [l. c. p. 174.]

B) *Incapacitas.*

78. POENITENTIALE THEODORI.

* Wasserschleben, *Die Bussordnungen der abendländischen Kirche.* Halle 1851. p. 203. Schmitz, *Die Bussbücher und die Bussdisciplin der Kirche.* Mainz, 1883. p. 510. Berardi, *Gratiani canones genuini ab apocryphis discreti.* Taurini 1752. Tom. III. p. 203. Benedictus Levita, in *Mon. Germ. Histor.* LL. II. App. p. 79.

Poenit. Theod. lib. II. § 13. = c. 60. C. I. Q. 1; c. 1. X. III. 53. *(Concilium apud Compedium).*

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 380. Tom. II. col. 648.

Si presbyter ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur et iterum ordinetur.

79. INNOCENTIUS III. (1198—1216).

a) Innocent. III. Episcopo Cremonensi, in c. 2. c. X. *De presbytero non baptizato.* III. 43.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 648. Jaffé-Wattenbach, n. 8272 (5883). [Innocentius II. 1130—1143].

Omissio baptismi non nocet credenti probabiliter, se esse baptizatum.

Apostolicam sedem, *venerabilis frater noster, ut debuisti,* consulere decrevisti. *(Et infra:)* Unde inquisitioni tuae taliter respondemus, presbyterum, quem sine unda baptismatis extremum diem clausisse *literis tuis*

significasti, quia in sanctae matris ecclesiae fide et Christi nominis confessione perseveravit, ab originali peccato solutum, et coelestis patriae gaudium esse adeptum, *ex auctoritate sanctorum Patrum Augustini atque Ambrosii* asserimus incunctanter. Lege, *frater,* super octavo libro Augustini de civitate Dei, ubi inter cetera legitur; «Baptismus invisibiliter ministratur, quem non contemptus religionis, sed terminus necessitatis excludit.» Librum etiam B. Ambrosii de obitu Valentiniani idem asserentis revolve. Sopitis igitur quaestionibus doctorum Patrum sententias teneas, et in ecclesia tua iuges preces hostiasque Deo offerri iubeas pro presbytero memorato.

b) Innocent. III. Ferrariensi Episcopo. in c. 3. X. *de presbytero non baptizato.* III. 43.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 648. Potthast. n. 2749.

Non baptizatus ordinari non potest, et, si de facto ordinetur, non recipit ordinis characterem, licet credebatur baptizatus.

Veniens ad apostolicam sedem *dilectus filius* I. lator praesentium nobis exposuit, quod, quum *per singulos ordines usque* ad gradum sacerdotii adscendisset, comperit tandem *pro certo,* quod non fuerit secundum formam evangelii baptizatus, unde nos eum *per venerabilem fratrem nostrum N. Tusculanum episcopum* rite fecimus baptizari. Quumque super ordinibus *coram nobis* fuisset diutius disputatum, quidam in eam declinaverunt sententiam, ut, quum baptismus sit fundamentum omnium sacramentorum, ante susceptionem baptismi non suscipiatur aliud sacramentum; quoniam, ubi fundamentum non est, superaedificari non potest. Porro econtra videri posset. Nam quum quis non solum per sacramentum fidei, sed per fidem etiam sacramenti efficiatur procul dubio membrum Christi, et qui Christum habet per fidem, etiamsi baptismum non habeat, habet utique fundamentum, praeter quod aliud poni non potest, quod est Christus Iesus: superaedificare posse videtur, sicut salutifera opera, sic et quaelibet ecclesiastica sacramenta, quum illud non sit generaliter verum, neque de novis, neque de veteribus sacramentis, quod baptismus sit fundamentum illorum, quoniam et sacramentum coniugii et *sacramentum etiam* eucharistiae a non baptizatis recipi potest. Praeterea sacramentum ordinis non solum pontificalis, sed sacerdotalis etiam et levitici ex institutione sua praecessit baptismus, per quod forsitan videtur, quod ante baptismum, huiusmodi ordines possent rite conferri, maxime his, qui baptizati esse creduntur. *Quid enim, si forsitan is, qui baptizatus esse creditur, et non est, in episcopum saltem de facto fuerit consecratus? Eruntne reordinandi omnes, qui ab eo fuerint ordinati? Et quum de pluribus episcopis nesciatur, an renati fuerint aqua baptismatis, quum hoc nec ipsi reminiscantur, nec alii: dubitatur igitur, an tales sint veraciter in episcopos consecrati? Unde quot et quanta sequantur non solum absona, sed absurda, silendum est potius quam*

dicendum. Quia vero in concilio apud Compendium legitur constitutum, quod, si quis in presbyterum ordinatus deprehenderit, se non esse baptizatum, baptizetur, et iterum ordinetur: nos circa latorem praesentium in hoc dubitabili casu quod tutius est sequentes, *fraternitati tuae per apostolica scripta* mandamus, quatenus ipsum per singulos ordines usque ad sacerdotium promovere procures, et permittas, eum in sacerdotio ministrare, quia non intelligitur iteratum quod ambigitur esse factum. Nec male de sacramento sentitur, quum illud non religionis contemptus, sed articulus necessitatis excludit. Et certe de illo, qui natus de Christianis parentibus, et inter Christianos est fideliter conversatus, tam violenter praesumitur, quod fuerit baptizatus, ut haec praesumptio pro certitudine sit habenda, donec evidentissimis forsitan argumentis contrarium probaretur. [Dat. Rom. ap. S. Petr. Id. April Ao. IX. 1206.]

c) Innocent. III. Valentino et Burgensi episcopis et Abbati de N. Cisterciensis ordinis, in c. 10. X. *De poenitentibus et reversionibus.* V. 38.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 886.

Nova quaedam nuper, «de quibus miramur non modicum, nostris sunt auribus intimata, quod abbatissae videlicet, in Burgensi et in Palentinensi dioecesibus constitutae, moniales proprias benedicunt, ipsarum quoque confessiones in criminibus audiunt, et legentes evangelium praesumunt publice praedicare. Quum igitur id absonum sit pariter et absurdum (nec a nobis aliquatenus sustinendum), discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatenus, ne id de cetero fiat, auctoritate curetis apostolica firmiter inhibere, quia, licet beatissima virgo Maria dignior et eccellentior fuerit apostolis universis, non tamen illi, sed istis Dominus claves regni coelorum commisit[1]). [Dat. Lat. III. Id. Dec. Ao. XIII. 1210.]

C) *Irregularitas ex defectu natalium.*

80. CONCILIUM BITURICENSE (1031).

* Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. XIX. col. 501. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. IV. p. 510.

Abbatissa moniales benedicere, confessiones audire et pubblice praedicare non potest.

c. 8. Ut filii presbiterorum sive diaconorum sive subdiaconorum in sacerdotio vel diaconatu vel subdiaconatu nati, nullo modo ulterius ad cle-

---

[1]) I. Cor. XIV. 34. «Mulieres in ecclesiis taceant, non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut et lex dicit». I. Timot. II. 12—14. «Docere autem mulieri non permitto neque dominari in virum, sed esse in silentio, Adam enim primus formatus est, deinde Heva, et Adam non est seductus, mulier autem seducta in praevaricatione fuit».

ricatum suscipiantur: quia tales et omnes alii qui de non legitimo coniugio sunt nati, semen male dictum in scripturis [Deuteron. XXIII. 2] appellantur nec apud saeculares lege haereditare possunt nec in testimonium suscipi. Et qui de talibus clerici nunc sunt, sacros ordines non accipiant sed in quocumque gradu nunc sunt in eo tantum permaneant et ultra non promoveantur.

81. CONCILIUM PICTAVIENSE (1087).

c. 8 = c. 1. X. *de filiis presbiter. ordinandis vel non.* I. 17.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 135. Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. XIX. col. 700. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. IV. p. 600.

Illegitimus non ordinatur, nisi ut religiosus fiat, nec tunc praeficitur, id est ab praelaturam non habilitatur.

Ut filii presbyterorum et ceteris ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant, vel in congregatione canonica regulariter viventes. Praelationem vero nullatenus habeant. Sed neque servi, nisi a dominis suis libertate donentur.

82. INNOCENTIUS III. (1198—1216).

c. 15. X. *de filiis presbiter. ordinandis vel non.* I. 17.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 140. Friedberg, *Die quinque Compilationes antiquae.* Leipzig 1882. p. 34.

Illegitimus in ecclesia paterna prabendari non debet.

Quum decorem domus Dei [*et locum tabernaculi gloriae suae diligere vos oporteat, accurata vobis est sollicitudine praecavendum, ne in commissis vobis ecclesiis illa temere praesumantur, quae vel in eis lampadem religionis extinguere, vel munditiam videantur ministrorum Domini maculare. Ad nostram siquidem noveritis audientiam pervenisse, quod quidam in vestris dioecesibus constitute publice cum mulieribus contrahentes, ecclesiasticas non verentur suscipere dignitates, et nonnullarum ecclesiarum canonici, quorum lumbos iuxta verbum evangelicae veritatis deceret esse praecinctos, ac in eorum manibus lucernas bonae operationis ardere, usque adeo luxuriae sordibus putruerunt, quod nec etiam ignominiam suam velint turpitudinemque velare, quin immo filios ex infami generatione susceptos ad ministerium altaris, quo se reddunt indignos, indignius secum trahunt, ac si non satis in opprobrium ordinis clericalis eorum incontinentia foret cognita, nisi natorum in publicum deductorum loquentiumque testimonium contra ipsos, esset ostensione sedula comprobata. Quumque in ecclesiis, in quibus huiusmodi clerici locum habent, multa enormiter attententur, dum in eisdem fermentata patrum et filiorum, nepotum etiam et affinium parentela inordinate ministrat, quia videlicet, amore praedominante carnali, re-*

verentia spiritualis tepuit inter ipsos, unde nequaquam unus quodlibet facere propter alium praetermittit per insolentiam eorundem,] *interdum ludi etc. (cf. c. 12. de vita et hon. cler. III. 1.)* Filiis *quoque* canonicorum praebendas in eisdem ecclesiis conferri non sinatis, quarum sunt canonici patres eorum, quum indecorum sit, ut in altaris officio illegitimus filius impudico patri ministret, in quo unigenitus Dei filius aeterno patri pro salute humani generis victimatur. *Praelibatam vero etc. (cf. c. 12. de vita et hon. cl. III. 1.)* [Dat. Rom. ap. S. Petr. VI. Id. Ian. Ao. IX. 1207.]

83. BONIFACIUS VIII. (1294--1303).

a) c. 1. in VI°. *de filiis presbiterorum et aliis illegittime natis.* I. 11.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 977.

Cum illegitime natis dispensant episcopi in minoribus ordinibus et beneficio sine cura; dummodo sit tale, in quo alias dispensare possint. In aliis dispensatio Papae requiritur. Ioann. Andr. — § 1. Si dispensatum fuerit cum aliquo, quod non obstante ullo defectu possit ad curatum beneficium promoveri, praetextu illius dispensationis non poterit duo beneficia insimul obtinere. Ioann. Andr.

Is, qui defectum patitur natalium, ex dispensatione episcopi licite potest, si ei aliud canonicum non obsistat, ad ordines promoveri minores, et obtinere beneficium, cui cura non imminet animarum; dummodo si tale, super quo per ipsum episcopum valeat dispensari. Ad ordines quoque maiores, vel beneficia curam animarum habentia, super quibus nequit episcopus dispensare, sine dispensatione sedis apostolicae promoveri non potest. § 1. Ille vero, cum quo per sedem dispensatur eandem, ut, praemisso non obstante defectu, valeat ad beneficium, etiamsi curam animarum habeat, promoveri, nequit praetextu dispensationis huiusmodi, (quam exorbitantem a iure oportet veluti odiosam restringi,) nisi unicum beneficium obtinere.

b) c. 2. in VI°. *de filiis presbiterorum et aliis illegittime natis.* I. 11.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 977.

Si ille, cum quo super defectu originis in curato beneficio fuerit dispensatum, eo tacito, super pluralitate dispensationem obtineat: non valet dispensatio. Ioann. Andr.

Si is, cum quo fuit per sedem apostolicam dispensatum, ut, non obstante defectu natalium, quem patitur, ad omnes ordines promoveri valeat, et obtinere beneficium, etiamsi curam habeat animarum, dispensationem aliam, tacito de praedicto defectu, postmodum obtineat a sede praefata, ut duo aut plura beneficia similem curam habentia possit recipere, si ei alias canonice conferantur, et ea simul licite retinere: talis dispensatio, quum non sit verisimile, sedem ipsam cum illo, praedictum patiente defectum, voluisse, si hoc fuisset expressum, eidem in pluritate beneficiorum huius-

modi dispensare, veluti per subreptionem obtenta nullius penitus est momenti.

84. GREGORIUS XIV. (1590—1591).

* *Bullarium Magnum.* T. II. p. 757—759.

[Moderatio duarum constitutionum Sixti V. super receptione Novitiorum illegittimorum ad Ordines regulares.]

Circumspecta Romani Pontificis providentia, ea quae rationabilibus causis, auctoritate Apost. sancita fuerunt, ipsa rerum experientia suadente, ex aliis interdum non minus justis causis moderatur et immutat, prout in Domino conspicit salubriter expedire.

§ 1. Sane liceat alias felicis recordationis Sixtus Papa V. praedecessor noster, nonnulla circa qualitates, modum, et formam admittendi Religiosos ad quoscumque Ordines, salubriter statuerit, prout in duabus desuper, prima videlicet sub Datum sexto Calendas Decembris, Anno Tertio, et altera sub Datum duodecimo Kal. Novembr. Anno Quarto sui Pontificatus editis constitutionibus latius continetur. Quia tamen usu comprobatum est, multa inventa fuisse impedimenta, propter quae ea quae in praemissis statuta fuerunt, executioni mandari minime potuerunt. Unde quamplures literis, et pietate insignes viri, a sancto proposito Regularem ducendi vitam adducti ac impediti, atque etiam alii diu cum maxima eorum laude in Religione versati ab illius dignitatibus, honoribus, praelaturis, cum non modico Religionis et Ordinum hujusmodi detrimento repulsi et inhabiles penitus redditu fuerint.

§ 2. Non igitur ea quae docuit experientia salubriter fuisse constituta confirmare, quae vero moderatione aliqua indigere moderari volentes, ac dictarum constitutionum, et inde sequutorum quorumcumque tenores etiam veriores, praesentibus pro expressis habentes, habita cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, super negotiis et consultationibus Regularium deputatis, matura deliberatione, de eorumdem consilio praedictas constitutiones in ea parte qua cavetur, ne illegitimi ex certo inibi expresso damnato thoro vel complexu, ad quamcumque Religionem, neque ad habitum, aut professionem regulares, sed tantum ad habitum Conversorum, aut famulorum, in Monasteriis aliisque locis regularibus servientium admittantur, et si post dictam Constitutionem professionem emitterent, voluit illam nullius esse momenti. Et in altera parte, in qua illegitime genitos, etiam ante ipsas Constitutiones professos vigore privilegiorum, aut indultorum Apostolicorum, cuivis Ordini, Religioni, Monasterio aut Congregationi, eorumve Superioribus, in genere vel in specie concessorum, etiam ipsi per ingressum Religionis, vel per eosdem Superiores legitimatos, seu ad gradus, honores, et dignitates habilitatos seu integratos, ab honoribus, gradibus, et dignitatibus quibuscumque, tam an-

tiquis, quam aliis privilegiis, literis Apostolicis, indultis, aut declarationibus non obstantibus, excludi, ac dispensationes quascumque aut legitimationes non suffragari, neque in futurum cum his nisi a Sede Apostolica, privilegiis quibuscumque non obstantibus, dispensare posse voluit, auctoritate Apostolice tenore praesentium ad terminos juris reducimus, et moderamur, ac omnes dispensationes et habilitationes, vigore privilegiorum aut indultorum Apostolicorum, cuivis Ordini, Religioni, Monasterio, aut Congregationi, eorumve Superioribus, in genere vel in specie, ut praefertur, concessorum, quae tempore constitutionum hujusmodi usu recepta, et non sub ullis aliis revocationibus comprehensa erunt per quoscumq; eorum Superiores factas, in pristinum statum, et validitatem, in quibus ante ipsas constitutiones existebant, restituimus et reintegramus. Volentes, iisdem constitutionibus non obstantib. eos qui quovis modo illegitimi procreati fuerint ad habitum et professionem regulares admitti posse quemadmodum admitti poterant, si supradictae constitutiones editae non fuissent.

§ 3. Ita tamen, ut cum de recipiendis quomodocumque illegitime natis, ad habitum et professionem Ordinum quorumcumque agetur, ii ad quos huiusmodi receptio spectat, praeter alia, de quibus ex dictarum constitutionum praecepto circa quoscumque etiam legitimos disquirere debent, diligenter eorum vitam et mores inquirant, et ita demum recipiant, si tamen bonam indolem, et virtutis specimen praeseferant, ac tot eis merita suffragentur, ut natalium suppleant defectum, eorumque receptio Religionis commodo et utilitati profutura videatur. Et super hoc ipso ii ad quos, ut dictum est, pertinet hujusmodi receptio, matura deliberatione habita, ita censuerint et iudicaverint, dummodo tam filius illegitimus, in Religione in qua pater, sive ante sive post nativitatem dicti filii professus fuerit, ipso parte vivente non admittatur, quod expresse prohibemus.

§ 4. Volumus quoque ac statuimus, licere Generali, aut Provinciali singulorum Ordinum, aut Congregationum, aut Hospitalium, ad quos dicta dispensatio spectat juxta tenorem privilegiorum et indultorum Apostolicorum eis concessorum quae, dummodo usu recepta nec alias sub ullis revocationibu, comprehensa sint, ut praefertur, in hac parte revalidamus cum illegitimis, quos dictus Generalis, aut Provincialis, cum Generali Provinciali seu intermedio Capitulo et non alias, suffragantibus meritis dignos judicaverint. ad honores, gradus, et dignitates obtinendas dispensare, ac dispensationes hujusmodi pro tempore ita factas, et inde sequuta quaecumque ut antea valere et tenere, perinde ac si supradictae constitutiones non emanassent.

§ 5. Caeterum cum acceperimus, nonnullarum Religionum et Ordinum, praesertim Monachalium Monasteria ita instituta esse, ut in eis perpetua quaedam filiatio constituatur; ideoque receptio Novitiorum in unoquoque Monasterio ad superiorem Praelatum, et Capitulum ejusdem Mo-

nasterii tantum pertinent, quae etiam Monasteria, ut plurimum inter se longe distant, nec Generalia, Provincialia, aut intermedia Capitula nisi raro celebrare solent. Ideo statuimus, ut Superiores illorum Monasteriorum de consensu sui Capituli praehabita simul cum his de quibus in unaquaque Religione aut Monasterio, juxta ejus costitutiones recipiendus interrogari solet, aliqua informatione super his quae in dictis constitutionibus continentur ad receptionem hujusmodi procedere valeant, dum tamen antequam ad professionem admittatur, plenaria, et eo modo, prout in dictis constitutionibus habetur, inquisitio fiat, quae postea ab his, a quibus in praedictis Monasteriis examinari solent, diligenter examinetur, et approbetur, et demum omnia in dicto Capitulo coram Superiore referantur. Volentes, quod Superiores praedicti cum eorum Capitulo, aut ubi consuetudo non fuerit celebrandi Capitula, cum tribus aut quatuor ad id in Generali Congregatione per vota secreta deputatis, servatis eorum regularibus institutis ac supradictis omnibus, eandem in recipiendis Novitiis habeant auctoritatem, quae per dictas constitutiones Provincialibus Capitulis est attributa.

§ 6. Decernentes, etc.

§ 7. Non obstantibus praemissis, etc.

Nulli ergo etc. Si quis etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicae, 1591. Id. Martii, Pontificatus nostri Anno primo.

D) *Irregularitas ex defectu corporis.*

85. GELASIUS I. (492—496).

Ep. I. Ad universos Episcopos per Lucaniam constitutos (in c. 5. D. XXXIII.)

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 123. Thiel, *Epist. Roman. Pontif.* p. 372. Jaffé-Wattenbach. n. 636 (391).

Arrepticii uel epileptici sacris altaribus non ministrent. *(Decr. Grat.)*.

Usque adeo sane comperimus illicita queque prorumpere, ut demonibus similibusque passionibus irretitis ministeria sacrosancta tractare tribuatur. Quibus si in hoc opere positis aliquid propriae necessitatis occurrat, quis fidelium de sua salute confidit, ubi ministros ipsos humanae curationis tanta prospexerit calamitate uexari? Atque ideo necessario remouendi sunt, ne quibuslibet, pro quibus Christus mortuus est, scandalum generetur infirmis. Postremo, si corpore sauciatum fortassis aut debilem nequaquam sancta contingere lex diuina permisit, quanto magis doni celestis dispensatores esse non conuenit (quod est deterius) mente percussos?

86. CONCILIUM TOLETANUM XI. (a. 675).

c. XIII. = c. 3. D. XXXIII *[Pius Papa].*

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 123. Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum saec. IV.—VII.* p. 315. Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom XI. p. 130. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. III. p. 114. Gams, *Kirchengeschichte Spaniens.* Tom. II. 2. p. 163—165.

De eodem *(Decr. Grat.)*

Communiter diffinimus, ut nullus de his, qui aut in terra arrepti a demonibus eliduntur aut quolibet modo uexationis incursibus efferuntur, uel sacris audeant ministrare altaribus, uel indiscusse se ingerant sacramentis diuinis, exceptis illis, qui corporum incommoditati dediti sine huiusmodi passionibus in terra probantur elisi: qui tamen et ipsi tamdiu erunt ab offitii sui et ordine et loco suspensi, quousque unius anni spatio per discretionem episcopi inueniantur ab incursu demonum liberati.

87. STEPHANUS VI. (885—891).

Stephanus Roberto Metensi Episcopo. (in c. 11. D. LV.)

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 217. Jaffé-Wattenbach, n. 3447 (2653). Migne, *Patr. lat.* Tom. 129. p. 805.

Non prohibetur a clero, qui casu digitum sibi abscidit *(Decr. Grat.).*

Lator presentium, Flauinus scilicet clericus, ad sanctam sedem apostolicam ueniens, detulit a te directam nobis epistolam, qua indagare studuisti, eum a Normannis nuperrime captum sinistrae manus digitum habere abscisum, sciscitaris, si ob hoc ad ecclesiasticum ordinem ualeat promoueri, an non. Quod et nos reperientes, quia sollertia tua, magis super hoc sollicita, a sede apostolica doceri flagitat, normam iusticiae semper sequi desideramus, studium tuae sanctitatis merito collaudamus, reuerentiam tuam scire uolentes, quoniam si ita est, quod a Normannis dignitum ipsum habeat abscisum, ad promouendum (si alias dignus fuerit) nil ei nocebit, eo quod quid de his, qui a dominis, uel a medicis, siue a paganis non sponte tale quid patiuntur, sacri censeant canones, dilectionem tuam latere non credimus.

88. ALEXANDER II. (1061—1073).

Alexander II. Episcopo Viennensi (in c. 1. C. VII. Q. 2)

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 588. Mansi, *Conc. ampl. boll.* Tom. XIX. p. 965. Jaffé-Wattenbach, n. 3645 (6785).

De quodam presbitero, qui caduco morbo laborabat.

In litteris Tuis continebatur sic: Hic clericus ordinem habet presbiteri; sed quia caduco morbo laborat, et ipsi hoc in presentiarum agnoui-

mus, non ausi fuimus sibi concedere ut offerret vel missam celebraret. Quia uero languor non in culpa est, super hac re auctoritatis nostrae decreto consulendum deliberauimus. Consulimus itaque, ut, si frequenter hoc morbo tangitur, ab oblatione et missarum celebratione omnis modis prohibeatur. Indecens enim est et periculosum, ut in consecratione Eucharistiae morbo uictus epilentico cadat. Si uero Dei misericordia convaluerit, quandoquidem non culpa, sed infirmitas est in causa, eum sacrificare iam non interdicimus.

89. ALEXANDER III. (1159—1181).

a) c. 1. X. *de corpore vitiatis ordinandis vel non.* I. 20.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 144. Jaffé-Wattenbach, n. 14091 (9146).

Presbyter, qui in duello digiti partem amisit, ex dispensatione sui episcopi potest in suo ordine ministrare.

De presbytero *autem* Campaniae, qui duellum sponte obtulit, et oblatum suscepit, et in eo partem digiti amisit, *sicut olim, ita et nunc prudentiae tuae* respondemus, quod, quum ipse, *sicut etiam nos videmus,* non perdiderit tantum de digito, quin *ipse* sine scandalo possit solenniter celebrare, satis potes post peractam poenitentiam cum eo misericorditer agere, et permittere ipsum in suo ordine ministrare, licet eius excessus gravis admodum extitisset.

b) Alexander III. Cisterciensi Electo, in c. 2. X. *de corp. vitiatis ordini. vel non.* I. 20.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 144. Jaffé-Wattenbach, n. 12367 (8314).

Habens in hoculo maculam, quae non inducit magnam deformitatem, etiam ad episcopatum poterit promoveri.

Quum de tua *et aliorum* electione, *qui sunt in quibusdam ecclesiis Anglicanis electi, in praesentia nostra et fratrum nostrorum* quaestio mota fuisset, † *et singulis vestris quaedam obiicerentur:* tibi quod in oculo maculam habeas, et *quod* filius canonici fueris, est obiectum. Unde Cantuariensi archiepiscopo *apostolicae sedis legato* dedimus in mandatis, ut pro eo, quod canonici filius diceris, in promotione tua ex multa dispensatione procedat. De macula vero, *quam in oculo habere diceris, hoc* archiepiscopo praedicto mandavimus, ut cum consilio suffraganeorum suorum, *et praesertim venerabilium fratrum nostrorum Wigorniensis et Exonensis episcoporum,* quod exinde sibi visum fuerit exequatur. *Tu itaque eundem archiepiscopum, frater, requirere super his studeas humiliter et devote:* in quo tibi ex maxima dispensatione *in hac parte sollicite* curavimus providere, *ut-*

pote qui personam tuam sincera caritate diligimus, et libenter quantum secundum Deum possumus, ad tuum intendimus commodum et honorem.

90. INNOCENTIUS III. (1198—1216).

Innoc. III. Militensi episcopo, in c. 6. X. *de corp. vitiatis ordinis vel non* I. 20.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 146. Potthast, n. 308.

Mutilatus manu, si promotus fuerit in abbatem, ab abbatia deponitur.

Exposuisti nobis *in nostra praesentia constitutus,* quod *I. quondam* praedecessor tuus H. in abbatem promovit, nesciens, quod ipse esset manu altera mutilatus. † *Quia vero abbas ipse noscitur sinistra carere, quid super hoc agendum sit, nostra voluisti responsione doceri.* Nos igitur fraternitati tuae taliter respondemus quod, quum pro tam enormi defectu ad sacros non possit ordines promoveri, et *ipse* in promotione sua id tacuerit fraudulenter, ab abbatiae officio est non immerito amovendus. [Dat. Romae ap. S. Petr. V. Kal. Iul. 1198.]

91. BERNARDUS PAPIENSIS.

* *Bernardi Papiensis Faventini Episcopi Summa Decretalium.* ed. Laspeyres. Ratisbonae 1860. p. 147. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 15.

Tit. XII. Lib. I. *de corpore vitiatis ordinandis vel non.*

Audivimus de impedimento originis. Nunc de impedimento irregularitatis agamus, quae est in corpore vitiatis et bigamis, et prius de corpore vitiatis, inquirentes, quare ordinari prohibeantur, et qui possint ordinari, et qui non.

§ 1. Huiusmodi vitiati propter deformitatem prohibentur; possunt tamen ex eis quidam promoveri. Illorum enim alii sunt debilitati, alii mutilati; debilitatum dico, qui membrum habet, sed inefficax, ut oculum coecum, manum aridam, crus contractum; mutilatum, qui aliquo membro caret. § 2. Ex debilitatis claudum admittit ecclesiae consuetudo. Mutilati vero alii in apparentibus membris, alii in occultis, et qui in apparentibus, alii in magno membro, alii in parvo; magnum intelligo in quantitate ut manum, vel decore ut oculum vel nasum. Mutilatus in non apparentibus ordinari potest ut castratus, ut Di. LV. *Si quis a medicis* (c. 7), *Eunuchus* (c. 8), *Si quis pro aegritudine* (c. 9). Mutilatus in apparentibus et magnis non ordinatur, ut ar. Di. LV. *Si evangelica* (c. 13), si vero in modico, non prohibetur; illo procul dubio observando, ut, si quis se ipsum in magno vel modico membro sponte mutilaverit, nullatenus valeat ordinari, ut Di. LV. *Qui partem* (c. 6).

E) *Irregularitas ex defectu aetatis.*

92. CONCILIUM NEOCESARIENSE (314–325).

c. 11. = c. 4. D. LXXVIII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 275. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. I. p. 249.

Ante XXX annos presbiter non ordinetur. *(Decr. Grat.)*

Presbiter ante triginta annorum etatem non ordinetur, quamuis sit probabilis uitae; sed obseruetur usque ad prefinitum tempus. Dominus enim tricesimo anno baptizatus est, et tunc predicauit.

Gratian. *Hoc regulariter, unde et Christus, et Iohannes Baptista, et Ezechiel, et nonnulli prophetarum non leguntur predicasse uel prophetasse. Verum, quia et Ieremias et Daniel ante iuuenilem etatem spiritum prophetiae accepisse leguntur, Dauid quoque et Salomon in adolescentia uncti inueniuntur, Iohannes etiam Euangelista, cum adhuc esset adolescens a Domino in apostolum electus et cum aliis ad predicandum missus inuenitur; Paulus quoque apostolus in adolescentia a Domino electus, et ad praedicandum missus asseritur: ecclesia similiter necessitate exigente nonnullos ante trigesimum annum ordinare consueuit.*

93. CONCILIUM TOLETANUM IV. (a. 633).

c. 20. = c. 7. D. LXXVII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 274. Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum.* Tom. I. p. 230. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. III. p. 82.

Minoribus XXV. annis leuitica ne praestetur benedictio. *(Decr. Grat.)*

In ueteri lege ab anno uicesimo et quinto Leuitae tabernaculo seruire iubentur, cuius auctoritatem in canonibus et sancti Patres secuti sunt. Nos et diuinae legis, et praeceptorum canonum inmemores, infantes et pueros Leuitas facimus ante legitimam etatem, aut experientiam uitae; ideoque ne ulterius fiat a nobis, et diuina lege, et canonicis ammonemur sententiis, sed a uicesimo quinto anno etatis suae Leuitae consecrentur, et a tricesimo presbiteri ordinentur.

94. ALEXANDER III. (1159–1181).

Alexander III. in Concilio Lateranensi hab. a. 1179. (c. 3) = c. 7. X. *de electione et electi potestate.* I. 6.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. T. II. col. 51, 52. Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. XXII. p. 197–206. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 711 seq.

Electio ad episcopatum fieri debet de digno scientia, moribus et aetate, et quod habeat trigesimum annum completum, et sit de legitimo matrimonio natus. Hoc dic. usque ad §. Quum vero. — § 1. Beneficia electi in episcopum vacant per con

firmationem, adeptionem possessionis, et consecrationem secutam, vel postquam praefixum tempus ad petendam consecrationem lapsum fuerit. Hoc dic. usque ad § inferiora. Abbas Siculus. — § 2. In dignitatibus et officiis citra episcopatum ac curatis beneficiis debet assumendus vigesimum quintum annum attigisse, et alias esse idoneus scientia et moribus; et si non est in ordine requisito, debet se facere promoveri in proximis temporibus; alias monitus non parens privatur beneficio, non obstante appellatione, nisi ex causa legitima excusetur. Hoc dic. usque ad §. Clerici. Abb. Siculus. – § 3. Eligentes indignum contra formam huius c. privati sunt pro prima vice potestate eligendi, et idem in collatore; et defectum capituli supplet episcopus, et e converso. Et si capitulum negligit, fit devolutio ad metropolitanum. Hoc dic. usque ad finem.

Quum in cunctis sacris ordinibus et ecclesiasticis ministeriis sint *et* aetatis maturitas, *et* gravitas morum, et literarum scientia inquirenda, multo fortius in episcopo haec oportet inquiri, qui ad curam aliorum positus in se ipso debet ostendere, qualiter alios in domo Dei oporteat conversari. Ea propter, ne quod de quibusdam pro necessitate temporis factum est trahatur a posteris in exemplum, praesenti decreto statuimus, ut nullus in episcopum eligatur, nisi qui iam trigesimum annum aetatis exegerit, et de legitimo matrimonio sit natus, qui etiam vita et scientia commendabilis demonstretur. § 1. Quum vero electus fuerit, et confirmationem electionis acceperit, et ecclesiasticorum bonorum administrationem habuerit, decurso tempore de consecrandis episcopis a canonibus diffinito, is, ad quem spectant beneficia, quae habebat, de illis disponendi liberam habeat facultatem. § 2. Inferiora etiam ministeria, ut puta decanatum, archidiaconatum, et alia, quae curam animarum habent annexam, nullus omnino suscipiat, sed nec parochialis ecclesiae regimen, nisi qui iam vigesimum quintum annum aetatis attigerit, et scientia et moribus commendandus exsistat. Quum autem assumptus fuerit, si archidiaconus in diaconum, et decanus et reliqui admoniti non fuerint praefixo a canonibus tempore in presbyteros ordinati, et ab illo removeantur officio, et aliis conferatur, qui et velint et possint illud convenienter implere. Nec prosit eis appellationis refugium, si forte in constitutionis istius transgressionem per appellationem voluerint se tueri. Hoc sane non solum de promovendis, sed etiam de his, qui iam promoti sunt, si canones non obsistant, praecipimus observari. § 3. Clerici sane, si contra formam istam quemquam elegerint, et eligendi tunc potestate privatos, et ab ecclesiasticis beneficiis triennio noverint se [*esse*] suspensos. Dignum est enim, ut quos Dei timor a malo non revocat ecclesiasticae saltem coerceat severitas disciplinae. Episcopus autem si contra haec fecerit aut consenserit fieri, in conferendis praedictis officiis et beneficiis potestatem [*suam*] amittat, et per capitulum, aut per metropolitanum, si capitulum concordare nequiverit, ordinetur [1]).

[1]) Concil. Trident. Sess. VII. de Reformat. c. 1. «Ad cathedralium ecclesiarum regimen nullus, nisi ex legitimo matrimonio natus, et aetate matura, gravitate morum literarumque scientia, iuxta constitutionem Alexandri III. quae incipit *Quum in cunctis,* in concilio Lateranensi promulgatam, praeditus assumatur».

95. CLEMENS V. (1305–1314).

in c. 3 Clem. *de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum.* I. 6.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1140.

In XVIII. anno ad subdiaconatum, in XX. ad diaconatum, in XXV. ad presbyteratum potest quis libere promoveri. H. d. Ioann. Andr.

Generalem ecclesiae observantiam volentes antiquis iuribus in hac parte praeferri, decernimus, ut, alio non obstante impedimento canonico, possit quis libere in decimo octavo ad subdiaconatus, in vigesimo ad diaconatus, et in vigesimo quinto aetatis suae anno ad presbyteratus ordines promoveri.

96. CONCILIUM TRIDENTINUM.

Sess. XXIII. c. 12.

* *Canones et decr. Conc. Trid.* ed. Richter. p. 200

Aetas ad maiores ordines requisita; digni duntaxat assumendi.

Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur. Sciant tamen episcopi, non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos duntaxat, et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori aetate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur; privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis.

F) *Irregularitas ex defectu scientiae*[1]).

97. COELESTINUS (422–432).

Celestinus omnibus orthodoxis episcopis, in c. 4. D. XXXIX.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 141. Jaffé-Wattenbach, n. 371 (154).

Nulli sacerdotum liceat canones ignorare, nec quicquam facere, quod possit Petrum regulis obviare. Que enim a nobis res digna servabitur, si decretalium norma constitutorum pro aliorum libitu licentia populis permissa frangatur?

98. GREGORIUS I. (590–604).

Lib. IX. Ep. 48. Desiderio Episcopo in c. 5. D. LXXXVI.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 299. Jaffé-Wattenbach, n.

---

[1]) Conf. etiam n. 13. c. X.

Sacram scripturam, non gramaticam debet episcopus exponere. *(Decr. Grat.)*

Cum multa nobis de uestris studiis nobis fuissent nunciata, ita nostro cordi est nata leticia, ut negare ea, que sibi vestra fraternitas concedenda deposcit, minime ualeremus. Sed post hec peruenit ad nos, (quod sine uerecundia memorare non possumus), fraternitatem tua grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ita moleste suscepimus, ac sumus uehementius aspernati, ut ea, que prius dicta fuerant, in gemitum et tristiciam uerteremus, quia in uno se ore cum Iouis laudibus Christi laudes non capiunt. Et quam grave nefandumque sit episcopis canere, quod nec religioso conveniat, considera.

97. HONORIUS III. (1216—1217).

Hon. III. Capitulo Bremensi, in c. 15. X. *de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum* I. 14.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 131. Potthast, n. 2138.

Defectus scientiae deiicit iam promotum.

Quamvis multa proposita fuerint contra *venerabilem fratrem nostrum* episcopum Calinensem, *etsi nihil probatum esset de illis,* quia tamen confessus est coram nobis, se nunquam de grammatica dedicisse, nec etiam legisse Donatum, et per evidentiam facti usque adeo de illiteratura et insufficientia sua constat, quod contra Deum esset et canonicas sanctiones, tantum in episcopo tolerare defectum, *de communi fratrum nostrorum consilio* ipsum a pontificalis officii exsecutione et ab administratione Calinensis ecclesiae penitus duximus amovendum, *irritantes si quid nomine ipsius ecclesiae vel de bonis eiusdem de cetero attentabit.*

G) *Irregularitas ex defectu fidei.*

98. CONCILIUM NEOCESARIENSE (a. 314).

c. 12. = c. 1. D. LVII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 224. Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum.* p. 72. Hefele, *Conciliengeschichte,* T. I. p. 234. Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. III. p. 8.

Non ordinetur presbyter, qui in egritudine constitutus baptizatur.

Si quis in egritudine constitutus baptizatus fuerit, presbiter ordinari non debet, (non enim fides illius uoluntaria, sed ex necessitate est), nisi forte postea ipsius studium et fides probabilis fuerit, aut hominum raritas exegerit.

99. GREGORIUS I. (590—604).

Lib. VII. Ep. 110. = c. 2. D. XLVIII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 174. Jaffé-Wattenbach, n. 1747 (1263).

Qui dicantur neophiti. *(Decr. Grat.)*

Sicut neophitus dicebatur, qui in initio sanctae fidei erat erudicione plantatus, sic modo neophitus habendus est, qui repente in religionis habitu plantatus ad ambiendos sacros ordines irrepserit. § 1. Ordinate ergo ad ordines ascendendum est. Nam casum appetit, qui ad summi loci fastigia postpositis gradibus per abrupta querit ascensum. Scimus autem, quod edificati parietes non prius tignorum pondus accipiant, nisi a nouitatis suae humore siccentur, ne, si ante pondera, quam solidentur, accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant.

100. ALEXANDER IV. (1254—1261).

c. 2. in VI. *de haereticis.* V. 2.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1069. Potthast, n. 18115

§ 2. Non valet promotio haereticorum, eis credentium, fautorum, receptatorum, et defensorum eorum, nec filiorum suorum usque ad secundam generationem ad beneficia ecclesiastica vel officia publica. H. d. Dominic. § 3. Privati sunt habentes beneficia ecclesiastica ad preces haereticorum, et inhabiles efficiuntur ad alia obtinenda, si scienter talia receperunt. H. d. Domin.

§ 2. Haeretici autem, credentes, receptatores, defensores et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem, ad nullum ecclesiasticum beneficium seu officium publicum admittantur. Quod si secus actum fuerit, decernimus irritum et inane. § 3. Ad haec quoscunque viros ecclesiasticos, qui ad preces huiusmodi pestilentium personarum dignitates, personatus et quaecunque alia ecclesiastica beneficia sunt adepti, ex nunc privamus taliter acquisitis, volentes, quod tales et habitis careant perpetuo, et, si receperunt illa scienter, ad alia vel similia nequaquam in posterum admittantur.

101. BONIFACIUS VIII. (1294—1303).

c. 15. in VI° *de Haereticis.* V. 2.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1075—1076.

Filii haereticorum usque ad secundam lineam paternam, ad primam vero maternam, sunt inhabiles ad beneficium ecclesiasticum vel officium saeculare, si patres ante mortem ecclesiae reincorporati non fuerint. H. d. secundum Dom.

Statutum felicis recordationis Innocentii et Alexandri praedecessorum nostrorum, ne videlicet haeretici, credentes, receptatores, defensores et fautores eorum, ipsorumque filii usque ad secundam generationem, ad aliquod

beneficium ecclesiasticum seu publicum officium admittantur, quod, si secus actum fuerit, sit irritum et inane, primum et secundum gradum per paternam lineam comprehendere declaramus; per maternam vero ad primum duntaxat volumus hoc extendi. Hoc sane de filiis et nepotibus haereticorum, credentium et aliorum huiusmodi, qui tales esse vel tales etiam decessisse probantur, intelligendum esse videtur, non autem illorum, quos emendatos esse constiterit et reincorporatos ecclesiae unitati, et pro culpa huiusmodi ad mandatum ecclesiae poenitentiam recepisse, quam ipsi vel iam perfecerunt, vel humiliter prosecutioni eius insistunt, vel parati fuerint ad recipiendam eandem.

H) *Irregularitas ex defectu sacramenti.*

102. CANONES APOSTOLORUM.

c. 17. = c. 1. D. XXXIII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 122. Bruns, *Canones Apost. et Conc.* Tom. I. p. 3. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. I. p. 779. Turner, *Ecclesiae occidentalis monumenta iuris antiquissima.* p. 15.

Secundis nuptiis post baptisma copulatus, aut concubinam habens ad sacrum ordinem conscendere non ualet. *(Decr. Grat.)*

Si quis post acceptum sacrum baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus aut concubinam habuerit, non potest fieri episcopus, nec sacerdos, nec diaconus, aut prorsus ex numero eorum, qui ministerio sacro deseruiunt.

Gratian. *Deseruientes sacro ministerio intelliguntur subdiaconi, qui calicem diacono offerunt, et acoliti, qui cum cereis diacones precedunt, unde ceroferarii dicuntur, qui etiam uinum et aquam preparando calici subministrant. Concubina intelligenda est praeter uxorem, ut iste sit sensus capituli: «Si quis post acceptum sacrum baptisma secundis fuerit nuptiis copulatus, aut concubinam habuerit»: distinguendum est, antequam uxorem duxerit, siue post mortem uxoris.*

103. CONCILIUM NEOCESARIENSE (a. 314—325).

c. 8. = c. 19. D. XXXIV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 128. Bruns, *Can. Apost. et Conc.* Tom. I. pag. 72. Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. III. p. 245. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. I. p. 210.

Non fiat sacerdos cuius euidenter uxorem constat adulterium admisisse.

Si cuius uxorem adulterium commisisse, cum esset laicus, euidenter fuerit comprobatum, hic ad ministerium ecclesiasticum admitti non potest. Quod si in clericatu eo iam constituto adulterauit, dato repudio dimittere

eam debet. Si uero retinere eius consortium uelit, non potest suscepto ministerio perfrui.

104. INNOCENTIUS I. (401? — 417).

Innocentius Papa Victricio Rotomagensi Episcopo, in c. 13. D. XXXIV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 129. Jaffé-Wattenbach, n. 286 (85).

Qui ante baptisma seu post baptisma uiduam uxorem duxerit non admittatur ad clerum. *(Decr. Grat.)*

Si quis uiduam (licet laicus) duxerit uxorem, siue ante baptismum, siue post baptismum, non admittatur ad clerum, quia eodem uitio uidetur exclusus. In baptismate enim crimina dimittuntur, non acceptae uxoris consortium relaxatur. § 1. Quod si non putatur uxor esse computanda, quae ante baptismum ducta est, ergo nec filii, qui ante baptismum geniti sunt, pro filiis habeantur.

Gratian. *Prohibentur etiam bigami a quolibet ordine clericatus, iuxta illud Ambrosii,* [epist. LXXXII.] *ad Vercellenses.*

105. HILARUS (461—468).

Hilarius Papa in Synodo Romana a. 465. hab. c. 2. = c. 9. D. XXXIV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 128. Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. VII. p. 959. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. II. p. 592. Jaffe-Wattenbach, ad ann. 465. p. 76.

Qui uirginem non duxit uxorem ad sacros ordines non accedat.

Curandum ergo inprimis est, ne ad sacros ordines (sicut gestis prioribus ante prescriptum est) quisquam, qui uxorem uirginem non duxerit, aspiret.

106. GREGORIUS I. (590—604).

Gregorius Urbis Romae Praesul Sillacino Episcopo. Lib. II. ep. 25. = c. 10. D. XXXIV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 128. Jaffé-Wattenbach, n. 1192 (827).

Bigamus, uel penitens, corpore uitiatus, litteras ignorans, curiae uel conditioni obnoxius, clericus non fiat. *(Decr. Grat.)*

Precipimus, ne umquam illicitas ordinationes facias, nec bigamum aut qui uirginem sortitus non est uxorem, aut ignorantem litteras, uel qualibet parte corporis uitiatum, uel penitentem, uel curiae aut cuilibet conditioni obnoxium, ad sacros ordines permittas accedere: sed si quos huiusmodi repereris, non audeas promouere.

107. COELESTINUS III. (1191—1198).

c. 3. X. *de bigamis non ordinandis.* I. 21.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 146. Jaffé-Wattenbach, n. 17612 (10677).

Bigamus, uxore vivente vel mortua, non ordinatur. *(Decr. Grat.)*

De bigamis [autem] presbyteris et viduarum maritis idem sancimus omnino, ut nec viventibus uxoribus, nec defunctis ad divinorum debeant celebrationem admitti, maxime quum a doctrina sit Apostoli et institutionibus ecclesiae alienum.

108. INNOCENTIUS III. (1198—1216).

a) Innocentius III. Wratislaviensi Episcopo, in c. 4. X. *de bigam. non ordinandis* I. 21.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 147. Potthast n. 700.

Qui mortua uxore promotus ad sacros, cum secunda de facto contraxit, et cognovit, bigamiae poenam incurrit, licet non sit bigamus.

Nuper a nobis *(Et infra: [cf. c. 29. de sent. exc. V. 39.])* Tertius *et ultimus inquisitionis* articulus videbatur habere non modicum quaestionis, quoniam, quum in matrimoniis contrahendis non iuris effectus, sed animi destinatio attendatur, unde illum comitatur infamia, qui duas simul habet uxores, quod partim ad factum convenit retorqueri, sicut *et quod* in canone legitur de presbytero, qui non legalibus nuptiis detinetur, eadem censura tales videntur inter bigamos reputandi licet obiet ex adverso, quod opinioni sit veritas praeferenda, et quod iuxta praemissa qui nullam uxorem habuit foret bigamus reputandus, quod contingeret, si quis de facto contraheret cum diversis, quibus de iure non posset matrimonialiter copulari. Nos autem in hac quaestione tibi respondemus, quod, quum huiuscemodi clericis, qui, quantum in ipsis fuit, secundas mulieres sibi matrimonialiter coniunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat dispensari, licet in veritate bigami non exsistant, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto. [Dat. Lat. XVII. Kal. Iun. 1199.]

b) Innocentius III. Metensi Episcopo, in c. 5. X. *de bigam. non ordinandis.* I. 21.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 147. Potthast, n. 2875.

Qui contraxit cum virgine, licet prius ab alio fuerit desponsata, bigamus non censetur.

Debitum pastoralis officii *(Et infra [cf. c. 4. de bapt. III. 42.]) Secundus autem tuae dubitationis articulus continebat, an is, qui mulierem ab alio viro traductam, sed non cognitam, sibi matrimonialiter copulavit, valeat ad sacerdotium promoveri? Licet autem is, qui relictam ab alio*

duxit in coniugem, sive cognita fuerit ab illo, sive incognita manserit, videatur duxisse viduam in uxorem, utpote cuius vir erat mortuus, quando duxit eandem, sicut et ille bigamus esse videtur, qui cum duabus legitime contraxit uxoribus, sive neutram, sive alteram tantum cognoverit, quia vir existitit duarum uxorum: nos tamen Fraternitati tuae *ita* duximus respondendum, quod, quum duo sint in coniugio, videlicet consensus animorum et commixtio corporum, quorum alterum significat caritatem, quae consistit in spiritu inter Deum et iustam animam, ad quod pertinet illud, quod dicit Apostolus: «Qui adhaeret Deo, unus spiritus est cum eo»; reliquum vero designat conformitatem, quae consistit in carne inter Christum et *sanctam* ecclesiam, ad quod pertinet illud, quod Evangelista testatur: «Verbum caro factum est, et habitavit in nobis», profecto coniugium illud, quod non est commixtione corporum consummatum, non pertinet ad illud coniugium designandum, quod inter Christum et ecclesiam per incarnationis mysterium est contractum, iuxta quod Paulus exponens illud, quod dixerat Protoplastus; «Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea, et propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una», statim subiungit: «Hoc autem dico magnum sacramentum in Christo et ecclesia». Quum ergo propter sacramenti defectum inhibitum sit, ne bigamus aut maritus viduae praesumat ad sacros ordines promoveri, quoniam nec illa est unica unici, nec iste unus unius: profecto, ubi deficit inter huiusmodi coniuges commixtio corporum, non deest huiusmodi signaculum sacramenti. Unde is, qui mulierem ab alio viro ductam, sed minime cognitam, duxit uxorem, quia nec illa, nec ipse carnem suam divisit in plures, propter hoc impediri non debet, quin possit ad sacerdotium promoveri. [Dat. Faventini V. Kal. Sept. Ao. IX. 1206.]

I) ***Irregularitas ex defectu plenae lenitatis.***

109. CONCILIUM TOLETANUM I. (a. 400).

c. 8. = c. 4. Dist. LI.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 204. Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. III. p. 997. Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum.* Tom, I, p. 265. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. II. p. 78. Gams, *Kirchengeschichte Spaniens.* Tom. II. 1. p. 395.

Non promoueatur ad diaconatum, qui post baptismum ad fideles necandum accinctus fuerit. *(Decr. Grat.)*

Si quis post acceptum baptismum militauerit, et clamidem sumpserit ac cingulum ad necandum fideles, etiamsi grauia non admiserit, si ad clerum admissus fuerit, diaconi non accipiat dignitatem.

110. INNOCENTIUS I. (401? — 417).

Innocentius Episcopis in Toletana [alias Tolosana] synodo constitutis, in c. 1. D. LI.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 203. Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. III. p. 1066. Migne, *Patr. lat.* Tom. XX. col. 485, 494. Maassen, *Geschichte der Quellen und Literatur des canonischen Rechtes.* p. 243. Jaffé-Wattenbach, n. 292 (89).

Post baptisma militantes uel in foro decertantes, a sacris prohibentur ordinibus. *(Decr. Grat.)*

Aliquantos ex his, qui post acceptam baptismi gratiam in forensi exercitacione sunt uersati et obtinendi pertinaciam susceperunt, adscitos ad sacerdotium esse comperimus, e quorum numero aliqui perhibentur ad sacerdotium assumi; aliquantos ex milicia, qui cum potestatibus obedierunt, saeua necessario precepta sunt exsecuti; aliquantos ex curialibus, qui, dum parerent potestatibus, que sibi sunt inperata fecerunt; aliquantos, qui uoluptates et editiones populi celebrarunt, ad honorem summi sacerdocii peruenisse, quorum omnium neminem ad societatem quidem ordinis clericorum oportuerat peruenire. Que singula si discutienda mandemus, non modicos motus aut scandala Ispaniensibus prouinciis, quibus mederi cupimus, de studio emendationis inducemus; idcirco remittenda potius hec putamus. Sed ne deinceps similia committantur, dilectionis uestrae maturitas prouidere debebit, ut tantae usurpationis nunc finis necessarius inponatur eo uidelicet constituto, ut, quicumque tales ordinati fuerint, cum ordinatoribus suis deponantur.

111. GREGORIUS I. (590—604).

Gregorius omnibus Episcopis de lege Mauritii Augusti, in c. 1. Dist. LIII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 206. Jaffé-Wattenbach, n. 1497 (1131).

Quare sit constitutus ne curiales ordinentur. *(Decr. Grat.)*

Legem, quam piissimus inperator dedit, ne forte hi, qui miliciae uel rationibus sunt publicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad ecclesiasticum habitum ueniant uel in monasteriis conuertantur, uestrae studui fraternitati transmittere, maxime ob hanc causam, quod hi, qui seculi actionibus inplicati sunt, in clero ecclesiae prepropere suscipiendi non sunt, quia, dum in ecclesiastico habitu non dissimiliter quam prius uixerant uiuunt, nequaquam student seculum fugere, sed mutare. Quod si etiam tales quique monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius a negociis publicis fuerint absoluti. § 1. Si qui uero ex militaribus uiris in

monasteriis annumerari festinant, non sunt temere suscipiendi, nisi uita eorum subtiliter inquisita fuerit. Et iuxta normam regularem in suo habitu per triennium probati, tunc monachicum habitum Deo auctore suscipiant.

112. CONCILIUM MELDENSE (a. 845).

c. 37. = c. 6. C. XXXIII. q. 8.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. T. I. col. 954. Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. XIV. col. 827. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. IV. p. 114.

Proprii gradus amissione mulctentur militaria arma clerici ferentes. *(Decr. Grat.)*

Quicunque ex clero uidentur esse, arma militaria non sumant, nec armati incedant; sed professionis suae uocabulum religiosis moribus et religioso habitu prebeant. Quod si contempserint, tamquam sacrorum canonum contemptores et ecclesiasticae auctoritatis profanatores proprii gradus amissione mulctentur, quia non possunt simul Deo et seculo militare.

II. Pars. Gratian. *His ita respondetur: Sacerdotes propria manu arma arripere non debent; sed alios ad arripiendum, ad oppressorum defensionem, atque inimicorum Dei oppugnationem eis licet hortari.*

113. ALEXANDER III. (1159–1181).

Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo, in c. 5. X. *ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.* III. 50.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 658.

Clericus, iudicium sanguinis exercens, ab officio et beneficio deponitur, et excommunicatus est habens officium praepositi saecularis, si monitus non desistat.

Clericis, in sacris ordinibus constitutis, ex concilio Toletano iudicium sanguinis agitare non licet. Unde prohibemus, ne aut per se truncationes membrorum faciant, aut iudicent inferendas. Quodsi quis tale quid fecerit, honore privetur et loco. Iubemus etiam sub interminatione anathematis, ne quis sacerdos officium habeat vicecomitis aut praepositi saecularis. (*Et infra:* [*cf. c. 7. de vita et hon. III.* 1.]) Si quis autem contra hoc venire praesumpserit, et commonitus emendare noluerit, excommunicationi subiaceat.

114. INNOCENTIUS III. (1198–1216).

a) Innocent. III. Nidrosiensi Archiepiscopo, in c. 5. X. *de poenis.* V. 37.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 881. Potthast. n. 390.

Clericus, causam seu operam praebens bello, deponendus est.

Quod in dubiis *(Et infra: [cf. c. 30. de sent. exc. V. 39.])* Quia vero tam sacerdotes, qui gubernant naves ad pugnam, quam qui personaliter

exercent *pugnae* conflictum, et hi, qui alios incitant ad pugnandum, omnes *quidem* enormiter peccant, de rigore canonico eos credimus deponendos. [Hi praeterea etc. (cf. c. 8. de renunc. I. 9.) Dat. ap. civ. Castellanam VI. Id. Oct. 1198.]

b) Innocentius III. in Concilio Lateranensi IV. (1215), c. 9. X. *Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.* III. 50.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 659.

Clericus nec dictare nec proferre sententiam sanguinis debet, nec quicquam aliud exercere, per quod ad vindictam sanguinis tendatur, vel purgatione vulgari opem praestare non debet.

Sententiam sanguinis nullus clericus dictet aut proferat, sed nec sanguinis vindictam exerceat, aut ubi exerceatur intersit. Si quis autem huiusmodi occasione statuti ecclesiis vel ecclesiasticis personis aliquod praesumpserit inferre dispendium, per censuram ecclesiasticam compescatur. Nec quisquem clericus literas dictet aut scribat pro vindicta sanguinis destinandas, unde in curiis principum haec solicitudo non clericis, sed laicis committatur. Nullus quoque clericus ruptariis vel ballistariis, aut huiusmodi viris sanguinum praeponatur, nec ullam chirurgiae artem subdiaconus, diaconus vel sacerdos exerceat, quae adustionem vel incisionem inducit. Nec quisquam purgationi aquae ferventis vel frigidae seu ferri candentis ritum cuiuslibet benedictionis aut consecrationis impendat, salvis nihilominus prohibitionibus, de monomachiis sive duellis antea promulgatis.

115. BONIFACIUS VIII. (1294 – 1303).

in c. 2. in VI°. *de homicidio.* V. 5.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1080 – 1081.

Sine poena irregularitatis possunt clerici de suis malefactoribus conqueri coram iudice saeculari, etiam de criminibus, ex quibus debetur poena sanguinis, expresse protestando, quod ad poenam sanguinis non intendunt. H. d. Ioann. Andr.

Prelatis vel clericis quibuscunque, qui, de laicis suis malefactoribus querelam penes saecularem iudicem deponentes, petunt emendam sibi fieri, et provideri, ne contra eos talia de cetero praesumantur, protestando expresse, quod ad vindictam seu poenam sanguinis non intendunt, imputari non debet, quamvis alias in tali casu de iure debeat poena sanguinis irrogari, si iudex mortem illis inferat iustitia exigente. Alioquin si praelati aut clerici propter metum huiusmodi, quia iudex ad poenam sanguinis posset procedere, de suis malefactoribus taliter conqueri non auderent: daretur plerisque materia trucidandi eosdem, et ipsorum bona libere depraedandi.

K) *Irregularitas ex defectu famae.*

116. CANONES APOSTOLORUM.

c. 18. = c. 15. Dist. XXXIV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 129. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. I. p. 179. Turner, *Eccl. occidentalis mon. iur. ant.* p. 17.

Spectaculis publicis mancipatam, uel eiectam, uel ancillam ducens uxorem, diaconus non fiat. *(Decr. Grat.)*

Si quis uiduam aut eiectam acceperit, aut meretricem, aut ancillam uel aliquam de his, que publicis spectaculis mancipantur, non potest esse episcopus, aut presbiter, aut diaconus, aut ex eorum numero, qui ministerio sacro deseruiunt.

117. CONCILIUM TRIDENTINUM (1545—1563).

a) c. 6. Sess. XXIV. *De reformatione matrimonii.*

* *Canones et Decreta Conc. Tridentini.* ed. Richter. p. 219. Freisen, *Geschichte des canonischen Eherechtes bis zum Verfall der Glossenlitterarur.* Tübingen 1888. p. 272, 614.

In raptores animadvertitur.

Decernit sancta synodus, inter raptorem et raptam, quamdiu ipsa in potestate raptoris manserit, nullum posse consistere matrimonium. Quod si rapta a raptore separata, et in loco tuto et libero constituta illum in virum habere consenserit, eam raptor in uxorem habeat, et nihilominus raptor ipse ac omnes illi consilium, auxilium et favorem praebentes, sint ipso iure excommunicati ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, et si clerici fuerint, de proprio gradu decidant. — . . .

b) c. 19. Sess. XXV. *De reformatione.*

* *Canones et decr. Conc. Trid.* ed. Richter. p. 467.

Monomachia poenis gravissimis punitur.

Detestabilis duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe penitus exterminetur. — . . . Qui vero pugnam commiserint, et qui eorum patrini vocantur, excommunicationis, ac omnium bonorum suorum proscriptionis, ac perpetuae infamiae poenam incurrant, et ut homicidae iuxta sacros canones puniri debeant, et, si in ipso conflictu decesserint, perpetuo careant ecclesiastica sepultura.

Illi etiam, qui consilium in causa duelli tam in iure quam facto dederint aut alia quacunque ratione ad id quemquam suaserint, nec non

spectatores, excommunicationis ac perpetuae maledictionis vinculo teneantur; non obstante quocunque privilegio, seu prava consuetudine etiam immemorabili.

L) ***Irregularitas ex defectu libertatis.***

118. GELASIUS I. (492—496).

Ep. I. c. 2. Gelasius Papa Episcopis per Lucaniam et Brutios constitutis. = c. 1. D. LV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 215. Thiel, *Epist. Roman. Pont.* I. p. 362. Jaffé-Wattenbach, n. 636 (391).

Qui de monasterialibus disciplinis ad clericale munus accedit et de laicis, anteacta eius uita examinetur. *(Decr. Grat.)*

Priscis igitur pro sua reuerentia manentibus institutis, (que, ubi nulla rerum uel temporum perurget angustia, regulariter conuenit custodiri), quia eatenus ecclesiae, uel cunctis uel sufficientibus priuatae sunt ministeriis, ut plebibus ad se pertinentibus diuina munera subplere non ualeant, concedimus, ut, si quis monasterialibus disciplinis eruditus ad clericale munus accedit, etiam de laicis, anteacta eius uita requiratur, § 1. ne sit aliquo facinore infectus, uel illiteratus, uel bigamus, uel ab adolescentia sortitus, uel corpore uitiatus, uel seruilis, uel originariae condicionis, uel curiae, uel publicarum nexibus rerum inplicatus, uel publica penitencia notatus, uel nulla congruentis temporis expectatione discussus. [a. 494.]

119. CONCILIUM TOLETANUM IV. (a. 633).

c. 9. = c. 5. D. LI.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 203. Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum.* Tom. I. p. 229. Hefele, *Conciliengeschichte,* T. III. p. 453.

A quibus debet esse inmunis, qui in Episcopum est ordinandus. *(Decr. Grat.).*

[Deinceps qui non promoveantur ad sacerdotium ex regulis canonum necessario credimus inserendum: id est] qui in aliquo crimine detenti sunt, qui infamiae nota aspersi sunt, qui scelera aliqua per publicam penitenciam se admisisse confessi sunt, qui in heresim sunt lapsi, qui in heresi baptizati aut rebaptizati esse noscuntur, qui semetipsos absciderunt aut qui naturali defectu membrorum aliquid minus habere noscuntur, qui secundae uxoris coniunctionem sortiti sunt aut numerosa coniugia frequentauerunt, qui uiduam uel a marito relictam duxerunt, aut corruptarum mariti fuerunt, qui concubinas aut fornicarias habuerunt, qui seruili condicioni obnoxii

sunt, qui ignoti sunt, qui neophiti uel laici sunt, qui saeculari miliciae dediti sunt, qui curiae nexibus obligati sunt, qui inscii literarum sunt, qui nondum ad triginta annos peruenerunt, qui per gradus ecclesiasticos non ascenderunt, qui ambitu honorem querunt, qui honorem muneribus obtinere moliuntur, qui a decessoribus in sacerdotium eliguntur. — . . .

120. ALEXANDER III. (1159—1181).

a) Alexander III. Oxoniensi Episcopo, in c. 4. X. *de conversione coniugatorum.* III. 32.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 579. Jaffé-Wattenbach, n. 13899 (8963).

Uxoratus religionem intrare non potest, nisi etiam uxor ingrediatur, vel nisi suspecta non sit, et continentiam promittat. H. d. et est unum cap. de principalioribus tit.

Quum sis praeditus scientia literarum, ignorare non *potest nec* debes, sanctorum Patrum constitutioni esse contrarium, ut vir, uxore sua *in saeculo remanente*, aut uxor viro eius non assumente religionis habitum, debeat ad religionem transire, † *quia quum vir et uxor una caro sint, sicut docet Apostolus, non potest unus ad Deum converti et alter in saeculo remanere.* Inde est, quod auctoritate apostolica *tibi* prohibemus, ne in episcopatu tuo virum vel uxorem, nisi uterque ad religionem migraverit, transire permittas, *sed, si voluerint ad Deum converti, uterque ad frugem melioris vitae transeat.* Verum si ita uxor senex est et sterilis, quod sine suspicione esse posset in saeculo, dissimulare poteris, ut, ea in saeculo remanente et castitatem promittente, ad religionem transeat vir eiusdem.

b) Alexander III. Strigoniensi et Coloniensi Archiepiscopis, in c. 6. X. *de conversione coniugatorum.* III. 32.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 580.

Uxoratus in episcopum promoveri non potest, nisi uxor religionem profiteatur.

Sane, si coniugati consenserint ordinari, uxoris *etiam* voluntas prius requirenda est, † *ut sequestrato mansionis cubiculo religione promissa, postquam pariter conversi fuerint ordinentur. Quodsi in quibuslibet ecclesiasticis gradibus providenter scienterque curandum est, ut in domo Dei nil sit inordinatum, nihilque praeposterum, multo magis laborandum est, ut in eius promotione, qui super omnes gradus continetur, non erretur.* Inde est, quod Fraternitati vestrae Auctoritate apostolica prohibemus, ne uxoratum praesumatis in episcopum ordinare, nisi uxor prius professa continentiam sacrum sibi velamen imponat, et religiosam vestem assumat. Nolumus enim, ut viri promotio uxori relictae in saeculo fieri perditionis possit occasio.

M) *Irregularitas ex delicto.*

121. CONCILIUM TOLETANUM I. (a. 400).

c. 2. = c. 68. D. L.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 202. Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum.* Tom. I. p. 204. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. III. p. 87. Gams, *Kirchengeschichte Spaniens.* Tom. II. 2. p. 389.

Causa necessitatis ad clerum penitentes admittantur. *(Decr. Grat.)*

Placuit ut penitentes non admittantur ad clerum, nisi tantum si necessitas aut usus exegerit; tunc deputentur inter ostiarios uel inter lectores, ita ut apostolum uel euangelium non legant. § 1. Si qui autem ordinati sunt in diacones, inter subdiacones habeantur, ita ut manum non imponant nec sacra contingant. § 2. Cum uero penitentem dicimus, qui post baptisma, aut pro homicidio, aut pro diuersis criminibus grauissimisque peccatis publicam penitenciam gerens sub cilicio diuino fuerit reconciliatus altario.

122. FELIX III. (483—492).

Ep. I. c. 2. = c. 118. *de consecratione.* D. IV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 1398. Thiel, *Epist. Roman. Pontif.* p. 262. Jaffé-Wattenbach. n. 456 (370).

De his qui ex industria bis baptizantur. *(Decr. Grat.)*

Eos, quos episcopos, presbiteros uel diaconos fuisse constiterit, et seu optantes forsitan, seu coactos lauacri illius unici claruerit fecisse iacturam usque ad exitus sui diem in penitencia (si resipiscunt) iacere conuenit, nec orationi non modo fidelium, sed nec cathecuminorum quidem omnimodis interesse; quibus laica tantum communio in morte reddenda est. — . .

123. INNOCENTIUS III. (1198—1216).

a) Innocentius III. Abbati S. Trinitatis de Meldemberg, in c. 18. X. *de homicidio voluntario vel casuali.* V. 12.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 800.

Irregularis censetur, qui alium letaliter percussit, licet ab aliis fuerit extinctus; idem, si apparet, an letaliter, si etiam percussus ab aliis obiit, et non apparet, ex cuius vulnere decesserit. Idem est, si percusserit non letaliter, si animum occidendi habuit, et ex aliorum vulneribus percussus exspiravit. H. d. notabiliter. Abbas.

Significasti nobis *per literas tuas,* quod, quum quidam maleficus, ingressus ecclesiam *de Bleiseio, Dei timore posthabito* eucharistiam cum altarium ornamentis et libris ecclesiasticis extra [*ipsam*] ecclesiam asportasset, *dilectus filius* L. presbyter *lator praesentium* ecclesiae [*tuae*] canonicus regularis, *quem in praefata ecclesia de Bleiseio institueras capellanum*,

praefatum iniquitatis filium fossorio arrepto percussit. Sed, si ad mortem fuit ictus huiusmodi, tu et ipse penitus ignoratis; quem parochiani ecclesiae videntes ornamenta ecclesiae asportantem, arreptis gladiis et fustibus in eodem loco protinus occiderunt. † *Praefatus vero Laurentius de sua salute praecogitans, evoluto anno sub titulo confessionis tibi rei ordinem revelavit, pro quo nobis humiliter supplicasti, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Licet autem contineatur in canone, quod, si quatuor homines aut quinque vel plures contra unum hominem rixati fuerint, et ab eis mortuus fuerit vulneratus, quicunque illorum et plagam imposuerit, homicida secundum statuta canonum iudicetur; quia tamen in alio canone dicitur de presbytero, qui diaconum equitantem percussit, et ipse, cadens ex equo, cervice fracta interiit: quodsi non ad mortem percussus est, incaute agenti presbytero est poenitentia indicenda, ita, quod aliquanto tempore a missarum suspensus solenniis, denuo ad sacerdotale officium revertatur, quodsi veraciter qualicunque percussione presbyteri mortuus est diaconus, nulla hic ratione more sacerdotis permittendus est ministrare, etiamsi voluntatem non habuit occidendi.* Nos in praemisso casu credimus distinguendum, utrum constare possit, quod praefatus sacerdos non inflixit percussionem letalem, de qua *videlicet,* si aliorum non fuissent vulnera subsecuta, percussus minime interiisset, et si percussor voluntatem non habuerit occidendi, neque ipsius studio, consilio vel mandato processerint alii contra illum. Et quidem, si hoc ita se habet, quod forsan ex eo posset ostendi, si certa apparuisset percussio ab eodem inflicta tam modica et tam levis, in ea parte corporis, in qua quis de levi percuti non solet ad mortem, ut peritorum iudicio medicorum talis percussio assereretur non fuisse letalis, quum de ceteris credendum sit ipsi *sacerdoti,* qui non accusatur vel denunciatur ab aliquo, sed per se ipsum, *de sua salute sollicitus,* consilium appetit salutare, post poenitentiam ad cautelam iniunctam in sacerdotali poterit officio ministrare, maxime religionis accedente favore, quum sit canonicus regularis, et sine omni scandalo possit sacerdotale officium celebrare. Quodsi discerni non possit, ex cuius ictu percussus interiit: in hoc dubio tanquam homicida debet haberi sacerdos, etsi forte homicida non sit, a sacerdotali officio abstinere debet, quum in hoc casu cessare sit tutius quam temere celebrare, pro eo, quod in altero nullum, in reliquo vero magnum periculum timeatur. † *Utrum autem de illis sit simile sentiendum, quorum unus, sed quis omnino nescitur, homicidium perpetravit, si forsan ad recipiendos sacros ordines praesententur, utrum omnes sint pariter repellendi, quum discerni non possit, qui debeant culpabiles iudicari, diligens investigator advertat, quamvis hic casus sit ab illo valde diversus.* Si vero, quemadmodum perhibetur, sacerdos iste prius ab illo percussus sacrilego, mox eum cum ligone in capite repercussit, quamvis vim vi repellere omnes leges et omnia iura permittant; quia tamen id debet fieri cum moderamine incul-

patae tutelae, non ad sumendam vindictam, sed ad iniuriam propulsandam: non videtur idem sacerdos a poena homicidii penitus excusari, tum ratione instrumenti, cum quo ipse percussit, quod, quum grave sit, non solet levem plagam inferre, tum ratione partis, in qua fuit ille percussus, in qua de modico ictu quis letaliter solet laedi, *maxime quum secundum vulgare proverbium asseratur, quod, qui ferit primo, ferit tangendo, qui ferit secundo, ferit dolendo. Unde, pensatis omnibus, ei creditur, expedire, ut cum humilitate abstineat a sacerdotali officio exsequendo.* [Dat. Viterbii Kal. Iul. Pont. nostr. Ao. XII. 1209.]

b) Innocentius III. Priori et Fratribus Carthusiensibus, in c. 20. X. *de homicidio voluntario vel casuali.* V. 12.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 802. Potthast, n. 4722.

Qui dat causam abortioni, homicida est, si conceptum erat vivificatum animal rationale; alias secus.

Sicut ex literarum vestrarum tenore accepimus quum quidam presbyter vestri ordinis, qui prius fuerat niger monachus, quandam mulierem praegnantem, cum quia contraxerat consuetudinem inhonestam, et quae asserebat se concepisse ex eo, per zonam arripuerit, quasi ludens, ipsam *mulier postmodum* per hoc sic se asseruit esse laesam, quod occasione huiusmodi abortivit; propter quod idem presbyter, proborum virorum usus consilio, se ipsum duxit ab altaris ministerio sequestrandum. † *Quare nobis humiliter supplicastis. et cum eo agere misericorditer dignaremur.* Nos vero devotioni vestrae insinuatione presentium respondemus, quod, si nundum erat vivificatus conceptus, ministrare poterit; alioquin debet ab altaris officio abstinere. [Dat. Lat. IV. Non. Oct. Pont. Nostr. Ao. XIV. 1211.]

124. CLEMENS V. (1305--1314).

Clemens V. in Concilio Viennensi (1311—1312), c. un. Clem. *de homicidio voluntario vel casuali.* V. 4.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1183. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. VI. p. 514.

Furiosus, infans vel dormiens hominem mutilans vel occidens non efficitur irregularis, nec etiam ille, qui, aliter mortem vitare nequiens, suum invasorem occidit vel mutilat. H. d.

Si furiosus, aut infans seu dormiens hominem mutilet vel occidat: nullam ex hoc irregularitatem incurrit. Et idem de illo censemus, qui, mortem aliter vitare non valens, suum occidit vel mutilat invasorem.

125. CONCILIUM TRIDENTINUM (1545—1563).

Sess. XIV. *de reformatione* c. 7.

* *Canones et decreta Concilii Tridentini.* ed. Richter. p. 92.

Voluntarii homicidae nunquam, casuales quomodo ordinandi.

. . . Si vero homicidium non ex proposito sed casu, vel vim vi repellendo, ut quis se a morte defenderet, fuisse commissum narretur, quam ob causam etiam ad sacrorum ordinum et altaris ministerium, et beneficia quaecunque ac dignitates iure quodammodo dispensatio debeatur, committatur loci ordinario, aut ex causa metropolitano seu viciniori episcopo, qui non nisi causa cognita et probatis precibus ac narratis, nec aliter dispensare possit.

N) *Titulus ordinationis.*

126. ALEXANDER III. (1159—1181).

Alexander III. in Concilio Lateranensi (a. 1179), in c. 4. X. *de praebendis et dignitatibus.* III. 5.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 465. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 710.

Qui ordinavit aliquem ad sacros ordines sine titulo, non habentem de suo unde vivat, providere tenetur ei de suo, donec aliquem titulum fuerit consecutus.

Episcopus, si aliquem sine certo titulo, de quo necessaria vitae percipiat, in diaconum vel presbyterum ordinaverit, tamdiu ei necessaria subministret, donec in aliqua ecclesia ei convenientia stipendia militae clericalis assignet, nisi talis *forte* ordinatus de sua vel paterna haereditate subsidium vitae possit habere.

127. INNOCENTIUS III. (1198—1216).

Innocentius III. Episcopo Zamorensi, in c. 16. X. *de praebendis et dignitatibus.* III. 5.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 469. Potthast, n. 71.

Ordinato ad sacros per episcopum sine titulo, nemine praesentante, ordinator vel successor compellitur in necessariis providere, donec titulum habuerit.

Quum secundum Apostolum qui altario servit vivere debeat de altari, et qui ad onus eligitur repelli non debeat a mercede, patet a simili, ut clerici vivere debeant de patrimonio Iesu Christi, cuius obsequio deputantur, ut ipsa nominis ratio persuadet. Quum enim a κλῆρος, quod est sors vel hereditas, clerici appellentur, quia in sui ordinatione vel assumuntur in hereditatem Domini, vel assequuntur hereditatem in ipso, ut vere possint

psallere cum Propheta, dicente: «Dominus pars hereditatis meae», dignum est, ut ecclesiae stipendiis sustententur, in qua et per quam divinis obsequiis adscribuntur. Licet autem praedecessores nostri ordinationes eorum, qui sine certo titulo promoventur, in iniuriam ordinantium irritas esse voluerint et inanes, nos tamen, benignius agere cupientes, tam diu per ordinatores vel successores eorum provideri volumus ordinatis, donec per eos ecclesiastica beneficia consequantur, *ne forte clamores clericorum pauperum, quos in aures Domini Sabaoth credimus introire, indurata facie negligere videamur.* Inde est, quod, quum *dilectus filius* G. lator praesentium a *bonae memoriae G.* praedecessore tuo, *sicut asserit,* fuerit ad subdiaconatum nullo praesentante promotus, [*nec ullum sit ecclesiasticum beneficium assecutus*], *fraternitati tuae per apostolica scripta* mandamus, quatenus, si eum hi, quibus examinationem ipsius duximus committendam, te citato legitime, ut per te ipsum vel idoneum responsalem intersis, et tam super idoneitate personae quam etiam super quantitate beneficii proponere tibi liceat quicquid rationabiliter duxeris proponendum, idoneum esse repererint *et ecclesiastico beneficio non indignum,* tam diu ei vitae necessaria congrue subministres, donec per te in Zamorensi ecclesia vel *in* alia fuerit competens beneficium ecclesiasticum assecutus, sciturus pro certo, quod, si per examinationem eorum fuerit repertus idoneus, et tu ei iuxta mandatum nostrum neglexeris providere, quum hoc nobis per literas eorum innotuerit, ad id exsequendum te per districtionem ecclesiasticam compellemus, *quia, sicut nolumus iniusta praecipere, sic, quum iusta praecipimus, volumus efficaciter exaudiri.* [Dat. Lat. III. Non. April. 1198.]

O) *Ordinator.*

128. CLEMENS IV. (1265—1268).

c. 3. in VI°. *de temp. ord. et qualit. ordinand.* I. 9.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 975.

Episcopus Italiae ultramontanum non ordinet, nisi de speciali licentia Papae, vel per patentes literas episcopi sui, continentes iustam causam, quare nolit vel non possit illum ordinare. Si secus factum fuerit, ordinans punietur poena condigna, et ordinatus manebit suspensus ita, quod etiam a poenitentiariis Papae sine ipsius speciali licentia absolvi non poterit. Ioann. Andr.

Saepe contingit, quod nonnulli clerici, vinculo excommunicationis adstricti, aut apostatae, seu irregulares, vel alias ordinum sacrorum susceptione indigni, suam patriam, in qua de his habetur notitia, fugientes, se in remotis partibus faciunt ad huiusmodi ordines promoveri. Nos igitur, volentes animarum ipsorum periculis obviare, statuimus, ut nullus episcoporum Italiae de cetero aliquem ultramontanum clericum ordinare praesumat,

nisi a nobis specialem licentiam habeat, vel ab episcopo, de cuius dioecesi traxit originem ordinandus, vel in cuius dioecesi beneficiatus exsistit, per eius patentes literas, causam rationabilem continentes, quare ipsum nolit aut nequeat ordinare. Eos vero, quos contra praemissa contigerit ordinari, manere volumus absque spe dispensationis super hoc a sede apostolica obtinendae suspensos, ac ordinantes poenitentia condigna puniri, omnibus nostris poenitentiariis inhibentes districte, ne absque licentia nostra speciali cum taliter ordinatis dispensent, vel suas eis tradant literas, per quas cum ipsis debeat dispensari.

129. BONIFACIUS VIII. (1294—1303).

c. 3. in VI°. *De temp. ordin. et qualit. ordinand.* I. 9.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 975.

Episcopus originis, domicilii, vel ecclesiastici beneficii commendatitias ad ordines dare potest, inferiores praelati non, nisi ex privilegio; nec officiales episcoporum; sed ii qui habent administrationem spiritualium, illas bene concedunt. — § 1. Possunt episcopi ordinare priores prioratuum non exemptorum, et ipsorum socios, quamdiu morantur in illis, licet inde non fuerint oriundi. Ioann. Andr.

Quum nullus clericum parochiae aliaenae praeter superioris ipsius licentiam debeat ordinare: superior intelligitur in hoc casu episcopus, de cuius dioecesi est is, qui ad ordines promoveri desiderat, oriundus, seu in cuius dioecesi beneficium obtinet ecclesiasticum, seu habet, (licet alibi natus fuerit,) domicilium in eadem. Inferiores quoque praelati, religiosi vel alii, nisi eis, quod suos clericos aut subditos possint a quo voluerint episcopo facere ordinari, a sede apostolica specialiter sit indultum, vel officialis episcopi, quum ad hoc se ipsius officium non extendat, huiusmodi nequeunt licentiam impartiri. Episcopo autem in remotis agente, ipsius in spiritualibus vicarius generalis, vel, sede vacante, capitulum, seu is, ad quem tunc temporis administratio spiritualium noscitur pertinere, dare possunt licentiam ordinandi. § 1. Religiosi vero, a suis superioribus in non exemptis prioratibus deputati, priores et eorum socii possunt a locorum dioecesanis, quamdiu morantur in ipsis prioratibus, ordinari licite, licet non sint de eorum dioecesibus oriundi.

P) *Ritus et conditiones ordinationis.*

130. CONSTITUTIONES APOSTOLICAE.

Liber VIII.

* Pitra, *Juris ecclesiastici graecorum historia et momenta.* Romae 1864—1868. Tom. I. p. 54—60. Lagarde, *Constitutiones apostolorum.* Leipzig 1862. p. 262 seq. Funk, *Die apostolischen Konstitutionen.* Rottenburg 1891. p. 132 seq.

(Cap. 16.) II. De Ordinatione Presbyteri.

Περὶ δὲ χειροτονίας πρεσβυτέρων ἐγὼ ὁ Φιλούμενος ὑπὸ τοῦ Κυρίου διατάσσομαι ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις.

Πρεσβύτερον χειροτονῶν, ὦ ἐπίσκοπε, τὴν χεῖρα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιτίθει αὐτός, τοῦ πρεσβυτερίου παρεστῶτός σοι καὶ τῶν διακόνων, καὶ εὐχόμενος λέγε.

Εὐχή. Κύριε παντοκράτορ, ὁ Θεὸς ἡμῶν, ὁ διὰ Χριστοῦ τὰ πάντα δημιουργήσας, πρὸ δὲ πάντων ὑποστησάμενος, καὶ δι' αὐτοῦ τῶν ὅλων προνοῶν καταλλήλως. ᾧ γὰρ δύναμις διάφορα ποιῆσαι, τούτῳ δύναμις καὶ διαφόρως προνοῆσαι· διὰ γὰρ τοῦτο, ὁ Θεός, προνοεῖς τῶν μὲν ἀθανάτων φυλακῇ μόνῃ, τῶν δὲ θνητῶν διαδοχῇ, τῆς ψυχῆς φροντίδι νόμων, τοῦ σώματος ἀνπληρώσει τῆς ἐνδείας· αὐτὸς οὖν καὶ νῦν ἐπίβλεψον ἐπὶ τὴν ἁγίαν σου ἐκκλησίαν καὶ αὔξησον αὐτήν, καὶ πλήθυνον τοὺς ἐν αὐτῇ προεστῶτας καὶ δὸς δύναμιν πρὸς τὸ κοπιᾶν αὐτοὺς λόγῳ καὶ ἔργῳ εἰς οἰκοδομὴν τοῦ λαοῦ σου.

Αὐτὸς καὶ νῦν ἔπιδε ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου τοῦτον, τὸν ψήφῳ καὶ κρίσει τοῦ κλήρου παντὸς εἰς πρεσβυτέριον ἐπιδοθέντα, καὶ ἔμπλησον αὐτὸν Πνεῦμα χάριτος καὶ συμβουλίας τοῦ ἀντιλαμβάνεσθαι καὶ κυβερνᾷν τὸν λαόν σου ἐν καθαρᾷ καρδίᾳ, ὃν τρόπον ἐπεῖδες ἐπὶ λαὸν ἐκλογῆς σου καὶ προσέταξας Μωυσεῖ αἱρεῖσθαι πρεσβυτέρους, οὓς ἔπλησας πνεύματος· καὶ νῦν, Κύριε, παράσχου, ἀνελλιπὲς τηρῶν ἐν ἡμῖν τὸ πνεῦμα τῆς χάριτός σου, ὅπος, πλησθεὶς ἐνεργημάτων ἰαματικῶν

De ordinatione presbyterorum ego dilectus a Domino, haec vobis constituo episcopis.

Cum presbyterum ordinas, o Episcope, manum super caput eius impone tu ipse astante tibi presbyterorum corona et diaconorum, et precatus dicito:

Oratio. Domine, omnipotentes Deus noster, qui per Christum universa condidisti, eumque rebus suffecisti omnibus et cuncta per ipsum sigillatim curas (penes eum namque est facere varia, variisque providere modis); quamobrem, Deus ita provides, ut immortalibus quidem sola conservatione prospicias, mortalibus vero, successione; animae, dum leges procuras; corpori, dum praebes ea quibus indiget. Ipse igitur et nunc respice in sanctam tuam Ecclesiam et auge illam et multiplica eos qui in ea praesunt, et da virtutem ut ii verbo et opere aedificationi populi tui allaborent.

Ipse nunc quoque respice hunc famulum tuum, suffragio atque iudicio totius cleri in presbyterorum ordinem cooptatum, et imple illum spiritu gratiae et consilii. ad suscipiendum et regendum populum tuum in corde mundo, quaemadmodum respexisti super populum tuum electum, et praecepisti Moysi eligere seniores quos spiritu implevisti. Et nunc, Domine, perfice et indeficientem in nobis serva tuae gratiae spiritum, ut plenus operationibus ad sanandum, et verbis ad docendum

καὶ λόγου διδακτικοῦ, ἐν πραότητι παιδεύῃ σου τὸν λαὸν καὶ δουλεύῃ σοι εἰλικρινῶς ἐν καθαρᾷ διανοίᾳ καὶ ψυχῇ θελούσῃ, καὶ τὰς, ὑπὲρ τοῦ λαοῦ ἱερουργίας ἀμώμους ἐκτελῇ· διὰ τοῦ Χριστοῦ σου, μεθ' οὗ σοὶ δόξα, τιμὴ καὶ σέβας καὶ τῷ ἁγίῳ πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

idoneis, in mansuetudine erudiat populum, tibique serviat sincere, mente pura et animo volente, ac pro populo sacra sine vitio rite conficiat per Christum tuum, cum quo tibi et Sancto Spiritui gloria, honor et cultus in saecula. Amen. [l. c. pag. 54.]

(Cap. 17. 18.) III. De Diaconi Ordinatione.

Περὶ χειροτονίας διακόνων ἐγὼ Φίλιππος διατάσσομαι.

Διάκονον καταστήσεις, ὦ ἐπίσκοπε, ἐπιθεὶς αὐτῷ τὰς χεῖρας, παρεστῶτός σοι παντὸς τοῦ πρεσβυτερίου καὶ τῶν διακόνων· καὶ ἐπευξάμενος ἐρεῖς.

Εὐχή. Ὁ Θεὸς ὁ παντοκράτωρ, ὁ ἀληθινὸς, καὶ ἀψευδής, ὁ πλουτῶν εἰς πάντας τοὺς ἐπικαλουμένους σε ἐν ἀληθείᾳ, ὁ φοβερὸς ἐν βουλαῖς, ὁ σοφὸς διανοίᾳ, ὁ κραταιὸς καὶ μέγας. εἰσάκουσον προσευχῆς ἡμῶν, Κύριε, καὶ ἐνώτισαι τὴν δέησιν ἡμῶν, καὶ ἐπίφανον τὸ πρόσωπόν σου ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου τόνδε τὸν προχειριζόμενόν σοι εἰς διακονίαν, καὶ πλῆσον αὐτὸν Πνεύματος ἁγίου καὶ δυνάμεως, ὡς ἔπλησας Στέφανον τὸν μάρτυρα καὶ μιμητὴν τῶν παθημάτων τοῦ Χριστοῦ σου· καὶ καταξίωσον αὐτὸν, εὐαρέστως λειτουργήσαντα τὴν ἐγχειρισθεῖσαν αὐτῷ διακονίαν ἀτρέπτως, ἀμέμπτως, ἀνεγκλήτως, μείζονος ἀξιωθῆναι βαθμοῦ· διὰ τῆς μεσιτείας τοῦ μονογενοῦς σου Υἱοῦ, μεθ' οὗ σοὶ δόξα, τιμὴ καὶ σέβας καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

De ordinatione vero diaconorum, ego Philippus constituo.

Diaconum efficies, o episcope, imponendo ei manus, astante tibi universo presbyterio una cum diaconis, precatusque dicens:

Oratio. Deus omnipotens qui verax es, neque mentiris, dives in omnibus qui te invocant in veritate, in consiliis pertimescendus, sapiens cogitatione, fortis et magnus, exaudi orationem nostram, Domine, et auribus percipe deprecationem nostram, et ostende faciem tuam super servum tuum hunc, electum tibi in ministerium, et imple eum Spiritu sancto et virtute, sicut Stephanum martyrem et imitatorem passionum Christi tui implevisti, et concede ei, ut ministerio sibi commisso sine culpa, sine vitio, sine crimine functus, maiore gradu dignus habeatur per mediatorem unigenitum Filium tuum, cum quo tibi et sancto Spiritui gloria, honor ac veneratio in saecula. Amen. [l. c. pag. 55.]

(Cap. 19. 20.) IV. De Ordinatione Diaconissae.

Περὶ δὲ διακονίσσης Βαρθολομαῖος διατάσσομαι.

Ὦ ἐπίσκοπε, ἐπιθήσεις αὐτῇ τὰς χεῖρας, παρεστῶτος τοῦ πρεσβυτερίου καὶ τῶν διακόνων καὶ τῶν διακονισσῶν, καὶ ἐρεῖς·

Εὐχή. Θεὸς ὁ αἰώνιος, ὁ πατὴρ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὁ ἀνδρὸς καὶ γυναικὸς δημιουργός, ὁ πληρώσας πνεύματος Μαριὰμ καὶ Δεβόῤῥαν καὶ Ἄνναν καὶ Ὀλδάν, ὁ μὴ ἀπαξιώσας τὸν μονογενῆ σου Υἱὸν γεννηθῆναι ἐκ γυναικός, ὁ καὶ ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου καὶ ἐν τῷ ναῷ προχειρισάμενος τὰς φρουροὺς τῶν ἁγίων σου πυλῶν· αὐτὸς καὶ νῦν ἔπιδε ἐπὶ τὴν δούλην σου τήνδε τὴν προχειριζομένην εἰς διακονίαν, καὶ δὸς αὐτῇ Πνεῦμα ἅγιον, καὶ καθάρισον αὐτὴν ἀπὸ παντὸς μολυσμοῦ σαρκὸς καὶ πνεύματος πρὸς τὸ ἐπαξίως ἐπιτελεῖν αὐτὴν τὸ ἐγχειρισθὲν αὐτῇ ἔργον εἰς δόξαν σὴν καὶ ἔπαινον τοῦ Χριστοῦ σου, μεθ' οὗ σοὶ δόξα καὶ προσκύνησις καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

De Diaconissa vero Bartholomaeus constituo.

O episcope, impones ei manus, astante presbyterio una cum diaconis et diaconissis, et dices.

Oratio. Deus aeterne, Pater Domini nostri Iesu Christi, qui viri et mulieris auctor es, qui spiritu implevisti Mariam, Debboram et Annam et Oldam, cui indignum non fuit unigenitum tuum Filium nasci ex muliere, qui in tabernaculo testimonii tui et in templo praefecisti ianuis tuis sanctis feminas custodes, ipse nunc quoque respice super hanc famulam tuam, electam ad diaconatum, et da ei Spiritum sanctum, et puram eam effice ab omni immunditia carnis et spiritus ut condigne perficiat opus sibi commissum in gloriam tuam et laudem Christi tui, cum quo tibi et Spiritui Sancto gloria et adoratio in saecula. Amen. [l. c. pag. 56.]

(Cap. 21.) V. De Ordinatione Subdiaconi.

Περὶ δὲ ὑποδιακόνων ἐγὼ Θωμᾶς διατάσσομαι ὑμῖν τοῖς ἐπισκόποις.

Ὑποδιάκονον χειροτονῶν, ὦ ἐπίσκοπε, ἐπιθήσεις ἐπ' αὐτῷ τὰς χεῖρας καὶ ἐρεῖς·

Εὐχή. Δέσποτα Θεέ, οὐρανοῦ καὶ γῆς δημιουργὲ καὶ πάντων τῶν ἐν αὐτοῖς, ὁ καὶ ἐν τῇ σκηνῇ τοῦ μαρτυρίου τοὺς νεωκόρους ἀναδείξας τῶν ἁγίων σου σκευῶν φύλακας· αὐτὸς καὶ νῦν ἐπίβλεψον ἐπὶ

De subdiaconis autem ego Thomas vobis episcopis constituo.

Quando subdiaconum ordinas, o episcope, impones super eum manus et dices:

Oratio. Dominator Deus, conditor caeli et terrae et omnium quae caelo terraque continentur, qui in tabernaculo testimonii aedituos designasti sanctorum vasorum tuorum custodes, ipse nunc etiam respice super famu-

τόν δοῦλόν σου τόνδε τὸν προχειρισθέντα ὑποδιάκονον, καὶ δὸς αὐτῷ Πνεῦμα ἅγιον πρὸς τὸ ἐπαξίως ἐφάπτεσθαι τῶν λειτουργικῶν σου σκευῶν καὶ ποιεῖν τὸ θέλημά σου διαπαντός· διὰ τοῦ Χριστοῦ σου, μεθ' οὗ σοὶ δόξα, τιμὴ καὶ σέβας καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας· Αμήν.

lum huncce tuum, qui subdiaconus creatus est, et tribue ei Spiritum sanctum ut pro dignitate attrectet vasa ministerio tuo dicata, semperque tuam faciat voluntatem: per Christum tuum, cum quo tibi et sancto Spiritui gloria, honor ac veneratio, in saecula. Amen. [l. c. pag. 57.]

(Cap. 22.) VI. De Lectoribus.

Περὶ δὲ ἀναγνωστῶν ἐγὼ Ματθαῖος ὁ καὶ Λευὶς ὅ ποτε τελώνης διατάσσομαι.

Ἀναγνώστην προχείρισαι ἐπιθεὶς αὐτῷ τὴν χεῖρα, καὶ ἐπευξάμενος πρὸς τὸν Θεὸν λέγε.

Εὐχή. Ὁ Θεὸς ὁ αἰώνιος, ὁ πολὺς ἐν ἐλέει καὶ οἰκτιρμοῖς, ὁ τὴν τοῦ κόσμου σύστασιν διὰ τῶν ἐνεργουμένων φανεροποιήσας καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἐκλεκτῶν σου διαφυλάττων· αὐτὸς καὶ νῦν ἔπιδε ἐπὶ τὸν δοῦλόν σου τὸν ἐγχειριζόμενον τὰς ἁγίας σου γραφὰς ἀναγινώσκειν τῷ λαῷ σου, καὶ δὸς αὐτῷ Πνεῦμα ἅγιον, Πνεῦμα προφητικόν· ὁ σοφίσας Ἔσδραν τὸν θεράποντά σου ἐπὶ τὸ ἀναγινώσκειν τοὺς νόμους σου τῷ λαῷ σου, καὶ νῦν παρακαλούμενος ὑφ' ἡμῶν σόφισον τὸν δοῦλόν σου καὶ δὸς αὐτῷ, ἔργον ἀκατάγνωστον διανύσαντα τὸ ἐγχειρισθὲν αὐτῷ, ἄξιον ἀναδειχθῆναι μείζονος βαθμοῦ· διὰ Χριστοῦ, μεθ' οὗ σοὶ ἡ δόξα καὶ τὸ σέβας καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

De lectoribus vero ego Matthaeus qui et Levis, olim publicanus, constituo.

Lectorem assume, imponens ei manum, et Deum orans, dicito:

Oratio. Deus aeterne, qui multus in misericordia et miserationibus es, qui mundi structuram per ea quae fiunt, manifestasti, et numerum electorum tuorum conservas, ipse et nunc respice super famulum tuum cui committitur sanctas tuas scripturas legere populo tuo, et da ei Spiritum sanctum, Spiritum propheticum; qui sapientem effecisti Esdram famulum tuum, ad recitandum leges tuas tuo populo, et nunc rogatus a nobis, instrue famulum tuum et tribue ei ut sine reprehensione functus munere sibi commisso, ad maiora scandere dignus declaretur: per Christum cum quo et sancto Spiritu tibi gloria in saecula. Amen. [l. c. pag. 58.]

(Cap. 23.) VII. De Confessoribus.

Ἰάκωβος δὲ ὁ Ἀλφαίου κἀγὼ διατάσσομαι περὶ ὁμολογητῶν.

Ὁμολογητὴς οὐ χειροτονεῖται· γνώμης γὰρ τοῦτο καὶ ὑπομονῆς·

Ego vero Iacobus Alphaei constituo de confessoribus.

Confessor non fit ordinatione; voluntatis quippe res est et tolerantiae.

τιμῆς δὲ μεγάλης ἐπάξιος, ὡς ὁμολογήσας τὸ ὄνομα τοῦ Θεοῦ καὶ τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ ἐνώπιον ἐθνῶν καὶ βασιλέων. Ἐὰν δὲ χρεία αὐτοῦ ᾖ εἰς ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον ἢ διάκονον, χειροτονεῖται· εἰ δέ τις ὁμολογητὴς μὴ χειροτονηθεὶς ἁρπάσῃ ἑαυτῷ ἀξίωμά τι τοιοῦτον ὡς διὰ τὴν ὁμολογίαν, οὗτος καθαιρείσθω καὶ ἀποβαλλέσθω· οὐ γάρ ἐστιν, ἐπείπερ ἤρνηται τὴν Χριστοῦ διάταξιν καὶ ἔστιν ἀπίστου χείρων.

Magno autem honore dignus est, ut qui confessus est nomen Dei et Christi coram gentibus et regibus. Si autem opus eo fuerit, in episcopum aut presbyterum aut diaconum ordinetur. Quod si aliquis confessor non ordinatus arrogaverit sibi huiusmodi dignitatem, confessionis praetextu, is deponatur et eiiciatur. Non enim est confessor, utpote qui negaverit Christi constitutionem estque infideli deterior. [l. c. pag. 58.]

(Cap. 24.) VIII. De virginibus.

Ὁ αὐτὸς περὶ παρθένων διατάσσομαι.

Παρθένος οὐ χειροτονεῖται· ἐπιταγὴν γὰρ Κυρίου οὐκ ἔχομεν· γνώμης γάρ ἐστι τὸ ἔπαθλον, οὐκ ἐπὶ διαβολῇ τοῦ γάμου, ἀλλ᾽ ἐπὶ σχολῇ τῆς εὐσεβείας.

Ipse ego de virginibus constituo.

Non ordinatur virgo: praeceptum enim Domini non habemus, voluntatis quippe est huius laudis certamen, non coniugii tamen in criminationem, sed pietati ut indulgeatur. [l. c. p. 59.]

(Cap. 25.) IX. De Viduis.

Κἀγὼ Λεββαῖος ὁ ἐπικληθεὶς Θαδδαῖος τάδε περὶ χηρῶν διατάσσομαι.

Χήρα οὐ χειροτονεῖται, ἀλλ᾽ εἰ μὲν ἐκ πολλοῦ ἀπέβαλε τὸν ἄνδρα καὶ σωφρόνως καὶ ἀκαταγνώστως ἔζησε καὶ τῶν οἰκείων ἄριστα ἐπεμελήθη, ὡς Ἰουδὶθ καὶ Ἄννα αἱ σεμνόταται, καταταρσσέσθω, εἰς τὸ χηρικόν· εἰ δὲ νεωστὶ ἀπέβαλε τὸν ὁμόζυγον, μὴ πιστευέσθω, ἀλλὰ χρόνῳ νεότης κρινέσθω· τὰ γὰρ πάθη ἔσθ᾽ ὅτε καὶ συγγηρᾷ ἀνθρώποις, μὴ ὑπὸ κρείττονος χαλινοῦ εἰργόμενα.

Et ego Lebbaeus, cognomine Thaddaeus, haec de viduis constituo.

Vidua non ordinatur, sed si iam diu amisit virum, et caste et laudate vixit ac diligentem domesticorum curam gessit, ut Iudith et Anna, honestissimae illae feminae, cooptetur in gradum vidualem, Quod si nuper amisit maritum, ne illi credatur; sed tempore novitas diiudicetur. Passiones enim interdum cum hominibus consenescunt, nisi fortiori freno cohibeantur. [l. c. pag. 59.]

(Cap. 26.) X. De Exorcista.

Ὁ αὐτὸς περὶ ἐπορκιστοῦ διατάσσομαι.

Ἐπορκιστὴς οὐ χειροτονεῖται· εὐνοίας γὰρ ἑκουσίου τὸ ἔπαθλον

Ipse egomet de Exorcista constituo.

Exorcista non ordinatur; voluntatis quippe liberae est haec certaminis

καὶ χάριτος Θεοῦ διὰ Χριστοῦ ἐπιφοιτήσει τοῦ ἁγίου Πνεύματος· ὁ γὰρ λαβὼν χάρισμα ἰαμάτων δι' ἀποκαλύψεως ὑπο Θεοῦ ἀναδείκνυται, φανερᾶς οὔσης πᾶσι τῆς ἐν αὐτῷ χάριτος. Ἐὰν δὲ χρεία αὐτου γένηται εἰς ἐπίσκοπον ἢ πρεσβύτερον ἢ διάκονον, χειροτονεῖται.

laus et a gratia Dei pendet per Christum, in adventu sancti Spiritus Qui enim donum accepit sanitatum, per revelationem a Deo declaratur, cunctis quum manifesta sit gratia ipsi impertita. Si autem opus eo fuerit, in episcopum vel presbyterum vel diaconum ordinatur. [l. c. pag. 60.]

181. LEO I. (440 - 461).

Leo Papa ad Episcopos Africanos, ep. 85 c. 1. = c. 3. D. LXXVIII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 275. Jaffé-Wattenbach, n. 410 (188).

Non est ordinandus sacerdos, nisi longo probatus examine. *(Decr. Grat.)*

Quid est: munus cito inponere, nisi ante etatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum obedientiae, ante experientiam disciplinae sacerdotalem honorem tribuere non probatis? Et quid est: communicare peccatis alienis, nisi talem effici ordinantem, qualis ille est, qui non meruit ordinari? [a. 446?]

182. GELASIUS I. (492—496).

Gelasius Papa ad Episcopos per Lucaniam, Epist. I. c. 3. = c. 8. 9. D. LXXVII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 274. Jaffé-Wattenbach. n. 636 (371). Thiel, *Epist. Roman. Pontif.* Tom. I. p. 360.

[c. 8. D. LXXVII.]

Per que interualla temporum ordinetur qui de monachis in clericatum eligitur. *(Decr. Grat.)*

Si quis de religioso proposito et disciplinis monasterialibus eruditus ad clericale munus accedit, inprimis eius uita acta inquiratur, si nullo graui facinore probatur infectus; si secundam fortasse non habuerit uxorem, nec a marito reiectam sortitus ostenditur.

[c. 9. D. LXXVII.]

Monachus uero nouitius morum honestate fulcitus, continuo lector, uel notarius, aut certe defensor effectus, post tres menses existat acolitus, maxime si huic etiam aetas suffragatur; sexto mense subdiaconi nomen accipiat, ac si modestae conuersationis honestaequae uoluntatis existat, nono mense diaconus completoque anno sit presbyter; cui tamen, quod annorum fuerant intersticia collatura, sancti propositi sponte suscepta docetur praestitisse deuotio. § 1. Si uero laicus quispiam ecclesiasticis est aggre-

gandus offitiis, tanto sollicitius in singulis, quae superius conprehensa sunt, huiusmodi decet examinare personam, quantum inter mundanam religiosamque uitam esse constat discriminis, quia utique conuenientia ecclesiae ministeria deputanda sunt, non inconuenientibus meritis ingerenda, tantoque magis quod sacris aptum possit esse seruitiis in eorum quaerendum est institutis, quantum de tempore, quo fuerint assequenda, decerpitur ut morum hoc habere doceatur probitas, quod prolixior consuetudo non contulit, ne per occasionem supplendae penuriae clericatus uitia potius diuinis cultibus intulisse, non legittimae familiae Domini computemur procurasse conpendia. Quorum promotionionibus super anni metas sex menses nihilominus subrogamus, quoniam, sicut dictum est, distare debet inter personam diuino cultui deditam, et de laicorum conuersatione uenientem. Quae tamen eatenus indulgenda credimus ut ecclesiis ab hac occasione cessantibus canonum paternorum uetus forma seruetur. [a. 494.]

188. CONCILIUM TOLETANUM II. (a. 581).

* Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum.* Tom. I. p. 207. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. II. p. 719. Gams, *Kirchengeschichte Spaniens.* Tom. II. 1. p. 446.

Can. I.

De his quos voluntas parentum a primis infantiae annis clericatus officio manciparit, hoc statuimus observandum, ut mox detonsi vel ministerio electorum cum traditi fuerint, in domo ecclesiae sub episcopali praesentia a praeposito sibi debeant erudiri; at ubi octavum decimum aetatis suae compleverint annum, coram totius cleri plebisque conspectu voluntas eorum de expetendo conjugio ab episcopo perscrutetur: quibus si gratia castitatis deo inspirante placuerit et professionem castimoniae suae absque conjugali necessitate se spoponderint servaturos, hi tanquam appetitores arctissimae vitae lenissimo domini jugo subdantur, ac primum subdiaconatus ministerium habita probatione professionis suae a vicesimo anno suscipiant; quod si inculpabiliter ac inoffense vicesimum et quintum annum aetatis suae peregerint, ad diaconatus officium, si scienter implere posse ab episcopo comprobantur, promoveri. Cavendum tamen est his, ne quando suae sponsionis immemores ad terrenas nuptias aut ad furtivos concubitus ultra recurrant; quod si forte fecerint, ut sacrilegii rei damnentur et ab ecclesia habeantur extranei; his autem quibus voluntas propria interrogationis tempore desiderium nubendi persuaserit, concessam ab apostolis sententiam auferre non possumus, ita ut cum provectae aetatis in conjugio positi renunciaturos se pari consensu operibus carnis spoponderint, ad sacratos gradus aspirent.

184. CONCILIUM AURELIANENSE (a. 538).

c. 7. = c. 1. D. LXXIV.

* *Corp iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 262. Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum.* Tom. II. p. 194.

Annuae suspensioni subiaceat episcopus, qui inuitum ordinare presumit. *(Decr. Grat.)*

Episcopus, qui inuitum aut reclamantem ordinare presumpserit, annuali penitenciae subditus missas facere non presumat.

185. GREGORIUS I. (590—604).

a) Gregorius Natali Episcopo Salonitano, in Lib. I. Reg. Epist. 19. = c. 2. D. LXXIV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 262. Jaffé-Wattenbach, n. 1087 (721).

Nullus promoueatur inuitus. *(Decr. Grat.)*

Gesta, quae nobis consilii uestri secretario confecta direxistis, in quo archidiaconus Honoratus adicitur, plena esse semine iurgiorum cognouimus, cum uno eodemque tempore una persona nolens ad sacerdotii ordinem prouehitur, que tamquam inmerita a diaconatus offitio remoueatur. Et sicut iustum est, ut nemo crescere conpellatur inuitus, ita censendum puto, ne quisquam insons ab ordinis sui ministerio deiciatur iniuste.

b) Gregorius Antonino subdiacono, Lib. II. Epist. 16. = c. 8. D. LXXIV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 264. Jaffé-Wattenbach, n. 1175 (812).

Non est aliquis inuitus ad episcopatum pertrahendus. *(Decr. Grat.)*

Honoratus, archidiaconus Salonitanae ecclesiae a sanctae memoriae decessore meo missa supplicatione poposcerat, ut ab antistite suo inuitus prouehi ad fortioris gradus ordinem contra morem nullo modo cogeretur. Hoc enim fieri sibi non causa prouehendi, sed causa ingratitudinis perhibebat. Pro qua re tunc etiam sanctae memoriae predecessor noster scriptis suis Natali fratri coepiscopoque nostro interdixerat, ne predictum Honoratum archidiaconum inuitum proueheret, neue dolorem conceptae ingratitudinis in corde retineret. Cumque etiam a me hec eadem summopere fuerint interdicta, non solum mandata Dei negligens, sed etiam scripta nostra contempnens, prefatum archidiaconem quasi ad fortiorem honorem prouehens conatus est callide degradare. Unde actum est, ut, eodem archidiaconatus loco submoto, alium adscisceret, qui eius obtemperare moribus potuisset. Quem Honoratum archidiaconem arbitramur antistiti suo aliunde displicere non posse, nisi quod eum uasa sacra suis parentibus dare prohibebat. Quam causam subtili uolumus et tunc sanctae memoriae decessor

meus, et nunc ego indagatione perquirere, sed sui suorumque actuum conscius personam suam ad iudicium postposuit destinare. Unde experientiam tuam presentis precepti auctoritate duximus fulciendam, quatinus, conueniens in Salonia, Natalem fratrem nostrum et coepiscopum nostrum saltim tot scriptis ammonitum studeat adhortari, ut supra memoratum archidiaconem in suo statu suscipiat. Quod si facere hoc contumaciter, ut consueuit, forte distulerit, usum pallii ei, qui ab hac sede concessus sibi fuerat, ex auctoritate sedis apostolicae contradices. Quem si etiam amisso pallio adhuc in eadem pertinacia perseuerare perspexeris, dominici corporis et sanguinis eundem antistitem participatione priuabis. [a. 592.]

Gratian. *Adhibenda est etiam disciplina, qua nolentes promoueri ad sacros ordines ad obediendum episcopis suis prouocentur. In minoribus siquidem ordinibus constituti paulatim per singulos gradus sunt prouehendi, ut contempnentes suis obedire episcopis doleant sibi esse prelatos, quos prius habebant subiectos.*

136. ALEXANDER II. (1061–1073).

Alexander II. Grimaldo Constantiensi Episcopo, in c. un. D. LII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 205. Jaffé-Wattenbach, n. 4510 (3441).

De eo, qui subdiaconatus ordine postposito diaconus et presbiter est ordinatus.

Sollicitudo dilectionis tuae studuit consulere, utrum portitor istarum litterarum diaconatus et presbiteratus offitium idoneus sit peragere nec ne, cum ad id prepropero cursu, subdiaconatus ordine postposito, negligentia potius quam superbia cognoscatur ascendisse. Unde nos consulendo caritati tuae mandamus, ut ab offitio sacerdotali eum prohibeas, donec proximo quatuor temporum ieiunio subdiaconatus ministerium sibi rite inponas, et sic deinceps ad maiora offitia eum redire concedas. [a. 1063.]

137. INNOCENTIUS III. (1198–1216).

a) Innocentius Mediolanensi Archiepiscopo, in c. 9. X. *de officio archidiaconi.* I. 23.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 152. Potthast, n. 377.

Archidiaconus examinat et praesentat ordinandos, et ponit praelatos in sede.

Ut nostrum *(Et infra) [(cf. c. un. ut. eccl. ben. III. 12) Quia vero maiorum excessus maiori debent severitate puniri, quum iuxta divinae legis oraculum sacerdos, si unctus est, peccaverit, faciet delinquere populum, quod inhoneste super retentione proventuum praesumpsisti de communi fratrum nostrorum consilio irritavimus, et in poenam praesumptionis huiusmodi, ut in eo puniaris, in quo peccaveras, a collatione dignitatis vel eccle-*

siastici beneficii, quod ad tuam donationem in tua primo vacabit ecclesia, censuimus suspendendum. Ceterum quia divina docente scriptura didicimus, quod melior est sapiens viro forti, et qui dominatur animo expugnatore urbium, quantumcunque voluerimus aut vellemus, si salva possemus iustitia (contra quam non iudicamus nos posse, quum simus in sede iustitiae constituti), praefatam cancellariam praedicto subdiacono nostro conferri, saepedictum tamen H. de Lamp. non invenimus ita culpabilem, ut eum exigente iustitia ipsa cancellaria privare possimus, quum, etsi parentes eius simplicitate deliquerint, nihil tamen pro ea dantes aut etiam promittentes, ipse tamen investituram cancellariae sicut verus canonicus, et cui ratione canonicatus non poterat opponi de iure defectus, sine pactione qualibet et conventione recepit]. Nec *[etiam]* fuit sufficienter probatum, quod cancellarius ex officio suo exerceat spiritualia memorata, quum ea potius de iure communi ad archidiaconi spectent officium, repraesentare videlicet ordinandos episcopo, et illos examinare, ponere abbates et abbatissas in sede. [Quae quum probatum sit etc. Dat. Perusii IX. Kal. Oct. 1198].

b) Innocentius III. Mutinensi Episcopo et Magistro H. Subdiacono nostro, in c. 13 *de temporib. ordinationum et qualit. ordinandorum.* I. 11.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 121. Potthast n. 1327.

Duo sacri ordines non possunt conferri eidem uno die, vel duobus, continuato ieiunio.

Literas vestras recepimus responsivas super inordinata ordinatione [A.] Imolensis electi, quem [G.] Bononiensis episcopus praecedenti sabbato in diaconum, et sequenti die dominico continuato ieiunio in presbyterum ordinavit. In quo quantum uterque deliquerit, evidenter intelligit qui prudenter attendit. Si enim utrumque ordinem eodem die conferre illi non licuit, pari non licuit ratione unum ordinem uno die, et alium altero ieiunio continuato conferri, quum propter continuationem ieiunii fictione canonica, sive mane diei dominicae trahatur ad sabbatum, sive vespera sabbati ad diem dominicam referatur, profecto mane cum vespera seu vespera cum mane ad eundem diem pertinere dicetur. Nam si, quantum ad hunc necessitatis articulum pertinet, mane ad unum diem, et vespera referatur ad alium, cur esset continuatio ieiunii necessaria, quum et sabbato ante coenam, et dominica ante prandium intelligantur esse ieiuni? [Ne autem si factum huiusmodi sub silentio transiremus id alii licitum reputantes similia facere attentarent, et sic facti perversitas a posteris traheretur in exemplum], Praefatum itaque Bononiensem episcopum, ut puniatur in quo deliquit, a collatione ordinum, diaconii scilicet et presbyterii, alterum vero ab exsecutione officii sacerdotalis tamdiu volumus manere suspensos, donec de illis aliter disponamus. — . . .

c) Innocentius III. Bononiensi Episcopo, in c. un. X. *de clerico per saltum promoto* V. 29.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 833. Potthast, n. 2381.

Qui ignoranter per saltum de subdiacono fit presbyter, post poenitentiam in diaconum ordinatur, et postea potest secum in sacerdotio dispensari.

Tuae *nobis praesentatae* literae continebant, quod, sicut ex relatione quorundam *bonorum virorum* receperas, P. presbyter *lator praesentium*, diaconatus ordine praetermisso, se fecit ad sacerdotii ordinem promoveri, *quumque super hoc ab ipso quaesisses diligentius veritatem*, ipse tibi quoque secreto *humiliter* confessus est, se pro certo nescire, si res taliter se haberet, sed, ex quo boni viri hoc asserebant, inter quos fuerat conversatus, credebat assertioni eorum, eo, quod *ipse* tempore, quo ordines inferiores susceperat, infra annos discretionis fuerat constitutus. † *Tu igitur, ipsum ad apostolicam Sedem transmittens, a nobis humiliter supplicasti, ut cum eo misericorditer agere dignaremur. Nos igitur, eius miseriae condolentes, fraternitati tuae per apostolica scripta* Mandamus, quatenus condignam poenitentiam pro huiusmodi negligentia iniungas eidem; qua peracta, quia non intelligitur iteratum quod factum esse nescitur, ipsum in diaconum ordinare procures, et sic de misericordia eundem ministrare permittas in ordine sacerdotis. [Dat. Rom. ap. S. Petr. XII. Kal. Febr. 1205.]

d) Innocentius III. Rotomagensi Archiepiscopo, in c. 11. *de aetate et qualitate et ordine praeficiendorum.* I. 14.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 129. Potthast, n. 4072.

Abbas si est presbyter, et est benedictus, conferre potest ordinem clericalem.

Quum contingat interdum, quod laici ad monasteria convolantes a suis abbatibus tonsurentur, apostolicae sedis oraculum requisisti, an clericatus ordo in tonsura conferatur? Super quo tibi respondemus, quod quum in VII sinodo sit statutum, ut lectores per manus impositionem licentia sit unicuique abbati in proprio monasterio solummodo faciendi, dummodo ipsis ab episcopo, secundum morem praeficiendorum abbatum, manus impositio facta noscatur, et constet, eum existere sacerdotem, per primam tonsuram, iuxta formam ecclesiae datam, a talibus abbatibus clericalis ordo confertur. — . . . Dat. Later. Kal. Sept. Ao. XIII. 1210.

188. BONIFACIUS VIII. (1294—1303).

in c. un. in VI°. *de clericis coniugatis.* III. 2.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1019.

Si clericus coniugatus ferat habitum et tonsuram, clericali privilegio gaudeat; alias non. Ioann. Andr.

Clerici, qui cum unicis et virginibus contraxerunt, si tonsuram et vestes deferant clericales, privilegium retineant canonis ab Innocentio Papa

II. praedecessore nostro editi in favorem totius ordinis clericalis. Et quum iuxta Parisiense concilium nullus clericus distringi aut condemnari debeat a iudice saeculari: praesenti declaramus edicto, huiusmodi clericos coniugatos pro commissis ab eis excessibus vel delictis trahi non posse criminaliter aut civiliter ad iudicium saeculare, nec ab ipsis saecularibus iudicibus eos debere personaliter vel etiam pecunialiter, (ne per unam viam concedatur eisdem iudicibus quod per aliam denegatur), ullatenus condemnari. In ceteris autem, vel nisi, ut praemittitur, tonsuram vel vestes deferant clericales, etiam in praemissis eos gaudere nolumus privilegio clericali.

139. CONCILIUM TRIDENTINUM (1543—1563).

Sessio XXIII. *de reformatione.*

* *Canones et decr. Conc. Trid.* ed. Richter. p. 180, 181, 182, 184, 197, 199, 201.

C. III. Episcopi extra aegritudinem per se ordines conferant.

Episcopi per semetipsos ordines conferant. Quod si aegritudine fuerint impediti, subditos suos non aliter, quam iam probatos et examinatos ad alium episcopum ordinandos dimittant. [l. c. pag. 180.]

C. IV. Qui prima tonsura initiandi.

Prima tonsura non initientur qui sacramentum confirmationis non susceperint, et fidei rudimenta edocti non fuerint, quique legere et scribere nesciant, et de quibus probabilis coniectura non sit, eos non saecularis iudicii fugiendi fraude, sed, ut Deo fidelem cultum praestent, hoc vitae genus elegisse. [l. c. pag. 181.]

C. V. Ordinandi quibus instructi esse debeant.

Ad minores ordines promovendi bonum a parocho et a magistro scholae, in qua educantur, testimonium habeant. Hi vero, qui ad singulos maiores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem episcopum adeant, qui parocho aut alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus ac desiderio eorum, qui volent promoveri, publice in ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, aetate, moribus et vita a fide dignis diligenter inquirat, et literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum episcopum quam primum transmittat. [l. c. pag. 182.]

C. VI. Aetas quatuordecim annorum ad beneficium ecclesiasticum requiritur; quis privilegio fori gaudere debeat.

Nullus prima tonsura initiatus aut etiam in minoribus ordinibus constitutus ante decimum quartum annum beneficium possit obtinere. Is etiam fori privilégio non gaudeat, nisi beneficium ecclesiasticum habeat, aut cle-

ricalem habitum et tonsuram deferens alicui ecclesiae ex mandato episcopi inserviat, vel in seminario clericorum aut in aliqua schola vel universitate de licentia episcopi quasi in via ad maiores ordines suscipiendos versetur. In clericis vero coniugatis servetur constitutio Bonifacii VIII., quae incipit: *Clerici, qui cum unicis,* modo hi clerici, alicuius ecclesiae servitio vel ministerio ab episcopo deputati, eidem ecclesiae serviant vel ministrent, et clericali habitu et tonsura utantur; nemini quoad hoc privilegio vel consuetudine, etiam immemorabili, suffragante. [l. c. pag. 182.]

C. VII. Examinandi sunt ordinandi a viris peritis iuris divini et humani.

Sancta synodus antiquorum canonum vestigiis inhaerendo decernit, ut, quando episcopus ordinationem facere disposuerit, omnes, qui ad sacrum ministerium accedere voluerint, feria quarta ante ipsam ordinationem, vel quando episcopo videbitur, ad civitatem evocentur. Episcopus autem, sacerdotibus et aliis prudentibus viris peritis divinae legis ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatis sibi adscitis, ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem diligenter investiget et examinet. [l. c. pag. 184.]

C. VIII. Quomodo et a quo unusquisque promoveri debeat.

Ordinationes sacrorum ordinum statutis a iure temporibus ac in cathedrali ecclesia, vocatis praesentibusque ad id ecclesiae canonicis, publice celebrentur; si autem in alio dioecesis loco, praesente clero loci, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia semper adeatur. Unusquisque autem a proprio episcopo ordinetur. Quod si quis ab alio promoveri petat, nullatenus id ei, etiam cuiusvis generalis aut specialis rescripti vel privilegii praetextu, etiam statutis temporibus permittatur, nisi eius probitas ac mores ordinarii sui testimonio commendentur. Si secus fiat, ordinans a collatione ordinum per annum, et ordinatus a susceptorum ordinum executione, quamdiu proprio ordinario videbitur expedire, sit suspensus. [l. c. pag. 184.]

C. X. Episcopis inferiores praelati tonsuram vel minores ordines ne conferant, nisi regularibus sibi subditis; nec ipsi aut capitula quaecunque dimissiorias concedant; graviori in decretum peccantibus poena statuta.

Abbatibus ac aliis quibuscunque quantumvis exemptis non liceat in posterum intra fines alicuius dioecesis consistentibus, etiam si nullius dioecesis vel exempti esse dicantur, cuiquam, qui regularis subditus sibi non sit, tonsuram vel minores ordines conferre; nec ipsi abbates et alii exempti, aut collegia vel capitula quaecunque, etiam ecclesiarum cathedralium, literas dimissorias aliquibus clericis saecularibus, ut ab aliis ordinentur, concedant. Sed horum omnium ordinatio, servatis omnibus, quae in huius sanctae synodi decretis continentur, ad episcopos, intra quorum dioecesis fines exsistant, pertineat; non obstantibus quibusvis privilegiis, praescrip-

tionibus aut consuetudinibus, etiam immemorabilibus. Poenam quoque impositam iis, qui contra huius sanctae synodi sub Paulo III. decretum a capitulo episcopali sede vacante literas dimissorias impetrant, ad illos, qui easdem literas non a capitulo, sed ab aliis quibusvis in iurisdictione episcopi loco capituli sede vacante succedentibus obtinerent, mandat extendi. Concedentes autem dimissorias contra formam decreti ab officio et beneficio per annum sint ipso iure suspensi. [l. c. pag. 197.]

C. XI. Interstitia in susceptione minorum ordinum, et certa alia praecepta observanda.

Minores ordines iis, qui saltem latinam linguam intelligant, per temporum interstitia, nisi aliud episcopo expedire magis videretur, conferantur, ut eo accuratius quantum sit huius disciplinae pondus possint edoceri, ac in unoquoque munere iuxta praescriptum episcopi se exerceant, idque in ea, cui adscripti erunt, ecclesia (nisi forte ex causa studiorum absint), atque ita de gradu in gradum adscendant, ut in iis cum aetate vitae meritum et doctrina maior accrescat, quod et bonorum morum exemplum, et assiduum in ecclesia ministerium, atque maior erga presbyteros et superiores ordines reverentia, et crebrior, quam antea, corporis Christi communio maxime comprobabunt. Quumque hinc ad altiores gradus et sacratissima mysteria sit ingressus, nemo iis initietur, quem non scientiae spes maioribus ordinibus dignum ostendat. Hi vero non nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum ordinum ad sacros ordines promoveantur, nisi necessitas aut ecclesiae utilitas iudicio episcopi aliud exposcat. [l. c. pag. 199.]

C. XII. Aetas ad maiores ordines requisita; digni duntaxat assumendi.

Nullus in posterum ad subdiaconatus ordinem ante vigesimum secundum, ad diaconatus ante vigesimum tertium, ad presbyteratus ante vigesimum quintum aetatis suae annum promoveatur. Sciant tamen episcopi, non singulos in ea aetate constitutos debere ad hos ordines assumi, sed dignos duntaxat, et quorum probata vita senectus sit. Regulares quoque nec in minori aetate, nec sine diligenti episcopi examine ordinentur; privilegiis quibuscunque quoad hoc penitus exclusis. [l. c. pag. 200.]

C. XIII. Subdiaconi et diaconi ordinatio qualis, et eorum munus; nulli ordines sacri duo conferantur eodem die.

Subdiaconi et diaconi ordinentur habentes bonum testimonium, et in minoribus ordinibus iam probati, ac literis et iis, quae ad ordinem exercendum pertinent, instructi. Qui sperent Deo auctore se continere posse, ecclesiis, quibus adscribentur, inserviant, sciantque maxime decere, si saltem diebus dominicis et solennibus, quum altari ministraverint, sacram communionem perceperint. Promoti ad sacrum subdiaconatus ordinem, si per

annum saltem in eo non sint versati, ad altiorem gradum, nisi aliud episcopo videatur, adscendere non permittantur. Duo sacri ordines non eodem die, etiam regularibus, conferantur; privilegiis ac indultis quibusvis concessis non obstantibus quibuscunque. [l. c. pag. 201.]

140. PONTIFICALE ROMANUM.

* *Pontificale Romanum Clementis VIII. Pont. Max. ivssv restitvtvm atque editvm.* Romae 1595. p. 9—10; 53—57; 73.

De ordinibus conferendis.

. . . *Tempora ordinationum sunt: Sabbata in omnibus quatuor temporibus. Sabbatum ante Dominicam de Passione, et Sabbatum sanctum.*

Clericatus, seu prima Tonsura, quocumque die, hora, et loco, conferri potest.

Minores vero Ordines possunt dari singulis Dominicis, et festiuis diebus duplicibus, ubicumque, in mane tamen.

Ordinandi omnes debent in Ecclesia se praesentare, cum tonsura, habitu, et paramentis Ordini suo conuenientibus, et candelis in manu accensis. Et cum a notario Episcopi nominati fuerint, respondeant, Adsum. et accedant ad locum ordinationis, secundum ordinem descriptionis. — . . . [l. c. pagg. 9—10.]

De ordinatione Presbyteri.

. . . *Pro ordinatione Presbyterorum parentur oleum Cathecumenorum; Calix cum vino, et aqua; Patena, et hostia desuper posita; medulla panis, et bacile cum buccali pro manibus abluendis, quas singuli ad suas mappulas extergunt.*

Diaconis ordinatis, Pontifex ad sedendum in sede sua, vel in faldistorio, in plano iuxta cornu Epistolae accedit, et cantatur Tractus, usque ad ultimum versum exclusive; vel si sit infra octauam Pentecostes, Tractus, et Sequentia, usque al vltimum versum, exclusiue. Interim accedunt duo capellani cum libro, et candela ante Pontificem, qui ex eo legit ipsum Tractum, et Sequentiam, vsque ad vltimum versu, exclusiue. Deinde Pontifex cum mitra reuertitur ante altare, vbi sedet super faldistorium.

Tunc Archidiaconus vocat ordinandos voce intelligibili, dicens.

Accedant, qui ordinandi sunt ad Ordinem Presbyteratus.

Et mox nominatim leguntur per notarium, prout supra dictum est, nulla tamen de titulo facta mentione. Tunc illi more Diaconorum parati, amictu, alba, cingulo, stola, et manipulo, tenentes planetas super brachium sinistrum complicatas, et in manu dextera candelas, ac mappulas albas pro ligandis manibus, ad Pontificem accedunt, et coram eo in modum coronae se disponunt.

Tunc Archidiaconus praesentat ordinandos Pontifici, dicens.

Reuerendissime pater, postulat sancta mater Ecclesia catholica, vt hos praesentes Diaconos ad onus Presbyterij ordinetis.

Et Pontifex interrogat, dicens.

Scis illos esse dignos?

Respondet Archidiaconus.

Quantum humana fragilitas nosse sinit, et scio, et testificor ipsos dignos esse ad huius onus officij.

Pontifex dixit.

Deo gratias.

Et annuntiat clero, et populo, dicens.

Qvoniam, fratres carissimi, rectori nauis, et nauigio deferendis eadem est vel securitatis ratio, vel communis timoris; par eorum debet esse sententia, quorum causa communis existit. Neque enim fuit frustra a Patribus institutum, vt de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus; quia de vita, et conuersatione praesentandi, quod nunnunquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis; et necesse est, vt facilius ei, quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum praebuerit ordinando. Horum si quidem Diaconorum in Presbyteros, auxiliante Domino, ordinandorum conuersatio (quantum mihi videtur) probata, et Deo placita existit, et digna (vt arbitror) Ecclesiastici honoris augmento. Sed ne vnum fortasse, vel paucos, aut decipiat assensio, vel fallat affectio, sententia est expetenda multorum. Itaque, quid de eorum actibus, aut moribus noueritis; quid de merito sentiatis, libera voce pandatis; et his testimonium Sacerdotij magis pro merito, quam affectione aliqua, tribuatis. Si quis igitur habet aliquid contra illos, pro Deo, et propter Deum, cum fiducia exeat, et dicat. Verumtamen memor sit conditionis suae.

Postea Pontifex, facta aliqua mora, conuertens sermonem suum ad ordinandos admonet eos, dicens.

Consecrandi, filij dilectissimi, in Presbyteratus officium, illud digne suscipere, ac susceptum laudabiliter exequi studeatis. Sacerdotem etenim oportet offerre, benedicere, praeesse, praedicare, et baptizare. Cum magno quippe timore ad tantum gradum ascendendum est, ac prouidendum, vt caelestis sapientia, probi mores, et diuturna iustitiae obseruatio ad id electos conmendent. Vnde Dominus praecipiens Moysi, vt septuaginta viros de vniuerso Israel in adiutorium suum eligeret, quibus Spiritus sancti dona diuideret, suggessit; quos tu nosti, quod senes populi sunt. Vos siquidem in septuaginta viris, et senibus signati estis; si per Spiritum septiformem decalogum legis custodientes, probi, et maturi in scientia similiter, et opere eritis. Sub eodem quoque mysterio, et eadem figura in nouo Testamento Dominus septuaginta duos elegit, ac binos ante se in praedicationem misit; vt doceret verbo simul, et facto, ministros ecclesiae suae fide, et opere debere esse perfectos; seu geminae dilectionis, Dei scilicet, et proximi virtute

fundatos. Tales itaque esse studeatis, ut in adiutorium Moysi, et duodecim Apostolorum, Episcoporum videlicet catholicorum, qui per Moysen, et Apostolos figurantur, digne, per gratiam Dei eligi valeatis. Hac certe mira varietate Ecclesia sancta circumdatur, ornatur, et regitur; cum alii in ea Pontifices, alij minoris ordinis Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi diuersorum ordinum viri consecrantur; et ex multis, et alternae dignitatis membris vnum Corpus Christi efficitur. Itaque, filij dilectissimi, quos ad nostrum adiutorium fratrum nostrorum arbitrium consecrandos elegit, seruate in moribus vestris castae, et sanctae vitae integritatem. Agnoscite quod agitis. Imitamini quod tractatis; quatenus mortis Dominicae mysterium celebrantes, mortificare membra vestra a vitiis, et concupiscentijs omnibus procuretis. Sit doctrina vestra spiritualis medicina populo Dei. Sit odor vitae vestrae delectamentum Ecclesiae Christi; vt praedicatione, atque exemplo aedificetis domum, id est, familiam Dei; quatenus nec nos de vestra prouectione, ne vos de tanti officij susceptione damnari a Domino, sed remunerari potius mereamur. Quod ipse nobis concedat per gratiam suam. . . .

Deinde explicans casulam, quam vnusquisque habet super humeros complicatam, induit illa quemlibet, singulis dicens.

Stola innocentiae induat te Dominus.

Et mox vnusquisque iterum ad Pontificem accedit; et genuflexus ponit manus suas iunctas inter manus Pontificis dicentis quilibet, si suus est ordinarius.

Promittis mihi, et successoribus meis reuerentiam, et obedientiam?

Et ille respondet.

Promitto.

Si vero Pontifex non est suus ordinarius, dicit singulis, cum manus eorum inter suas tenet, vt praefertur.

Promittis Pontifici, vel Praelato, ordinario tuo, pro tempore existenti reuerentiam, et obedientiam?

Et ille respondet.

Promitto.

Tunc Pontifex tenens manus illius inter suas osculatur vnuquemque, dicens.

Pax Domini sit semper tecum.

Et ille respondet.

Amen. *His expletis, et eis ad ordinem suum reuersis, Pontifex sedens cum mitra, et baculo, admonet eos, dicens.*

Qvia res, quam tractaturi estis, satis periculosa est, filii dilectissimi, moneo vos, vt diligenter totius Missae ordinem, atque Hostiae consecrationem, ac fractionem, et comunionem, ab alijs iam doctis Sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandum Missam accedatis — . . . . [l. c. pag. 53—57; 73.]

141. LEO XIII. (1878–1903.)

• *Acta S. Sedis.* Romae 1897. Tom. 30. p. 193, 195. Bellesheim, in *Archiv für kathol. Kirchenrecht.* Tom. XXXI. Heiner, *Ibidem.* Tom. 77 (1897) p. 07.

Apostolicae curae et caritatis, qua ***Pastorem magnum ovium, Dominum nostrum Iesum Christum,*** referre pro munere et imitari, aspirante eius gratia, studemus, non exiguam partem pernobili Anglorum nationi tribuimus. Voluntatis in ipsam Nostrae ea praecipue testis est epistola, quam superiore anno dedimus propriam *ad Anglos, regnum Christi in fidei unitate quaerentes:* eiusdem quippe gentis et veterem cum Ecclesia matre coniunctionem commemorando revocavimus, et felicem reconciliationem, excitata in animis orandi Dei sollertia, contendimus maturare. Rursusque haud ita pridem, quum communibus universe literis de unitate Ecclesiae fusius agere visum est, non ultimo loco respeximus Angliam; spe praelucente, posse documenta Nostra tum catholicis firmitatem, tum dissidentibus salutare lumen afferre. Atque illud fateri libet quod aeque gentis humanitatem ac multorum sollicitudinem salutis aeternae commendat, id est quam benevole Anglis probata sit instantia Nostra et dicendi libertas, nullo quidem acta humanae rationis impulsu. — Nunc autem eadem Nos mente eodemque animo deliberatum habemus studia convertere ad quamdam non minoris momenti causam, quae cum ea ipsa re votisque Nostris cohaeret. Quod enim apud Anglos, aliquanto postquam ab unitatis christianae centro abscessum est, novus plane ritus ordinibus sacris conferendis, sub rege Eduardo VI, fuit publice inductus; defecisse idcirco verum Ordinis sacramentum, quale Christus instituit, simulque hierarchicam successionem, iam tenuit communis sententia, quam non semel Ecclesiae acta et constans disciplina firmarunt. Attamen recentiore memoria hisque maxime annis invaluit controversia, sacrae ne Ordinationes ritu eduardiano peractae, natura sacramenti effectuque polleant; faventibus, affirmate vel dubitanter, non modo scriptoribus anglicanis nonnullis, sed paucis etiam catholicis praesertim non anglis. Alteros quippe movebat praestantia sacerdotii christiani, exoptantes ut duplici eius in corpus Christi potestate ne carerent sui; movebat alteros consilium expediendi quodammodo illis reditus ad unitatem: utrisque vero hoc persuasum esse videbatur, iam studiis in eo genere cum aetate provectis, novisque litterarum monumentis ex oblivione erutis, retractari auctoritate Nostra causam non inopportunum fore. Nos autem ea consilia atque optata minime negligentes, maximeque voci obsequentes apostolicae caritatis, censuimus nihil non experiri quod videretur quoquo modo conducere ad animarum vel avertenda damna vel utilitates fovendas.

Placuit igitur de retractanda causa benignissime indulgere: ita sane, ut per summam novae disquisitionis sollertiam, omnis in posterum vel species quidem dubitandi esset remota. Quapropter certo numero viris doctrina

et eruditione praestantibus, quorum compertae erant dissimiles in ipsa causa opiniones, negotium dedimus ut momenta sententiae suae scriptis mandarent: eos deinde ad Nos accitos iussimus communicare inter se scripta, et quidquid eo amplius ad rem cognitu esset dignum, indagare atque expendere. Consultumque a Nobis est, ut ipsi diplomata opportuna omni possent copia in tabulariis vaticaniis sive nota recognoscere, sive inexplorata educere; itemque ut prompta haberent quaecumque eiusdem generis acta apud sacrum Consilium, quod *Suprema* vocatur, asservarentur, neque minus quaecumque ad hoc tempus doctiores viri in utramque partem evulgassent. Huiusmodi adiumentis instructos, voluimus eos in singulares congressiones convenire; quae ad duodecim sunt habitae, praeside uno ex S. R. E. Cardinalibus a Nobismetipsis designato, data singulis facultate disputandi libera. Denique earumdem congressionum acta, una cum ceteris documentis, Venerabilibus Fratribus Nostris Cardinalibus ex eodem Consilio iussimus exhiberi omnia; qui meditata causa eaque coram Nobis deinde agitata, suam quisque sententiam dicerent. [l. c. pag. 193—194.]

— — — — — — — — — — — — — — —

— — — — — — — — — — — — — — —

Tum considerantibus Nobis ut idem caput disciplinae, etsi iure iam definitum, a quibusdam revocatum sit in controversiam, quacumque demum causa sit revocatum; ex eoque pronum fore ut perniciosus error gignatur non paucis qui putet se ibi Ordinis sacramentum et fructus reperire ubi minime sunt, visum est in Domino sententiam Nostram edicere.

Itaque omnibus Pontificum Decessorum in hac ipsa causa decretis usquequaque assentientes, eaque plenissime confirmantes ac veluti renovantes auctoritate Nostra, motu proprio certa scientia, pronunciamus et declaramus, ordinationes ritu anglicano actas, irritas prorsus fuisse et esse, omninoque nullas. . . . [l. c. pag. 202.]

Q) *Privilegia clericorum.*[1])

α) *Privilegium canonis.*

142. CONCILIUM LATERANENSE (1139).

c. 15 = c. 6 Conc. Claromont. (1131) = c. 29. C. XVII. Q. 4.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 822. Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. XXI. p. 530. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 250. 442.

Si quis suadente diabolo huius sacrilegii uicium incurrerit, quod in clericum uel monacum uiolentas manus iniecerit, anathematis uinculo sub-

---

[1]) Conf. etiam Sect. de iudiciis *(Privilegium clericale).*

iaceat, et nullus episcoporum illum praesumat absoluere, nisi mortis urgente periculo, donec apostolico conspectui praesentetur, et eius mandatum suscipiat.

III. Pars. Gratian. *Qui autem de ecclesia ui aliquem exemerit, uel in ipsa ecclesia, uel loco, uel cultui, sacerdotibus, et ministris aliquid iniuriae importaverit, ad instar publici criminis et lesae maiestatis accusabitur, et conuictus, siue confessus, capitali sententia a rectoribus prouinciae ferietur, sicut in primo libro Codicis legitur, titulo de episcopis et clericis et lege: «Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit», et in Digestis titul. Ad legem Iuliam pecuniarum repetundarum, l. ultima.* § 1. *Conmittunt etiam sacrilegium qui contra diuinae legis sanctitatem aut nesciendo conmittunt, aut negligendo uiolant et offendunt; aut qui de principali iudicio disputant, dubitantes, an iis dignus sit, quem princeps elegerit; uel qui intra prouinciam, in qua prouinciales et ciues habentur, offitium gerendae ac suscipiendae amministrationis desiderant, lib. 9. Codicis titulo de crimine sacrilegii.* § 2. *Similiter de iudicio summi Pontificis alicui disputare non licet.*

148. ALEXANDER III. (1159—1181).

a) c. 3. X. *de sententia excommunicationis.* V. 39.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 890.

Ostiarius, qui clericum percussit non graviter, ab episcopo absolvi potest. Hoc primo. Officialis, deliberate iniiciens manum in clericum, per Papam absolvitur. Hoc secundo. Qui repellendo vim vi clericum percutit, excommunicatus non est. Hoc tertio. Qui percutit clericum, turpiter inventum cum propinqua, excommunicatus non est; secus cum remota, et dicitur propinqua, ut in litera.

Si vero *aliquis* alicuius potestatis ostiarius, sub praetextu sui officii malignatus, clericum laeserit, ab episcopo suo potest absolvi, nisi forte eundem clericum graviter vulneraverit. Officialis vero pro iniectione manuum in clericum non potest sine mandato Romani Pontificis absolutionis beneficium promereri, quia nulli laico super clericum tanta datur auctoritas, nisi forte turbam arcendo irruentem, non ex deliberatione, sed fortuito casu clericum laedat. Si vero clericum, vim sibi inferentem, vi quis repellat vel laedat, non debet propter hoc ad sedem apostolicam transmitti, si in continenti vim vi repellat, quum vim vi repellere omnes leges omniaque iura permittant. Nec ille compellendus est ad sedem apostolicam venire, qui in clericum, cum uxore, matre *[vel]* sorore vel filia propria turpiter inventum, manus iniecerit violentas. Ceterum, si *[eum]* in stupro vel adulterio, quod committit cum ea, quae ipsum ita proxima consanguinitatis linea non contingit, ceperit, aut *[alias]* in eum violentas manus iniecerit, non erit a sententia illius excommunicationis immunis.

b) c. 4. *de sententia excommunicationis.* V. 39.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 890.

Qui percutit clericum, ignorans probabiliter eum clericum, excommunicatus non est; ignorantiam tamen probare debet per iuramentum, et, si hoc praestare recusat, pro excommunicato haberi debet.

Si vero aliquis in clericum nutrientem comam, *ignorans, quod clericus fuerit,* manus iniecerit violentas, propter hoc non debet apostolico praesentari conspectui, nec etiam excommunicatione notari, dummodo ipsum esse clericum ignoraverit, vel, si hoc dubium fuerit, propria mann duntaxat praestiterit iuramentum, quod eum esse clericum ignorasset. Ab illo autem, si praestare noluerit iuramentum, quia violentas manus constat eum in clericum iniecisse, sicut ab excommunicato, donec de mandato summi Pontificis absolvatur, convenit abstineri.

c) c. 7. X. *de sententia excommunicationis.* V. 39.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 891.

Excommunicatus per iniectionem manuum in clericum, licet occultus, absolvitur per solum Papam.

Porro, si aliqui violentas manus in fratres suos iniiciunt, et ducti poenitentia, non convicti, sed privatim, *sicut asseris,* a te veniam postulant, eos monere debes *propensius* et inducere, ut his, quos laeserunt, congrue satisfaciant, et apostolico se conspectui sepraesentent, quum a te vel *ab* alio *quolibet* sine speciali mandato Romani Pontificis absolvi non possint.

β) *Privilegium immunitatis.*

144. CONCILIUM LATERANENSE III. (1179).

c. 7. = c. 4. X. *de immunitate ecclesiarum, coemeterii et rerum ad eas pertinentium.* III. 49.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 654. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 710.

Laici, collectas imponentes clericis vel ecclesiis, seu iurisdictionem eorum usurpantes, si moniti non desistunt, si excommunicati cum suis fautoribus; potest tamen, episcopus cum clero eis in necessitate praebere subsidia.

Non minus † *pro peccato eorum, qui faciunt quam pro illorum detrimento, qui sustinent, grave nimis esse dignoscitur, quod* In diversis mundi partibus consules civitatum et rectores, nec non et alii, qui potestatem habere videntur, tot onera frequenter imponunt ecclesiis, *[et] ita gravibus eas et crebris exationibus premunt,* ut deterioris conditionis factum sub eis sacerdotium videatur, quam sub Pharaone fuerit, qui legis divinae notitiam non habebat. Ille quidem omnibus aliis servituti subactis sacerdo-

tes *suos* et possessiones eorum in pristina libertate dimisit, et eis alimoniam de publico administravit. Isti vero onera sua fere universa imponunt ecclesiis, et tot angariis eas affligunt, ut eis *illud*, quod Hieremias deplorat, competere videatur: «Princeps provinciarum facta est sub tributo»; sive quidem fossata, sive expeditiones, seu alia quaelibet sibi arbitrentur agenda, de bonis ecclesiarum et clericorum et pauperum Christi usibus deputatis volunt fere cuncta compleri. Iurisdictionem etiam et auctoritatem *episcoporum et aliorum* praelatorum ita evacuant, ut nihil potestatis eis in suis videatur hominibus remansisse. *Super quo dolendum [est] pro ecclesiis, dolendum etiam est nihilhominus pro ipsis, qui timorem Dei et ecclesiastici ordinis reverentiam videntur penitus abiecisse.* Quocirca sub anathematis districtione fieri de cetero talia *severius* prohibemus, nisi episcopus et clerus tantam necessitatem vel utilitatem adspexerint, ut absque ulla exactione ad relevandas communes utilitates vel necessitates, ubi laicorum non suppetunt facultates, subsidia per ecclesias existiment conferenda. Si autem consules aut alii de cetero ista commiserint, et commoniti desistere *forte* noluerint, tam ipsi quam fautores eorum excommunicationi se noverint subiacere, nec *[fidelium]* communioni reddantur, donec satisfactionem fecerint competentem.

145. CLEMENS V. (1305—1314).

a) c. 3. Clem. *de censibus exationibus et procurationibus.* III. 13.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1173.

Diocesani quibus hoc constat, illos, qui exigendo a clericis pedagia vel guidagia excommunicati sunt vel interdicti, publicare debent. Ioann. Andr.

Praesenti constitutione iubemus, ut locorum diocesani contra eos qui ab ecclesiis vel personis ecclesiasticis pro earum rebus propriis, quas non negotiandi causa deferunt, aut deferri faciunt vel transmittunt, pedagia vel guidagia suo vel alieno nomine exigunt vel extorquent in animarum suarum periculum, et eorum, a quibus ea exigunt praeiudicium et gravamen, excommunicationis et interdicti sententias a iure prolatas, postquam de his ipsis constiterit, omnino publicent, vel a suis subditis tamdiu faciant publicari, donec illi sic exacta restituerint, et de transgressione huiusmodi satisfecerint competenter.

b) c. un. Clem. *de immunitate ecclesiarum.* III. 17.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1178.

Revocat et pro infectis vult haberi decretalem Clericis eod. tit. l. VI. cum suis declarationibus. Ioann. Andr.

Quoniam ex constitutione Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri quae incipit: «Cleici laicos» [c. 3. in VI. III. 23] et ex declaratione seu de-

clarationibus ex illa postmodum subsecutis, nonnulla scandala, magna pericula et incommoda gravia sunt secuta, et ampliora sequi, nisi celeri remedio succurratur, praesumitur verisimiliter in futurum: nos de consilio fratrum nostrorum constitutionem, et declarationem seu declarationes praedictas, et quidquid ex eis secutum est vel ob eas, penitus revocamus, et eas haberi volumus, pro infectis, volentes et firmiter statuentes, illud contra quoscunque laicos, exigentes seu extorquentes ab ecclesiis ecclesiasticisque personis tallias seu collectas aut exactiones quascunque, et contra dantes ad id faciendum consilium, auxilium vel favorem, nec non et circa praestandas subventiones laicis ab ecclesiarum praelatis et aliis viris ecclesiasticis, inviolabiliter observari, quod super his a praedecessoribus nostris in Lateranensi et generali conciliis, quae nos sub obtestatione divini iudicii praecipimus observari districte, salubriter est provisum.

γ) *Privilegium competentiae.*

146. GREGORIUS IX. (1227—1241).

Gregorius IX. Decano et I. Canonico Tullensibus. in c. 3. X. *de solutionibus.* III. 23.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 532. Potthast, n. 9641. Cfr. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 127.

Si clericus non habeat unde satisfaciat suis creditoribus, non debet excommunicari nec aliter molestari; praestabit tamen cautionem saltem iuratoriam de solvendo, quum venerit ad pinguiorem fortunam.

Odoardus clericus proposuit, quod, quum P. clericus, D. laicus et quidam alii ipsum coram officiali archidiaconi Remensis super quibusdam debitis convenissent, idem in eum recognoscentem huiusmodi debita, sed propter rerum inopiam solvere non valentem, excommunicationis sententiam promulgavit. *(Et infra):* Mandamus, quatenus, si constiterit, quod praedictus Odoardus in totum vel pro parte non possit solvere debita supra dicta, sententiam ipsam sine difficultate qualibet relaxetis, recepta prius ab eo idonea cautione, ut, si ad pinguiorem fortunam devenerit, debita praedicta persolvat.

R) *Obligationes clericorum.*

α) *Habitus clericalis.*

147. STATUTA ECCLESIAE ANTIQUAE (Conc. CART. IV. a. 398).

c. 45. = c. 8. D. XLI.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 150. Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum.* Tom. I. p. 146.

Clericus professionem suam etiam habitu et incessu probet, et ideo nec uestibus, nec calciamentis decorem querat.

Gratian. *Sicut ergo in cibis mores eorum, cum quibus uiuimus, obseruare monemur, sic et de indumentis intelligendum est. Ut enim alibi dicitur (c. 1. D. XLI): «quisquis contemptis his, cum quibus uiuit, lautiora sibi uel austeriora pre ceteris indumenta uel alimenta querit, aut intemperans sui est, aut supersticiosus». Incessu autem debet esse sacerdos ornatus, ut grauitate itineris mentis maturitatem ostendat. Incompositio enim corporis (ut Augustinus [Ep. CIX. ad monachos] ait qualitatem indicat mentis. Unde historiographus ille cum mutabilitatem eius describeret, cuius conscientia excita curis uastabat mentem, inter cetera etiam hoc notabile inducauit: «Incessus eius modo citus modo tardus».*

β) *Decus clericale.*

148. HIERONIMUS (331—420).

In Mich. Propheta ad c. 2. = c. 4. D. XXXIV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 131.

Ignominiosum est sacerdoti affluere deliciis. *(Decr. Grat.)*

Ecclesiae principes, qui deliciis affluunt, et inter epulas atque lasciuias pudicitiam seruare se credunt, propheticus sermo describit, «quod eiciendi sint de spatiosis domibus lautisque conuiuiis et multo labore conquisitis epulis propter malas cogitationes et opera sua». Et si uis scire, quo eiciendi sunt, euangelium lege: «in tenebras scilicet exteriores, ubi erit fletus et stridor dentium». An non confusio et ignominia est Iesum crucifixum, pauperem et esurientem, farsis predicare corporibus? et ieiuniorum doctrinam rubentes buccas tumentiaque ora proferre? Si in loco apostolorum sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed conuersationem et abstinentiam.

149. GELASIUS I. (492—496).

Gelasius Papa ad Episcopos per Lucaniam = c. 2. Dist. LXXXVIII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 307. Thiel, *Epist. Roman. Pont.* p. 371. Jaffé-Wattenbach, n. 498 (391).

Prohibentur ergo clerici cupiditatis negocia suscipere, non pietatis curam uiduis et orphanis impendere. *(Decr. Grat.)*

Consequens est, ut illa quoque, que de Piceni partibus nuper ad nos missa relatio nuntiauit, non pretereunda putaremus, id est, plurimos clericorum negotiationibus inhonestis et turpibus lucris inminere, nullo pudore

censentes euangelicam lectionem, qua ipse Dominus negotiatores ex templo uerberatos asseritur expulisse, nec Apostoli uerba recolentes, quibus ait: «Nemo militans Deo implicat se negociis secularibus»: psalmistam quoque Dauid surda dissimulantes aure, cantantem: «Quoniam non cognoui negotiationes, introibo in potentias Domini». Proinde huiusmodi aut ab indignis posthac questibus nouerint abstinendum, et ab omni cuiuslibet negotiationis ingenio cupiditateque cessandum, aut, in quocumque gradu sint positi, mox a clericalibus offitiis cogantur abstinere, quoniam domus Dei domus orationis et esse debet et dici, ne per offitia negotiationis potius sit latronum spelunca.

150. CONCILIUM AGATENSE (a. 506).

c. 39. = c. 19. D. XXXIV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 150. Bruns, *Canones Apost. et Conc.* Tom. II. p. 154.

Nuptiarum conuiuiis presbiteri interesse non debent.

Presbiteri, diacones, subdiacones uel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum nuptiarum euitent conuiuia, nec his cetibus misceantur, ubi amatoria cantantur et turpia, aut obsceni motus corporum choris et saltacionibus efferuntur, ne auditus et obtutus sacris misteriis deputatus turpium spectaculorum atque uerborum contagione polluantur.

IX. Pars. Gratian. *Vidua uero intelligenda est, si post solempne fedus nuptiarum morte interueniente a uiro suo diuisa fuerit. Ceterum si antequam conueniant fatali necessitate ab alterutro diuisi fuerint, licet ex sponsalibus uxor sit appellata, non tamen post mortem sponsi, et si in propria sit ducta, et cum eo uelata, uidua appellatur, nec ex eius copula a sacris ordinibus aliquis prohibetur.*

151. CONCILIUM ROMANUM (a. 743.)

c. 15. = c. 23. D. LXXXI. *[Gregorius.]*

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 287. *Mon. Germ. histor.* LI. Tom. II. 2. 16. affé-Wattenbach, n. CCXLIV. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. III. p. 356.

Simul cum mulieribus sacerdotibus habitare non licet. *(Decr. Grat.)*

Oportet sacerdotes, quibus populus Domini commissus est, cum magna constantia uigilare desuper dominicas oues, ne lupinis morsibus, id est diabuli stimulis lanientur. § 1. Neque enim hoc silere debeo, quod cum graui animi tristicia dico: sacerdotes cum feminis habitare conspicio: quod

nefarium est dicere uel audire, et contra sanctorum canonum sancita. Ubi enim talis fuerit commorantium cohabitacio, antiqui hostis stimuli non desunt. Ideoque ammonendi sunt, ut non antiqui hostis decipiantur fraude, quatinus iuxta Apostoli uocem non uituperetur ministerium nostrum. Cauere enim nos oportet, fratres, ab illicitis, ut mundas ualeamus ad Deum leuare manus. Scriptum est enim: «Sancti estote, quoniam ego sanctus sum». Si quis uero presumpserit aliter agere, sacerdotii sui honore priuetur. Unde omnimodo cauendum est, fratres, ne fallamus populum, et inpleatur in nobis illud Prophetae dictum: «Sacerdotes mei contaminant sancta et reprobant legem», quos et alius Propheta increpat, dicens: «Vos o sacerdotes, qui fallitis nomen meum, et dixistis, in qua re fallimus nomen tuum? quibus responsum est: offerentes ad altare meum panes pollutos. Non mihi uoluntas in uobis, dicit Dominus, et sacrificium non accipiam de manibus uestris, quia polluti estis».

152. CONCILIUM LATERANENSE III. (a. 1179).

c. 12. — c. 4. X. *ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant.* III. 50.

* *Corp. iur. can.* ed Friedberg. Tom. II. col. 658.

Clericus generalis procurator vel iustitiarius principis saecularis deponendus est, et, si religiosus gravius punietur.

Sed nec procurationes villarum aut iurisdictiones etiam saeculares sub aliquibus principibus et saecularibus viris, ut iustitiarius eorum fiat, clericorum quisquam exercere praesumat. Si quis autem adversus haec venire temptaverit, quia contra doctrinam Apostoli dicentis: «Nemo militans Deo, implicet sa saecularibus negotiis» [Tim. II. 4] saeculariter agit, ab ecclesiastico fiat ministerio alienus pro eo, quod, officio clericali neglecto, fluctibus saeculi, ut potestatibus *[saeculi]* placeat, se immergit. Districtius autem decernimus puniendum, si religiosorum quisquam, aliquid praedictorum ausus fuerit attemptare.

153. BONIFACIUS VII. (1294 –1303).

c. un. in VI°. *de vita et honestate clericorum.* III. 1.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1019.

Clericus, ioculatoriam artem per annum exercens, si tertio monitus non desistat, ipso iure perdit privilegium clericale. Ioann. Andr.

Clerici, qui, clericalis ordinis dignitati non modicum detrahentes, se ioculatores seu goliardos faciunt aut bufones, si per annum artem illam ignominiosam exercuerint, ipso iure, si autem tempore breviori, et tertio moniti non resipuerint, careant omni privilegio clericali.

γ) *Coelibatus.*

Theiner, *Die Einführung der gezwungenen Ehelosigkeit bei den christlichen Geistlichen und ihre Folgen.* Altenburg 1828—1845. Carovè, *Ueber das Coelibatsgesetz des römischen cathol. Clerus.* Frankfurt 1832. Roskovany, *Cölibatus et Breviarium e monumentis omnium saeculorum demonstratus.* Pestini 1861. Lea, *An Historical Sketch of Sacerdotal Celibacy in the Christian Church.* Boston 1884. Freisen, in *Tüb. Theol. Quartalschr.* 1886. 79 seq. Idem, *Geschichte des canonischen Eherechtes.* Tübingen 1888. p. 719. Bocquet, *Esquisse historique du célibé dans l'antiquité.* Paris 1894. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. §§. 15—19. Scherer, *Kirchenrecht.* Tom. I. § 70 seq. Stutz, *Kirchenrecht.* § 65.

175. CONCILIUM GANGRENSE (a. 325—370).

c. 4. = c. 15. D. XXVIII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 105. Bruns, *Can. Apost. et Conc.* Tom. I. pag. 764. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. I. p. 777.

Anathema sit, qui presbiterum coniugatum occasione nuptiarum discernit. *(Decr. Grat.)*

Si quis discernit presbiterum coniugatum, tanquam occasione nuptiarum quod offerre non debeat, et ab eius oblatione ideo abstinet, anathema sit.

158. INNOCENTIUS I. (401—417).

Innocentius Papa Victricio Rotomagensi Episcopo. Ep. II. c. 9. — c. 4. D. XXXI.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 112. Jaffé-Wattenbach, n. 286 (85).

Sacerdotes et Leuitae suis non misceantur uxoribus. *(Decr. Grat.)*

Tenere debet ecclesia omni modo, ut sacerdotes et Leuitae cum uxoribus suis non misceantur, quia ministerii cotidiani necessitatibus occupantur. Scriptum est enim: «Sancti estote, quoniam sanctus sum, Dominus Deus uester». Nam priscis temporibus anno uicis suae de templo non discedebant (sicut de Zacharia legimus, nec domum suam omnino tangebant, quibus utique propter sobolis successionem usus fuerat relaxatus, quia ex alia tribu et preterquam ex semine Aaron ad sacerdotium nullus accedere precipiebatur: quanto magis hi sacerdotes et Leuitae pudicitiam ex die ordinationis suae obseruare debent, quibus uel sacerdotium, uel ministerium sine successione est, nec preterit dies, qua uel a sacrificiis diuinis, uel a baptismatis offitio uacent?

159. PELAGIUS I. (555—560).

Pelagius Cetego Patricio, in c. 13. D. XXVIII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 104. Jaffé-Wattenbach, n. 992 (648). Berardi, *Gratiani canones.* Tom. II. P. I. p. 410.

Cuiusdam Episcopi ordinatio differtur, quia uxorem habet et filios. *(Decr. Grat.)*

VIII. Pars. De Siracusanae urbis antistite optaueramus in ipso initio gloriae uestrae desideriis obedire, nisi nos multiplex ratio ipsius non paucis temporibus ordinationem differre sacerdotii coegisset, ob hoc, quod uel personae qualitas (sicut et uos nostis melius), uel superstes uxor aut filii (per quos ecclesiastica solet periclitari substantia), nostros animos diutius ab eius ordinatione suspenderet. Et quantum ad cautelam humanam pertinet, integro anno pene distulimus, opinantes, quod in melius Siracusanorum prouenire posset electio. Sed quia in uoluntatis suae proposito inreuocabiliter perstiterunt, et nullus est alius repertus in ecclesia eadem, nisi longioribus adhuc temporum differetur spatiis; ne paulo amplius insanirent sicut filii uestri uiri magnifici pretoris testificatione dedicimus), inter huiusmodi ambiguitates illud consultius iudicauimus faciendum, ut congrua prouidentia causam, propter quam principalis constitutio habentem filios et uxorem ad episcopatus ordinem promoueri prohibet, salua dispositione concilii muniremus. Qua de re summo studio ab eodem Siracusanae urbis episcopo, priusquam a nobis contingeret ordinari, huiusmodi exegimus cautionem, per quam et suam fateretur, quantula esset, presentis temporis habita rerum descriptione substantiam, et nichil umquam per se, aut per filios et uxorem, siue quamlibet propinquam aut domesticam uel extraneam forte personam de rebus audeat usurpare ecclesiae, et uniuersa sui episcopatus quaesita tempore ecclesiae suae dominio sociaret, nichil ultra id, quod modo descriptum est, suis filiis uel heredibus relicturus.

160. CONCILIUM TOLETANUM V. (a. 643).

c. 4. = c. 3. D. XXVIII.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 101. Bruns, *Can. Apost. et Conc.* Tom. I. p. 235.

Caste se uicturos promittant qui in diaconos uel presbyteros ordinantur. *(Decr. Grat.)*

II. Pars. Quando presbiteri et diacones per parrochias constituuntur, oportet eos professionem episcopo suo facere, ut caste et pure uiuant sub timore Dei, ut, dum eos talis professio obligat, uitae sanctae disciplinam retineant.

161. CONCILIUM QUINISEXTUM (CONSTANTINOPOLITANUM) a. 692.

c. 6. = c. 7. D. XXXII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 119. Bruns, *Can. Apost. et Conc.* Tom. I. 30. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. III. p. 328.

Qui uxorem ducere uoluerit, ante ordinem subdiaconatus hoc faciat. *(Decr. Grat.)*

Si quis eorum, qui ad clerum accedunt, uoluerit nuptiali iure mulieri copulari, hoc ante ordinem subdiaconatus faciat.

162. NICOLAUS I. (858—867).

Nicolaus Papa Adoni Viennensi Archiepiscopo, in c. 4. D. XXXII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 117. Jaffé-Wattenbach, n. 2755 (2081).

Subdiacono uxorem ducere non licet. *(Decr. Grat.)*

De illo clerico Alwico nomine, quem per ordines ecclesiasticos usque ad subdiaconatum uixisse dicitis, cur uestra auctoritate uxorem duxerit, miramur, eo quod nulli umquam (exceptis illis, quibus ecclesiastica regula habere permittit) uxorem ducendi licentiam damus.

163. CONCILIUM TRIBURIENSE (a. 895).

in c. 6. X. *de vita et honestate clericorum.* III. 1.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 449. (Cf. ibid. *Prolegomena* p. XI.)

Clericus non professus, nec in sacris existens, potest uxorem ducere; sed iterum tondebitur, si vult gaudere privilegio clericali, vel dispensative tenere beneficium. H. d. secundum modum, qui est magis consentaneus literae, secundum quem ponit unum casum duntaxat.

Clericus, si tonsura dimissa uxorem acceperit, qui quidem sit sine gradu, nec monasterio a parentibus traditus, uxorem permittatur habere, et iterum tondeatur, nec in vita sua uxorem dimittere audeat.

164. CONCILIUM ROMANUM (a. 1139).

Innocentius Papa in Concilio Romano. c. 7, 8 = c. 11. C. XXVII. q. 1.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. T. I. col. 1059. Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. XXI. p. 525. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 438.

De monacha quae ad lapsum adulterii deducitur. *(Decr. Grat.)*

Ut lex continentiae et Deo placens mundicia in ecclesiasticis personis et sacris ordinibus dilatetur, statuimus, quatinus episcopi, presbiteri, diaconi, subdiaconi, regulares canonici, monachi atque conuersi professi, qui sacrum transgredientes propositum uxores sibi copulare presumpserint, separentur. Huiusmodi namque copulationem, quam contra ecclesiasticam regulam constat esse contractam, matrimonium non esse censemus. Qui etiam ab inuicem separati pro tantis excessibus condignam penitentiam agant. Id ipsum quoque de sanctimonialibus feminis, si (quod absit) nubere adtemptauerint, obseruari decernimus.

Gratian. *His omnibus auctoritatibus uouentes prohibentur contrahere matrimonia, et quidam eorum si contraxerint, separari iubentur.*

165. ALEXANDER III. (1159—1181).

a) Alexander Papa Archiepiscopo Cantuariensi, in c. 1. 10. *de clericis coniugatis.* III. 3.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 457. Jaffé-Wattenbach, n. 13813 (8880).

Matrimonium contractum per clericum existentem in sacris non tenet; secus in minoribus; sed tunc cogitur dimittere beneficium.

Si quis *autem* clericorum *ipsorum* infra subdiaconatum acceperint uxores, ipsos ad relinquenda beneficia ecclesiastica, *si qua habent,* et retinendas uxores *suas* districtione ecclesiastica compellatis. Sed si *forte* in subdiaconatu et allis superioribus ordinibus uxores accepisse noscuntur, eos uxores dimittere, et poenitentiam agere de commisso *auctoritate nostra* per suspensionis et excommunicationis sententiam *appellatione postposita* compellere procuretis.

b) c. 4. X. *de clericis coniugatis.* III. 3.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 458.

Peracta poenitentia dispensant episcopi cum sacerdotibus, qui matrimonium de fcto contraxerunt.

Sane sacerdotes illi, qui nuptias contrahunt, quae non nuptiae, sed contubernia sunt potius nuncupanda, post longam poenitentiam et vitam laudabilem continentes officio suo restitui poterunt, et ex indulgentia sui episcopi eius exsecutionem habere.

c) Alexander III. Lucensi Episcopo, in c. 4. X. *qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.* IV. 6.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 685. Jaffé-Wattenbach, n. 14005 (9070).

Susceptio habitus professorum extra religionem a non habente potestatem incorporandi religioni, impedit in dubio matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum. H. d. secundum intellectum, quem tenet Panormitanum.

Consuluit nos tua fraternitas, quid faciendum sit de nobili muliere, quae *post mortem mariti,* vestibus pretiosis abiectis, mutavit habitum, et de manu presbyteri velam assumpsit, sed non renunciavit propriis, nec intravit claustrum, nec in manu alicuius episcopi, abbatis vel abbatissae, aut super altare professa est, vel obedientiam promisit; postmodum vero, elapso anno, *quum multorum inquietationes ferre non posset, et lapsum incontinentiae formidaret,* abiecto religionis habitu, cuidam nobili *solènniter per licentiam ecclesiae* nuptis. *Super hoc itaque* Consultationi tuae taliter responoemus, quod sicut simplex votum matrimonium impedit contrahendum, et non dirimit iam contractum, ita habitus, sine professione susceptus, ne

contrahatur impedit, sed contractum nequaquam dissolvit. [De cetero etc. (cf. c. 11. de homic. V. 12)].

166. COELESTINUS III. (1191–1198).

Coelestinus Papa Archiepiscopo Senonensi, in c. 6. X. *qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt.* IV. 6.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 378.

Votum simplex impedit sponsalia de futuro, non autem dirimit matrimonium sequens; secus in voto solenni.

Rursus quidam, *ut dicis,* votum castitatis emittens, iuravit, se quandam ducturum postea in uxorem. Unde a fraternitate tua requisiti, *consultis viris prudentibus*, arbitramur, quod, quum simplex votum apud Deum non minus obliget quam solenne, pro eo, quod iuravit temere, poenitentiam agat, et votum, quod Deo fecit, studeat observare. Quodsi, postquam huiusmodi praestitit iuramentum, ad nuptias *iam* proprio motu convolasset, quum votum simplex *[licet]* matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimat iam contractum: nihil ambiguitatis quaestio tua continere videtur. [Ceterum quod etc. cf. c. 1. de convers. inf. III. 33.]

167. INNOCENTIUS III. 1198–1216).

Innocentius Papa Episcopo Norvicensi in c. 5. X. *de clericis coniugatis.* III. 2.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 458. Potthast n. 1944.

Auferenda sunt clerico beneficia, quae habebat tempore contracti matrimonii; collata vero postmodum scienter per episcopum per eundem auferri non possunt, sed per superiorem. H. d.

Diversis fallaciis † *circumventi Deo et mammonae famulari conantur, quum tamen secundum evangelicam veritatem nemo possit duobus dominis deservire, quantam, si unum dilexerit, alium habebit exosum, aut uno contempto alium sustinebit.* Accepimus autem, quod quidam clerici tuae dioecesis, qui *solenniter in conspectu ecclesiae* matrimonium contraxerunt, ecclesiastica beneficia detinere contendunt, in quorum conversatione cithara cum psalterio male concordat. Quum ergo vir cogitet, quomodo placere possit uxori, et ideo minus quae Dei sunt valeat cogitare, quum quasi divisus in duo plenam sui non habeat potestatem, ut ei, a quo stipendium recipit, plenius famuletur, *fraternitati tuae auctoritate praesentium* mandamus, quatenus huiusmodi clericos beneficiis ecclesiasticis, quae in tua dioecesi sunt adepti, *auctoritate nostra suffultus* prives appellatione remota, praesertim quum rerum ecclesiasticarum substantia per tales soleat deperire; nisi forte tu talibus scienter contuleris ecclesiastica beneficia, quibus eos non per te, sed per superiorem decernimus spoliandos. [Nulli ergo etc. Dat. Ferentini XII. Kal. Iul. 1203].

168. CONCILIUM TRIDENTINUM (1545—1563).

Sessio XXIV. *de sacramento matrimonii.*

* *Canones et decr. Conc. Trid.* ed. Richter. p. 216.

Can. IX. Si quis dixerit, clericos in sacris ordinibus constitutos, vel regulares castitatem solenniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege ecclesiastica vel voto; et oppositum nil aliud esse quam damnare matrimonium, posseque omnes contrahere matrimonium, qui non sentiunt se castitatis, etiam si eam voverint, habere donum: anathema sit, quum Deus id recte petentibus non deneget, nec patiatur nos supra id, quod possumus tentari.

IV. HIERARCHIA ORDINIS
ET HIERARCHIA IURISDICTIONIS.

Petavius, *De eccl. hierarchia lib. III.* Paris. 1643. Hallier, *De hierarchia ecclesiastica. lib. IV.* Paris 1646. Schneemann, *Die kirchliche Gewalt und ihre Träger.* Freiburg i. B. 1887. Heinze, *Das Lehramt in der kathol. Kirche und der päpstl. primatus ordinis* (in *Grünhuts Zeitschrift.* III. 1876. p. 535). Durand, *La notion de l'Église d'apres le catholicisme.* Montauban 1899. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. § 20. Friedberg, *Lehrbuch.* § 50. Sägmüller, *Lehrbuch.* §§ 9, 10, 12. Stutz, *Kirchenrecht.* § 32.

A) *Potestas ordinis.*

169. THOMAS AQUINATIS (1225—1274).

Summa Theologica. II. P. 2. (Quaest. XXIX. Art. III.)

* *Thomae Aquinatis summa theologica. (D. Thomae Aquin. Opera Omnia.)* ed. Fretté et Maré. Parisiis 1871—1882. vol. III. p. 376—377. Schwane, *Dogmengeschichte der mittleren Zeit.* Freiburg 1882. p. 54 seq. Kleutgen, *Die Theologie der Vorzeit.* Münster 1867². Schätzler, *Introductio in s. theologiam dogmaticam ad mentem D. Thomae.* Ratisbonae 1882. p. 67 seq.

Utrum schismatici habeant aliquam potestatem.

Ad tertium sic proceditur. 1. Videtur quod schismatici habeant aliquam potestatem. Dicit enim August. in lib. contra Donatistas [lib. I. cap. I.) *Sicut redeuntes ad Ecclesiam, qui priusquam recederent, baptizati sunt, non rebaptizantur, ita redeuntes, qui priusquam recederent, ordinati sunt, non utique rursus ordinantur.* Sed ordo est potestas quaedam: Ergo schismatici habent aliquam potestatem, quia retinent ordinem.

2. Praeterea, Aug. dicit in lib. de unico baptismo (Cap. V. § 7): *Potest sacramentum tradere separatus, sicut potest habere separatus:* Sed potestas tradendi Sacramentum est maxima potestas: Ergo schismatici, qui sunt ab Ecclesia separati, habent potestatem spiritualem.

3. Praeterea, Urbanus Papa dicit: *ab Episcopis quondam catholice ordinatis, sed in schismate a Romana Ecclesia separatis, qui consecrati sunt, eos cum ad Ecclesia unitatem redierint, servatis propriis ordinibus, misericorditer suscipi jubemus; si tamen eos vita et scientia commendat.* «Ordinationes» IX. quaest. 1. Sed hoc non esset, nisi spiritualis potestas apud schismaticos remaneret Ergo schismatici habent spiritualem potestatem.

Sed contra est, quod Cypr. dicit in quandam Epistola: et habetur 7. q. 1. c. *Novatianus. Qui nec unitatem*, inquit, *Spiritus, nec conjunctionem pacis observat, et se ab Ecclesia vinculo et sacerdotum collegio separat, ne Episcopi potestatem habere potest, nec honorem.*

Conclusio.

Quanquam schismatici habere ordinis potestatem possint, jurisdictionis tamen auctoritate privantur.

Respondio dicendum, quod duplex est spiritualis potestas: una quidem sacramentalis, alia jurisdictionalis. Sacramentalis quidem potestas est, quae per aliquam consecrationem confertur. Omnes autem consecrationes Ecclesiae sunt immobiles, manente re quae consecratur: sicut etiam patet in rebus inanimatis. Nam altare semel consecratum, non consecratur iterum, nisi fuerit dissipatum. Et ideo talis potestas secundum suam essentiam remanet in homine qui per consecrationem eam est adeptus quamdiu vivit, sive in schisma, sive in haeresim labatur; quod patet ex hoc quod rediens ad Ecclesiam, non iterum consecratur. Sed quia potestas inferior non debet exire in actum, nisi secundum quod movetur a potestate superiori, ut etiam in rebus naturalibus patet: inde est quod tales usum potestatis amittunt, ita scilicet, quod non liceat eis sua potestate uti. Si tamen usi fuerint, eorum potestas effectum habet in sacramentalibus, quia in his homo non operatur, nisi sicut instrumentum Dei; unde effectus sacramentales non excluduntur propter culpam quamcumque; conferentis sacramentum. Potestas autem jurisdictionalis est, quae ex simplici injunctione hominis confertur; et talis potestas non immobiliter adhaeret: unde in schismaticis et haereticis non manet; Unde non possunt nec absolvere, nec excommunicare, nec indulgentias facere, aut aliquid hujusmodi. Quod si fecerint, nihil est actum. Cum ergo dicitur, tales non habere potestatem spiritualem, intelligendum est, vel de potestate secunda, vel si referatur ad primam potestatem, non est referendum ad ipsam essentiam potestatis, sed ad legitimum usum ejus.

Et per hoc patet responsio ad obiecta. [l. c. pag. 376.]

B) *Potestas iurisdictionis.*

a) *Iurisdictio delegata.*

170. PASCHALIS II. (1099—1118).

a) Paschalis Episcopus Lamberto Atrebatensi Episcopo. Ep. 103. *Lamberto Episcopo Atrebatensi mandat ut ante diem Apostolorum Petri et Pauli una cum Ioanne Episcopo Tarvanensi iudicet inter Landfridum S. Wilmari Abbatem et Heribertum a comite Bononiensi eadem Abbatia privatum.*

* Migne, *Patr. lat.* T. 163. col. 127. Phillips, *Kirchenrecht.* T. VI. p. 756. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 172. Jaffé Wattenbach, n. 5976 (4459).

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Lamberto Atrebatensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Frater iste praesentium portitor cum Tarvanensis capituli litteris venit ad nos, conquerens se jam dudum de monasterii sui abbatia per manum Bononiensis comitis expulsum. Is autem frater qui eidem monasterio praeesse dicitur, cum ad nos veniret, infirmitate, sicut nobis relatum est, praepeditus, ad nos pervenire non potuit. Hanc igitur causam fraternitati tuae vice nostra discutiendam committimus, ut, assumpto tecum fratre nostro Tarvanensi episcopo, utriusque abbatis allegationem diligentius pertractes et usque in proximam apostolorum Petri et Pauli solemnitatem negotium hoc omnino canonice justitia dictante definias.

Data Laterani VII Kal. Maii. [a. 1104.]

b) Paschalis Belvacensi Episcopo (Ep. 170). *Causam Odonis abbatis Sancti Quintini episcopis Carnotensi et Parisiensi committit.*

* Migne, *Patr. lat.* Tom. 163. col. 180. Phillips, *l. c.* Hinschius, *l. c.* Jaffé-Wattenbach. n. 6062 (4517).

Paschalis episcopus, servus servorum Dei, venerabili fratri Belvacensi episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Sacerdotalis officii est viros religiosos diligere, fovere et a pravorum infestationibus pro data sibi facultate defendere. Tu autem Beati Quintini fratres Belvaci degentes non solum [non] diligis, sed quorumdam praesumptione illicita vexari et inquietari gratanter, ut audivi modo, pateris, quod profecto ad animae tuae periculum spectare ne ambigas, nisi celeri studeas emendatione corrigere, et eorum quieti attentius providere. Praecipimus ergo ut ecclesiae Belvacensis clericos ab ipsorum fratrum infestatione, tam in spiritualibus quam in temporalibus omnino compescas, alioquin et in eorum audaciam et in tuam desidiam B. Petri gladius educetur. Praecipimus etiam ut eadem Beati Quintini ecclesia, salva debita tua reverentia,

fratrum et coepiscoporum nostrorum Ivonis Carnotensis et G. Parisiensis consilio disponatur et ordinetur. Porro quaecunque ab eodem fratre G. per Belvacensem episcopatum, ubi canonice per Dei gratiam praesedit, seu in eadem, seu in caeteris ecclesiis gesta sunt, rata et inconvulsa manere sancimus. Sane de illo qui jam dictae ecclesiae S. Quintini praeesse dicitur, cum praedictorum fratrum volumus tractari consilio, et causam ejus fine debito terminari. [a. 1105.]

171. CALIXTUS II. (1119–1124).

Calixtus Episcopus ad Joscerannum Lingonesem Episcopum. (Ep. 55.) *Iudicem cum constituit controversiae, quae est inter abbatem S. Petri Vivi Senonensi, et Molismensem.*

* Migne, *Patr. lat.* Tom. 163. col. 1146. Jaffé - Wattenbach. n. 6894 (5423).

Calixtus episcopus, servus servorum Dei, Josceranno Lingonensium episcopo, salutem et apostolicam benedictionem.

Abbatis Arnaldi, et fratrum monasterii Sancti Petri Vivi, querelam accepimus, quod eis Molismensis et Remensis abbates quasdam possessiones jamdiu a beati Petri monasterio possessas, injuste abstulerint. Unde fraternitati tuae praecipimus ut longa dilatione seposita canonicam eis justitiam facias, nec monasterio eidem obesse permittas, quod secundum antiquam terrae consuetudinem instrumenta sine impressione sigilli composita declarantur.

Data Senonis Nonis Decembris. [a. 1119.]

172. APOGRAPHUM NONANTULANUM (a. 1139).

* Tiraboschi, *Storia dell' Augusta Badia di Nonantola.* Modena 1784. Tom. II. p. 249. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 172.

In Christi nomine. Breve recordationis pro futuris temporibus ad memoriam retinendam. die martis qui est nonus decembris mensis presentia bonorum hominum clericorum et Laicorum. Clericorum hii sunt biulfus presbiter, Johannes presbiter, Mantuanus, Rusticus; Laicorum Marchio, Albertus de crescentio, Guilelmus de Litefredo, Johannes de gisulfo, bernardus de bona hora, albertus de barnisina, albertus de alba, Macii, artusius, et Rodulfus, Carlus, Benedictus, et reliqui plures. Ibique in eorum presentia dominus Tebaldus sancte Veronensis Ecclesie episcopus, secundum quod ipsemet palam suo et ore coram istis omnibus et multis aliis confessus est imperatum sibi esse a domino apostolico, investivit et restituit domnum Amatum nonantulani monasterii monachum quem Ildevrandus ejusdem monasterii abbas pro hoc negotio sua vice direxerat de plebe sancti petri de nogaria cum omnibus suis capellis per ianuam ecclesie.

Investitura et restitutione eidem amato ab episcopo hoc modo facta ad confirmationem vere cognitionis presentium et absentium campanas sonuit. his ita patratis supradictus Tebaldus episcopus precepit clericis ejusdem ecclesie ibi astantibus ut de cetero servirent et obedirent nonantulano abbati. Sequenti vero die presentia marchionis et alberti de crescentio precepit episcopus Gerardo ejusdem Ecclesie Archipresbitero ut eidem abbati deinceps sibi servirent et obedirent. Tertia vero die predictus Amatus monachus in eadem Ecclesia missam cecinit supradicto Archipresbitero et ejus clericis sibi servientibus et in itinere de bonis ipsius ecclesie secum putavit.

Factum fuit hoc anno ab incarnatione domini nostri Jhesu Christi millesimo CXXXVIII.

Ego Ugolinus notarius filius domini Gabrielis de montexello notarius bona fide sine fraude extrasi et exemplavi prout inveni in instrumento scripto manu Tebaldi Sacri palacii notarii a me notario infrascripto viso et lecto. [l. c. pag. 249—250.]

178. GREGORIUS IX. (1227—1234).

in c. 43. X. *de officio et potestate iudicis delegati* I. 29.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 182. Potthast. n. 9558.

Delegatus Papae subdelegare potest, licet datus sit ex officio, vel de partium consensu, vel cum clausula praeelectionis, videlicet: «quod si non omnes, tu cum alio exsequaris, etc.» Hoc dicit usque ad §. Is autem. — § 1. Is, cui committitur negotium, ut personaliter exsequatur, potest, si partes consentiunt, alteri subdelegare. Fallit in casibus hic expressis. Hoc dicit usque ad § Ceterum. — § 2. Is, cui committitur nudum ministerium exsequendum, non potest vices suas alteri committere; fallit in legato sedis apostolicae. Et est textus notabilis, et multum allegatur. Abb. Siculus.

Quoniam apostolica sedes intendit providere negotiis, et non personis, quibus eadem committuntur, si iudex tertius, licet ex officio nostro, vel de assensu partium pro communi a nobis datus eisdem, alii delegaverit vices suas, quum delegato a principe id concedatur a iure, delegatio valebit ipsius. Idem quoque dicendum est, quum mandatur episcopo, ut cum altero suorum coniudicum mandatum apostolicum exsequatur, et tunc sine subdelegato ab ipso episcopo reliqui duo procedere non valebunt. § 1. Is autem, cui iniungitur, ut personaliter negotium exsequatur, potest, dummodo partes consentiant, hoc aliis delegare, praeterquam si inquisitionem fieri, vel ecclesiis de praelatis vel aliis ministris provideri mandaremus, quum in his omnibus casibus industriam et fidem personae, cui talia committimus, eligere videamur. § 2. Ceterum, salva legatorum sedis apostolicae auctoritate, nulli, cui commissum fuerit praedicare crucem, excommunicare vel absolvere aliquos, dispensare cum irregularibus, vel iniungere poenitentias, liceat haec de cetero aliis demandare, quia non sibi iurisdictio, sed certum ministerium potius committitur in hac parte.

174. INNOCENTIUS IV. (1243—1253.)

in c. 1. in VI°. *de officio legati.* I. 15.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 983. Potthast, n. 15121.

Legati non cardinales sine speciali mandato iure legationis beneficia conferre non possunt, sed legati cardinales hoc bene possunt. Ioann. Andr.

Officii nostri debitum remediis invigilat subditorum, quia, dum eorum excutimus onera, dum scandala removemus, nos in eorum quiete quiescimus et fovemur in pace. Proinde praesenti decreto statuimus, ut ecclesiae Romanae legati, quantumcunque plenam legationem obtineant, sive a nobis missi fuerint sive suarum praetextu ecclesiarum legationis sibi vendicent dignitatem, ex ipsius legationis munere conferendi beneficia nullam habeant potestatem, nisi hoc alicui specialiter duxerimus indulgendum. Quod in fratribus nostris legatione fungentibus nolumus observari, quia sicut honoris praerogativa laetantur, sic eos auctoritate fungi volumus ampliori.

175. CLEMENS IV.

Clemens IV. *S. tit. sanctae Caeciliae Presbytero cardinali Apostolicae sedi Legato,* in c. 2. in c. VI° *de off. legati* I. 13.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 984. Potthast, n. 19089.

Legatus habet ordinariam, unde per mortem Papae non exspirat eius officium. H. d. Ioann. Andr.

Legatos, quibus in certis provinciis committitur legationis officium, ut ibidem evellant et dissipent, aedificent atque plantent, provinciarum sibi commissarum ad instar proconsulum ceterorumque praesidum, quibus certae sunt decretae provinciae moderandae, ordinarios reputantes, praesenti declaramus edicto, commissum tibi a predecessore nostro legationis officium nequaquam per ipsius obitum exspirasse.

176. MARTINUS V. (1401—1429).

Martinus Papa in concilio Constantiensi. Art. V. VI.

* Hübler, *Die Constanzer Reformation und die Concordate von 1418.* Leipzig 1867. p. 129—157. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 176.

De causis in Romana curia tractandis vel non. De appellationibus ad Romanam curiam.

Causae quae ad forum ecclesiasticum de jure vel consuetudine non pertinent per curiam Romanam non recipiantur de illis cognoscendo in curia vel extra committendo nisi de consensu partium. quae vero ad forum ecclesiasticum ut praemittitur pertinent et de jure sunt per appellationem aut alias ad Romanam curiam devolutae ac de sua natura in illa tractandae tractentur in ea. caetere committantur in partibus, nisi forte pro causae

aut personarum qualitate illas tractare in curia expediret pro justitia consequenda vel de partium consensu in curia tractarentur. matrimoniales tamen causae in prima instantia praeter appellationem non committantur in curia nisi in casibus proxime dictis.

Item ad refrenandum appellationes frustratorias quae ante diffinitivas sententias interponuntur ordinamus, quod injuste seu frivole appellantes ab interlocutorta vel gravamine ultra condemnationem expensarum damnorum et interesse in decem florenos si appellatio interponatur in curia et in viginti si de partibus ad curiam parti appellatae condemnentur. et quod super eadem interlocutoria vel gravamine secundo appellare non liceat, nisi habexent vim diffinitivae. [l. c. pag. 138—140.]

177. CONCILIUM TRIDENTINUM. (1545—1563).

* *Canones et decreta Concilii Tridentini.* ed. Richter. p. 36, 39, 51, 88, 120, 345, 457. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 176—178.

Sessio VI. De reformatione.

C. II. *Nulli beneficium exigens personalem residentiam obtinenti abesse licet, nisi iusta de causa ab episcopo approbanda, qui tum etiam vicarium subducta parte fructuum substituat ob curam animarum.*

Episcopis inferiores, quaevis beneficia ecclesiastica personalem residentiam de iure sive consuetudine exigentia in titulum sive commendam obtinentes, ab eorum ordinariis, quemadmodum eis pro bono ecclesiarum regimine et divini cultus augmento, locorum et personarum qualitate pensata, expediens videbitur, opportunis iuris remediis residere cogantur, nullique privilegia seu indulta perpetua de non residendo aut de fructibus in absentia percipiendis suffragentur, indulgentiis vero et dispensationibus temporalibus, ex veris et rationalibus causis tantum concessis, et coram ordinario legitime probandis, in suo robore permansuris; quibus casibus nihilominus officium sit episcoporum, tanquam in hac parte a sede apostolica delegatorum, providere, ut per deputatione idoneorum vicariorum, et congruae portionis fructuum assignationem cura animarum nullatenus negligatur, nemini quoad hoc privilegio seu exemptione quacunque suffragante. [l. c. pag. 36.]

C. III. *Excessus saecularium clericorum et regularium degentium extra monasteria ab ordinario loci corrigantur.*

Ecclesiarum praelati ad corrigendum subditorum excessus prudenter ac diligenter intendant, et nemo saecularis clericus cuiusvis personalis, vel regularis extra monasterium degens etiam sui ordinis privilegii praetextu tutus censeatur, quo minus, si deliquerit, ab ordinario loci tanquam super hoc a sede apostolica delegato secundum canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi valeat. [l. c. pag. 39.]

C. IV. *Ecclesias quascunque episcopi et alii maiores praelati, quoties opus fuerit, visitent, omnibus, quae huic decreto obstare possent, sublatis.*

Capitula cathedralium et aliarum maiorum ecclesiarum illorumque personae nullis exemptionibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis concordiis, quae tantum suos obligent auctores, non etiam successores, tueri se possint, quo minus a suis episcopis et aliis maioribus praelatis per se ipsos solos, vel illis, quibus sibi videbitur, adiunctis, iuxta canonicas sanctiones toties quoties opus fuerit visitari, corrigi et emendari etiam auctoritate apostolica possint et valeant. [l. c. pag. 39.]

Sessio VII. De reformatione.

C. VI. *Quae beneficiorum uniones validae censeantur.*

Uniones perpetuae, a quadraginta annis citra factae, examinari ab ordinariis tanquam a sede apostolica delegatis possint, et quae per subreptionem vel per obreptionem obtentae fuerint, irritae declarentur. Illae vero, quae a dicto tempore citra concessae nondum in toto vel in parte sortitae sunt effectum, et quae deinceps ad cuiusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis aut alias rationabilibus causis, coram loci ordinario, vocatis quorum interest, verificandis, factas fuisse constiterit, per subreptionem obtentae praesumantur, ac propterea, nisi aliter a sede apostolica declaratum fuerit, viribus omnino careant. [l. c. pag. 51.]

C. VIII. *Ecclesiae reparentur. Cura animarum sollicite habeatur.*

Locorum ordinarii ecclesias quascunque quomodolibet exemptas auctoritate apostolica singulis annis visitare teneantur, et opportunis iuris remediis providere, ut quae reparatione indigent reparentur, et cura animarum, si qua illis immineat, aliisque debitis obsequiis minime defraudentur; appellationibus, privilegiis, consuetudinibus, etiam ab immemorabili tempore praescriptis, iudicum deputationibus et illorum inhibitionibus penitus exclusis. [l. c. pag. 52.]

Sessio XIV. De reformatione.

C. IV. *Nullus clericus eximatur a correctione episcopi, etiam extra visitationem.*

Omnes ecclesiarum praelati, qui ad corrigendos subditorum excessus diligenter intendere debent, et a quibus nullus clericus per huius sanctae synodi statuta cuiusvis privilegii praetextu tutus censetur, quo minus iuxta canonicas sanctiones visitari, puniri et corrigi possit, si in ecclesiis suis resederint, quoscunque saeculares clericos, qualitercunque exemptos, qui alias suae iurisdictioni subessent, de eorum excessibus, criminibus et delictis, quoties et quando opus fuerit, etiam extra visitationem, tanquam ad hoc apostolicae sedis delegati, corrigendi et castigandi facultatem habeant: qui-

buscunque exemptionibus, declarationibus, consuetudinibus, sententiis, iuramentis, concordiis, quae suos tantum obligent auctores, ipsis clericis, ac eorum consanguineis, capellanis, familiaribus, procuratoribus, et aliis quibuslibet, ipsorum exemptorum contemplatione et intuitu minime suffragantibus. [l. c. pag. 88].

Sessio XXI. De reformatione.

C. III. *Ratio distributiones quotidianas augendi praescribitur; quibus debeantur; non servientium contumacia punitur.*

Quum beneficia ad divinum cultum atque ecclesiastica munia obeunda sint constituta, ne qua in parte minuatur divinus cultus, sed ei debitum omnibus in rebus obsequium praestetur: statuit sancta synodus in ecclesiis tam cathedralibus quam collegiatis, in quibus nullae sunt distributiones quotidianae vel ita tenues, ut verisimiliter negligantur, tertiam partem fructuum et quorumcunque proventuum et obventionum tam dignitatum quam canonicatuum, personatuum, portionum et officiorum separari debere et in distributiones quotidianas converti, quae inter dignitates obtinentes et ceteros divinis interessentes proportionabiliter iuxta divisionem ab episcopo, etiam tanquam apostolicae sedis delegato, in ipsa prima fructuum deductione faciendam dividantur, salvis tamen consuetudinibus earum ecclesiarum, in quibus non residentes seu non servientes nihil vel minus tertia parte percipiunt; non obstantibus exemptionibus, ac aliis consuetudinibus, etiam immemorabilibus, et appellationibus quibuscunque. Crescenteque non servientium contumacia liceat contra eos procedere iuxta iuris ac sacrorum canonum dispositionem. [l. c. pag. 116.]

C. IV. *Coadiutores curae animarum quando sint assumendi. Ratio novas parochias erigendi traditur.*

Episcopi, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, in omnibus ecclesiis parochialibus vel baptismalibus in quibus populus ita numerosus sit, ut unus rector non possit sufficere ecclesiasticis sacramentis ministrandis et cultui divino peragendo, cogant rectores, vel alios, ad quos pertinet, sibi tot sacerdotes ad hoc munus adiungere, quot sufficiant ad sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum. In iis vero, in quibus ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt, novas parochias etiam invitis rectoribus iuxta formam constitutionis Alexandri III., quae incipit: *Ad audientiam*, constituere possint. Illis autem sacerdotibus, qui de novo erunt ecclesiis noviter erectis praeficiendi, competens assignetur portio arbitrio episcopi ex fructibus ad ecclesiam matricem quomodocunque pertinentibus, et, si necesse fuerit, compellere possit populum ea subministrare, quae sufficiant ad vitam dictorum sacerdotum sustentandam;

quacunque reservatione generali vel speciali vel affectione super dictis ecclesiis non obstantibus. Neque huiusmodi ordinationes et erectiones possint tolli nec impediri ex quibuscunque provisionibus, etiam vigore resignationis, aut quibusvis aliis derogationibus vel suspensionibus. [l. c. pag. 116, 117.]

C. VII. *Episcopi transferant beneficia ex ecclesiis, quae nequeunt restaurari; alias vero reparari curent; quid in hoc servandum sit.*

Quum illud quoque valde curandum sit, ne ea, quae sacris ministeriis dicata sunt, temporum iniuria obsolescant et ex hominum memoria excidant, episcopi, etiam tanquam apostolicae sedis delegati, transferre possint beneficia simplicia, etiam iuris patronatus, ex ecclesiis, quae vetustate vel alias collapsae sint, et ob eorum inopiam nequeant instaurari, vocatis iis, quorum interest, in matrices aut alias ecclesias locorum eorundem seu viciniorum arbitrio suo; atque in eisdem ecclesiis erigant altaria vel capellas sub eisdem invocationibus, vel in iam erecta altaria vel capellas transferant cum omnibus emolumentis et oneribus prioribus ecclesiis impositis. Parochiales vero ecclesias, etiam si iuris patronatus sint, ita collapsas refici et instaurari procurent ex fructibus et proventibus quibuscunqus ad easdem ecclesias quomodocunque pertinentibus. Qui si non fuerint sufficientes, omnes patronos et alios, qui fructus aliquos ex dictis ecclesiis provenientes percipiunt, aut, in illorum defectum, parochianos omnibus remediis opportunis ad praedicta cogant, quacunque appellatione, exemptione et contradictione remota. Quod si nimia egestate omnes laborent, ad matrices seu viciniores ecclesias transferantur, cum facultate tam dictas parochiales quam alias ecclesias dirutas in profanos usus non sordidos, erecta tamen ibi cruce, convertendi. [l. c. pag. 120.]

C. VIII. *Monasteria commendata, in quibus non viget regularis observantia, et beneficia quaecunque quotannis ab episcopis visitentur.*

Quaecunque in dioecesi ad Dei cultum spectant, ab ordinario diligenter curari, atque iis, ubi oportet, provideri aequum est. Propterea commendata monasteria, etiam abbatiae, prioratus et praepositurae nuncupatae, in quibus non viget regularis observantia, nec non beneficia tam curata quam non curata, saecularia et regularia, qualitercunque commendata, etiam exempta, ab episcopis, etiam tanquam apostolicae sedis delegatis, annis singulis visitentur; curentque iidem episcopi congruentibus remediis, etiam per sequestrationem fructuum, ut quae renovatione indigent aut restauratione reficiantur, et cura animarum, si qua illis vel eorum annexis immineat, aliaque debita obsequia recte exerceantur; appellationibus quibuscunque, privilegiis, consuetudinibus, etiam immemorabili tempore praescriptis, conservatoriis, iudicum deputationibus, et eorum inhibitionibus non obstantibus. Et, si in eis vigeret observantia regularis, provideant epi-

scopi paternis admonitionibus, ut eorum regularium superiores iuxta eorum regularia instituta debitam vivendi rationem observent et observari faciant, et sibi subditos in officio contineant ac moderentur. Quod si admoniti intra sex menses eos non visitaverint vel correxerint, tunc iidem episcopi, etiam ut delegati sedis apostolicae, eos visitare possint et corrigere, prout ipsi superiores possent iuxta eorum instituta; quibuscunque appellationibus, privilegiis et exemptionibus penitus remotis et non obstantibus. [l. c. pag. 122.]

Sessio XXIV. De reformatione.

C. IX. *A quo visitari debeant ecclesiae saeculares nullius dioecesis.*

Quae alias sub fel. rec. Paulo III. et nuper sub beatissimo domino nostro Pio IV. in hoc eodem concilio de adhibenda ab ordinariis diligentia in beneficiorum, etiam exemptorum, visitatione constituta sunt, eadem etiam in iis ecclesiis saecularibus observentur, quae in nullius dioecesi esse dicuntur, ut ab episcopo, cuius cathedralis ecclesia est proximior, si id constet, alioquin ab eo, qui semel in concilio provinciali a praelato loci illius electus fuerit, tanquam sedis apostolicae delegato visitentur; non obstantibus privilegiis et consuetudinibus quibuscunque, etiam immemorabilibus. [l. c. pag. 345.]

Sessio XXV. De reformatione.

C. X. *Iudices a synodo designandi, qui delegentur a sede apostolica; a quibus et ordinariis causae breviter terminandae.*

Quoniam ob malitiosam petentium suggestionem, et quandoque ob locorum longinquitatem, personarum notitia, quibus causae mandantur, usque adeo haberi non potest, hincque interdum iudicibus non undequaque idoneis causae in partibus delegantur, statuit sancta synodus, in singulis conciliis provincialibus aut dioecesanis aliquot personas, quae qualitates habeant iuxta constitutionem Bonifacii VIII., quae incipit: *Statutum,* et alioquin ad id aptas designari, ut praeter ordinarios locorum iis etiam posthac causae ecclesiasticae ac spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes in partibus delegandae committantur. Et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat ordinarius loci cum consilio capituli alium in eius locum usque ad futuram provincialem aut dioecesanam synodum, ita ut habeat quaeque dioecesis quatuor saltem aut etiam plures probatas personas ac ut supra qualificatas, quibus huiusmodi causae a quolibet legato vel nuncio, atque etiam a sede apostolica committantur. Alioquin post designationem factam, quam statim episcopi ad summum Romanum Pontificem transmittant, delegationes quaecunque aliorum iudicum, aliis quam his factae, surreptitiae censeantur. Admonet dehinc sancta synodus tam ordinarios quam alios quoscunque iudices, ut terminandis causis

quanta fieri poterit brevitate studeant, ac litigatorum artibus seu in litis contestatione seu alia parte iudicii differenda modis omnibus, aut termini praefixione, aut competenti alia ratione occurant. [l. c. pag. 457.]

β) *Conservatores.*

178. INNOCENTIUS IV. (1243—1254).

in c. 1. X. *de officio et potestate iudicis delegati* I. 14.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 978.

Conservator a manifestis defendit iniuriis, et iudicialem indaginem non exercet.

Statuimus, ut conservatores, quos plerumque concedimus, a manifestis iniuriis et violentiis defendere possint quos eis committimus defendendos. Nec ad alia, quae iudicialem indaginem exigunt, suam possint extendere potestatem.

179. BONIFATIUS VIII. (1298—1303).

in c. 15. X. *de officio et potestate iudicis delegati.* I. 14.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 982.

Ponit hic, qui possint esse conservatores, et ubi cognoscere, et an et quibus possint delegare, et quantum duret eorum potestas, et de expensis talium. H. d. Zenz.

Hac constitutione perpetuo valitura sancimus, ut conservatores, qui aliquibus, ut a manifestis iniuriis et violentiis tueantur eosdem, plerumque a sede apostolica conceduntur, de cetero deputari non possint, nisi episcopi vel eorum superiores, aut abbates, seu dignitates vel personatus in cathedralibus vel collegiatis ecclesiis obtinentes, nullusque deputati sibi conservatoris esse valeat conservator. Nec aliquis, (regibus et reginis, qui, sicut dignitatis altitudine praeeminent, sic praerogativa gratiae ipsos convenit anteferri, duntaxat exceptis) deinceps conservatorem habeat eum, qui sub ipsius iurisdictione, dominio vel districtu ecclesiastico vel temporali consistat. Conservatores autem huiusmodi extra civitates seu dioeceses, in quibus fuerint deputati contra quoscunque procedere, aut aliquos ultra unam diaetam a fine dioecesum eorundem trahere non praesumant. Vices quoque suas, (citationibus et sententiarum denunciationibus duntaxat exceptis, quas per alios valeant exercere), nulli committere possint, nisi hoc eis competierit ex beneficio literarum; sed nec tunc, nisi intra civitates seu dioeceses, in quibus deputati fuerint, et personis tantum, quae superius sunt expressae. Ut autem conservatores limites sibi traditae potestatis, quos frequenter excedunt, metu poenae diligenter observent: decernimus, ut, si de aliis quam de manifestis iniuriis et violentiis scienter se intromiserint, seu ad alia, quae iudicialem indaginem exigunt, suam extenderint potestatem, eo ipso per unum annum ab officio sint suspensi. Pars vero, quae hoc fieri procurabit,

sententiam excommunicationis incurrat, a qua non possit absolvi, nisi ei, quem sic fatigavit indebite, primo satisfaciat integraliter de expensis. Officium autem quorumcunque conservatorum ipso iure quoad non coepta negotia per obitum concedentis volumus exspirare. Circa munera vero et expensas, assessores ac notarios, et personas testimonii causa vacandas, illa praecipimus in huiusmodi conservatoribus per omnia observari, quae in delegatis iudicibus constitutio a nobis super his edita observanda decrevit. Quicquid autem contra praemissa vel eorum aliquod attentari contigerit, omnino decernimus irritum et inane.

180. GREGORIUS XV. (1601—1624).

* *Magnum Bullarium Romanum.* Tom. III. p. 440—441. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 179.

Revocatio quarumcumque electionum de Judicibus Conservatoribus hactenus factarum, et nova de eis, eorumque electionibus in posterum faciendis dispositio.

Scias super nonnullis verbis huius Constitutionis exortum fuisse dubium, quod declaratum fuit per Congregationis Concilii Tridentini Interpretes in quodam Decreto, quod hic subsequitur.

Sanctissimus in Christo Pater, et Dominus noster D. Gregorius, Divina Providentia Papa XV. ex certis rationabilibus causis animum suum moventibus, et de voto Venerabilium Fratrum suorum S. R. E. Cardinalium Concilio Tridentini Interpretum, partim felic. record. Clementis Papae VIII. Praedecessoris sui vestigiis inhaerendo.

§ 1. Revocavit, ac nullas, et invalidas decrevit omnes, et quascunque Judicum Conservatorum electiones, nominationes, seu deputationes, tam in vim literarum Conservatoriarum, juxta formam in quinterno Cancellariae descriptam, quam in vim quorumcunque privilegiorum perpetuo, vel ad tempus nondum elapsum, Apostolica auctoritate concessorum, seu alias quocunque jure, vel titulo hactenus factas, pro quibuscunque Conventibus, Capitulis, Militiis, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationibus, Collegiis, Ordinibus, Monasteriis, Hospitalibus, aut aliis quibusvis piis, tam saecularibus, quam cujusvis Ordinis, etiam Mendicantium, seu Instituti, vel Societatis Regularibus, locis quantumvis exemptis, etiam de necessitate exprimendis, seu illorum personis, cujusvis qualitatis seu conditionis existant.

§ 2. In futurum vero Sanctitas sua hac generali, et perpetuo valitura constitutione statuit, et decrevit, ut Judices Conservatores hujusmodi, sive principales, sive subrogati, eligi nominari, aut deputari non possint, nisi non solum habeant qualitates requisitas, et descriptas in Constitutione similis record. Bonifacii Papae VIII. etiam Praedecessoris sui, quae incipit, Statutum; ita ut vel dignitate Ecclesiastica praediti, vel personatum obti-

nentes, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonici existant, sed etiam in Concilis Provincialibus, aut dioecesanis; juxta Decretum Concilii praedicti, Judices electi, seu designati sint.

§ 3. Quodque deinceps literae Conservatoriae per Sedem Apostolicam concedendae supra scriptis tantum dirigantur, et si quae literae aliter expedientur, illae, ac deputationes hujusmodi, omniaque exinde sequenda nullius sint roboris, vel momenti.

§ 4. Et nihilominus qui secus, quam juxta formam superius praescriptam, Conservatores hujusmodi cum effectu eligere, nominare, seu deputare, aut electis, nominatis, seu deputatis uti ausi fuerint, Regulares quidem voce activa, et passiva sint ipso jure privati, adeo, ut habilitationem a nemine, praeterquam a Romano Pontifice consequi valeant, reliqui vero aliis poenis arbitrio Sanctitatis suae coërceantur, et praedictorum omnium Conventus, Monasteria, ac loca hujusmodi, eorumque personae, ac bona careant Conservatore ad annum, ita ut illorum causae interea coram locorum Ordinariis dumtaxat cognosci, ac definiri debeant.

§ 5. Caeterum, ut latius pateat Conservatorum hujusmodi deligendorum facultas, Sanctitas sua admonitos voluit omnes locorum Ordinarios, ut in Synodis Provincialibus, aut Dioecesanis quamplures personas ex habentibus qualitates in praedicta Constitutione ejusdem Bonifacii Praedecessoris contentas, et alioquin ad id aptas designari procurent, et si aliquem interim ex designatis mori contigerit, substituat Ordinarius loci cum consilio Capituli alium in ejus locum, usque ad futuram Provincialem, aut Dioecesanam Synodum.

§ 6. Insuper Sanctitas sua, inhaerendo hac in parte Decreto similis recordationis Gregorii Papae XIII. etiam Praedecessoris sui, statuit, et ordinavit, ut Regulares, ac personae hujusmodi in Italia infra duos, extra Italiam vero infra sex menses a die publicationis in Urbe praesentis Constitutionis inchoandos, debeant sibi eligere, seu assumere Conservatores juxta formam superius propositam.

§ 7. Ejusque electionis, seu assumptionis documentum infra tempus hujusmodi penes Acta Curiae Ordinariorum exhibere et dimittere teneantur; alioquin eo termino elapso, quamdiu Conservatores secundum formam praesentis Constitutionis non elegerint, coram eisdem Ordinariis conveniantur.

§ 8. Quodque Conservatores hujusmodi semel legitime deputati, nisi ex legitima causa a Sede Apostolica, aut locorum Ordinariis, prout iisdem Regularibus, et aliis supra dictis libuerit, approbanda, durante quinquennio a die deputationis, amoveri, aut mutari nullatenus possint, aut valeant.

§ 9. Ad haec statuit Sanctitas sua, ut coram ipsis Conservatoribus Regulares, ac personae supra scriptae conveniri quidem, aut trahi debeant,

sed alios convenire, aut trahere non possint, ita ut memorati Conservatores in causis, in quibus Regulares, et alii actores fuerint, nullam prorsus jurisdictionem habeant, sed in iis tantum, in quibus rei extiterint, neque extra Civitates, seu Dioeceses, in quibus fuerint deputati, contra quoscunque procedere praesumant.

§ 10. Si qua vero inter judices Conservatores, hujusmodi, et locorum Ordinarios controversia super competentia jurisdictionis orta fuerit, nequaquam in causa procedatur, donec per arbitros in forma Juris electos super jurisdictionis competentia fuerit judicatum.

§ 11. Quod si qui Conservatores, sive in hac parte, sive alias quomodolibet suos limites excesserint, per annum ab Officio Conservatoris hujusmodi suspensi sint, et pars, quae hoc fieri procuraverit, sententiam excommunicationis incurrat, juxta formam alterius Constitutionis ejusdem Bonifacii Praedecessoris, quae incipit: Hac Constitutione; quam Sanctitas sua in omnibus, quae praesenti Constitutioni non adversantur, innovavit, et innovat.

§ 12. Per hoc tamen non intendit Sanctitas sua prohibere, quo minus Regulares, et alii supra dicti in casibus a jure permissis petant Judicem non suspectum a Principibus, seu Magistratibus saecularibus; dum tamen haec tria copulative concurrant: videlicet, ut Regulares, et alii praedicti sint actores, non autem rei; utque agant contra Laicum, non autem contra Ecclesiasticum, vel alias a jurisdictione saeculari exemptum; atque ut causa, in qua Judex deputatur, fuerit profana, non autem Ecclesiastica, et in ea juxta sacrorum Canonum dispositionem Laicus, ut praefertur, eligendus, Judex competens existat.

§ 13. Quae omnia et singula in praesenti Constitutione contenta Sanctitas sua voluit inviolabiliter observari; decernentes sic in iis, caeterisque omnibus praemissis per quoscunque etc. etiam Sacri Palatii Apostolici Auditores, necnon S. R. E. Cardinales, sublata etc. judicari etc. necnon irritum, et inane etc.

§ 14. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac literis conservatoriis, quas omnes ad formam praesentis Constitutionis reduxit, in favorem quorumcumque Ordinum, tam Mendicantium, quam non Mendicantium, Militiarum, etiam S. Joannis Hierosolymitani, Congregationum, Societatum, aut cujusvis alterius Instituti etiam necessario exprimendi, Collegiorum, Capitulorum, Ecclesiarum, Monasteriorum, ac piorum quorumcumque, tam Saecularium, quam Regularium locorum, necnon illorum, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, etiam ex causa, et titulo oneroso indultis, et literis Apostolicis, etiam Mari magno, seu Bulla aurea, aut alias nuncupatis, sub quibuscumque tenoribus, et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum

derogatoriis, aliisque efficacioribus, et insolitis clausulis, necnon irritantibus, etiam Motu proprio, et ex certa scientia, ac de Apostolicae potestatis plenitudine, aut alias quomodolibet, etiam per viam communicationis, seu extensionis concessis, et iteratis vicibus approbatis, et innovatis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus, et formis specialis, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma servanda esset, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata, inserti forent, praesentibus pro expressis habens, quibus quoad ea, quae praesentibus adversantur, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogavit, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 15. Caeterum, ut praesens Constitutio facilius omnibus innotescat, Sanctitas Sua voluit, et mandavit, ut non solum in Cancellaria Apostolica, sed etiam ad valvas Basilicae Principis Apostolorum de Urbe, et in Acie Campi Florae publicetur, illiusque exempla in iisdem locis affixa dimittantur, ac in Quinterno Cancellariae inter Constitutiones perpetuas describatur, et annotetur. [l. c. pag. 440—441.]

V. PONTIFEX ROMANUS.

Rothensee, *Der Primat des Papstes in allen Jahrhundenten.* Mainz 1836. Roskovány, *Romanus Pontifex tanquam primas ecclesiae.* Tom. 16. Histriae et Comoranii 1867. Palmieri, *De Romano Pontifice.* Prato 1892². [Döllinger] Janus, *Der Papst und das Concil.* Leipzig 1869. ed. 2. (*Das Papstthum.* München 1892). Castellari, *La S. Sede.* Milano 1897. Theiner, *Codex diplomaticus dominii temporalis S. Sedis.* Romae 1861 seq. Friedberg, *Lehrbuch.* § 58. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. § 22—25. Scherer, *Kirchenrecht.* § 80 seq. Sägmüller, *Lehrbuch.* § 85 seq. Stutz, *Kirchenrecht.* § 67.

A) *Primatus*[1]).

181. PIUS IX. (1846—1878).

Constitutio dogmatica I. de Ecclesia Christi (in Conc. Vaticano hab. 1870).

* *Acta et Decreta Sacrorum Conciliorum recentiorum (Collectio Lacensis).* Tom. VII. pag. 482. Friedberg, *Sammlung der Aktenstücke zum Vaticanischen Concil.* pag. 263. Idem, *Lehrbuch.* § 20; 58. Cecconi, *Storia del Concilio Vaticano.* Roma 1872—1879. Döllinger, *Kleine Schriften.* München 1890. pag. 405 seqq. Biederlack, in *Archiv für kathol. Kirchenrecht.* Tom. 77. pag. 404 seq.

Pius episcopus servus servorum Dei sacro approbante concilio. Ad perpetuam rei memoriam. — Pastor aeternus et episcopus animarum nostrarum, ut salutiferum redemptionis opus perenne redderet, sanctam aedificare Ecclesiam decrevit, in qua veluti in domo Dei viventis fideles omnes unius fidei et charitatis vinculo continerentur. Quapropter priusquam clarificaretur, rogavit Patrem, non pro Apostolis tantum, sed et pro eis, qui credituri erant per verbum eorum in ipsum, ut omnes unum essent, sicut ipse Filius et Pater unum sunt. Quemadmodum igitur Apostolos, quos sibi de mundo elegerat, misit, sicut ipse missus erat a Patre: ita in Ecclesia sua Pa-

---

[1]) Conf. Sect. II. passim, et Sect. de Conciliis, de Iudiciis etc.

stores et Doctores usque ad consummationem saeculi esse voluit. Ut vero episcopatus ipse unus et indivisus esset, et per cohaerentes sibi invicem sacerdotes credentium multitudo universa in fidei et communionis unitate conservaretur, beatum Petrum caeteris Apostolis praeponens in ipso instituit perpetuum utriusque unitatis principium ac visibile fundamentum, super cuius fortitudinem aeternum exstrueretur templum, et Ecclesiae coelo inferenda sublimitas in huius fidei firmitate consurgeret (S. Leo M. serm. IV. [al. III] cap. II in diem Natalis sui). Et quoniam portae inferi ad evertendam si fieri posset, Ecclesiam contra ejus fundamentum divinitus positum, maiori in dies odio undique insurgunt; Nos ad catholici gregis custodiam, incolumitatem, augmentum, necessarium esse judicamus sacro approbante Concilio doctrinam de institutione, perpetuitate ac natura sacri apostolici primatus, in quo totius Ecclesiae vis ac soliditas consistit cunctis fidelibus credendam et tenendam secundum antiquam atque constantem universalis Ecclesiae fidem, proponere, atque contrarios, dominico gregi adeo perniciosos, errores proscribere et condemnare.

Cap. I. *De Apostolici primatus in beato Petro institutione.* Docemus itaque et declaramus, juxta Evangelii testimonia primatum jurisdictionis in universam Dei Ecclesiam immediate et directe beato Petro apostolo promissum atque collatum a Christo Domino fuisse. Unum Simonem, cui jam pridem dixerat: «Tu vocaberis Cephas». (Joan. I, 42) postquam ille suam edidit confessionem inquiens: «Tu es Christus, filius Dei vivi», solemnibus his verbis allocutus est Dominus: «Beatus es Simon Bar-Jona, quia caro et sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus qui in coelis est. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, et portae inferi non praevalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni coelorum: et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in coelis: et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in coelis (Matth. XVI. 16. 19)». Atque uni Simoni Petro contulit Jesus post suam resurrectionem summi pastoris et rectoris jurisdictionem in totum suum ovile dicens: «Pasce agnos meos, Pasce oves meas (Joan. XXI, 15—17)». Huic tam manifestae sacrarum Scripturarum doctrinae, ut ab Ecclesia Catholica semper intellecta est, aperte opponuntur pravae eorum sententiae, qui, constitutam a Christo Domino in sua Ecclesia regiminis formam pervertentes negant, solum Petrum prae caeteris apostolis sive seorsum singulis sive omnibus simul, vero proprioque jurisdictionis primatu fuisse a Christo instructum; aut qui affirmant, eundem primatum non immediate directeque ipsi beato Petro, sed Ecclesiae, et per hanc illi ut ipsius ecclesiae ministro delatum fuisse.

Si quis igitur dixerit, beatum Petrum Apostolum non esse a Christo Domino constitutum Apostolorum omnium principem et totius Ecclesiae militantis visibile caput; vel eundem honoris tantum, non autem verae pro-

priaeque jurisdictionis primatum ab eodem Domino nostro Jesu Christo directe et immediate accepisse; anathema sit.

Cap. II. *De perpetuitate primatus beati Petri in Romanis Pontificibus.* Quod autem in beato Apostolo Petro princeps pastorum et pastor magnus ovium Dominus Christus Jesus in perpetuam salutem ac perenne bonum Ecclesiae instituit, id eodem auctore in Ecclesia, quae fundata super petram ad finem saeculorum usque firma stabit, jugiter durare necesse est. Nulli sane dubium, immo saeculis omnibus notum est, quod sanctus beatissimusque Petrus, apostolorum princeps et caput fideique columna, et Ecclesiae catholicae fundamentum, a Domino Nostro Jesu Christo, Salvatore humani generis ac Redemptore, claves regni accepit: qui ad hoc usque tempus et semper in suis successoribus, episcopis sanctae Romanae Sedis, ab ipso fundatae, ejusque consecratae sanguine, vivit et praesidet et judicium exercet. (cf. Ephesini Concilii act. III.) Unde quicumque in hac cathedra Petro succedit, is secundum Christi ipsius institutionem primatum Petri in universam Ecclesiam obtinet. Manet ergo dispositio veritatis, et beatus Petrus in accepta fortitudine petrae perseverans, suscepta Ecclesiae gubernacula non reliquit (S. Leo M. Ser. III. [al. II] cap. 3). Hac de causa ad Romanam Ecclesiam propter potentiorem principalitatem necesse semper fuit, omnem convenire ecclesiam, hoc est, eos, qui sunt undique fideles, ut in ea Sede e qua venerandae communionis jura in omnes dimanant, tanquam membra in capite consociata, in unam corporis compagem coalescerent (S. Iren. Adv. haer. l. III. c. 3. et Concil. Aquil. a. 381. inter ep. S. Ambros. ep. XI).

Si quis ergo dixerit, non esse ex ipsius Christi Domini institutione, seu jure divino, ut beatus Petrus in primatu super universam ecclesiam habeat perpetuos successores; aut Romanum Pontificem non esse beati Petri in eodem primatu successorem; anathema sit.

Cap. III. *De vi et ratione primatus Romani Pontificis.* Quapropter apertis innixi sacrarum litterarum testimoniis et inhaerentes tum praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, tum Conciliorum generalium disertis perspicuisque decretis, innovamus oecumenici Concilii Florentini definitionem, qua credendum ab omnibus Christi fidelibus est, sanctam Apostolicam Sedem, et Romanum Pontificem in universum orbem tenere primatum, et ipsum Pontificem Romanum successorem esse beati Petri principis apostolorum, et verum Christi vicarium, totiusque Ecclesiae caput, et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse; quemadmodum etiam in gestis oecumenicorum Conciliorum et in sacris canonibus continetur.

Docemus proinde et declaramus, Ecclesiam Romanam, disponente Domino, super omnes alias ordinariae potestatis obtinere principatum et hanc Romani pontificis jurisdictionis potestatem, quae vere episcopalis est

immediatam esse erga quam cuiuscumque ritus et dignitatis pastores atque fideles, tam seorsum singuli quam simul omnes officio hierarchiae subordinationis, veraeque obedientiae obstringuntur, non solum in rebus quae ad finem et mores, sed etiam in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae, per totum orbem diffusae, pertinent; ita ut custodita cum Romano Pontifice tam communionis, quam ejusdem fidei professionis unitate, Ecclesia Christi sit unus grex sub uno summo pastore. Haec est catholicae veritatis doctrina, a qua deviare, salva fide atque salute, nemo potest.

Tantum autem abest, ut haec Summi Pontificis potestas officiat ordinariae ac immediatae illi episcopalis jurisdictionis potestati, qua Episcopi, qui positi a Spiritu sancto in Apostolorum locum successerunt, tanquam veri pastores assignatos sibi greges, singuli singulos, pascunt et regunt, ut eadem a supremo et universali Pastore asseratur, roboretur ac vindicetur, secundum illud sancti Gregorii Magni: «Meus honor est honor universalis Ecclesiae. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tum ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur» (Ep. ad Eulog. Alexandrin. lib. VIII. ep. XXX).

Porro ex suprema illa Romani Pontificis potestate gubernandi universam ecclesiam, ius eidem esse consequitur, in huius sui muneris exercitio libere communicandi cum pastoribus et gregibus totius Ecclesiae, ut iidem ab ipso in via salutis doceri ac regi possint. Quare damnamus ac reprobamus illorum sententias, qui hanc supremi capitis cum pastoribus et gregibus communicationem licite impediri posse dicunt, aut eandem reddunt saeculari potestati obnoxiam, ita ut contendant, quae ab Apostolica Sede vel eius auctoritate ad regimen Ecclesiae constituuntur, vim ac valorem non habere, nisi potestatis saecularis placito confirmentur.

Et quoniam divino apostolici primatus iure Romanus Pontifex universae Ecclesiae praeest, docemus etiam et declaramus, eum esse judicem supremum fidelium (Pii PP. VI. Breve «Super Soliditate» d. 28. Nov. 1786), et in omnibus causis ad examen ecclesiasticum spectantibus ad ipsius posse iudicium recurri (Concil. oecum. Lugdun. II); Sedis vero Apostolicae, cujus auctoritate maior non est, iudicium a nemine fore retractandum, neque cuiquam de eius licere iudicare iudicio. (Ep. Nicolai I ad Michaelem Imperatorem). Quare a recto veritatis tramite aberrant, qui affirmant, licere ab iudiciis Romanorum Pontificum ad oecumenicum Concilium tanquam ad auctoritatem Romano Pontifice superiorem appellare.

Si quis itaque dixerit, Romanum Pontificem habere tantummodo officium inspectionis vel directionis, non autem plenam et supremam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam, non solum in rebus quae ad fidem et mores, sed etiam in iis, quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent; aut eum habere tantum potiores partes, non vero totam plenitudinem huius supremae potestatis; aut hanc eius

potestatem non esse ordinariam et immediatam sive in omnes ac singulas ecclesias, sive in omnes et singulos pastores et fideles; anathema sit.

Cap. IV. *De Romani Pontificis infallibili magisterio.* Ipso autem Apostolico primatu, quem Romanus Pontifex tanquam Petri principis Apostolorum successor in universam Ecclesiam obtinet, supremam quoque magisterii potestatem comprehendi, haec Sancta Sedes semper tenuit, perpetuus Ecclesiae usus comprobat, ipsaque oecumenica Concilia, ea inprimis, in quibus Oriens cum Occidente in fidei charitatisque unionem conveniebat, declaraverunt. Patres enim Concilii Constantinopolitani quarti, maiorum vestigiis inhaerentes, hanc solemnem ediderunt professionem: Prima salus est, rectae fidei regulam custodire. Et quia non potest domini nostri Jesu Christi praetermitti sententia dicentis: Tu es Petrus et super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam, haec, quae dicta sunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apostolica immaculata est semper catholica reservata religio, et sancta celebrata doctrina. Ab huius ergo fide et doctrina separari minime cupientes, speramus, ut in una communione, quam Sedes Apostolica praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera Christianae religionis soliditas (Ex formula S. Hormisdae Papae, prout ab Hadriano II. Patribus Concilii oecumenici VIII, Constantinopolitani IV. proposita et ab iisdem subscripta est). Approbante vero Lugdunensi Concilio secundo, Graeci professi sunt: Sanctam Romanam Ecclesiam summum et plenum primatum et principatum super universam Ecclesiam catholicam obtinere, quem se ab ipso Domino in beato Petro apostolorum principe sive vertice, cuius Romanus Pontifex est successor, cum potestatis plenitudine recepisse veraciter et humiliter recognoscit; et sicut prae caeteris tenetur fidei veritatem defendere, sicut et, si quae de fide subortae fuerint quaestiones, suo debent judicio definiri. Florentinum denique Concilium definivit: Pontificem Romanum, verum Christi Vicarium, totiusque Ecclesiae caput et omnium Christianorum patrem ac doctorem existere; et ipsi in beato Petro pascendi, regendi ac gubernandi universalem Ecclesiam a Domino nostro Jesu Christo plenam potestatem traditam esse.

Huic pastorali muneri ut satisfacerent, Praedecessores Nostri indefessam semper operam dederunt, ut salutaris Christi doctrina apud omnes terrae populos propagaretur parique cura vigilarunt, ut, ubi recepta esset, sincera et pura conservaretur. Quocirca totius orbis Antistites, nunc singuli, nunc in Synnodis congregati, longam ecclesiarum consuetudinem et antiquae regulae formam sequentes, ea praesertim pericula, quae in negotiis fidei emergebant, ad hanc Sedem Apostolicam retulerunt, ut ibi potissimum resarcirentur damna fidei, ubi fides non potest sentire defectum (Cf. S. Bern. Epist. CXC). Romani autem Pontifices, prout temporum et rerum conditio suadebat, nunc convocatis oecumenicis Conciliis aut explorata Ecclesiae per orbem dispersae sententia, nunc per Synodos particulares, nunc aliis, quae

divina suppeditabat providentia, adhibitis auxiliis, ea tenenda definiverunt, quae sacris Scripturis et apostolicis Traditionibus consentanea, Deo adiutore, cognoverant. Neque enim Petri successoribus Spiritus Sanctus promissus est, ut eo revelante novam doctrinam patefacerent, sed ut, eo assistente, traditam per Apostolos revelationem seu fidei depositum sancte custodirent et fideliter exponerent. Quorum quidem apostolicam doctrinam omnes venerabiles Patres amplexi et sancti Doctores orthodoxi venerati atque secuti sunt; plenissime scientes, hanc sancti Petri Sedem ab omni semper errore illibatam permanere, secundum Domini Salvatoris nostri divinam pollicitationem discipulorum suorum principi factam: «Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos».

Hoc igitur veritatis et fidei numquam deficientis charisma Petro ejusque in hac Cathedra successoribus divinitus collatum est, ut excelso suo munere in omnium salutem fungerentur, ut universus Christi grex per eos ab erroris venenosa esca aversus, coelestis doctrinae pabulo nutriretur, ut sublata schismatis occasione, Ecclesia tota una conservaretur, atque suo fundamento innixa, firma adversus inferi portas consisteret.

Atvero cum hac ipsa aetate, qua salutifera Apostolici muneris efficacia vel maxime requiritur, non pauci inveniantur, qui illius auctoritati obtrectant; necessarium omnino esse censemus, praerogativam, quam unigenitus Dei Filius cum summo pastorali officio coniungere dignatus est, solemniter asserere.

Itaque Nos traditioni a fidei Christianae exordio perceptae fideliter inhaerendo, a Dei Salvatoris nostri gloriam, religionis Catholicae exaltationem et Christianorum populorum salutem, sacro approbante Concilio, docemus et divinitus revelatum dogma esse definimus: Romanum Pontificem, cum ex Cathedra loquitur, id est, cum omnium Christianorum Pastoris et Doctoris munere fungens, pro suprema sua Apostolica auctoritate doctrinam de fide vel moribus ab universa Ecclesia tenendam definit, per assistentiam divinam, ipsi in beato Petro promissam, ea infallibilitate pollere, qua divinus Redemptor Ecclesiam suam in definienda doctrina de fide vel moribus instructam esse voluit; ideoque eiusmodi Romani Pontificis definitiones ex sese, non autem ex consensu Ecclesiae irreformabiles esse.

Si quis autem huic Nostrae definitioni contradicere, quod Deus avertat, praesumpserit; anathema sit.

Datum Romae in publica Sessione in Vaticana Basilica solemniter celebrata, anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, die decima octava Julii. Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

Ita est. Josephus, Episcopus S. Hippoliti,
Secretarius Concilii Vaticani.

[l. c. pag. 482—487.]

B) *Electio Pontificis*[1]).

Zöpfel, *Die Papstwahlen und die mit ihnen im nächsten Zusammenhang stehenden Ceremonien.* Göttingen 1871. Lorenz, *Papstwahl und Kaisertum.* Berlin 1874. Berthelet, *La elezione del Papa.* Roma 1891. Lucius Lector, *Le Conclave, sa organisation, sa legislation ancienne et moderne.* Paris 1894. Idem, *L'eléction papale.* Paris 1896. Ceccaroni, *Il Conclave.* Torino 1900. Hinschius, *Kirchenrecht.* §§ 26—30. Friedberg, *Lehrbuch.* § 59. Scherer, *Kirchenrecht.* § 2. Sägmüller, *Lehrbuch.* § 86. Stutz, *Kirchenrecht.* § 68.

182. SYMMACHUS (498—514).

Epistola I. seu decretum synodole (a. 496).

* Thiel, *Epist. rom. Pontificum.* p. 646. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. II. p. 627. Holder, *Die Designation des Nachfolgers durch den Papst.* Freiburg i. d. S. 1893. Perier, *L'intervention du Pape dans la designation de son successeur.* Paris 1902.

c. 4: Si quod absit, transitus papae inopinatus evenerit, ut de sui electione successoris, ut supra placuit, non possit ante decernere, siquidem in unum totius inclinaverit ecclesiastici ordinis electio, consecretur electus episcopus. Si autem, ut fieri solet, studia coeperint esse diversa eorum, de quibus certamen emerserit, vincat sententia plurimorum, sic tamen, ut sacerdotio careat, qui captus promissione, non recto iudicio de electione decreverit. — Synodus dixit: Placet! dictum est decies.

183. LIBER DIURNUS.

* *Liber diurnus Pontificum Romanorum.* ed. Sickel. Vindobonae 1897. p. 59 seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 220 seq.

C. LVII. De ordinatione pontificis.

Psallunt secundum consuetudinem. procedit electus de secretario cum cerostatim septem et venit ad confessionem et post letania ascendit ad sedem, simul episcopi et presbiteri. tunc episcopus Albanensis dat orationem primam, deinde episcopus Portuensis dat orationem. postmodum adducuntur evangelia et aperiuntur et tenentur super capud electi a diaconibus. tunc episcopus Ostensis consecrat eum pontificem. post hoc archidiaconus mitti ei pallium. deinde ascendit ad sedem et dat pacem omnibus sacerdotibus et dicit: *gloria in excelsis deo.* [l. c. pag. 46—47.]

C. LVIII. de electionem pontificis ad principem.

Cum non sine divine misericordiae nutu sit ita post mortem summi pontificis in unius electione omnium vota concurrere et convenire consensus, ut nullus penitus inveniretur qui discors possit existere, necessarium est

[1]) Conferre etiam n. 45. a.

ut serenissimo ac piissimo domino petitionis nostrae famulanter debeamus preces effundere, quem certum est et de subiectorum suorum gaudere concordia et clementer unitati postulata concedere. obeunte itaque beatissime recordationis papa nostro ill·, in electio ill· venerabilis apostolice sedis archidiaconi omnium, deo volente, declinavit assensus, propter quod ita ab ineunte etate sua eidem ecclesiae militavit atque sic se in omnibus sollerter exhibuit, ut ecclesiastico regimini non inmerito divina suffragante sit gratia preponendus, presertim dum talius olim fuerit instituti, ut etiam predicti beatissimi ill. pontificis assidua conversatione sua ad tantorum meritorum insignia, quibus isdem sancte recordationis antistes fuisse cognoscitur adornatus, fecerit, Christo adiuvante, proficere et verbis suis desiderantis ad superna gaudia eius animos semper accenderit, ut quicquid boni in illo amisimus, in hoc nos invenire indubitabiliter confidamus. ideoque lacrimabiliter cuncti famuli supplicamus ut dominorum pietas servorum suorum obsecrationem dignanter exaudiat et concessa pietatis suae iussione petentium desideria pro mercede imperii sui ad effectum de ordinatione ipsius precipiat pervenire, quatenus per sacros clementiae vestrae apices sub pastore eodem constituti pro vita imperioque serenissimorum dominorum nostrorum omnipotentem dominum et beatum Petrum apostolorum principem, cuius ecclesiae dignum ordinari gubernatorem conceditis, iugiter exoremus. — *Subscriptio sacerdotum.* Ego ill· misericordia dei presbiter sanctae Romane ecclesiae huic decreto a nobis facto in ill. viro venerabili archidiacono sanctae sedis apostolice et electo nostro consentiens suscripsi. — *Subscriptio laicorum.* Ego ill· pietatis vestrae servus huic decreto a nobis facto in ill· viro venerabili archidiacono sanctae sedis apostolicae et electo nostro consentiens subscripsi. [l. c. pag. 47—48.]

C. LIX. Nvntivs ad exarchvm de Transitv.

Svperscriptio. Domino excellentissimo atque precellentissimo et a deo nobis longeviter in principalibus ministeriis feliciter conservando, ill. exconsuli patricio et exarcho Italie ill· archipresbiter, ill· archidiaconus, ill· primicerius notariorum, servantes locum sanctae sedis apostolicae. — Quamvis non sine gravi gemitu et vere flebili voce a deo servate excellentiae domini nostri per has nostras notescimus humiles syllabas quod, dei iudicio cuius dispensatione universus regitur orbis, ab hac luce fuisse subtractum domnum ill· sanctissimum nostrum pontificem, cuius cunctis vere, si dicendum est etiam lapides ipsi, flevimus exitum. die enim instantis mensis ill· obiit, pro cuius consternati, ut diximus, funere omnes grandi tristitiae premimur mole, ad solam Christi dei nostri cordis oculos miserationem attollentes, ut ipse dignetur subvenire desperatis et suae providere dignum rectorem ecclesiae, a quo fundata est, qui etiam est pollicitus, *non ei prevalere portas inferni.* post divinum enim auxilium ad vestram excellentiam,

domine nobis a deo multis temporibus concedende, omnes habemus fiduciam. ecce eventum lugubrem indicavimus, quia ad nostram consolationem humanum alibi non habemus confugium. [l. c. pag. 49—50.]

C. LX. De electione pontificis ad exarchvm.

Svperscriptio. Domino excellentissimo atque precellentissimo et a deo nobis longeviter in principalibus ministeriis feliciter conservando, ill· exarcho Italie presbiteri, diaconi et familiaris universus clerus, axiomatici etiam seu exercitus et populus huius Romanae urbis supplices. — Novit humanis rebus providentia succurrere et merentium fletus ac gemitus in exultatione convertere ut qui nuper consternabantur afflicti postmodum appareant nimium consolati. canentis enim regis sunt dicta quae sanctus spiritus de templo prophetalis cordis insonuit: *ad vesperum demorabitur fletus et ad matutinum letitiam.* qui et iterum gratias referendo deo beneficiorum eius magnificentiam canit et dicit: *convertisti planctum meum in gaudium mihi, conscidisti saccum meum et precinxisti me letitiam, ut cantem tibi gloria mea et non conpungar, ipsi* enim *cura de nobis est,* ut vas electionis et vere fidei monet integritas, qui queque sunt tristitiae ad gaudium miserando perducit, quod et nobis exiguis et peccatoribus opem de eius misericordia prestolantibus dignatio celestis exibuit. etenim pontificalis memoriae ill· depresentibus curis ad eternam requiem evocato, ut adsolet humanis rebus accidere, magna nos tristitiarum moles obstrinxerat proprio dispensatores frust[r]atos. sed non diu in afflictione persistere consueta dei nostri benignitas sperantes in se dereliquid. triduo enim nobis exiguis in oratione manentibus, ut omnium meritis celestis dignatio demonstraret quem dignum ad successionem apostolice vicis iubeat eligendum, eius gratia$_t$ suffragante et omnium animis inspirante, in uno convenientibus nobis u moris est, familiaris cleri et plebis, procerum etiam et militaris presentia, si dici licitum est a parvo usque ad magnum, in personam ill· sanctissimi huius sanctae apostolice sedis Romane ecclesiae archidiaconi deo cooperante et beatorum apostolorum annisu concurrit atque consensit electio. cuius deo amabilis viri tantum meruit apud omnium conscientias bone et pudice conversationis profectio, ut nullus in eius lectionem dissideret, nullus abesset nullusve se ipsum subtraheret. quem enim ad hoc apostolice vicis officium incomparabilis atque indeficiens dei nostri providentia predestinatum habuerat, quomodo non et humanis mentibus unanimis consonantia conveniret? quod procul dubio in dei presentia tenebatur adfixum. cuius et decreta sollemniter facientes et desideria cordium circa eius electionem manuum subscriptionibus confirmantes, per harum latores ill· sanctissimum episcopum, ill· venerabilem presbiterum, ill· notarium regionarium, ill· adeque subdiaconum regionarium, ill· et ill· viros honestos cives et de florentissimo atque felicissimo Romano exercitu ill· eminentissimum

consulem seu ill· et ill· viros magnificos tribunos miliciae confamulos nostros direximus, supplicantes atque communiter impensissime exorantes a deo conservande precellentiae vestrae consuetam bonitatem piis votis concurrere, quia talis a nostro famulatu concorditer electus est, in quo quantum ad hominum scientiam respicit, null[i]us macula reprehensionis apparebit. et ideo supplicantes quesumus ut, inspirante deo, celse eius dominationis nos famulos voti compotes celeriter fieri precipiat, presertim cum plura sint capitula et alia ex aliis cottidie procreentur quae cure et sollicitudini pontificalis favoris expectant remedium. provinciales vero cure vel queque sunt subinde causarum utilitate perfecte auctoritatis censuram expetunt et expectant. propinquantium quoque inimicorum ferocitatem quam nisi sola dei virtus atque apostolorum principis per suum vicarium, hoc est Romane urbis pontificem, ut omnibus notum est, aliquando monitis conprimit, aliquando vero et flectit ac modigerat hortatus, singularem interventum indigeant, cuius solius pontificalibus monitis ob reverentiam apostolorum principis parientiam offerunt voluntariam et quos non virtus armorum humiliat, pontificalis increpatio cum obsecratione inclinat. cum haec ita sint, iterum atque iterum impensius, precelse et a deo conservate domine, supplicamus ut celerius, deo cooperante vestrisque precordiis inspirante, apostolicam sedem de perfecta eiusdem nostri patris ordinatione adornare precipiatis, utpote per gratiam Christi ministerium imperialis fastigii feliciter atque fideliter peragentem, quatenus et nos exigui famuli desiderium nostrum maturius expleri cernentes incessabiles deo et imperiali clementiae atque eximie ac deo placite dominationis vestrae gratiarum actiones valeamus exsolvere et cum promoto apostolice sedis pontifice, spiritali nostro pastore, iuges preces effundere pro vita atque incolumitate perfectisque victoriis tranquillissimorum atque christianissimorum dominorum nostrorum ill· et ill· magnis victoribus imperatoribus, ut regalibus eorum virtutibus misericors deus multiplices concedat victorias et de subiectionem omnium gentium christianam rempublicam faciat triumphare dequae restituta plenius Romani imperii prisca ditione letitiam cordis impertiat. scimus enim quod oratio eius quem ad pontificalis dignitatis dei nutu culmen eligimus, divinam omnipotentiam flectat suis precibus atque complaceat, exoptate felicitatis incrementa Romano imperio preparavit vestramque a deo custodiendam potestatem ad dispensationem huius servilis Italiae provinciae nostrorumque omnium famulorum presidium et subventum longevis annorum mentibus conservabit. — *Subscriptio sacerdotum.* Ego ill· humilis archipresbiter sanctae Romane ecclesiae huic decreto a nobis facto in ill· sanctissimo archidiacono et electo nostro consentiens subscripsi. — *Et Subscriptio laicorum.* Ego ill· in dei nomine consul huic decreto a nobis facto in ill· sanctissimo archidiacono et electo nostro consentiens subscripsi. [l. c. pag. 50—54.]

C. LXI. *Ad archiepiscopvm ravenne.*

Svperscriptio. Domino sanctissimo nobis spiritalipatri, ill· archiepiscopo ill· archipresbiter, ill· archidiaconus et ill. primicerius notariorum, servantes locum sanctae sedis apostolice. — Inter cetera que summe divinitatis consilio disponuntur, pontificalis promotionis sublimitas, ipso a quo procedit omne quod bonum est predestinante ac largiente, conceditur. quod quia ita dubium non est, senctae paterne beatitudini vestrae indicare curavimus quod, pontificalis memoriae domno ill· de presentibus curis ad aeternam requiem evocato, consueta dei benignitas tristitiarum molem quae nos de preteriti dispensatoris frustratum ad paululum obstrinxerat, abstersit atque linivit. etenim ne diu ictus afflictionis nos sauciaret, providum ac deo placitum apostolicae vicis successorem condonare dignatus. in uno quippe post triduo, ut moris est, convenientibus nobis, id est sacerdotibus et reliquo omni clero, eminentissimis consulibus et gloriosis ducibus ac universitate civium et florentis Romani exercitus, in personam amatoris vestri ac oratoris domini nostri ill· sanctissimi huius apostolicae sedis archidiaconi electionis vota contulimus. in cuius deo dedicata electione nullus, gratia sancti spiritus inlustrante, defuit, sed omnium vota concorditer convenerunt. inque eius sanctitatis persona decreta sollemniter facientes, per harum portitores ill· sanctissimum episcopum, ill· venerabilem presbiterum, ill· notarium regionarium, ill· adeque subdiaconum regionarium, ill· et ill· viros honestos cives et de exercitali gradu ill· eminentissimum consulem, ill· et ill· magnificos tribunos ad precelsi et a deo servati filii vestri domini exarchi vestigia demandavimus, impensius obsecrantes ut celerius, deo eius animis inspirante, hanc apostolorum principis sedem, presertim pro diversis imminentibus et ad subventum provincie exigentibus simul et ad imperialem servitium respicientibus utilitatibus de perfecta ordinatione apostolici electi adornet, quatenus insit in apostolice sedis specula qui et Christi regat ecclesiam gregemque rationabilium salubriter dispenset ovium et pro stabilitate a deo decreti Romani imperii longevaque sospitate ad temporum prosperitatem predicti eximii domini exarchi indesinenti prece exoret. elabora itaque quesumus, sanctissime ac beatissime pater, et cum harum portitoribus, veneratoribus et filiis vestris, apud sepe fatum domnum exarchum inpigrius interveni, vicem gratiae propriae beato Petro fautori tuo reddens, totisque nisibus immine, ut optate ordinationis, deo iubente, adceleretur negotium, quatenus de presularibus paterne vestrae beatitudinis amminiculis et haec apostolica letetur ac exultet ecclesia et nos gratiarum actiones agamus et caritas denominati domni nostri electi futurique apostolici pontificis opulentius erga vestram presularem sanctitatem dilatetur. [l. c. pag. 55—57.]

C. LXIII. Ad apochrisarivm ravenne.

Svperscriptio. Dilectissimo fratri, ill· presbitero et apochrisario ill· archipresbiter, ill· archidiaconus et ill· primicerius notariorum, servantes locum sanctae sedis apostolicae. — Dudum obitum dilectissimam fraternitatem vestram sanctae memoriae domni ill· agnovisse pontificis satisfacimur. cuius post transitum, iuxta ut moris est, die tertia convenientibus nobis, id est clero, axiomaticis etiam et generalis militia ac civium universitate, in personam domni ill· sanctissimi archidiaconi, dei gratia suffragante, electionis vota contulisse nos indicamus. cuius et sollemne decretum facientes subscriptione omnium robaratum apud eximium et a deo servatum domnum exarchum per harum portitores ill· et ill· direximus, cum quibus dilectissima fraternitas vestra conveniat et pro celleri promotionem pontificalis ordinationis deposcendo apud denominatum domnum exarchum interveniat, ut valeant hi qui missi sunt, Christo comite, cum effectu ad nos repedare et de prosperis nuntiis apostolica Christi ecclesia omniumque nostrorum animis magnanimiter relevare. [l. c. pag. 58—59.]

184. NICOLAUS II. (1058—1061).

Decretum Electionis Pontificiae.

• *Monumenta Germaniae. Legum Sect. IV. (Constitutiones Imperatorum).* p. 538 seq. Scheffer-Boichorst, *Die Neuordnung der Papstwahl durch Nicolaus II.* Strassburg 1879. Grauert, *Das Decret Nicolaus II. von 1059.* (*Historisches Jahrbuch der Görresgesellschaft.* 1880. p. 502 seq.) Michael, *Zeitschrift für katholische Theologie.* 1899. p. 195. Hinschius, *Kirchenrecht.* pag. 248.

[1] In nomine Domini Dei salvatoris nostri Iesu Christi, anno ab incarnatione eius 1059, mense aprili, indictione XII, propositis sacrosanctis evangeliis, praesidente quoque reverendissimo ac beatissimo Nicolao apostolico papa, in basilica Lateranensis patriarchii quae cognominatur Constantiniana, considentibus etiam reverendissimis archiepiscopis episcopis abbatibus seu venerabilibus presbyteris atque diaconibus, idem venerabilis pontifex auctoritate apostolica decernens, de electione summi pontificis inquit:

[2] Novi beatitudo vestra, dilectissimi fratres et coepiscopi, inferiora quoque membra non latuit, defuncto piae memoriae domino Stephano decessore nostro haec apostolica sedes, cui auctore Deo deservio, quot adversa, pertulerit, quot denique per simoniacae haeresis trapezitas malleis crebrisque tunsionibus subiacuerit, adeo ut columna Dei viventis iamiam paene videretur [concussa] nutare et sagena summi piscatoris procellis intumescentibus cogeretur in naufragii profunda submergi. Unde, si placet fraternitati vestrae, debemus auxiliante Deo futuris casibus prudenter occurrere et ecclesiastico statui, ne rediviva — quod absit — mala praevaleant, in posterum

praevidere. Quapropter instructi praedecessorum nostrorum aliorumque sanctorum patrum auctoritate decernimus atque statuimus:

[3] Ut, obeunte huius Romanae universalis ecclesiae pontifice, inprimis cardinales episcopi diligentissima simul consideratione tractantes mox sibi clericos cardinales adhibeant, sicque reliquus clerus et populus ad consensum novae electionis accedant.

[4] Ut — nimirum ne venalitatis morbus qualibet occasione subrepat — religiosi viri praeduces sint in promovendi pontificis electione, reliqui autem sequaces. Et certe rectus atque legitimus hic electionis ordo perpenditur, si perspectis diversorum patrum regulis sive gestis, etiam illa beati praedecessoris Leonis sententia recolatur: ‚Nulla', inquit, ‚ratio sinit, ut inter episcopos habeantur, qui nec a clericis sunt electi nec a plebibus expetiti nec a comprovincialibus episcopis cum metropolitani iudicio consecrati'. Quia vero sedes apostolica cunctis in orbe terrarum praefertur ecclesiis atque ideo super se metropolitanum habere non potest, cardinales episcopi procul dubio metropolitani vice funguntur, qui videlicet electum antistitem ad apostolici culminis apicem provehunt.

[5] Eligant autem de ipsius ecclesiae gremio, si reperitur idoneus, vel si de ipsa non invenitur, ex alia assumatur.

[6] Salvo debito honore et reverentia dilecti filii nostri Henrici, qui inpraesentiarum rex habetur et futurus imperator Deo concedente speratur, sicut iam sibi concessimus, et successorum illius, qui ab hac apostolica sede personaliter hoc ius impetraverint.

[7] Quod si pravorum atque iniquorum hominum ita perversitas invaluerit, ut pura sincera atque gratuita electio fieri in Urbe non possit, cardinales episcopi cum religiosis clericis catholicisque laicis, licet paucis, ius potestatis obtineant eligere apostolicae sedis pontificem, ubi congruentius iudicaverint.

[8] Plane postquam electio fuerit facta, si bellica tempestas vel qualiscunque hominum conatus malignitatis studio restiterit, ut is qui electus est in apostolica sede iuxta consuetudinem intronizari non valeat, electus tamen sicut papa auctoritatem obtineat regendi sanctam Romanam ecclesiam et disponendi omnes facultates illius, quod beatum Gregorium ante consecrationem suam fecisse cognoscimus.

[9] Quod si quis contra hoc nostrum decretum synodali sententia promulgatum per seditionem vel praesumptionem aut quodlibet ingenium electus aut etiam ordinatus seu intronizatus fuerit, [non papa sed sathanas, non apostolicus sed apostaticus ab omnibus habeatur et teneatur et] auctoritate divina et sanctorum apostolorum Petri et Pauli perpetuo anathemati cum suis auctoribus, fautoribus, sequacibus a liminibus sanctae Dei ecclesiae separatus subiciatur, sicut Antichristus et invasor atque destructor totius christianitatis; nec aliqua super hoc audientia aliquando ei reservetur, sed

ab omni ecclesiastico gradu, in quocunque prius fuerat, sine retractione deponatur. Cui quisquis adhaeserit vel qualemcunque tanquam pontifici reverentiam exhibuerit aut in aliquo illum defendere praesumpserit, pari sententia sit mancipatus. Quisquis autem huius nostrae decretalis sententiae temerator extiterit et Romanam ecclesiam sua praesumptione confundere et perturbare contra hoc statutum temptaverit, perpetuo anathemate atque excommunicatione dampnetur et cum impiis, qui non resurgent in iudicio, reputetur. Omnipotentis scilicet Dei Patris et Filii et Spiritus sancti contra se iram sentiat et sanctorum apostolorum Petri et Pauli, quorum praesumit confundere ecclesiam, in hac vita et in futura furorem reperiat. Fiat habitatio eius deserta, et in tabernaculis eius non sit qui inhabitet. Fiant filii eius orphani et uxor eius vidua. Commotus amoveatur ipse atque filii eius et mendicent et eiciantur de habitationibus suis. Scrutetur fenerator omnem substantiam eius et diripiant alieni labores eius. Orbis terrarum pugnet contra eum et cuncta elementa sint ei contraria, et omnium sanctorum quiescentium merita illum confundant et in hac vita super eum apertam vindictam ostendant.

[10] Observatores autem huius nostri decreti Dei omnipotentis gratia protegat et auctoritate beatorum apostolorum Petri et Pauli ab omnium peccatorum vinculis absolvat.

Ego Nicolaus episcopus sanctae catholicae et apostolicae Romanae ecclesiae huic decreto a nobis promulgato, sicut superius legitur, subscripsi. Bonifacius dei gratia Albanensis episcopus subscripsi. Humbertus sanctae ecclesiae Silvae Candidae episcopus subscripsi. Petrus Ostiensis ecclesiae episcopus subscripsi. Et caeteri episcopi numero LXXVI cum presbyteris et diaconibus subscripserunt. [l. c. pag. 538—541.]

185. ALEXANDER III. (1159—1181).

Alexander III. in Concilio Lateranensi III. (a. 1179).

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 51. Hinschius, *Kirchenrecht.* I. 265. Wretschko, in *Zeitschrift für Kirchenrecht.* 1903.

Electus in Romanum Pontificem a duabus partibus cardinalium, nulla exceptione obstante est Papa; electus autem a minori numero gerens se pro Papa, incidit una cum sibi adhaerentibus in poenas hic contentas.

Licet de vitanda discordia in electione Romani Pontificis manifesta satis a praedecessoribus nostris constituta manaverint, quia tamen saepe post illa per improbae ambitionis audaciam gravem passa est ecclesia scissuram: nos etiam ad malum hoc evitandum de consilio fratrum nostrorum et sacri approbatione concilii aliquid decrevimus adiungendum. § 1. Statuimus ergo, ut, si forte, inimico homine superseminante zizaniam, inter cardinales de substituendo summo Pontifice non poterit esse plena concor-

dia, et duabus partibus concordantibus pars tertia concordare noluerit, aut sibi alium praesumpserit nominare, ille absque ulla exceptione ab universali ecclesia Romanus Pontifex habeatur, qui a duabus partibus concordantibus electus fuerit et receptus. § 2. Si quis autem de tertiae partis nominatione confisus, quia de ratione esse non potest, sibi nomen episcopi usurpaverit, tam ipse, quam ii, qui eum receperint, excommunicationi subiaceant, et totius sacri ordinis privatione mulctentur ita, ut viatici etiam eis, nisi tantum in ultimis, communio denegetur, et si non resipuerint, cum Dathan et Abiron, quos terra vivos absorbuit, accipiant portionem. § 3. Praeterea si a paucioribus quam a duabus partibus aliquis electus fuerit ad apostolatus officium, nisi maior concordia intercesserit, nullatenus assumatur, et praedictae poenae subiaceat, si humiliter noluerit abstinere. Ex hoc tamen nullum canonicis constitutionibus et aliis ecclesiis praeiudicium generetur, in quibus debet maioris et sanioris partis sententia praevalere, quia quod in eis dubium venerit superioris poterit iudicio diffiniri. In Romana vero ecclesia speciale aliquid constituitur, quia non poterit ad superiorem recursus haberi.

186. GREGORIUS X. (1271—1276).

Gregorius Papa in Concilio Lugdunensi hab. a. 1274, c. 3. in VI. *de electione*. I. 6.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 946. Hinschius, *Kirchenrecht*. Tom. I. p. 267. segg.

Ponitur causa constitutionis et iuris veteris conservatio. Ioann. Andr. — § 1. Ponitur, quomodo debeat fieri Romani Pontificis electio, quando moritur in civitate, in qua cum sua curia residebat. — § 2. Quid iuris, quando moritur Romanus Pontifex extra civitatem, in qua erat curia. — § 3. Dat exsecutores huic iuri cum poenis. Ioann. Andr. — § 4. Obtestatur cardinales, ut in electione Romani Pontificis deponant omnem privatum affectum, et cassat omnia pacta, obligationes, et iuramenta, quae data vel facta essent de aliquo eligendo. — § 5. Monet omnes fideles, ut statim, audita summi Pontificis morte, eius celebrent exsequias, et quotidie orent pro vigili, concordi et utili provisione Romanae ecclesiae; praelati autem in suis praedicationibus ipsos subditos ad hoc hortentur, et eis frequentiam orationum et observantiam ieiuniorum indicant. Ioann. Andr.

Ubi periculum maius intenditur, ibi procul dubio est plenius consulendum. Quam gravibus autem sit onusta dispendiis, quot et quantis sit plena periculis ecclesiae Romanae prolixa vocatio, exacti consideratio temporis edocet, et considerata prudenter illius temporis discrimina manifestant. Hinc nos evidens evocat ratio, ut, dum reformandis etiam minoribus nostra sollerter vacat intentio, ea, quae periculosiora sunt, nequaquam absque remedio reformationis accomode relinquamus. Ideoque omnia, quae pro vitanda discordia in electione Romani Pontificis a nostris sunt praedecessoribus, et praecipue a felicis recordationis Alexandro Papa III. salubriter instituta, omnino immota in sua firmitate manere censentes, (nihil enim detra-

here illis intendimus, sed quod experientia deesse probavit praesenti constitutione supplere). § 1. Hoc sacro concilio approbante statuimus, ut, si eundem Pontificem in civitate, in qua cum sua curia residebat, diem claudere contingat extremum, cardinales, qui fuerint in civitate ipsa praesentes, absentes exspectare decem diebus tantummodo teneantur. Quibus elapsis, sive absentes venerint sive non, extunc omnes conveniant in palatio, in quo idem Pontifex habitabat, contenti singuli singulis tantummodo servientibus clericis vel laicis, prout duxerint eligendum. Illis tamen, quibus patens necessitas id suggerit indulgeri, duos habere permittimus, eisdem electionis arbitrio reservato. In eodem autem palatio unum conclave, nullo intermedio pariete seu alio velamine, omnes inhabitent in communi, quod, reservato libero ad secretam cameram aditu, ita claudatur undique, ut nullus illud intrare valeat vel exire. Nulli ad eosdem cardinales aditus pateat, vel facultas secrete loquendi cum eis, nec ipsi aliquos ad se venientes admittant, nisi eos, qui de voluntate omnium cardinalium inibi praesentium pro his tantum, quae ad electionis instantis negotium pertinent, vocarentur. Nulli etiam fas sit, ipsis cardinalibus vel eorum alicui nuncium mittere vel scripturam; qui vero contra fecerit, scripturam mittendo vel nuncium, aut cum aliquo ipsorum secrete loquendo, ipso facto sententiam excommunicationis incurrat. In conclavi tamen praedicto aliqua fenestra competens dimittatur, per quam eisdem cardinalibus ad victum commode necessaria ministrentur; sed per eam nulli ad ipsos patere possit ingressus. Verum si, (quod absit), infra tres dies, postquam, ut praedicitur, conclave praefatum iidem cardinales intraverint, non fuerit ipsi ecclesiae de pastore provisum, per spatium quinque dierum immediate sequentium singulis diebus tam in prandio quam in coena uno solo ferculo sint contenti; quibus provisione non facta decursis, extunc tantummodo panis, vinum et aqua ministrentur eisdem, donec eadem provisio subsequatur. Provisionis quoque huiusmodi pendente negotio, dicti cardinales nihil de camera Papae recipiant, nec de aliis eidem ecclesiae tempore vacationis obvenientibus undecunque; sed ea omnia ipsa vacatione durante sub eius, cuius fidei et diligentiae camera eadem est commissa, custodia maneant, per eum dispositioni futuri Pontificis reservanda. Qui autem aliquid receperint, teneantur extunc a receptione quorumlibet redituum ad eos spectantium abstinere, donec de receptis taliter plenariam satisfactionem impendant. Iidem quoque cardinales accelerandae provisioni sic vacent attentius, quod se nequaquam de alio negotio intromittant, nisi forsan necessitas adeo urgens incideret, quod eos oporteret de terra ipsius ecclesiae defendenda vel eius parte aliqua providere, vel nisi aliquod tam grande et tam evidens periculum immineret, quod omnibus et singulis cardinalibus praesentibus concorditer videretur illi celeriter occurrendum. Sane, si aliquis ex praedictis cardinalibus conclave praedictum, ut supra exprimitur, non intraverit, aut intrans absque manifesta causa infirmitatis

exierit: ipso minime requisito, nec in eiusdem electionis negotio ulterius admittendo, per alios ad eligendum summum Pontificem libere procedatur. Si vero infirmitate superveniente idem conclave ex eis aliquem exire contingat, ipsa etiam infirmitate durante poterit, eius suffragio non requisito, ad electionem procedi. Sed si ad alios post sanitatem sibi redditam seu ante redire voluerit, vel etiam si alii absentes, quos per decem dies diximus exspectandos, supervenerint re integra, videlicet antequam eidem ecclesiae sit de pastore provisum: in eodem negotio in illo statu, in quo ipsum invenerint, admittantur, praemissa tam de clausura, quam de servientibus cibo ac potu et reliquis cum aliis servaturi. § 2. Porro, si quando Romanum Pontificem extra civitatem praedictam, in qua erat cum sua curia residens, contigerit ab hac luce migrare, teneantur cardinales in civitate, in cuius territorio seu districtu idem Pontifex obiit, convenire, nisi sit forsitan interdicta, vel contra ecclesiam Romanam in aperta rebellione persistat. Quo casu in alia viciniori conveniant, quae similiter nec interdicto subiaceat, nec sit, ut praedicitur, aperte rebellis. In hac etiam civitate tam quoad exspectationem absentium, quam quoad habitationem communem, clausuram et cetera omnia in domo episcopali, vel alia qualibet eisdem cardinalibus deputanda, eadem observentur, quae superius, obeunte dicto Pontifice in ea, in qua cum sua curia residebat, sunt expressa. § 3. Praeterea, quia parum est iura condere, nisi sit, qui eadem tueatur, adiiciendo sancimus, ut domini aliique rectores et officiales civitatis illius, in qua Romani Pontificis electio fuerit celebranda, auctoritate nostra, et eiusdem adprobatione concilii potestate sibi tradita, praemissa omnia et singula plene ac inviolabiliter sine fraude ac dolo aliquo faciant observari, nec cardinales ultra, quam praemittitur, arctare praesumant. Super his autem taliter observandis statim, audito summi Pontificis obitu, coram clero et populo universo civitatis ipsius, ad hoc specialiter convocandis, praestent corporaliter iuramentum. Quodsi praemissa diligenter non observaverint, aut fraudem in eis vel circa ea commiserint, cuiuscunque sint praeminentiae, conditionis aut status, omni cessante privilegio eo ipso sententiam excommunicationis incurrant, et perpetuo sint infames, nec unquam eis portae dignitatis pateant, nec ad aliquod publicum officium admittantur. Ipsos insuper feudis et bonis ceteris, quae ab eadem Romana ecclesia vel quibuslibet aliis ecclesiis obtinent, ipso facto decernimus esse privatos, ita, quod ad ecclesias ipsas plene ac libere revertantur, administratorum earundem ecclesiarum arbitrio sine contradictione aliqua disponenda. Civitas vero praedicta non solum sit interdicto supposita, sed et pontificali dignitate privata. § 4. Ceterum quia, quum arbitrium vel inordinatus captivat affectus, vel ad certum aliquem obligationis cuiusque necessitas adigit, cessat electio, dum libertas adimitur eligendi: cardinales eosdem obsecrantes per viscera misericordiae Dei nostri, per adspersionem sui pretiosi sanguinis obtestamur, ut pensantes attentius, quid eis

imminet, quum agitur de creatione vicarii Iesu Christi, successoris Petri, rectoris universalis ecclesiae, gregis dominici directoris, omni privatae affectionis inordinatione deposita, et cuiuslibet pactionis, conventionis, obligationis necessitate, nec non condicti et intendimenti contemplatione cessantibus, non in se reciprocent considerationis intuitum vel in suos, non quae sua sunt quaerant, non commodis privatis intendant, sed, nullo arctante ipsorum in eligendo iudicium nisi Deo, puris et liberis mentibus, nuda electionis conscientia, utilitatem publicam libere prosequantur, omni conatu et sollicitudine, prout possibilitas patitur, id acturi tantummodo, ut eorum ministerio acceleretur utilis et pernecessaria totius mundi provisio, idoneo celeriter eidem ecclesiae sponso dato. Qui autem secus egerint, divinae subiaceant ultioni, eorum culpa, nisi gravi propter hoc peracta poenitentia, nullatenus abolenda. Et nos nihilominus pactiones, conventiones, obligationes, condicta et intendimenta omnia, sive iuramenti sive cuiuslibet alterius fuerint vinculo firmitatis annexa, cassamus, irritamus et viribus decernimus omnino carere ita, quod, nullus ad illa observanda quomodolibet sit adstrictus, nec quisquam ex eorum transgressione notam vereatur fidei non servatae, sed non indignae laudis titulum potius mereatur, quum lex etiam humana testetur, Deo magis transgressiones huiusmodi, quam iurisiurandi observationes acceptas. § 5. Quia vero fidelibus non est tam de sollicita quantumcunque inventione fidendum, quam de instantia orationis humilis et devotae sperandum: huic adiicimus sanctioni, ut in omnibus civitatibus ceterisque locis insignibus, ubi primum de memorati Pontificis obitu certitudo claruerit, a clero et populo, solennibus pro eo exsequiis celebratis, singulis diebus, donec de ipsius ecclesiae provisione indubitanter rumor pertulerit veritatem, humiles preces fundantur ad Dominum, apud eum devotis orationibus insistatur, ut ipse, qui concordiam facit in sublimibus suis, sic efficiat eorundem cardinalium corda in eligendo concordia, quod provisio celer, concors et utilis, prout animarum salus exigit et totius orbis requirit utilitas, ex ipsorum unanimitate sequatur. Et ne tam salubre praesentis sanctionis edictum ignorantiae negligi praetextu contingat: districte praecipimus, ut patriarchae, archiepiscopi, episcopi et alii ecclesiarum praelati, ceterique, quibus concessum est proponere verbum Dei, clerum et populum, propter hoc specialiter frequentius congregandos, in suis sermonibus ad supplicum precum suffragia pro celeri, et felici exitu tanti negotii frequentanda sollerter hortentur, et ipsis eadem auctoritate non solum orationum frequentiam, sed observantiam, prout circumstantiae pensandae suaserint, ieiuniorum indicant. [l. c. col. 946—949.]

187. CLEMENS V. (1305—1314).

Clemens V. in Concilio Viennensi, c. 2. Clem. *de electione*. I. 3.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1135—1136. Hefele, *Conciliengeschichte*. Tom. VI. p. 474. Hinschius, *Kirchenrecht*. Tom. I. p. 269 segg.

Coetus cardinalium sede vacante iurisdictionem papalem non exercet, nisi in quantum permittit concilium Lugdunense; nec illud vel eius partem alterare potest. Ioann. Andr. — § 1. Officium camerarii vel poenitentiariorum Papae durat eo mortuo. Qui si deficiant poterit coetus cardinalium pro tempore vacationis alios subrogare. Ioann. Andr. — § 2. Determinat, dioecesim intelligi id, quod in concilio dicitur de territorio et districtu. Statuit, moriente Papa, extra curiam, ipsius electionem fieri debere in loco, ubi erat causarum et litterarum audientia, licet suspensa; nisi prius ordinatum esset de curia transferenda. Ioann. Andr. — § 3. Providet casui, quo contigeret cardinales omnes exire conclave. — § 4. Statuit, cardinales per exceptionem excommunicationis, suspensionis vel interdicti ab electione non repelli. Ioann. Andr. — § 5. Electos et alios, qui mittere vel ire tenentur ad curiam, adstringit ad id sede vacante. H. d. Ioann. Andr.

Ne Romani electioni Pontificis indeterminata opinionum diversitas aliquod possit obstaculum vel dilationem afferre: nos, inter cetera praecipue attendentes, quod lex superioris per inferiorem tolli non potest, opinionem adstruere, sicut accepimus satagentem, quod constitutio felicis recordationis Gregorii Papae X. praedecessoris nostri, circa electionem praefatam edita in concilio Lugdunensi, per coetum cardinalium Romanae ecclesiae ipsa vacante modificari possit, corrigi vel immutari, aut quicquam ei detrahi sive addi, vel dispensari quomodolibet circa ipsam seu aliquam eius partem, aut eidem etiam renunciari per eum, tanquam veritati non consonam de fratrum nostrum consilio reprobamus, irritum nihilominus et inane decernentes quicquid potestatis aut iurisdictionis, ad Romanum, dum vivit, Pontificem pertinentis, (nisi quatenus in constitutione praedicta permittitur,) coetus ipse duxerit eadem vacante ecclesia exercendum. § 1. Eo tamen proviso, quod si eiusdem ecclesiae camerarium, aut maiorem vel aliquos alios ex poenitentiariis (quorum officium per obitum eiusdem Pontificis nolumus expirare,) per mortem vel alias deficere quovis modo contingat, valeat idem coetus ad tempus vacationis huiusmodi pro numero deficentium, vel ampliori etiam, quantum ad poenitentiarios, si hoc eidem coetui concorditer expedire videbitur, alios subrogare. § 2. Sane quum iuxta constitutionem praedictam, Papa extra civitatem, in qua cum sua erat curia, moriente, in civitate, in cuius districtu seu territorio moritur, sit regulariter successoris electio celebranda: districtus seu territorii nomine dioecesim hoc casu intelligendam fore censemus, eo tamen adiecto, quod si, in certo loco causarum et litterarum apostolicarum audientia remanente, Papam alibi mori contingat, non ibi, sed ubi praedicta fuerit audientia, memorata electio celebretur, etiamsi eadem audientia tempore mortis huius vacare noscatur; nisi forsan ante mortem eandem ordinatum esse per Papam de curia transferenda, quo casu servetur provisio constitutionis prae-

dictae. § 3. Porro si Romano non electo Pontifice cardinales omnes simul vel successive (quod absit) exire contigeret conclave deputatum eisdem: hi, ad quos pertinet exsecutio constitutionis praedictae, illos ex ipsis, quibus infirmitas corporis aut nota debilitas excusationem non dabit, idem conclave quam cito poterunt, reintrare compellant, poenas in dicta constitutione contentas, nisi hoc fecerint incursuri. Cardinales autem huiusmodi conclave reintrantes ad electionem iam dictam procedant et alias constitutionem praefatam observent secundum statum, in quo erant in eodem conclavi, quando ipsum ut praemittitur, exiverunt. § 4. Ceterum, ut circa electionem praedictam eo magis vitentur dissensiones et schismata quo minor eligentibus aderit dissidendi facultas: decernimus, ut nullus cardinalium cuiuslibet excommunicationis suspensionis aut interdicti praetextu a dicta valeat electione repelli, iuribus aliis circa electionem eandem hactenus editis plene in suo robore duraturis. § 5. Verum, quia tam ex provisis remediis quam ex orationibus ad Deum super huius negotio effundendis, quod breviter huiusmodi celebretur electio, praesumendum est probabiliter et sperandum: statuimus ut electi et alii, qui ex quacunque causa ad sedem apostolicam venire vel mittere sunt adstricti, ad ipsam, quum vacat, ac si non vacaret venire vel mittere teneantur. [l. c. col. 1135—1136.]

188. CONCILIUM CONSTANTIENSE (1414—1418).

Sess. gen. XXXIX.

* Hübler, *Die Constanzer Reformation und die Concordate von 1418.* Leipzig 1867. p. 118 seq. Mansi, *Conc. ampl. coll.* T. XXII. 1159 seq. Hefele, *Conciliengeschichte.* T. VI. p. 222. Finke, *Acta Concilii Constantiensis.* I. Münster 1896. Idem, *Forschungen und Quellen zur Geschichte des Konstanzer Konzils.* Paderborn 1889. Tosti, *Storia del Concilio di Costanza.* Roma 1887. Wylle, *The Council of Constance.* London 1900. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 271.

II. *Provisio adversus futura schismata praecavenda.* Si vero quod absit in futurum schisma oriri contingeret ita quod duo vel plures pro summis pontificibus se gererent, a die quo ipsi duo vel plures insignia pontificatus publice assumserint seu administrare coeperint, intelligatur ipso jure terminus concilii tunc forte ultra annum pendens ad annum proximum abbreviatus. ad quod omnes praelati et ceteri qui ad concilium ire tenentur sub poenis juris et aliis per concilium imponendis absque alia vocatione conveniant. nec non imperator ceterique reges et principes vel personaliter aut per solennes nuncios tamquam ad commune incendium exstinguendum per viscera misericordiae domini nostri Jesu Christi ex nunc exhortati concurrant. et quilibet ipsorum se pro Romano pontifice gerentium infra mensem a die qua scientiam habere potuit alium vel alios assumsisse papatus insignia vel in papatu administrasse teneatur sub interminatione maledictio-

nis aeternae et amissione juris, si quod forte sibi quaesitum esset in papatu, quam ipso facto incurrat, et ultra hoc ad quaslibet dignitates active et passive sit inhabilis, concilium ipsum ad terminum anni praedictum in loco prius deputato celebrandum indicere et publicare et per suas literas competitori vel competitoribus ipsum vel ipsos provocando ad causam et ceteris praelatis ac principibus quantum in eo fuerit intimare nec non termino praefixo sub poenis praedictis ad locum concilii personaliter se transferre nec inde discedere, donec per concilium causa schismatis plenarie sit finita. hoc adjuncto quod nullus ipsorum contendentium de papatu in ipso concilio ut papa praesideat. quin imo ut tanto liberius et citius etiam unico et indubitato pastore gaudeat, sint ipsi omnes de papatu contendentes, postquam dictum concilium inceptum fuerit, auctoritate hujus sacrae synodi ipso jure ab omni administratione suspensi, nec eis aut eorum alteri, donec causa ipsa per concilium terminata fuerit, a quoquam sub poena fautoriae schismatis quomodolibet obediatur.

Quod si forte electionem Romani pontificis per metum qui caderet in constantem virum seu impressionem de cetero fieri contingat, ipsam nullius decernimus efficaciae vel momenti nec posse per sequentem consensum etiam metu praedicto cessante ratificari vel approbari. non tamen licet cardinalibus ad aliam electionem procedere, nisi ille sic electus forte renunciet vel decedat, donec per generale concilium de electione illa fuerit judicatum. et si procedant, nulla sit electio ipso iure, sintque sic, secundo eligentes et electus, si se papatui ingesserit, omni dignitate honore et statu, etiam cardinalatus et pontificali, ipso jure privati et inhabiles de cetero ad eosdem ac etiam ad papatum, nec aliquis eidem secundo electo ut papae sub poena fautoriae schismatis obediat quoquomodo. et eo casu concilium de electione papae provideat illa vice, sed liceat, imo et teneantur electores omnes aut saltem major pars eorum, quam cito sine periculo personarum poterunt, etiamsi periculum omnium bonorum immineat, se transferre ad locum tutum et metum praedictum allegare coram notariis publicis et notabilibus personis ac multitudine populi in loco insigni. ita tamen quod allegantes metum hujusmodi habeant in ipsius metus allegatione exprimere speciem et qualitatem dicti metus et jurare solemniter, quod metus taliter allegatus sit verus, et quod credant se ipsum posse probare et quod per malitiam vel per calumniam hujusmodi metum non proponant. nec ultra proximum futurum concilium ullo modo differri possit allegatio dicti metus. teneantur insuper, postquam se transtulerunt et metum allegaverunt, modo praedicto provocare sic electum ad concilium. quod concilium si ultra annum pendeat a die provocationis huiusmodi, intelligatur ad annum ut supra ipso jure terminus abbreviatus. et nihilominus teneatur electus ipse sub poenis praedictis et cardinales provocantes sub poena amissionis cardinalatus et omnium beneficiorum suorum, quam ipso facto incurrant, infra mensem a

die provocationis concilium ipsum ut supra dicitur indicere et publicare et quam citius poterunt intimare, ac cardinales ipsi ceterique electores ad locum concilii tempore convenienti personaliter se transferre et usque ad finem causae exspectare teneantur. teneantur quoque praelati ceterique ut supra ad convocationem cardinalium tantum, si forte electus convocare cessaret, accedere. qui sic electus in concilio ipso non praesideat, quin imo sit a termino initiandi concilii ipso iure ab omni administratione papatus suspensus, nec sibi a quoquam sub poena fautoriae schismatis quomodolibet obediatur.

Quodsi infra annum ante diem indicti concilii contingant supradicti casus, videlicet quod plures se gerant pro papa vel quod unus per metum seu per impressionem eligatur, censeantur ipso iure tam se gerentes pro papa quam electus per metum seu impressionem et cardinales ad dictum concilium provocati teneanturque in ipso concilio comparere personaliter causam exponere et judicium concilii exspectare. sed si dictis casibus occurentibus contiget forte casus aliquis, quo necessarium sit locum concilii mutare, ut obsidionis guerrae aut pestis aut similis, teneantur nihilominus tam omnes supradicti quam omnes praelati ceterique qui ad concilium ire tenentur ad locum proximiorem ut praemittitur qui sit habilis ad concilium convenire, possitque major pars praelatorum, qui infra mensem ad locum certum declinaverint, illum sibi et aliis pro loco concilii deputare, ad quem ceteri convenire teneantur, ac si a principio fuisset deputatus. concilium autem ut praefertur convocatum et congregatum de huiusmodi schismatis causa cognoscens et in contumaciam electorum seu gerentium se pro papa vel cardinalium, si forte venire neglexerint. litem dirimat causamque definiat et culpabiles in schismate procurando seu nutriendo vel in administrando aut obediendo vel administrantibus favendo seu contra interdictum superius eligendo vel calumniose allegando metum etiam ultra praedictas poenas, cujuscunque status gradus seu praeeminentiae existant ecclesiasticae vel mundanae personae, sic puniat, ut vindictae rigor transeat ceteris in exemplum.

Ut autem metus seu impressionis molestia in electione papae eo formidolosius evitetur, quo toti christianitati lamentabilius eorum incussio seu factio perpetratur, ultra praedicta specialiter duximus statüendum, quod si quis hujusmodi metum vel impressionem aut violentiam electoribus ipsis vel alicui eorum in electione papae intulerit seu fecerit aut fieri procuraverit vel factum ratum habuerit aut in hoc consilium dederit vel favorem facientemve scienter receptaverit vel defensaverit aut negligens in executione poenarum inferius memoratarum extiterit, cujuscumque status gradus vel praeeminentiae fuerit, etiamsi imperiali regali pontificali vel alia quavis ecclesiastica aut seculari praefulgeat dignitate, illas poenas ipso facto incurrat. quae in constitutione felicis recordationis Bonifacii papae VIII. quae

incipit «Felicis» continentur, illisque effectualiter puniatur. civitas vero, etiamsi quod absit urbs Romana fuerit seu alia quaevis universitas, quae talia facienti consilium vel auxilium dederit aut favorem vel infra mensem saltem taliter delinquentem, prout tanti facinoris enormitas exegerit et facultas ei affuerit, non duxerit puniendum, eo ipso subjaceat ecclesiastico interdicto. et nihilominus praeter dictam urbem pontificali ut supra fit mentio eo ipso sit dignitate privata non obstantibus privilegiis quibuscunque.

Volumus insuper, quod in fine cujuslibet concilii generalis hoc decretum solemniter publicetur necnon quandocunque et ubicunque Romani pontificis electio imminebit facienda ante ingressum conclavis legatur et publice intimetur.

III. *De professione facienda per papam.* Quanto Romanus pontifex eminentiori inter mortales fungitur potestate, tantum clarioribus ipsum decet fidei vinculis et sacramentorum ecclesiasticorum observandis ritibus alligari. ea propter ut in futuro Romano pontifice in suae creationis primordiis singulari splendore luceat plena fides, statuimus et ordinamus, quod deinceps quilibet in Romanum pontificem eligendus antequam sua electio publicetur coram suis electoribus publice confessionem et professionem faciat infra scriptas:

In nomine sanctae et individuae trinitatis, patris et filii et spiritus s., amen. anno a n. d. MCCCCXVII. indictione X. etc. ego N. electus in papam omnipotenti deo, cujus ecclesiam suo praesidio regendam suscipio, et b. Petro apostolorum principi corde et ore confiteor et profiteor quamdiu in hac fragili vita constitutus fuero me firmiter credere et tenere sanctam fidem catholicam secundum traditiones apostolorum generalium conciliorum et aliorum sanctorum patrum, maxime autem sanctorum VIII. conciliorum universalium, videlicet primi Niceni secundi Constantinopolitani tertii Ephesini quarti Chalcedonensis quinti et sexti item Constantinopolitani et septimi item Niceni octavi quoque Constantinopolitani necnon Lateranensis Lugdunensis et Viennensis generalium etiam conciliorum: et illam fidem usque ad unum apicem immutilatam servare et usque ad animam et sanguinem confirmare defensare et praedicare ritumque pariter sacramentorum catholicae ecclesiae canonice traditum omnimodo prosequi et observare. hanc autem confessionem et professionem meam per notarium scriniarium S. R. E. me jubente scriptam propria manu subscripsi et tibi omnipotenti deo pura mente et devota conscientia super altare N. sinceriter offero in praesentia talium ac talium. actum etc. [l. c. pag. 120—126.]

189. PIUS IV. (1559—1565.)

* *Magnum Bullarium romanum.* Tom. II. p. 97. Hinschius, *Kirchenrecht.* T. I. p. 274.

Ordinationes pro tempore Sedis Apostolicae vacantis, circa electionem Summi Pontificis et observantiam Conclavis. Declarationesque iurisdictionum Collegii S. R. E. Cardinalium, Camerarii, et Clericorum Camerae, Maioris Poenitentiarii, Datarii, Prafectorum et Praelatorum Signaturae Gratiae et Iustitiae et Custodum Conclavis.

In eligendis Ecclesiarum Praelatis, quibus et humana, et divina ministeria committuntur, quantam adhiberi curam oporteat, testantur Patrum nostrorum sacratissimae constitutiones, quas illi magna severitate de Episcoporum, et aliorum Praelatorum qualitate ediderunt, propterea quod a bonis bona omnia, videlicet charitas, vigilantia, ecclesiastica disciplina, denique animarum eis commissarum salus proficisceretur, a malis vero contra, non nisi mala, nempe avaritia, negligentia, fastus, et animarum periculum possit expectari. Quod si in quibuslibet Ecclesiarum Pastoribus tantopere providendum est, ne quis assumatur indignus, majorem certe, et perspicaciorem diligentiam in Romano Pontifice eligendo, qui ceteris Pastoribus est praefuturus, et totius Dominici gregis curam habiturus, oportet adhiberi.

§ 1. Hac sancta meditatione permoti praedecessores nostri, et praesertim fel. rec. Alexander III. Gregorius X. Clemens V. Clemens VI. et Julius II, nonnullas constitutiones sanxerunt ad providendum, ut summorum Pontificum electiones libere, et recte, et mature fierent. Sed quoniam res humanae semper in deterius prolabuntur, nisi sit qui eas assidue retineat et conservet, verendumque sit ne aliquando propter earum constitutionum transgressionem suborti abusus longius serpant, et progrediantur.

§ 2. Nos quantum cum Deo possumus futuris casibus, et periculis occurrere volentes, eorumdem praedecessorum nostrorum constitutiones, tum innovando, tum declarando, et pro rerum et temporum necessitate supplendo, de Fratrum nostrorum unanimi consilio atque assensu definimus, statuimus, et declaramus, ut cum Pontificem de hac vita migrare contigerit, Cardinales praesentes decem tantummodo diebus, juxta dicti Gregorii praedecessoris constitutionem in Concilio Lugdunensi editam, Cardinales absentes expectare teneantur, et interim solitas novem continuorum dierum exequias omnino peragant, nec ullo praetextu ulterius differant. Et ne quid impedimento esse possit quo minus exequiae ipsae nono die absolvantur, si quando per observantiam alicujus magni impedimenti, et praecipui festi Cardinalibus videretur officium exequiarum intermitti debere, dies ilii sic intermissi in numerum novem dierum nihilominus computari debeant, et impensa quae in eis pro exequiis facienda esset, inter pauperes Christi distribuantur. Ac ut superfluis quoque sumptibus, qui jam in immensum excreverunt, modus imponatur, funus simplicius quam consue-

verit fiat, ita ut illius ratione (praeter regalia Populo Romano praestari solita) decem millium ducatorum summam, pannis lugubribus, et regalibus tam Camerarii, et Clericorum, ac aliorum Cameralium, quam aliorum quorumcumque Ministrorum, et Officialium, ac aliis omnibus omnino computatis, impensa non excedat. Summa autem decem millium hujusmodi, vel si Collegio visum fuerit etiam minor, aut nullo modo major, per tres Cardinales antiquiores, unum videlicet de quolibet ordine, et Camerarium proportionabiliter pro rata distributionis alias fieri solitae, inter praedictos omnes, et singulos dividatur.

§ 3. Lapsis vero decem diebus a die obitus Pontificis, ingressus Conclavis nullatenus prorogetur aut differatur, sed sequenti die Missa de Spiritu sancto celebrata, sive Cardinales absentes venerint, sive non, qui fuerint praesentes statim Conclave ingredi teneantur, et ingredientes ipsi absque mora aliqua omissa omnino Capitulorum confectione primis diebus fieri solitorum, in electionis negotio procedant, et singulis diebus scrutinium fiat, et in primo scrutinio etiam accedere liceat.

§ 4. Si qui vero forte intrare noluerint, vel ingressi absque manifesta infirmitatis causa juramento Medicorum, et a majori parte Cardinalium per secreta suffragia approbata exiverint, dictae constit. Gregorii poenam incurrant.

§ 5. Declarantes nihilominus, quod postquam Cardinales praesentes, aliis Cardinalibus etiam de latere Legatis, aut ex alia quacumque etiam publica causa, etiam cum licentia summi Pontificis absentibus ulterius non expectatis, post tamen lapsum dictorum decem dierum a morte Pontificis, electionem sive intra, sive extra Conclave fecerint, electio sic ex itineris, aut alterius etiam probabilis, et notorii ipsorum Cardinalium absentium impedimenti praetextu impugnari minime valeat, quum publica utilitas ex matura electione proveniens cuivis alteri rationi praeferri debeat.

§ 6. Sedis autem vacatione durante, Collegium Cardinalium in iis quae ad Pontificem maximum dum viveret pertinebant, nullam omnino potestatem aut jurisdictionem habeat, neque gratiam neque justitiam faciendi, aut factam per Pontificem mortuum executioni demandandi, sed ea omnia futuro Pontifici reservare teneatur. Neque de statu temporali Romanae Ecclesiae, neque de pecuniis Camerae Apostolicae aut Datarii, vel pro solutione debitorum ante obitum Pontificis quomodolibet contractorum, aut alias ex quavis causa (casibus infrascriptis dumtaxat exceptis) quicquam disponere, nec contra dictam Gregorii constitutionem pro seipsis aliquid percipere, nec aes alienum ultra necessarios sumptus praesentibus comprehensos contrahere debeant, neque Camerarius, Thesaurarius, Datarius, Depositarius, Castellanus Arcis S. Angeli, aut alii Officiales contra harum constitutionum tenorem, Collegio obedire teneantur. sive debeant, quinimmo si eis in talibus obtemperaverint, aut ipsi Cardinales, vel Officiales ex eorum

Officiis contra praemissa aliquid attentare praesumpserint, de suo proprio Camerae Apostolicae plenarie satisfacere, et pecunias erogatas restituere, ac quaevis damna ad eligendi Pontificis arbitrium resarcire cogantur. Quod autem expendi possit erit praefata decem millium ducatorum summa. Illud item quod pro victu familiae Pontificiae ante Conclavis ingressum, ac post ingressum pro pauperum Officialium palatii tantum per Camerarium, et Priores Ordinum describendorum victu, ac etiam pro eleemosynis Sede vacante fieri consuetis. Itemque pro defensione Terrarum Ecclesiae, vel partis earum. Necnon pro regalibus Populo Romano, et illius magistratibus, ac custodia Urbis, et Conclavis, illiusque provisionibus opportunis necessarium erit. Quae vero impensa pro defensione Terrarum, et locorum Ecclesiae et securitate, ac provisionibus Conclavis facienda sit, Cardinales praesentes per secreta suffragia ordinare debent, ita ut majores partis sententia obtineant id quod observandum erit, etiam in Gubernatoribus Urbis, tam ultra pontem, quam citra, et aliis Officialibus, etiam pro status Ecclesiastici regimine si opus fuerit eligendis. Si vero ultra praedicta aliquod grande periculum immineret, cui omnibus et singulis Cardinalibus praesentibus juxta Ordinationem Gregorii X. aut saltem duabus illorum tertiis partibus per secreta suffragia videretur celeriter occurrendum, tunc Collegium juxta majoris partis sententiam similiter per secreta suffragia de remedio opportuno, ac provide de necessaria impensa providere possit et debeat.

§ 7. Statuimus etiam quod tres Cardinales antiquiores, unus videlicet ex quolibet ordine, una cum Camerario post Pontificis obitum, reliquos Cardinales congregandi, et occurrentes necessitates in congregationibus generalibus proponendi, et ut conclave bene undique claudatur curandi jus habeant.

§ 8. Ipsorum autem officium tertia die post Conclavis ingressum omnino expiret, eorumque loco tres alii sequentes in ordine, quolibet tertio quoque die, cum eodem Camerario in eadem potestate succedant.

§ 9. Camerarii quoque et Majoris Poenitentiarii officia, quae etiam Sede vacante durante, ita durare decernimus, et declaramus, ut non solum ea quae praesenti constitutione prohibentur, et quae Pontifice vivente exercere non consueverunt, seu a quibus pro ejusdem Pontificis reverentia, aut alias quomodolibet abstinebant, minime usurpent, sed Camerarius, ac Praesidentes, et Clerici, aliique Ministri, et Officiales Camerae Apostolicae exactioni pecuniarum eidem Camerae debitarum, ac provisionibus ratione Sedis vacantis juxta praemissa necessario faciendis dumtaxat incumbere, et propterea a solutione debitorum ante Pontificis obitum contractorum, aut illorum declaratione, rationum solidatione, extractionibus frumentorum, remissionibus delictorum assecutionibus delinquentium, et quibuscumque aliis expeditionibus tam gratiam, quam justitiam, aut illarum executionem quomodolibet concernentibus abstinere debeant.

§ 10. Poenitentiarius vero, et ejus Officiales ea tantum facere et expedire valeant, quae ad forum conscientiae pertinent, in reliquis officium eorum conquiescat. Itaque a quibuscumque matrimonialibus, et aliis dispensationibus, ac absolutionibus, et declarationibus, necnon quibusvis aliis expeditionibus forum, quod ajunt, fori mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus omnino abstineant. Alioquin in quibus tam Camerarius Poenitentiarius, et alii praedicti, etiam de licentia aut mandato totius Collegii contrafecerint, ea nulla, et irrita sint, ac nemini suffragentur. Et nihilominus eorum excessus, et inobedientiae rationem, Pontificis arbitrio quandocumque reddere teneantur. Litteris etiam nostris super reformatione Camerae, et Poenitentiariae hujusmodi editis in suo robore permansuris.

§ 11. Datarii vero ministerium per ejusdem Pontificis obitum omnino expiret, ita ut non solum datas per eum antea notatis extendendi potestatem minime habeat, sed quascumque supplicationes gratiarum, et justitiae penes eum, aut ejus ministros adhuc existentes etiam si datae fuerint, Collegio Cardinalium statim sub sigillo clausas praesentare teneantur futuro Pontifici reservandas. Quod si contra praemissa quicquam ad cujusvis etiam Cardinalis instantiam attentare praesumpserit, irritum, et inane existat, et nihilominus falsi crimen incurrant, illius rationem futuro Pontifici redditurus.

§ 12. Prohibentes insuper ne Cardinales, et Praelati Signaturae gratiarum, et justitiae praefecti Sede vacante supplicationes, et commissiones aliquas, etiam si supplicantes, parvas datas, ut moris est antea obtinuerint, signare valeant, sed officia eorum omnino cessare intelligantur. Quod si aliter fecerint, pro excessibus hujusmodi futuri Pontificis arbitrio puniantur.

§ 13. Mandamus quoque quod Cellae conclavis Cardinalibus sorte distribuantur, nec liceat eas etiam infirmitatis praetextu mutare, aut desuper aedificare, aut illas dilatare sed quilibet, etiam Decanus, sit sua sorte contentus.

§ 14. Post Conclavis vero ingressum interdicimus, et expresse prohibemus sub officiorum, et beneficiorum privationis poena, atque etiam sub alia arbitrio Gubernatoris ad custodiam Conclavis deputari soliti infligenda, ne quis immediate supra aut infra Conclave, seu a lateribus habitare vel morari possit. Quae loca muris claudi, et a Praesidentibus custodiae Conclavis, ac a dicto Gubernatore saepius visitari debeant. Et si qua fraus commissa fuerit, teneatur ipse Gubernator sub perjurii poena eo ipso incurrenda, et alia futuri Pontificis infligenda, delinquentes hujusmodi Cardinalibus pro tempore deputatis revelare, curareque, ut delinquentes ipsi carcerentur, et acriter puniantur.

§ 15. Teneantur quoque Cardinales pro tempore deputati Cellas Cardinalium, et alia Conclavis loca saepius visitare, et diligenter perquirere ne ipsius Conclavis muris, aut laquearibus, seu pavimentis vetita foramina

fiant. Et si quid tale deprehensum fuerit, auctores privationis officiorum, et beneficiorum, ac aliis etiam corporalibus, et severissimis poenis, Gubernatores ac etiam futuri Pontificis arbitrio afficiantur, et conscii de praemissis eisdem poenis teneantur, nisi statim, si intra Conclave fuerint, eisdem Cardinalibus deputatis, si vero extra Conclave, Gubernatori et Praelatis praepositis revelaverint. Qui quidem Gubernator, et Praelati sub perjurii poena in hoc invigilare, et opportune providere debeant.

§ 16. Quilibet autem Cardinalis in Conclavi duobus servientibus, Clericis vel Laicis contentus sit. Infirmis autem, et graviter affectis a majori parte Collegii per secreta suffragia tertius ad summum indulgeri possit.

§ 17. Qui servientes familiares domestici, et continui commensales ipsius Cardinalis, et ab anno ante fuisse, et tunc esse debeant, et non mercatores ministri Principum, Domini temporales et jurisdictionem habentes, neque fratres, aut nepotes Cardinalium, etiamsi expensis eorum viverent. Et de qualitatibus Conclavistarum Cardinales deputati ante Conclavis ingressum diligenter inquisitionem habere, et eos approbare, ac post ingressum denuo diligenter providere debeant.

§ 18. Sacrista quoque cum uno clerico coadjutore in officio Sacristiae; duo quoque Magistri caeremoniarum Conclave ingrediantur Missis celebrandis, et aliis quae ad ipsos pertinent vacaturi. Adsit praeterea unus Religiosus pro Confessionibus audiendis a majori parte Cardinalium per secreta suffragia eligendus; unus Collegii Secretarius tantum; duo Medici; unus Chirurgus; unus Aromatarius, cum uno aut duobus servientibus; unus Faber lignarius; unus Cementarius; duo Barbitonsores, cum uno aut duobus servientibus. Item octo aut decem servientes publicae utilitati, et commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, pro verrendo Conclave, et similibus necessariis ministrandis, qui omnes a Collegio Cardinalium, non tamen ex familia alicujus Cardinalis, per fabas secretas eligantur, ita tamen ut is obtineat, qui plura vota tulerit, et eis salaria de publico persolvantur. Quod si ultra praefatas personas, in Conclavi aliquis inventus fuerit, expelli statim debeat. Et si quis uspiam deoccultasse comprehendatur, ignominiose expellatur, et infamia notetur et officiis atque beneficiis privetur, conscii vero sub eadem poena illos Collegio revelare teneantur, praemium reportaturi si indicaverint.

§ 19. Clauso Conclavi nulli ad colloquium etiam extra portam Conclavis etiam Principum Oratores, nisi ex magna et urgenti causa a majori parte Collegii approbanda admittantur. E si quis forte, quod absit, clam ipsum Conclave, et aliunde quam per ostium ingrediatur, omni honore, gradu, ac officio, et beneficio ipso facto privatus existat, et tradatur Curiae saeculari acerrimis poenis puniendus.

§ 20. Litteras vero aut cujusvis generis scripta ad eos, qui in Conclavi erunt, seu nuncium, vel notam, aut signum mittere, seu recipere, aut

contra, e Conclavi ad eos qui foris erunt, ullo modo liceat, qui contrafecerint quacumque dignitate etiam si Cardinalatus honore praefulgeant, poenae excommunicationis latae sententiae subjaceant, absolvendi facultate, praeterquam in mortis articulo, soli Pontifici Maximo reservata, a quo nihilominus pro qualitate delicti ultra dictam excommunicationis poenam puniendi erunt.

§ 21. Prohibentes etiam super futura electione Pontificis sponsiones, quas excommissas vocant, fieri, et si forte contra praesentium tenorem factae fuerint, illas nullas, et irritas, in judicio et extra fore et omnino censeri, et contrafacientes, ac proxenetas arbitrio Gubernatoris, et futuri Pontificis puniri debere decernimus.

§ 22. Cardinales autem primo ipso die quo Conclave ingressi fuerint, tam in prandio, quam in coena uno solo ferculo unius speciei tantum, eoque moderato, et alias juxta constitutionem praefati Clementis VI. qualificato contenti sint, et esse debeant, nec quisquam in alterius Cella, vel de alterius ferculo vescatur.

§ 23. Praelati quoque ad custodiam Conclavis deputati sub poena perjurii, et suspensionis a divinis, maxima, et exquisita diligentia utantur in inspiciendis, ac praescrutandis epulis, et aliis rebus ac personis Conclave intrantibus, et de eo exeuntibus, ne sub earum rerum velamine litterae aut notae, vel signa aliqua transmittantur. Quod si tale quid inventum fuerit, familiares Cardinalium aut alii delinquentes poenam privationis officiorum, et beneficiorum, ac inhabilitatis ad obtenta, et obtinenda incurrant. Et ulterius per Gubernatorem carceribus mancipentur, exinde nisi de mandato novi Pontificis minime relaxandi, sed ejus arbitrio acrius punendi, omni facultate Collegio Cardinalium in favorem quorumcumque qui in praemissis vel eorum aliquo deliquerint, omnino interdicta.

§ 24. Conclavistae vero, et quicumque alii servientes Conclavi ex causa infirmitatis manifestae, et notabili, a Medicis medio juramento probatae, et de consensu deputatorum, quorum etiam conscientiam desuper oneramus, et non aliter exituri, nullo modo reverti possint, sed eorum loco alii eodem prorsus tempore quo infirmis exibunt, ingrediantur.

§ 25. Statuimus etiam, et declaramus, quod si forte aliquis Cardinalis saltem in Diaconatus ordine constitutus non fuerit, is nullatenus ad eligendum admitti debeat.

§ 26. Cardinales autem per viscera misericordiae D. N. Jesu Christi enixe rogamus, et hortamur, ac eis nihilominus sub divini interminatione Judicii praecipimus, et mandamus, ut attendentes magnitudinem ministerii quod per eos tractatur, in dandis suffragiis, ac aliis omnibus et singulis electionem quomodolibet concernentibus, omni dolo ac fraude, factionibus, et animorum passionibus remotis, ac Principum saecularium intercessionibus, ceterisque mundanis respectibus minime attentis, sed solum Deum prae

oculis habentes, sese pure, libere, sincere, quiete, et pacifice gerere, et habere debeant. Nec pro ipsius Pontificis electione, conspirationes, condicta, pactiones, et alios illicitos tractatus, inire, signa, aut contrasigna votorum suorum alteri dare, minasve aliquibus inferre, tumultus excitare, aut alia facere per quae electio retardetur, vel minus libere suffragia praestentur per se vel alium, directe vel indirecte, quovis colore vel ingenio, audeant vel praesumant. Quod si secus fecerint, aut contra prohibita in praesenti constitutione aliquid admiserint, ultra divinam ultionem, arbitrio futuri Pontificis pro modo culpae in eos quandocumque animadverti possit.

§ 27. Quia vero parum esset jura condere, nisi forent qui executioni ea demandarent, statuimus, et ordinamus, ut Praelati, Rectores, Officiales Urbis, ac Principum Oratores, illustres viri, quos omnes a Collegio pro custodia Conclavis eligi continget (eligere autem Collegium debebit eos qui ad id magis idonei videbuntur) praemissa omnia plene et inviolabiliter, ac sine fraude et dolo aliquo observari faciant, de quo corporale juramentum coram ipso Collegio ante ingressum Conclavis, et quoties opus fuerit, praestare teneantur, quae quidem nisi fecerint, vel si in eis dolum et fraudem commiserint, praedictas poenas, et ceteras in dicta constit. Greg. X. contentas incurrant.

§ 28. Volumus autem neque per Praelatos, neque per Rectores, aut Officiales praefatos ultra quam praemittitur, Cardinales arctari, neque praesentes has nostras constitutiones per Collegium Cardinalium ullo modo alterari, corrigi, aut immutari posse, sed illas coram omnibus de verbo ad verbum in prima congregatione post obitum Pontificis fieri solita, et deinde post Conclavis ingressum legi, et jurari, eo modo quo leguntur et jurantur constit. Julii II. et aliorum praedecessorum nostrorum, quorum constitutionibus, et poenis in eis contentis ultra praemissa per hanc nostram constit. derogare non intendimus, sed magis eas confirmare, innovare, et comprobare.

§ 29. Et ne dissensionis occasio, aut schismatis oriatur, volumus, censurarum, et excommunicationum praefatarum, et aliarum quarumcumque praetextu, Cardinales a Pontificis electione, active vel passive excludi nullo modo posse, quas quidem excommunicationes, et censuras ad electionis effectum tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus, et suspensas esse volumus, et declaramus. Decernentes quoque excommunicationes, et censuras ipsas eum solum afficere, qui deliquerit, non autem alios Conclavi durante cum eo conversantes.

§ 30. Ac praesentes nostras ubicumque electionem summi Pontificis etiam extra Urbem fieri contigerit, locum habere, et observari debere.

§ 31. Ac insuper illas in valvis basilicae principis Apostolorum, et Cancellariae Apostolicae, ac in acie Campi Florae per aliquos Cursores nostros legi, et publicari, ac illorum copiam ibidem affixam dimitti, et dein-

ceps omnes, et singulos Cardinales etiam absentes, praesentes et futuros, et alios quoscumque quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, afficere, et ligare, nullumque earum ignorantiam praetendere posse, ac si eis personaliter intimatae forent, praemissis ac aliis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis non obstantibus quibuscumque.

§ 32. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc etc.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae 1562. septimo Idus Octobris, Pontificatus nostri Anno tertio. [l. c. pag. 97—99.]

190. GREGORIUS XV. (1621—1623).

De electione Pontificis.

* *Bullarium Romanum.* Ed. Taurinensis. Tom. XII. p. 619. Ranke, *Die röm. Päpste.* Tom. II. p. 214 segg. Wahrmund, *Das Ausschliessungsrecht (ius exclusivae).* Wien 1888. Idem, *Beiträge zur Geschichte des Exclusionsrechtes bei den Papstwahlen (Sitzungsberichte der k. k. Akademie der Wissenschaften.* Phil.-histor. Classe CXXII. Wien 1890). Idem, *Die Bulle «Aeterni patris filius» und der staatliche Einfluss auf die Papstwahlen. (Archiv für kathol. Kirchenrecht.* 1894. p. 201 segg. Sägmüller, *Das Recht der Exclusive in der Papstwahl* (ibidem 1895. p. 193 segg.) Pivano, *Il* veto *od* esclusiva *nell' elezione del Pontefice (Studi ..... in onore di V. Scialoja.* Milano 1905). Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 274. Friedberg, *Lehrbuch.* § 59. Sägmüller, *Lehrbuch.* § 87.

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Aeterni Patris Filius, magister et legislator noster, Christus Dominus, cuius omnis actio nostra est instructio, licet portaret omnia verbo virtutis suae, nec esset quicquam absconditum ab oculis eius, tamen priusquam ad apostolatus munus duodecim apostolos eligeret et nominaret, quod alias unquam fecisse in scripturis non legimus, pernoctare voluit in oratione Dei, et antequam beato Petro ovium suarum curam committeret, tertium repetita interrogatione, trinam extare aeterni amoris eius professionem; nos scilicet erudiens, quanta diligentia, cautione et cura in omnium pastorum electione adniti debeamus, ut boni eligantur et fideles, praesertim vero in beati Petri successorem, qui orbis est lumen, doctor gentium et pastor pastorum. Quapropter satis etiam admonemur, nihil eorum, quae ad electionis Romani Pontificis negotium cautius et melius transigendum conducunt, omitti debere: salus enim non unius membri, sed totius corporis agitur, cum de capite consulitur. Igitur, etsi diversis felicis recordationis Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum et sanctorum patrum decretis salubriter provisum est, ut eius electio rite et recte peragatur, et in ea non caro et sanguis, aut humana sapientia, quae stultitia est apud Deum, dominetur, sed Spiritus Sancti gratia omnia dirigantur et gubernentur: nihilominus, ut

dies diei eructat verbum, et nox nocti indicat scientiam, experientia compertum est, salubriori remedio locum non deesse. Nos igitur, quos posuit Dominus, licet nullis suffragantibus meritis, regere Ecclesiam suam, ne in extremo die praetermissi officii in re tanti momenti a nobis ratio a districto iudice exigatur, quod multorum etiam votis et postulationibus multus expetitum est, Sancti Spiritus adspirante gratia, faciendum decernimus.

§ 1. Matura itaque cum venerabilibus fratribus nostris sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus deliberatione habita, de eorumdem fratrum consilio pariter et assensu, hac nostra perpetuo valitura constitutione; statuimus, decernimus et declaramus, in posterum electionem Romani Pontificis fieri aliter non posse quam conclavi, et eo clauso, ac post celebratum in eo prima die sacrosanctum missae solitum sacrificium, cui cardinales interesse, et in eo communicare consueverunt, ac per secreta schedarum suffragia duarum ex tribus partibus cardinalium in conclavi praesentium; praeterquam si omnes et singuli cardinales similiter in conclavi praesentes, nemine dissentiente, aliquibus ex eorumdem collegio cardinalium committerent eligendi potestatem, ut vice omnium Ecclesiae Catholicae providerent de pastore; aut nisi communiter ab omnibus et singulis cardinalibus, qui itidem in conclavi praesentes erunt, nemine pariter dissentiente, quasi per inspirationem, nullo praecedente de persona speciali tractatu, per verbum *Eligo,* intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce fieri non potuerit, expressum, fuerit celebrata.

§ 2. Numerum autem suffragiorum duarum ex tribus partibus cardinalium in conclavi praesentium, ut electio per viam scrutinii, sivi scrutinii et accessus valida sit, decernimus et declaramus ita esse censendum, ut in duabus tertiis partibus suffragium electi non numeretur, nec quisquam, sive scrutinii, sive scrutinii et accessus, sive compromissi via procedatur, se ipsum eligere, seu suffragium sibi dare ullatenus possit. Electi tamen persona, si in conclavi sit, debeat in numerum cardinalium computari.

§ 3. Rursus nemo per viam scrutinii, seu scrutinii et accessus habeatur pro electo, nisi publicatis omnibus suffragiis, et electi, si numerum tantummodo duarum ex tribus partibus habuisse compertum sit, etiam schedulis apertis.

§ 4. Ac si contingat plures in schedulis nominatos duas tertias partes suffragiorum tulisse, in suffragiorum paritate neuter, sit electus, in imparitate vero, qui numero suffragiorum superior erit, dummodo duas tertias partes, etiam in uno suffragio, excedat, electus censeatur.

§ 5. Insuper in unoquoque scrutinio, antequam schedula in calicem mittatur, a quolibet cardinale iuramentum alta et intelligibili voce fiat his verbis: *Testor Christum Dominum, qui me iudicaturus est, me eligere quem secundum Deum iudico eligi debere, et quod idem in accessu praestabo.* Et hoc iuramentum a nullo omittatur.

§ 6. Suffragiorum autem schedulae huiusmodi, tam scrutinii quam accessus, ubi fieri potuerit, impressae omnino esse debeant; ubi non potuerit, unius tantum manu scriptae sint, ita videlicet, ut tam impressae, quam ita scriptae, ea omnia, quae in schedulis huiusmodi exprimi solent, contineant, praeter sola nomina seu denominationes eligentis et electi, et infrascripta signa, quae omnia manu eiusdem eligentis scribantur; et nomen quidem eligentis in prima parte schedulae, electi vero in sequenti, et rursus electi, quantum fieri poterit, charactere alterato, ita ut cognosci non possit: eaque schedulae pars, in qua erit eligentis nomen, claudetur, ac sigillo ad hoc parato, ac secrete habito, non autem eo quo quisque uti solet, obsignetur. Ut autem videri possit, ne, qui alicui accessit, eidem in scrutinio suffragium dederit, schedulae omnes duobus aliis signis in ultima parte signentur, numero nempe aliquo, et brevi dicto sacrae scripturae, vel alio huiusmodi, quae signa in utraque schedula, tam scrutinii quam accessus, eadem sint.

§ 7. Postea vero pars illa schedulae, ubi haec signa erunt, etiam complicetur et obsignetur, ne a scrutatoribus videri possit, nisi postquam fuerit per scrutinium et accessum electio perfecta; quo casu schedulae accessus a scrutatoribus ea in parte, ubi duo praedicta sunt signa, aperiantur; iisque inspectis et earum sigillis, aliae schedulae cum iisdem signis notatae et in scrutinio datae reperiantur, ut videlicet an duo haec signa et sigillum eadem sint cognoscatur, et inde duo suffragia ab eodem cardinali uni data non fuisse appareat.

§ 8. At si inter schedulas scrutinii nulla reperietur iisdem signis notata, quibus schedula accessus signata erit, aut si quis eidem accesserit, quem in scrutinio nominaverit, utroque casu suffragium accessus nullum sit. Subscriptio autem, seu nomen eligentis, resignari non possit, nisi contingat, ut sigillum et alia duo praedicta signa sint eadem cum signis et sigillo alicuius alterius cardinalis, aut alia difficultate cogente.

§ 9. Quod autem attinet ad nomen electi, illud eo modo a cardinalibus scribatur, quomodo in folio impresso, ubi in conclavi notari suffragia solent. Praeterea, ut secreto cautius consulatur, schedulae suffragiorum conficiantur una seu pluribus in mensis in media cappella constitutis, it, a cardinalibus remotis et circumspectis, ut quid scribatur ab aliis videri non possit. Si quis vero ad mensam accedere, impeditus valetudine non poterit, is suffragium suum in loco suo secrete conficere debeat, et ad illud accipiendum ultimus scrutatorum accedat.

§ 10. Et ut accessus secrete etiam peragatur, scrutinio publicato, si electio per consensum duarum partium in eo non fuerit celebrata, statim, antequam ad alios actus deveniatur, cardinales schedulam pro accessu formatam praedictis in mensis conficere, sicut in scrutinio, teneantur. Porro usus schedularum pro accessu talis erit. Qui accedere alicui ex nominatis

in scrutinio voluerit, eius nomen scribet, qui vero noluerit, ne cognosci possit eum nulli accedere, in loco nominis scribat *nemini.*

§ 11, Nulli autem, tam in schedula scrutinii quam accessus, plures nominare liceat, alioquin suffragium, in quo plures fuerint nominati, nullum sit; accedere tamen uni ex nominatis a se in dicta schedula, vel alii dummodo aliquod aliud suffragium in eodem scrutinio tulerit, non prohibeatur, et in numerum cardinalium in conclavi praesentium numeretur.

§ 12. Neque in quolibet scrutinio nisi semel accedere liceat, neque per accessum ab alterius nominatione in scrutinii schedula facta recedi, decernimus et declaramus.

§ 13. Insuper antequam schedulae, sive scrutinii sive accessus, a scrutatoribus aperiantur, omnes ab iis diligentissime palam numerentur, et si plures repertae fuerint, quam sint cardinales in conclavi praesentes, omnes comburantur, et iterum ad suffragia statim deveniatur.

§ 14. Si quis autem aliquid ex supra expressis non servaverit, aut quomodocumque directe vel indirecte in aliquo contravenerit, sententiam excommunicationis ipso facto incurrat.

§ 15. Praeterea statuimus et ordinamus, quod si aliquem infirmitas impediverit ad scrutinium venire, ad eum adire debeant tres cardinales, sorte ante scrutinium, ut infra, ad hanc rem ex omnibus cardinalibus per ultimum diaconorum extracti, cum capsula praeforata, sed inani, et palam a scrutatoribus clausa, cuius clavis super altare remaneat, et schedulam impressam illi deferre, ipseque illam, sicut alii cardinales, praevio iuramento suprascripto, secrete conficere teneatur, deinde in capsulam coniiciat, eaque per eosdem cardinales relata et aperta, in calicem schedula mittatur. Publicato deinde scrutinio, si accessus agendus erit, ut etiam infirmi accedere possint, unum ex foliis, in quibus nomina cardinalium, et suffragiorum numerus notantur, a tribus cardinalibus praedictis sumatur, et palam recognito numero suffragiorum, quae quisque in scrutinio tulerit, ad infirmum una cum alia impressa schedula, pro accessu parata, et cum eadem capsula ab iis deferatur. Infirmus vero alicui accedere, vel nemini accedere debeat, omniaque et singula serventur, quae de scrutinii schedula supra ordinata sunt, sub eadem excommunicationis latae sententiae poena. At si quis scribere valetudine impeditus, per alium, praevio iuramento ab eo qui scribet praestando de servando secreto, quod sub eadem excommunicationis poena servari mandamus, subscribere libere possit.

§ 16. Ad haec scrutatores tres, sicut et tres alii cardinales, qui ad infirmorum suffragia deferenda proficiscentur, ex omnibus cardinalibus praesentibus in conclavi, nulla ordinis servata distinctione, immediate ante quodlibet scrutinium per ultimum diaconorum extrahantur, et qui semel extracti fuerint in vas iterum coniiciantur; alioquin si quis contrafecerit, sicut si scrutatores vel recognitores aliquid secreti in exercendo suo officio cogno-

verint et illud revelaverint, eamdem latae sententiae excommunicationem incurrant. Finito scrutinio et accessu, sive electio sequuta sit, sive non sit, tres alii cardinales, sorte pariter, ut supra, extrahendi, schedulas omnes recognoscere debeant, sigillo tamen et duobus aliis signis, si aperta non fuerint, intactis remanentibus. Quae omnes et singulae schedulae, sive sequuta sive non sequuta electione, postmodum statim palam comburantur.

§ 17. Similiter, ne electio protrahatur, statuimus et ordinamus, ut sub simili excommunicationis poena eo ipso incurrenda, scrutinium bis singulis diebus peragatur, ita ut etiam perficiatur, mane scilicet post solitam missam, et prima quidem die tantum post cardinalium sacram peractam communionem, et pomeridiano tempore hora opportuna post hymnum *Veni Creator Spiritus* et orationem de Spiritu Sancto: idemque si compromissi via eligatur, observari debeat: atque ad scrutinium, cum tertium pulsata per loca solita conclavis campanula de more fuerit, omnes et singuli cardinales convenire debeant, valetudine non impediti, sub eadem excommunicationis latae sententiae poena.

§ 18. Cardinales praeterea omnino abstineant ab omnibus pactionibus, conventionibus, promissionibus, intendimentis, condictis, foederibus, aliisque quibuscumque obligationibus, minis, signis, contrasignis suffragiorum seu schedularum, aut aliis, tam verbo, quam scripto, aut quomodocumque dandis aut petendis, tam respectu inclusionis, quam exclusionis, tam unius personae, quam plurium, aut certi generis, veluti creaturarum, aut huiusmodi, seu de suffragio dando, vel non dando: quae omnia et singula, si de facto intervenerint, etiam iuramento adiecto, nulla et irrita, neque ad eorum observantiam quemquam teneri aut ex transgressione notam incurrere fidei non servatae decernimus et declaramus, et contrafacientes ex nunc excommunicationis poena innodamus: tractatus tamen pro electione habendos vetare non intelligimus.

§ 19. Quod si electio huiusmodi alibi celebrata fuerit, quam in conclavi clauso, vel aliter quam per secreta schedularum suffragia duarum ex tribus partibus cardinalium in conclavi praesentium in scrutinio, seu scrutinio et accessu, electi suffragio non computato, vel per viam compromissi, ab omnibus cardinalibus similiter in conclavi praesentibus, nemine dissentiente, initi, et ita ut nemo seipsum elegerit, vel quasi per inspirationem nullo praecedente de persona speciali tractatu, omnium pariter cardinalium praesentium in conclavi communiter, nemine itidem dissentiente, per verbum *Eligo,* intelligibili voce prolatum, aut scripto, si voce non potuerit, expressum, nulla sit et invalida eo ipso, absque ulla declaratione, et ita electo nullum ius tribuat: quin immo is non apostolicus sed apostaticus sit et habeatur; et tam ipse, quam eligentes, eiusque fautores et complices sententiam excommunicationis et anathema, aliasque censuras et poenas, invasoribus Sedis Apostolicae a sacris canonibus et constitutionibus aposto-

licis impositas, pariter ipso facto incurrant, a qua, sicut ab alia quacumque in hac constitutione imposita et irrogata, seu infra imponenda et irroganda poena excommunicationis, tam ipsi quam quilibet alius, sive S. R. E. cardinalis, sive alia persona cuiuscumque gradus, conditionis, dignitatis et praeeminentiae, a nullo, neque etiam a maiori poenitentiario, cuiuscumque facultatis vigore, praeterquam a Romano Pontifice, nisi in mortis articulo absolvi possit, et tam ipse, eiusque complices et fautores, quam alii quicumque etiam S. R. E. cardinales huius Constitutionis in aliquo transgressores, aliis gravissimis poenis teneantur, futuri Pontificis canonice intrantis arbitrio irrogandis.

§ 20. Postremo statuimus et districte praecipiendo mandamus, ut S. R. E. cardinales, quaecumque secretum violare quomodolibet poterunt, omnia evitare et cavere omnino teneantur, cum intentio et mens nostra sit quod electionis huiusmodi tam sanctum negotium, si fiat per scrutinium, seu scrutinium et accessum, ut praefertur, secretissime transigatur, ac proinde iisdem omnibus et singulis S. R. E. cardinalibus et eorum sacro collegio inhibemus, ne contra haec vel horum aliquod statuere, disponere, vel ordinare, seu in aliquo corrigere, alterare, mutare, seu aliquo modo facere, tractare, moliri, vel attentare praesumant, quovis praetextu, causa, vel exquisito colore, sub eadem excommunicationis poena ipso facto incurrenda.

§ 21. Ut autem huiusmodi nostra constitutio inviolabilius observetur, tres cardinales, qui singulis diebus congregationibus agendis praepositi sunt, et cum iis S. R. E. camerarius illam in omnibus et per omnia observari procurent et faciant.

§ 22. Volumus etiam et decernimus, censurarum et excommunicationum praedictarum et aliarum quarumcumque praetextu vel causa cardinales a summi Pontificis electione activa et passiva excludi nullo modo posse, quas quidem censuras et excommunicationes ad effectum huiusmodi electionis tantum, illis alias in suo robore permansuris, suspendimus: decernentes easdem excommunicationes et censuras eos solum afficere, qui deliquerint, non autem alios, conclavi durante, qui cum iis conversati fuerint.

§ 23. Ceterum, etsi opus non esse in Domino confidimus, tamen pro officii nostri debito, et rei de qua agitur gravitate, admonemus, hortamur et in Domino obsecramus S. R. E. cardinales, ut attente considerent personae, quam sustinent, officium et dignitatem, quam sacrum praeterea et quanti momenti sit opus quod tractant, et nihil quod se non deceat, nihil a re alienum committant, sed cogitent, quam perniciosum futurum sit universae Ecclesiae, Christi sanguine acquisitae, si male administretur; ac proinde exuant omnes mundanas curas, et induant solum Dominum nostrum Iesum Christum, memores nihil prodesse homini si universum mundum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur. Denique animum advertant se in conclavi clausos editissima in specula constitutos esse, et factos spectaculum

Deo, et hominibus, a Domino, cuius negotium gerunt, supplicii vel gloriae sempiternae retributionem citissime laturos.

§ 24. Non obstantibus, quatenus opus sit, felicis recordationis Alexandri Papae III predecessoris nostri in concilio Lateranensi edita, quae incipit: *Licet de vitanda*, et aliorum Romanorum Pontificum praedecessorum nostrorum, etiam in conciliis generalibus promulgatis, constitutionibus et ordinationibus apostolicis, etiam in corpore iuris clausis, quibus omnibus et singulis, quatenus pariter opus sit, eorum omnium et singulorum tenores, perinde ac si ad verbum exprimerentur, pro expressis et insertis habentes, pro hac vice dumtaxat, illis alias in suo robore permansuris, specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 25. Volumus quoque, praesentes nostras coram omnibus in prima congregatione post obitum Pontificis fieri solita, et deinde post conclavis ingressum, et cum quis ad cardinalatus honorem promotus fuerit, cum aliis similibus constitutionibus legi, et iuramentum super illius observatione praestari, et ita praecipimus et mandamus.

§ 26. Quibus constitutionibus et poenis in eis contentis, nisi in superius expressis, per hanc nostram derogare non intendimus, sed eas in sui roboris firmitate relinquere. Sperantes etiam Romanos Pontifices, qui pro tempore canonice eligentur, omni studio curaturos, ut quae nostris huiusmodi et in eis salubriter statuta sunt, inviolabiliter, ac etiam, si opus fuerit, per poenarum ipsarum contra transgressores exequutionem, observentur.

§ 27. Denique volumus, easdem praesentes in valvis basilicarum sancti Ioannis Lateranensis ac Principis apostolorum de Urbe, ac cancellariae apostolicae, nec non in acie campi Florae per cursores nostros affigi et publicari, ac eorum exempla ibidem affixa dimitti, et deinde omnes et singulos cardinales, tam absentes quam praesentes, modernos et qui pro tempore erunt, et alios quoscumque, quorum interest, vel interesse poterit quomodolibet in futurum, afficere et ligare, nullamque harum ignorantiam praetendere posse, ac si eis personaliter intimatae forent; praemissis, ceteterisque contrariis quibuscumque non obstantibus.

§ 28. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statutorum, decretorum, declarationum, mandatorum, innodationis, voluntatis, admonitionis, hortationis, obsecrationis, inhibitionis, derogationis, praecepti et suspensionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae, apud sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicae MDCXXI, decimoseptimo kalendas decembris, pontificatus nostri anno I.

Dat. die 15 novembris 1621, pontif. an. I. [l. c. pag. 619—625.]

191. CLEMENS XII. (1730–1740).

* *Bullarium Romanum.* Ed. Taurinensis. Tom. XXIII. p. 443 seq. Wahrmund, *Das Ausschliessungsrecht.* p. 24 seq. Idem, *Zur Geschichte des Exclusionsrechtes bei den Papstwahlen im XVIII. Jahrhundert.* (*Archiv für kathol. Kirchenrecht.* 1902. p. 100 segg.), Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. pag. 275.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis divinae sapientiae atque clementiae altitudo humilitati nostrae, nullo licet meritorum nostrorum suffragio, committere dignata est, postulat, ut, non praesentia tantum spectantes, sed futura quoque prospicientes, in iis etiam, quae post resolutionis nostrae diem consummatumque a nobis mortalis huius peregrinationis cursum eventura sunt, per opportunas Deique gloriae ac Ecclesiae utilitati consentaneas leges dirigendis atque ordinandis, pastoralis sollicitudinis nostrae partes interponamus, sicut, omnibus diutinae considerationis trutina perpensis, in Domino expedire arbitramur.

§ 1 Sane plurimi praedecessores nostri, et praesertim recolendae memoriae Symmachus, Nicolaus II, Alexander III, Gregorius X, Clemens V, Clemens VI, Iulius II, Paulus IV, Pius IV, Gregorius XV, ac Urbanus VIII, probe intelligentes quanti ponderis et momenti sit ad dominici gregis ac catholicae Ecclesiae providum regimen electio Romani Pontificis, qui domini et salvatoris nostri Iesu Christi in terris vicarius, beatique Petri successor, ac omnium fidelium pater et pastor existit; nec unius membri, sed totius corporis salutem agi animo reputantes, cum de capite consulitur: multas diversis temporibus etiam in conciliis generalibus saluberrimas ediderunt constitutiones, quibus, omni cupiditati, ambitioni, simoniacae, alterive cuivis pravitati, turpitudini, deformitati, ac dissidiis ab eiusmodi electione praecluso aditu, summa prudentia, parique consilio providerunt, ut hoc tam sanctum, tamque grave opus pie ac rite perageretur, et in eo non caro et sanguis aut aliquis humanus affectus locum ullum sibi vendicaret, sed Spiritus Sancti gratia cuncta dirigerentur ac gubernarentur, sicque ad Christi haereditatis, quam pretioso sanguine suo quaesivit, curam et administrationem gerendam, nonnisi qui vocatus foret a Deo tamquam Aaron assumeretur: veluti quoque, de ancipiti ac Romanae et universali Ecclesiae periculoso tempore, quo illa visibili suo capite ac pastore viduata remanet, anxie solliciti dicti praedecessores, ne eadem Ecclesia multiplicibus longae vacationis exponeretur incommodis, haud praetermiserunt ea opportune statuere, quae ad maturandum ipsius electionis felicem exitum conducere videbantur, ac decernere quae interea agenda et servanda essent; et alias, prout in praefatis constitutionibus, quarum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis haberi volumus, uberius continetur.

§ 2. Quia tamen saepe contingit ut legum vel maxime salutarium, si non crebro excitetur, sensim ex animis hominum effluat memoria, experientiaque edocet, nonnulla ex iis quae Sede Apostolica vacante praescripta fuerunt aut usus invexit, pro temporum varietate, iuxta quam humana etiam consilia multoties variare oportet, immutanda ac supplenda esse, ut recto in primis rerum tam difficili tempore agendarum ordini, iustitiae administrationi, atque aerarii pontificii indemnitati cumulatius prospectum cautumque sit, quemadmodum nosmetipsi, qui in minoribus constituti maiorem aetatis partem in Romana Curia egimus, ac, dum cardinalatus honore fungebamur, comitiis ad Romanum Pontificem eligendum ter interfuimus, satis perspeximus, ac plures ex venerabilibus fratribus nostris S. R. E. cardinalibus eximia pietate ac circumspectione praediti nobis etiam innuere atque significare non omiserunt:

§ 3. Hinc est quod nos pro apostolici muneris nobis divinitus commissi, ratione habita prius super praemissis cum memoratis nonnullisque aliis ipsius S. R. E. cardinalibus matura deliberatione, de illorum consilio, ac etiam motu proprio et ex certa scientia, deque apostolicae potestatis plenitudine, hac nostra perpetuo valitura constitutione, ea, quae sequuntur, statuenda, decernenda et ordinanda duximus.

§ 4. Primum igitur enarratos praedecessorum nostrorum constitutiones, ac omnia et singula in eis contenta et disposita, quae praesentibus tamen litteris non adversantur, harum serie confirmamus, approbamus et innovamus, ac inconcusse et inviolabiliter observari praecipimus et mandamus.

§ 5. Ceterum, tametsi opus non esse in Domino confidimus, urgente nos tamen pastoralis officiis debito, ac praecipuo, quo tenemur, boni publici desiderio, cardinales nunc et pro tempore existentes per viscera misericordiae eiusdem domini nostri Iesu Christi et per effusionem sui pretiosi sanguinis enixe rogamus, hortamur, obsecramus et monemus, ut tunc potissime, dum scilicet de creando Romano Pontifice agitur, serio perpedant rei, quam gerunt, gravitatem, ministerii, quod per eos tractatur, magnitudinem, ac personae, quam in Ecclesia Dei sustinent, dignitatem; seduloque recogitent, se in renuntiando supremo ipsius Ecclesiae rectore divinae mentis interpretes constitutos, nudaque omnia et aperta esse in oculis eius, cui solemnis et arctissimi iurisiurandi religione fidem suam promissuri et obligaturi sunt; neque aliud esse forsan posse in omni eorum vita factum, de quo tam arduum atque difficile eis futurum sit rationem reddere aeterno iustoque iudici, sempiterna vel praemia vel supplicia decreturo. Itaque etiam sub divini interminatione iudicii eisdem cardinalibus praecipimus itidem et mandamus, ut in suffragiis ferendis, ac aliis omnibus et singulis electionem quomodolibet concernentibus, solum Deum prae oculis habentes, et non sua, sed quae Christi sunt, quaerentes, religiose, sincere et libere,

humanis quibusque artibus, factionibus, partium studiis, omnique demum carnis affectu, ac privatis commodis et desideriis remotis, atque principum saecularium intercessionibus, ceterisque mundanis respectibus, ac etiam grati animi et cuiusvis alterius necessitudinis titulo minime attentis et postpositis, se gerant ad eligendum eum, quem universali Ecclesiae fructuose utiliterque gubernandae idoneum secundum Deum iudicaverint; ac memores supradictarum constitutionum poenarumque in eis contentarum, ne quidquam facere, admittere aut attendere, quod ab hoc proposito alienum sit, vel per quod electio retardetur, aut libertati suffragandi quoquomodo officiatur, per se vel alium, directe aut indirecte, quovis colore praetextu vel ingenio audeant seu praesumant.

§ 6. Porro ab eisdem praedecessoribus provide constitutum est, ut, Apostolicae Sedis vacatione durante, collegium cardinalium in iis, quae ad Pontificem maximum, dum viveret, pertinebant, nullam omnino potestatem aut iurisdictionem habeat, neque gratiam neque iustitiam faciendi aut facta per Pontificem defunctum executioni demandandi, sed omnia futuro Pontifici reserventur: neque de ditione temporali S. R. E. vel de pecuniis Camerae aut Datariae Apostolicae etiam pro solutione debitorum ante obitum Pontificis quomodolibet contractorum, aut alias ex quavis causa (certis quibusdam casibus expressis dumtaxat exceptis) quidquam disponere, nec ad proprium commodum aliquid percipere, nec aes alienum contrahere possit. Nos, praemissa approbantes, sub poenis per dictas constitutiones indictis, insuper statuimus et declaramus quod idem collegium cardinalium mandata de solvendis pecuniis huiusmodi (praeterquam in praedictis casibus exceptis ac aliis infra exprimendis) favore cuiusvis personae, tam in conclavi quam extra illud existentis, etiam titulo remunerationis, praemii, laboris ac etiam supplementi mercedis, expedire et relaxare (itaut tam cardinales, qui contra praemissa aliquid attentaverint, quam camerarius, thesaurarius, depositarius et alii officiales, qui eis in talibus obtemperaverint, de suo proprio Camerae Apostolicae plenarie satisfacere, et pecunias erogatas restituere, et quaevis damna resarcire a futuro Pontifice cogantur), nec etiam eiusmodi titulo licentiam extrahendi frumenta e Statu Ecclesiastico concedere (nisi ubi extractio ex causa vere onerosa competat, et tunc, dummodo quantitatem debitam non excedat, ac tempus, quo extractio permitti solet, advenerit), neque cuiquam immunitatem seu exemptionem ac officio vel servitio ei incumbente, vulgo iubilationem nuncupatam, tribuere, nec ullos reos et delinquentes absolvere, vel per liberi commeatus tabulas, quas salvumconductum appellant, etiam ad tempus assecurare, nisi qui leviora delicta Sede ipsa vacante commiserint, minusque exilium aliamve quamcunmque poenam etiam pecuniariam illis remittere, condonare vel moderari valeat. Si quid vero contra praesentem prohibitionem factum sit, quilibet, ac etiam officialis qui id exequi coactus fuerit, rem denunciare teneatur

futuro Pontifici, ut possit ad gestorum revocationem procedere, et in transgressores ad praescriptum huius nostrae ac praedecessorum constitutionum animadvertere. Teneatur quoque thesaurarius generalis, sub poena privationis sui officii, exhibere novo Pontifici, intra mensem ab eius electione numerandum, computa seu rationes accuratas et distinctas omnium expensarum Sede vacante factarum, cum specifica expressione singularum summarum, causarum ac personarum quibus pecuniae persolutae fuerint, ad hoc ut ipse Pontifex aliquot cardinales sibi benevisos, qui tamen non sint tribus numero pauciores, deputet ad examinandum ea computa sive rationes, ac dispiciendum sibique referendum, an aliquid inutiliter sive plus aequo impensum, aut alias praesenti vel praedecessorum constitutionibus aut chirographis, infra etiam nominandis, aliqua ex parte hac in re contraventum fuerit.

§ 7. Cumque tempore Sedis vacantis duplex habeatur cardinalium congregatio, altera nempe generalis, sive totius collegii, et altera particularis constans tribus Cardinalibus antiquioribus, uno scilicet ex quoque ordine, cum camerario, quorum officium tertia die post conclavis ingressum omnino expirat, in eorumque locum tres alii sequentes in ordine quolibet tertio die una cum eodem camerario succedunt: volumus ut in dicta congregatione particulari, sive ante sive post coepta comitia, levioris dumtaxat momenti, ac in dies seu passim occurrentia negotia expediantur. Si quid vero gravioris momenti ac indaginis fuerit, id omne ad congregationem generalem seu collegium cardinalium deferatur; ac alterius, quae in una congregatione particulari decreta, resoluta vel denegata fuerit, in alia revocari, mutari aut concedi nequeant; sed id faciendi ius habeat ipsa tantum congregatio generalis per pluritatem suffragiorum.

§ 8. Usum autem multo iam ab hinc tempore vigentem proponendi in prima congregatione generali confirmationem gubernatoris almae Urbis, deinceps quoque retineri mandamus. Et quod attinet ad ceteros Sedis Apostolicae, Curiae Romanae, ac ditionis ecclesiasticae officiales et ministros, cuiuscumque qualitatis, gradus, ordinis et conditionis fuerint, illos omnes in secunda congregatione pariter generali, eodem contextu, ac unico urnae sive bussulae, ut vocant, gyro, iuxta morem antiquum, simul et semel confirmari permittimus; alias pro confirmatis haberi volumus. Si tamen aliquis ex dictis officialibus et ministris adeo graviter in munere suo deliquisse aut defecisse, seu male versatus fuisse credatur, ut plane indignus reputetur, qui in muneris sui exercitio relinquatur, statuimus quod cardinales in ordine priores rem totam, ac probationes quae adversus talem officialem seu ministrorum suppetunt, dixtincte ac ordine exponant in una congregatione generali, ad hoc ut singuli cardinales earum subsistentiam atque relevantiam recognoscere possint: ac post tres exinde dies in alia congregatione item generali proponi et agitari debeat, num dictus officialis

seu minister confirmandus, vel a sui muneris exercitio suspendendus veniat usque ad electionem futuri Pontificis? Illudque obtineat, ac firmum sit quod resolutum fuerit maiori parte suffragiorum secretorum. Et, si decreta est suspensio, plures ad munus, de quo agetur, exercendum in primis habiles et idonei a cardinalibus proponantur, et ex iis, qui prae ceteris aptior visus fuerit, in locum officialis seu ministri suspensi subrogetur per pluritatem similiter suffragiorum, donec eligatur Pontifex.

§ 9. Quoniam vero, exempto ab humanis Pontifice, cardinalis legati in provinciis Status Ecclesiastici protinus ad comitia invitantur, iniuncto eis interim suae legationis administrationem tradere pro-legatis, quibus mandatur ut eam sacri collegii nomine suscipiant, populorum securitati provideant, ac sedulo curent ne tumultus excitentur: ad quamcumque dissensionis et controversiae, quae inter cardinales legatos eorumque pro-legatos facile enasci possent, occasionem submovendam, decernimus ut edicta, quae in provinciis praefatis, Sede Apostolica vacante et cardinalibus legatis absentibus, evulgari contigerit, ab ipsis pro-legatis cum propria subscriptione, appositio tamen eisdem edictis nomine, et, quae typis imprimentur, etiam stemmate gentilitio cardinalium legatorum absentium, libere publicentur. Cardinales autem legati, quamdiu a legatione abfuerint ac Sedis vacatio duraverit, nulli subalterno in legatione ministro seu officiali, aut cuivis alteri, quicquam, insciis pro-legatis, imperent, minusque executioni demandari faciant.

§ 10. Praeterea tres imposterum cardinales ex eis, qui comitiis alias interfuerint, a Collegio eligendos, praefici clasurae, ac curam conclavis habere et gerere, statuimus, qui disposita a praedecessoribus circa clausuram ac curam huiusmodi omni sedulitate et diligentia exequantur: cellas cardinalium bis qualibet hebdomada, aliaque ipsius conclavis loca, crebro visitent, illius munditiae praesint, ac solerter perquirant ne in eiusdem conclavis muris, fenestris, laquaearibus vel pavimentis vetita foramina fiant, vel fenestrae aperiantur aut amplientur, unde cum exteris colloquendi sive communicandi copia et facultas detur: ac, si quae foramina facta, aut fenestras sic apertas et ampliatas deprehenderint, statim occludi et obturari, in pristinumque statum restitui curent: prohibeant quoque arma seu stemmata gentilitia cuiusvis cardinalis, quocumque officio fungentis, alio quam propriae suae cellae imponi, appendi et depingi: et, si illa repererint in quacumque alia parte conclavis consistentia, statim amoveri ac deleri faciant: cellas porro cardinalium absentium, sive mobilibus instructas et ornatas, sive non, cardinales in conclavi existentes nusquam occupent, sed ad dictos tres cardinales clausurae et curae conclavis praepositos pertineat earumdem cellarum usum et commodum cardinalibus, qui cellas suas vicinas habent, congrua inter eos servata proportione destinare, donec praedicti cardinales absentes advenerint: ipsorum autem trium cardinalium munus istiusmodi toto tem-

pore comitiorum durare volumus, eisque quamcumque necessariam amplamque in praemissis et circa ea potestatem harum serie statuimus.

§ 11. Scrutinia etiam, quae pro electione Pontificis bis in die a cardinalium fiunt, sive manuscripta sive impressa fuerint, e conclavi ad eos, qui foris sunt, mitti ac renunciari, et ab eis recipi, proferri aut evulgari, omnino prohibemus sub poenis adversus mittentes e conclavi, ac exinde respective recipientes litteras, scripta, nuncios, notas, aut signa, etiamsi cardinalatus honore praefulgeant, a dictis praedecessoribus expresse sancitis, eo ipso per transgressores incurrendis.

§ 12. Atque menti praedecessorum pariter insistentes, eisdem cardinalibus praecipimus, ut frugalitatem et temperantiam in victu observent, procul ab omni luxu et pompa, atque etiam, in deferendis ad conclave cibariis, lautioris cultus ostentatione.

§ 13. Ne magistrorum caeremoniarum, qui in comitiis adhibentur, nimium excrescat numerus, in futurum non plures quam sex ad summum, duo scilicet participantes, et totidem non participantes nuncupati, ac reliqui duo antiquiores ex supranumerariis, in conclave admittantur.

§ 14. In eorumdem quoque praedecessorum constitutionibus inter alia habetur, quod sacrista cum uno clerico coadiutore in officio sacristae, ac unus Collegii secretarius tantum conclave ingrediantur, adsintque unus faber lignarius, et unus caementarius: item octo aut decem servientes publicae utilitati et commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, pro verrendo conclavi, et similibus necessariis ministrandis, qui a collegio cardinalium, non tamen ex familia alicuius cardinalis, per fabas secretas eligantur, ita tamen ut is obtineat qui plura vota tulerit, et illis salaria de publico persolvantur. Nos eidem sacristae, ultra clericum huismodi ac subsacristam, alterum qui eidem sacristiae et missis celebrandis deserviat seu assistat; magistris caeremoniarum, qui in conclave ut supra admittentur, unum famulum, non quidem pro eorum singulis, sed pro omnibus sic admittendis; secretario autem Collegii duos adiutores, qui eum assiduo, quo tunc maxime oneratur, labore levare possint, ac unum quoque famulum, qui tamen per cardinales deputatos approbari debeant, in conclave ducere et habere permittimus. Cumque octo decemve publice servientes praedictos necessariis in conclavi ministrandis haud satis esse compertum sit, indeque factum ut eorum numerus in praeteritis comitiis auctus fuerit; imposterum trigintaquinque (dictis tamen duobus famulis pro magistris caeremoniarum ac secretario collegii in eo numero comprehensis) et non plures servientes eiusmodi a collegio cardinalium eligantur, qui, sicuti de illis octo aut decem a praedecessoribus dispositum est, non sint ex familia alicuius cardinalis; minime attenta aut suffragante quacumque contraria consuetudine aut declaratione, etiam pluries ab eodem collegio cardinalium edita. Quo autem ad fabros lignarium et caementarium, nullus recipiatur qui revera artes illas

non calleat, publiceque profiteatur ac exerceat; nec collegium ullam potestatem habeat dispensandi circa dictas qualitates, aliaque praemissa.

§ 15. Per obitum Pontificis, nec camerarii, nec poenitentiarii maioris officia cessare a dictis praedecessoribus cautum quoque reperitur. Verum, quia contingere potest alterius, sicut in novissimis accidit comitiis, ac etiam utriusque officii huiusmodi vacatio ante novi Pontificis creationem; formam propterea tunc observandam stabilire volentes, decernimus, ut, si et quando id evenerit, congregatio generalis triduo post secutam vacationem alterutrius ex praefatis officiis habeatur, ac vota seu suffragia cardinalium, post absolutum scrutinium simul congregatorum, pro deputatione illius, qui camerarii vel poenitentiarii maioris vices suppleat usque ad electionem novi Pontificis, exquirantur denturque per schedulas secretas et impressas a magistris caeremoniarum etiam ab infirmis cardinalibus colligendas, ac coram tribus cardinalibus eo tempore in ordine prioribus, praesentibus eisdem caeremoniarum magistris atque collegii secretario, aperiendas; isque deputatus habeatur, in quem maior pars votorum seu suffragiorum praefatorum convenerit; ac sic deputato facultates omnes, quas ipse camerarius vel poenitentiarius maior exercere poterat, quamdiu Sedes vacaverit, attribuimus.

§ 16. Ad haec, cum iuxta statuta dictorum praedecessorum idem poenitentiarius maior et eius officiales ea tantum, tempore Sedis vacantis, facere et expedire valeant ad forum conscientiae dumtaxat pertinentia, quae poterant vivente Pontifice exercere, et in reliquis munus eorum conquiescat, itat a quibuscumque matrimonialibus et aliis dispensationibus ac absolutionibus et declarationibus, necnon quibusvis aliis expeditionibus forum fori mixtim vel separatim quomodolibet respicientibus, omnino abstinere debeant; aliquae vero sint censurae ecclesiasticae, a quibus iis innodati, praeterquam in mortis articulo constituti nonnisi ab ipso Romano Pontifice pro tempore existente absolvi queunt, adempta nominatim poenitentiario maiori id faciendi potestate; atque multoties accidat, ut talibus censuris irretiti; vere poenitentes et errata sua sincero animo detestantes, absolutionis beneficium Sede vacante enixius implorent: quo disciplinae ecclesiasticae conservationi simulque animarum fidelium, quos Dei misericordia ad poenitentiam vocaverit, saluti consultum sit, eidem poenitentiario maiori, vel ei, qui in illius locum suffectus fuerit, ut praefertur, facultatem tribuimus, ab his etiam censuris Sede vacante fideles praedictos, re tamen prius in signatura ipsius officii Poenitentiariae Apostolicae examinata, servatisque aliis servandis, absolvendi, ad tempus scilicet et cum reincidentia in dictas censuras: itaut, qui fuerint absoluti, ad novum Pontificem, intra terminum pro distantia locorum definiendum, recurrere et ab eo plenariae absolutionis beneficium petere et obtinere teneantur; nec poenitentiario maiori, seu in illius locum suffecto, praefixum terminum post Pontificis electionem ampliare vel propagare liceat.

§ 17. Et, si vicarium Pontificis in alma Urbe eiusque districtu in spiritualibus generalem, Sede vacante, e vivis quoque decedere contigerit, ne animae christifidelium Urbis ac districtus praefatorum aliquod inde accipiant in ipsis spiritualibus detrimentum, tunc existenti vicesgerenti dicti vicarii, quamdiu Sedes vacaverit, omnes et singulas facultates, auctoritatem et potestatem, quae eidem vicario pro exercitio officii vicariatus quomodolibet competebant, quasque Pontifex ipse, occurrente vacatione vicariatus, Sede plena, vicesgerenti praedicto quandoque per aliquod tempus, donec scilicet successorem vicarium deputaverit, attribuere solet, tenore praesentium concedimus ac impartimur.

§ 18. Inferiorum quoque ecclesiarum, praesertim Sedi Apostolicae immediate subjectarum, necessitatibus, quae Sede vacante occurrunt, aliqua ratione subvenire cupientes, cum non raro per catholicos praecipue antistites et locorum Ordinarios, aliosve christifideles, instantibus aut ingruentibus illo tempore dictis inferioribus ecclesiis vel alias rei ecclesiasticae incommodis, opportunum promptumque a collegio cardinalium requiratur remedium, quod Pontifex, si adesset, ferre minime praetermitteret; volumus, ut, si res talis sit quae in aliud tempus differri valeat, futuro Pontifici omnino reservetur; sin autem nullam admittat moram, tunc eidem collegio concedimus, ut committere possit negotium praefecto et aliquod aliis cardinalibus eius Congregationis, ad quam Pontifex illud examinandum verisimiliter remisisset; qui, negotio accurate discusso, ea desuper decernant, per modum tamen provisionis, donec nimirum eligatur Pontifex, quae iuxta datam sibi a Domino prudentiam iuribus et rationibus ecclesiasticis custodiendis ac tuendis apta et consentanea censuerint.

§ 19. Et quia, Sede vacante, eius, qui munus auditoris defuncti Pontificis obibat, plane expirat iurisdictio, indeque plurium causarum forensium audientia ac iustitiae cursus, non sine ingenti identidem litigantium iactura, impediuntur: pro tempore existenti auditori signaturae iustitiae, cuius, dum cardinalatus dignitate fulgebamus, praefecturam gessimus, earumdem tenore praesentium committimus et mandamus, dantes ei ad hoc facultates necessarias et opportunas, ut citationes et recursus, qui coram auditore Pontificis defuncti tunc pendere reperientur, prout iuris fuerit, expediat.

§ 20. Camerae Apostolicae dispendiis, quantum fieri potest, obviare praeterea cupientes, chirographum felicis recordationis Alexandri Papae VIII praedecessoris etiam nostri, super moderatione expensarum Sede vacante ac ratione conclavis faciendarum, die XXIX novembris MDCXC editum, etiamsi antehac executioni usquequaque demandatum non fuerit, in omnibus et per omnia quae praesentibus itidem ac chirographo per nos etiam ut infra, edendo non adversantur, servari praecipimus.

§ 21. Insuper iustis et rationabilibus causis nobis notis animumque nostrorum moventibus adducti, officium gubernatoris conclavis, ac utrius-

que burgi seu civitatis Leoninae, cum eiusdem officii titulo, denominatione, essentia ac iuribus, privilegiis, facultatibus, iurisdictioue, stipendiis honoribusque et oneribus universis ei annexis, ipsarum tenore praesentium, perpetuo supprimimus, tollimus extinguimus et abolemus, ac suppressum, sublatum, extinctum et abolitum esse et perpetuo fore, declaramus. Gubernium vero dicti burgi seu civitatis Leoninae tempore Sedis vacantis per almae Urbis gubernatorem in futurum administrari et exerceri sancimus eisdem prorsus modo et forma, quibus per eum vivente Pontifice administratur et exercetur. Gubernium autem conclavis, una cum cohorte militum, sumptibus Camerae Apostolicae alenda, quam ipsius conclavis gubernator habere consueverat, ceterisque iuribus, privilegiis, facultatibus, iurisdictione, (non tamen in utroque burgo seu civitate Leonina huiusmodi) honoribus et oneribus, qui et quae dicto gubernatori conclavis quomodocumque competebant ac incumbebant respective, aut competere et incumbere poterant, praefecto palatii apostolici pro tempore existenti Sede vacante similiter in perpetuum demandamus et committimus, idque praeter et ultra facultates ac iurisdictionem in eodem palatio, seu aliter, illi concessas per quasdam piae memoriae Benedicti Papae XIII praedecessoris etiam nostri in forma Brevis litteras, quas Sede vacante durare ac vigere statuimus, et, quatenus opus sit, ad id tempus extendimus et ampliamus; mandantes propterea per Cameram Apostolicam dicto praefecto palatii apostolici in singulos menses, quibus Sedes vacaverit, subministrari mille scuta monetae romanae, unde cibos ac frugalem mensam praelatis conclavi assistentibus parare ac praebere valeat; ad quem effectum linteis ac supellectilibus etiam argenteis palatii praedicti ad usum hospitum, seu exterorum, vulgariter *della foresteria,* destinatis, necnon opera et ministerio officialium palatii praefati, quorum munera per obitum Pontificis minime cessant, uti possit. Ad eumdem quoque praefectum palatii spectare volumus curam asservandi ac custodiendi pontificios annulos, illamque supellectilem argenteam, quae pro futuro Pontifice concinnari et aptari debent.

§ 22. Officium item custodis fontium, qui in conclave demandantur, utpote supervacaneum, perpetuo supprimimus, extinguimus et abolemus, memorati Gregorii XV. aliorumque praedecessorum contrariis dispositionibus amplissime derogantes. — — — — — — — — —

Dat. die 5 (4) octobr. 1732. Pontif. anno III. [l. c. pag. 443—451.]

192. PIUS IX. (1846—1878).

* *Archiv für kathol. Kirchenrecht.* 1891. p. 312—319. J. F. Schulte, *Die Papstwahl nach den Erlassen Pius IX.* (*Preussische Jahrbücher* 1891).

Pius Episcopus Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Consulturi, ne post obitum Nostrum Ecclesia, in tanto temporum discrimine, diutius suo Visibili Capite careat, Anno 1871 decimo cal. Septembris

Constitutionem edidimus «*In hac sublimi*», qua expeditiorem fecimus electionis viam. Et quoniam aliqua clarius explicanda, alia vero erant addenda, id anno 1874 Constitutione «*Licet per Apostolicas*», sexto Idus Septembris perfecimus, quas ambas Constitutiones nunc etiam confirmamus et in suo robore manere volumus. Verum cum perplexior quotidie fiat Ecclesiae conditio, novisque semper circumveniatur insidiis, expedire duximus, alia addere, aliaque ex jam constitutis enucleatius exponere. Qua de re, uti in praecedentibus Constitutionibus, instanter implorato superno lumine, et exquisito consilio aliquot S. R. E. Cardinalium, reque maturo examine perpensa, deliberavimus novas hasce edere Literas Apostolicas, quibus et praeteritas complecteremur, et exhiberemus ea, quae addenda aut declaranda iudicavimus; ut omnia uno sub conspectu valeant haberi.

In priore Constitutione, recensitis edendae causis et commemorato, confirmatoque privativo iure unius Sacri Collegii S. R. E. Cardinalium eligendi Romanum Pontificem, excluso atque remoto quovis laicae potestatis cujuslibet gradus et conditionis interventu, ad submovenda quaelibet electionis impedimenta «motu proprio et certa scientia deque Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine pro comitiis, quae ad Romanum Pontificem primum Nostrum Successorem eligendum erunt habenda derogavimus iis regulis, quae per Apostolicas Romanorum Pontificum, in generalibus etiam Conciliis editas, Constitutiones et alias quascumque sanctiones sunt decretae de peragendae electionis tempore ac loco, et de Conclavi ejusque clausura», atque idcirco «omnes Cardinales a juramenti vinculo, quo supradictas Praedecessorum Nostrorum Constitutiones servare promittunt, absolvimus pro electione ipsa, et absolutos fore declaravimus, non solum in supradictis illarum praescriptionibus ad Comitiorum tempus et locum, atque ad Conclave ejusque clausuram spectantibus, verum etiam in aliis minoris momenti caerimoniis et solemnitatibus, ubi harum observatio rei exitum retardare possit». Clarius autem haec explicantes in altera Constitutione addimus, quod etsi «Cardinales expedire putaverint, electionem post nonum differre diem, etiam in hoc casu iisdem datam esse facultatem leges, quae ad clausuram Conclavis pertinent, relaxandi sive moderandi. Eoque magis facultatem iisdem Cardinalibus impertimur non servandi caeremonias et praescriptiones consuetas, et super iisdem de novo disponendi praesertim vero circa custodiam Conclavis, seu loci ad electionem deputati, circa suppeditationem rerum ad victum pertinentium, qualitatem, dotes et numerum personarum admittendarum in loco praedicto, consueto tamen non ampliorem, et circa emolumenta vel abolenda vel moderanda, aliaque huiusmodi».

Attentis autem temporum adjunctis, derogavimus insuper nominatim «Constitutioni Gregorii X. in Concilio Lugdunensi II. quae incipit «*Ubi periculum*» in ea parte, quae Dominis aliisque Rectoribus et Officialibus civitatis, in qua Romani Pontificis electio celebranda sit, auctoritatem et

potestatem concedit, ut praescriptiones pro electione praedicta datas faciant observari. Pari modo derogavimus Constitutioni Clementis V. in Concilio Viennensi, cui initium «*Ne Romani*» in ea parte, quae aliquam potestatem concedit executoribus in praedicta Constitutione Gregorii X. deputatis. Derogavimus demum Constitutioni «*In Eligendis*» Pii IV. in eo quod executores designat, Praelatos, Rectores, Officiales Urbis aliosque electos pro custodia Conclavis; et pro horum omnium effectu Cardinales singulos absolvimus ab editi juramenti vinculo de observandis Constitutionibus Romani Pontificis electionem spectantibus».

Decrevimus praeterea in priore Constitutione «ut S. R. E. Cardinales, qui in proxima vacatione Apostolicae Sedis praesentes in Curia erunt, statim ad Nos supremum diem obire contingat, exequiis etiam in suffragium animae Nostrae nondum celebratis, et aliis Cardinalibus etiam de Latere Legatis, aut alia quacumque causa, etiam cum venia, vel ex mandato Nostro absentibus per praescriptum decem dierum spatium minime exspectatis, statim, hujus Urbis rerum ac temporum circumstantiis serio perpensis, deliberent an in eadem Urbe vel extra Italiam comitia de novo Pontifice eligendo sint habenda. Deliberationem autem, quaecumque ea sit, plenum effectum sortiri debere statuimus, in quam major Cardinalium tunc praesentium pars consenserit». Imo, fauturi celeritati electionis futuri Pontificis, agentes de generali Congregatione post obitum Nostrum habenda, de qua infra, addidimus etiam, fas esse, ut Cardinales si praesentes electionem novi Pontificis in primo ipso Conventu perficiant». Quod tamen ita intellectum volumus, ut, sicuti mox distinctius explicabimus, praesentium numerus uno saltem medietatem excedat Cardinalium tunc viventium, et omnino serventur quae servanda decernimus. Demum ad submovendam omnem morae causam, et praevertenda perturbationum pericula praecipimus in altera Constitutione, exequiarum «solitum praetermitti apparatum a Constitutionibus Ordinationibus, Consuetudine invectum; easque a Cardinalium Collegio peragi modesto ritu et forma in Palatii Vaticani Capella, si Pontifex extremum diem suum ibi claudere poterit».

Perpendentes vero indolem, vicissitudines et pericula praesentium temporum omnibus perspectissima, facere non possumus, quin vehementer exoptemus, locum, ubi electio habenda erit, extra fines Italiae designari. Quod sane desiderium Nostrum dum aperte prodimus, illud etiam atque etiam commendamus S. R. E. Cardinalibus. Verum si ex causis, quas praevidere nequimus, ipsi aliter censuerint, et comitia pro electione hic in Urbe, aut alibi in Italia habenda esse duxerint, volumus omnino et mandamus, ut in casu cujusvis injuriae Conclavis loco vel personis illatae, sive id ex facto contigerit publicae potestatis, sive privatorum, multo vero magis si manus injicerentur in aliquem e Cardinalibus, aut quisquam ex ipsis sustineretur quomodocumque aut prohiberetur a Conclavis accessu, Comitia illico dis-

solvantur, et ad tutiorem sedem transferantur extra Italiam; idque licet suffragia jam fieri coeperint. Concessarum vero facultatum limites designantes, in priore Constitutione decrevimus «In ceteris tamen, quae celeri, quam summopere optamus, novi Pontificis electioni non officiant, maxime autem in rebus cum clausula electionem aliter factam irritante praescriptis, praeterea scilicet, quibus a Nobis nominatim derogatum est, Constitutiones ipsas etiam hac vice observandas mandamus — Et in altera Constitutione explicatius dicimus — Nihil tamen innovatum esse declaramus, sive generali Canonum sanctioni, ne Sede vacante aliquid innovetur, sive specialibus Constitutionibus, quibus cautum est, ne in Collegium Cardinalium ea potestas et jurisdictio transeat, quae ad Pontificem, dum viveret, pertinebat; ne Collegium de juribus Sedis Apostolicae Romanaeque ecclesiae quomodolibet disponere valeat; simulque declaratur, praedictum Collegium ea jura custodire ac defendere debere, nullo autem modo imminuere posse. Quamquam vero confidamus in Domino, pro Nobis perspecta eorumdem Cardinalium religione ac fide, nec Collegium, nec quemquam ex illo huic officio, quo solemni etiam juramento adstringuntur, defuturum fore, tamen pro muneris Nostri ratione, omnes ac singulos Cardinales monemus, et monendo eis praecipimus, ut canonicae regulae inhaereant atque neque directe aliquid Sedis Apostolicae et Romanae Ecclesiae juribus detrahere attentent, neque indirecte, per conniventiae scilicet speciem, seu per dissimulationem facinorum adversus ea jura perpetratorum attentare videantur».

Considerantes quoque fieri posse ut decederemus extra Urbem, haec quae nunc confirmamus, mandavimus in priore Constitutione «Ut autem facilius Cardinales convenire possint, volumus, ut in commemorato casu: ex eo extra Curiam loco, ubi nos omnipotens et clementissimus Deus ex hac vita migrare voluerit, Cardinalis quicumque adsit, aut si plures erunt, eorum dignior, aut, iis omnibus absentibus Nuntius Apostolicus, et in ejus defectu, loci Ordinarius, aut Praelatus, vel alius quispiam ecclesiastica dignitate insignitus (quibus quidem hoc Nostrum mandatum antea patefacere, Deo dante, curabimus) quam celeriter de Pontificis morte Cardinalem Sacri Collegii Decanum, aliosque Cardinales, de quorum sede sit edoctus, certiores faciat, ut statim ad Comitia peragenda se comparent. Cardinalis autem Decanus, vel ipso impedito, alius Cardinalis dignitate potior, vix dum hujusmodi nuncium acceperit, vel quovis alio modo Apostolicae Sedis vacationem certissime noverit, una cum tribus antiquioribus Cardinalibus ex quolibet Ordine, et cum Cardinali S. R. E. Camerario, si una simul erunt, vel, ipsis absentibus cum aliis quibusque Cardinalibus, vel demum ipse solus, si reliqui omnino absint, eum locum cujusque regionis eligant, qui ipsis, vel ei ad habenda Comitia magis opportunus videbitur. Hinc, nulla interposita mora, idem Cardinalis Decanus, vel ipso impedito, alius Cardinalis, ut supra, ceteris Cardinalibus Apostolicae Sedis vacationem signifi-

cet, eosque ad novi Pontificis electionem advocet, ac de loco certiores faciat, in quo illam peragi deliberatum fuit. Omnibus autem Cardinalibus in virtute sanctae obedientiae praecipimus et mandamus, ut nisi legitimo impedimento detenti fuerint indictionis litteris obtemperare atque ad locum iisdem designatum pro perficienda Pontificis electione statim se conferre debeant. Ceterum in quemcunque alium locum rite praefinitum Cardinales convenerint, uti supra statuimus, atque decrevimus, omnino legitima, canonica atque valida erit habenda novi Pontificis electio, dummodo in illo loco tot Cardinales congregati fuerint, qui vel per unum dumtaxat medietatem superent Cardinalium tunc viventium atque ea impleverint, quae ad validam electionem efficiendam requiruntur, iis exceptis, quibus Nos expresse derogavimus. Quaecunque vero a Nobis superius hisce literis pro priori casu decreta sunt ad Successoris Nostri electionem accelerandam seu faciliorem praestandam, ad hunc alterum casum extendimus; atque adeo omnia et singula, quae in priore illa harum litterarum parte indulsimus, praecepimus, commendavimus, habenda perinde volumus, et declaramus, ac si pro altero etiam hoc casu indulta, praecepta et commendata speciatim fuissent».

Amovere autem cupientes difficultates, quae subsistere adhuc valeant post Successoris Nostri electionem, addidimus: «Denique etsi in bonam spem erigamur fore, ut Successor Noster melioribus fruatur temporibus, et in suprema hac Petri Cathedra diu sedeat; tamen ut contrario etiam, quem Deus avertat, provideamus eventui, motu item proprio ac de Apostolicae Auctoritatis plenitudine omnia, quae in hisce Litteris ad utrumque casum sancita et constituta sunt pro comitiis prima post mortem Nostram vice futuris extendimus, ac pari modo decernimus, pro altera electione post Successoris Nostri obitum perficienda, si nimirum nulla de his nova lege edita, Successor Noster decesserit».

Et in altera Constitutione diximus: «Facultates vero, quas Cardinalium Collegio per hasce et praeteritas Litteras Nostras concessimus, vim suam exercere volumus eo modo et forma, qua ibi dictum est, non solum pro immediate futura Pontificis electione, sed etiam pro proxime insequenti, nisi a Nobis ipsis vel a Successore Nostro fuerint revocatae».

De ipso vero electionis modo nihil quoad suffragiorum numerum innovantes, decrevimus in priore Constitutione: «Statuto igitur Conciliorum loco S. R. E. Cardinales electionem novi Pontificis sive in Curia ipsa, sive extra illam per secreta schedularum suffragia, duabus ex tribus praesentium Cardinalium partibus in scrutinio sive scrutinio et accessu eandem personam consentientibus, vel per compromissum, vel quasi per inspirationem, servata in his consueta necessaria forma perficere valeant . . . . . Is igitur, qui a Cardinalibus, ut supra, praesentibus, ea qua statuimus ratione in locum Nostrum rite eligetur, erit omnino legitimus et verus Pontifex,

Christi Vicarius, et Beati Petri Successor, ac uti talis ab universa Ecclesia agnosci et haberi debebit». Commendata autem Deo et Deiparae anima Nostra, subdidimus: «Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales, qui nobis ex hac misera vita, ad aeternam quam speramus pacem evocatis, erunt superstites, per viscera misericordiae Jesu Christi vehementer obsecramus et obtestamur, ut humana quavis consideratione posthabita ac solum Dei gloriam spectantes concordissimis animis et voluntate in hanc unam curam studiosissime incumbant, ne diutius Petri navicula, tot tantisque jactata tempestatibus, Rectore suo careat, et Dominicus grex tot lupis undique irruentibus, Pastore destituatur; illud habentes propositum, ab optima et celeri Summi Pontificis electione et Ecclesiae tranquillitatem et fidelis populi salutem hisce praesertim difficillimis asperrimisque temporibus vel maxime pendere, ipsosque severissimo Dei iudicio puniendos, si eorum culpa et negligentia eveniat, ut in tanto rerum discrimine longiori quam par est temporis spatio haec Apostolica Sedes vacet». De eadem vero gravissima re rursus agentes in altera Constitutione diximus: «Dum autem ad propositum finem expeditius assequendum materialem Conclavis, seu loci electionis, clausuram relaxari permittimus, obligationem secreti servandi in iis omnibus, quae ad electionem Romani Pontificis pertinent, et in iis, quae in Conclavi, seu loco electionis aguntur, haud quaquam relaxamus. Itaque eo modo et forma ac sub poenis a Decessorum Nostrorum Constitutionibus indictis praecipimus iterum et mandamus, ut secretum illud accuratissime servetur, atque ab aliis servari curetur, et quidem eo cautius et arctius, quo gravior se prodit temporum difficultas. In primis autem monemus et enixe in Domino obsecramus Cardinales, ut ad electionem procedant nulla propensione animi vel aversione commoti, nullius inclinati gratia aut obsequio, non intercessione in saeculo potentium moti, sed fixis in solam Dei gloriam et Ecclesiae utilitatem oculis, eum citius eligere contendant, quem prae ceteris, dignum et sedulum universi gregis Christi Pastorem futurum esse existimaverint».

Demum quoad sensum et interpretationem Constitutionum Nostrarum, postquam derogationes a Nobis factas explicavimus, et quae derogata non fuerant commemoravimus, in priore Constitutione diximus: «Si quae vero in hoc genere, sive super quocumque alio Nostrae hujus Constitutionis capite dubia exoriantur, ipsis Cardinalibus plenam tribuimus facultatem, qua Nostram Constitutionem interpretari, ac dubia ipsa declarare valeant. Qua quidem in re quemadmodum in reliquis, de quibus ad Nostrae hujus constitutionis tramitis circa electionis negotium (exempto nimirum ipso electionis actu) deliberare contingat, satis omnino erit, si major congregatorum, ut supra, Cardinalium pars in eamdem sententiam consentiat». In altera vero Constitutione decrevimus: «solius esse Cardinalium Collegii, aut majoris ejus partis, et non aliorum, judicare de necessitate, oppor-

tunitate casus omnium vel aliquarum dumtaxat e facultatibus a Nobis concessis».

Quoad promulgationem vero earumdem Constitutionum, in ipsarum priore diximus: «Mandamus, ut hae Apostolicae Litterae voluntatis Nostri testes ipso die obitus Nostri, si per tempus licuerit, neve gravissimae difficultates obstent, in particulari Congregatione Cardinalium cujuscumque Ordinis Capitum recitentur per integrum, ac subinde illarum lectio, etsi facta fuerit, omnino iteretur coram aliis Cardinalibus in loco praesentibus in prima generali Congregatione, sive ordinaria, sive extra ordinem indicenda. Quibus quidem Cardinalibus juxta ea, quae in hisce literis statuimus, liberum erit, ut servatis quae servanda praecipimus, electionem novi Pontificis vel in primo ipso conventu perficiant». In altera autem Constitutione diximus: «Quod de praeterita Constitutione Nostra Anni MDCCCLXXI fieri mandavimus, idem de hac etiam praecipimus nempe et antea recitetur cum illa in particulari, deinde in generali Cardinalium Congregatione, quibus jus erit interpretandi ac explicandi quidquid dubii occurrere valeat in utriusque Constitutionis executione».

Haec autem quae de praeteritarum Constitutionum promulgatione mandavimus ad hanc modo extendimus, ita tamen ut Congregatio Generalis statim post Nostrum decessum habeatur in Palatio Apostolico Vaticano, ibique fiat promulgatio trium Constitutionum, omissa etiam earumdem recitatione in particulari Congregatione Cardinalium cujuscumque Ordinis capitum.

Ceterum quod de illis Constitutionibus mandavimus, idem de praesenti Constitutione, iisdemque Verbis decernimus, namque «Confirmamus easdem Litteras et facultates omnes de plenitudine Nostrae potestatis ibi concessas» iis tamen tantum exceptis, quae in praesenti Constitutione nec sancitae nec commemoratae fuerunt «nec non universas derogationes Apostolicarum Constitutionum modo et forma ibidem expressis, simulque vetamus excitari dubitationes de earum vi et efficacia, sive quod tempore vacationis Sedis Apostolicae ordo publicus perturbatus non videatur, sive quod abesse censeantur pericula, sive quovis alio obtentu; volumus enim eas in suo robore manere, plenumque suum consequi effectum, donec a Nobis fuerint revocatae».

Haec igitur, periculis nostrorum temporum totaque rei causa graviter considerata ac etiam Decessorum Nostrorum Pii VI., Pii VII. et Gregorii XVI. exemplis permoti statuimus, praescribimus, indulgemus, decernentes, praesentes Litteras et in eis contenta quaecunque etiam ex eo quod quilibet in praemissis iis vel interesse habentes, seu habere praetendentes quomodolibet illis non consenserint nec ad ea vocati sive auditi fuerint, aut ex quibuslibet aliis causis impugnari minime posse, sed easdem semper ac perpetuo firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros

effectus sortiri et obtinere, ac iis ad quos spectat et pro tempore spectabit suffragari, et ab eis respective et inviolabiliter observari debere, ac irritum et inane, si secus super his a quacumque quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, de jure quaesito non tollendo, aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis, itemque tam per Alexandrum III., Gregorium X., Clementem V., Pium IV., Gregorium XV., Clementem XII., aliosque Romanos Pontifices Praedecessores Nostros, quam etiam per Nos de Romani Pontificis electione editis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, quarum tenores praesentibus, tamquam plene et sufficienter ac de verbo ad verbum insertos habentes iisdem omnibus et singulis ad praemissorum dumtaxat effectum illis quoad reliqua in iis contenta in suo valore permansuris, latissime et plenissime derogamus, ceterisque etiam individua ac specialissima mentione et derogatione dignis contrariis quibuscunque. Volumus insuper, ut praesentium Litterarum transumptis seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii Apostolici subscriptis et sigillo munitis personae in ecclesiastica dignitate constitutae eadem prorsus fides habeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam Nostrae permissionis, dispensationis, facultatis, ordinationis, decreti, mandati, voluntatis, derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum Ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Petrum die 10. Octobris Anno 1877. Pontificatus Nostri Anno tricesimo secundo.

Ego Pius catholicae Ecclesiae Episcopus: Antonius M. Cardinalis Panebianco M. P. — Raphael Cardinalis Monaco Vicarius. — Joannes Card. Simeoni a Secretis Status. [l. c. pag. 312—319.]

C) *Primatus honoris (Pallium).*

Phillips, *Kirchenrecht.* Tom. V. p. 615. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 209 seq. Vespasiani, *De sacri Pallii origine.* Romae 1856. Cavedoni, *Ricerche critiche intorno all' origine e ragione della forma del S. Pallio.* Modena 1856. Hefele, *Beiträge zur Kirchengeschichte.* Tom. II. p. 214 seq.

198. INNOCENTIUS III. (1198—1216.)

a) De sacro altaris mysterio libri sex.

* *Innocentii III. opera* (Migne *Patr. lat.* T. 214—217). Tom. IV. col. 797 seq. Hinschius *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 211.

C. 63. *De palliis, ubi materia et forma secundum mysterium exponuntur.*

Pallium quo maiores utuntur episcopi, significat disciplina qua seipsos et subditos archiepiscopi debent regere. Per hanc acquiritur torques

aurea, quam legitime certantes accipiunt, de qua dicit Salomon in Parabolis: *Audi, filii mei, disciplinam patris tui, et ne dimittas legem matris tuae, ut addatur gratia capiti tuo, et torques collo tuo* (Prov. 1). Fit enim pallium de candida lana contextum, habens desuper circulum humeros constringentem et duas lineas ab utraque parte dependentes. Quatuor autem cruces purpureas ante et retro a dextris et a sinistris; sed a sinistris est duplex, et simplex a destris. Haec omnia moralibus sunt induta mysteriis, et divinis gravida sacramentis. [l. c. col. 797.]

b) Innocentius Archiepiscopis Belesbudiensi et Trinovitano in c. 4 X. *de auctoritate et usu pallii.* I. 8.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Potthast, n. 2145.

Romanus Pontifex semper et ubique utitur pallio; alii in ecclesiis suis et certis diebus tantum.

Ad honorem Dei † *[omnipotentis et B. Mariae Virginis et beatorum Apostolorum Petri et Pauli et domini Papae Innocentii et Romanae ecclesiae, nec non ecclesiae tibi commissae, tradimus tibi pallium de corpore B. Petri sumptum, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, quo ad missarum solennia infra ecclesias tibi subiectas utaris in Nativitate Domini, festivitate protomartyris Stephani, Circumcisione Domini, Epiphania, dominica in ramis palmarum, Coena Domini, sabbato sancto, Pascha, feria secunda post Pascha, Ascensione Domini, Pentecoste, tribus festivitatibus S. Mariae, Natali B. Ioannis Baptistae, solennitatibus omnium Apostolorum, Commemoratione omnium sanctorum, dedicationibus ecclesiarum, ordinationibus clericorum, ecclesiae tuae principalibus festivitatibus et anniversario consecrationis tuae].* Sane solus Romanus Pontifex in missarum solenniis pallio semper utitur et ubique, quoniam assumptus est in plenitudinem ecclesiasticae potestatis, quae per pallium significatur; alii autem eo nec semper, nec ubique, sed in ecclesia sua, in qua iurisdictionem ecclesiasticam acceperunt, certis debent uti diebus, quoniam vocati sunt in partem sollicitudinis, non in plenitudinem potestatis.

VI. CARDINALES.

Thomassinus, *Vetus et nova eccl. disciplina.* P. I., lib. 2. c. 113 seq. Cardella, *Memorie storiche dei cardinali delle S. R. Chiesa.* Roma 1792. *Dignité des cardinaux (Analecta iuris pontificii.* Tom. II. 1857. p. 1918. seq.) Wenk, *Das Cardinalcollegium (Preussische Jahrbücher.* 1884. p. 429 seq.). Souchon, *Die Papstwahlen von Bonifaz VIII. bis Urban VI.* Freiburg i. B. 1888. Idem. *Die Papstwahlen in der Zeit des grossen Schismas. Entwicklungs- und Verfassungskämpfe des Cardinalates von 1378–1417.* Ibid. 1898 seq. Sägmüller, *Zur Geschichte des Cardinalates (Röm. Quartalschrift.* 1893. *Supplementheft* n. 2.). Idem, *Die Thätigkeit und Stellung der Cardinäle bis Bonifaz VIII.* Freiburg i. B. 1896. Idem, *Die oligarchischen Tendenzen des Cardinalcollegs bis Bonifaz VIII. (Theol. Quartalschrift.* 1901. p. 45 seq.). Kirsch, *Die Finanzverwaltung des Cardinalcollegiums im 13. und 14. Jahrhundert.* Münster 1895. Baumgarten, *Untersuchungen und Urkunden über die Camera Collegii Cardinalium von 1295 bis 1437.* Leipzig 1898. Phillips, *Kirchenrecht.* Tom. VI. p. 1 seq. Scherer, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 473 seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 309 seq. Friedberg, *Lehrbuch.* § 61. Sägmüller, *Lehrbuch* § 88. Stutz, *Kirchenrecht* § 68.

---

194. GELASIUS I. (492–496).

Gelasius Papa Celestino Episcopo, in c. 3. D. XXIV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 88. Thiel, *Epist. Roman. Pontif.* p. 485. Jaffé-Wattenbach, n. (414) 677. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 313.

Ad ministerium alicuius ecclesiae clerici eiusdem promoueantur. *(Decr. Grat.)*

Presbiteri, diacones et uniuersi clerici Stoniensium ciuitatis petitorio nobis suggessere porrecto, in ecclesia beati martiris Eleuterii episcopi (que in supradictae civitatis parrochia probatur esse constructa) presbiterum, qui constitutus fuerat, defecisse, atque in eius locum Iulianum, diaconem ipsius ecclesiae pro celebritate ipsius loci quamtocius debere ordinari. Et ideo, frater karrissime, si de eius uita uel moribus nichil est, quod contra canonum ueniat constituta, suprascriptum presbiterii honore decorabis, sciturus, uisitatoris, nomine te, non cardinalis creasse pontificis. Pariter

etiam Felicissimum diaconem in eius ecclesiae ministerio, si conuersatio eius patitur, subrogabis, ut locus processionis celeberrimus ad ministeriorum consecrationem nec sacerdote indigeat, nec ministro.

195. GREGORIUS I. (590–604).

Gregorius Papa Jacobo Episcopo Squillatino, Ep. 37. (a. 592) c. 25 = c. 42. C. VII. q. 1.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 582—583. Jaffé-Wattenbach. n. 1192 (827). Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 313.

Qui metu hostilitatis ad alium locum transierit postea ad suam ecclesiam redire oportet.

Pastoralis offitii cura nos admonet, destitutis ecclesiis proprios constituere sacerdotes, qui gregem dominicum pastorali sollicitudine gubernare debeant. Propterea te Iohannem ab hostibus captiuatum Lesimanae ciuitatis episcopum in Squillitana ecclesia cardinalem necesse duximus statuere sacerdotem, ut et susceptam semel animarum curam intuitu futurae retributionis inpleas. Et licet tua sis hoste inminente depulsus, aliam, quae a pastore uacat, debes ecclesiam gubernare, ita tamen, ut si ciuitatem illam hostibus liberam effici et Domino protegente ad priorem statum contingerit reuocari, in eam, in qua prius ordinatus es, ecclesiam reuertaris; sin autem praedicta ciuitas continua captiuitatis calamitate premitur, in hac, in qua es incardinatus a nobis, debeas ecclesia permanere.

196. SYNODUS STEPHANI III. a. 769 HAB.

a) c. 3. D. LXXIX.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 277. Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. XII. p. 719. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. IV. p. 434. Jaffé-Wattenbach, s. a. 769.

Oportebat, ut hec sacrosancta domina nostra Romana ecclesia (iuxta quod a B. Petro et eius successoribus institutum est) rite ordinaretur, et in apostolatus culmen unus de cardinalibus presbiteris aut diaconibus consecraretur.

b) c. 4. D. LXXIX.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 277.

Nullus umquam laicorum neque ex alio ordine presumat nisi per distinctos gradus ascendens diaconus aut presbiter factus fuerit cardinalis, ad sacrum pontificalem honorem promoueri.

197. JOHANNES VIII. (872—882).

De iure cardinalium.

* Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. XVII. p. 247 seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 320. n. 2.

Itemque ex nostra praesenti constitutione bis in mense vel eo, amplius vel apud illum vel illum titulum, sive apud illam vel illam diaconiam, sive apud alias quaslibet ecclesias vos convenire mandamus. Et ob vestram et inferiorum clericorum vitam, et mores, et qualitates, et habitus vestium perscrutandum et qualiter quilibet praepositi se erga subditos habeant, vel quod subditi suis praepositis non oboediant et ad quaeque illicita amputanda, clericorum quoque et laicorum quaerimonias, quae ad nostrum iudicium pertinent, quantum fieri potest definiendas. Quippe cum sicut nostram mansuetudinem Moysi, ita et vestram fraternitatem septuaginta seniorum, qui sub eodem causarum negotia dijudicabant, vicissitudinem gerere certum habeamus. Item monasteria abbatibus viduata et abbatum, nostra praecedente conscientia, substitutionem his qui sunt inter nos, vel fuerint monasticae professionis disponenda commissimus.

Propter sollicitudinem autem ecclesiarum et clericorum earumdem disciplinam sive laicorum quaerimonias definiendas, bis in hebdomanda ad sacrosantum palatium iuxta decreta praedecessoris nostri Leonis quarti, vos convenire mandamus.

Item sancimus de parochiis nostris, quantumque pontifici competit, pontificali beneficio vos in perpetuo possidere, et in principalibus ecclesiis iuxta primatum vestrae consecrationis vicissim officia divina peragere et earum oblationibus, salva semper cardinalium diaconorum prisca consuetudine, aequaliter participare, tam propter usum vestrum, quam in ecclesiarum vestrarum luminarium concinnationes. [l. c. col. 247—248.]

198. JOHANNES XIX. (1024—1033).

Johannes Papa Episcopo Sylvae Candidae Ecclesiae.

* Ughelli, *Italia sacra.* Venetiis 1717 seq. T. I. p. 95. Hinschius, *Kirchenrecht,* Tom. I. p. 330. n. 3. Jaffé-Wattenbach, n. 4076 (3099).

Joannes episcopus, servus servorum Dei.

Convenit Apostolico moderamini pia religione pollentibus benevola compassione succurrere, et poscentium animis alacri devotione impertiri assensum. Ex hoc enim lucri potissimum praemium apud conditorem omnium Deum promerebimus, quando venerabilia loca opportune ordinata ad meliorem fuerint sine dubio statum perducta. Igitur quia dilectio tuae filiationis postulavit, quatenus concederemus, et confirmaremus tibi, tuoque venerabili Episcopio ea, quae a praedecessoribus nostris Pontificibus ob

restaurationem, et restitutionem sacri loci ipsius, et remedium animarum suarum, et suorum successorum in praefatum usum tui Episcopii concessa sunt, atque confirmaverunt; nos simili clementia praemoniti, et inclinati precibus vestris per huius nostri Apostolici privilegii seriem concedimus, et confirmamus tibi supradicto filio dilecto Petro Episcopo supradictum tuum episcopatum in integrum cum omni integritate sua cum universis plebibus, titulis, clericis, capellis, massis, curtibus, fundis, et casalibus, villis, vineis, terris, vel omnia, quae sub jure, et Dominio ejusdem Episcopatus adjacere, vel pertinere dignoscuntur. —

Etiam concedimus, et confirmamus vobis in perpetuum ecclesiam S. Mariae, cum omnibus suis pertinentiis infra hanc civitatem Romanam, non longe a monte, qui Augustus dicitur, pariter concedimus, et confirmamus vobis vestrisque successoribus in perpetuum, sicuti a memorato sanctissimo Papa, sive a certis praedecessoribus nostris Pontificibus concessa, et confirmata fuerunt, videlicet, monasteria quinque S. Stephani majoris, et minoris, sanctorumque Joannis, et Pauli, et B. Martini atque Teclae, constituta juxta magnam ecclesiam S. Petri cum omnibus eorum pertinentiis, omnesque consecrationes quae ibidem sunt, aut in praedicta alma ecclesia S. Petri, aut in caeteris ecclesiis, quae sunt constitutae in tota civitate Leonina, et si necessarium fuerit eas consecrare, nullus alius Episcopus ad tale ministerium, vel consecrationem accedere praesumat, nisi vos, vestrique successores Episcopi S. Sylvae Candidae ecclesiae in perpetuum. Concedimus autem et confirmamus vobis, vestrisque successoribus in perpetuum S. diem Sabbati ad baptismi sacramentum celebrandum, et totum officium faciendum, in ecclesia B. Petri Apostoli, et supra magnum Altare, in quo toto ven. Altari, seu in confessione, quicquid auri, vel argenti, pallii, vel cerae, sive aliarum rerum positum, vel oblatum, vel jactatum fuerit, vel vobis oblatum, ab hora videlicet diei tertia, qua ingredi ecclesiam ad ordinandum et peragendum divinum officium vos volumus, et usque quo expletam S. Dominicae diei missam habueritis per vestros curatores in vestram, vestrorumque successorum, remota omni contradictione, deveniat potestatem. Et quia usque ad nostrum tempus in praefata ecclesia S. Petri, a qua pene omnes ecclesiae doctrinam acceperunt, sicut a magistra, et domina dies Dominica Palmarum, et dies Coenae Domini, et Parasceve tam irreverenter colebantur, ut nec processio cum palmis in ipsa die Dominica ibi fieret, neque in die Coenae Domini Gloria in excelsis Deo diceretur, et in Parascéve non tamen reverenter uti decebat officium ibi fiebat. Condoluimus, et meliorare hoc cupientes, per vos, vestrosque successores, statuimus, ut omni annua die Dominica palmarum cum processione ab ecclesia S. Mariae in Turri exeatis, et venientes ad magnum altare S. Petri missam celebretis. Similiter, et omni anno, in die Coenae Domini vos, vestrosque successores

missam super eodem Altare S. Petri celebrare, Gloria in excelsis Deo dicere, S. Chrisma conficere, et quod ad Episcopum pertinet, agere volumus, et omnia anno die Parasceve supra ipsum altare maius S. Petri totum officium reverenter, ut decet vos, vestrosque successores facere volumus, in quibus tribus Missis, scilicet in Missa palmarum, seu in Missa Coenae Domini, et in officio Parasceve, quicquid auri vel argenti, pallii, seu cerae, vel aliarum rerum supra jam dicto sacro Altari S. Petri, sive in confessione positum, aut jactatum fuerit, vel vobis oblatum, ab hora, qua ipsa Missa, et officium inchoata fuerint, et expleta per nostros custodes in vestram, vestrorumque successorum similiter remota omni contradictione deveniat potestatem, in quibus quinque diebus si vobis, vestrisque successoribus utile visum fuerit aliquem Diaconorum nostrorum ministrare ob honorem S. Petri vestram reverentiam volumus petere; potestatem autem ejusdem ecclesiae S. Petri, et supradictorum suorum monasteriorum, et cuncta ecclesiastica judicia ipsorum, seu totius civitatis Leoninae vobis, vestrisque successoribus concedimus, et confirmamus; similique modo ad inungendum, et consecrandum Imperatorem primum vestram, et vestrorum successorum Episcoporum fraternitatem convocamus, ut quibus regimen totius ecclesiae S. Petri, et Civitatis Leoninae commissum est, ab his primum sit benedictum. Nec non cuncta sacra officia, seu mysteria, quae nos et successores nostri facere debemus, si aegritudine, vel aliqua cura impediti facere non possumus, tam in supradicta ecclesia S. Petri, et monasteriis suis, quam per totam civitatem Leoninam per vos vestrosque successores fieri Apostolica auctoritate decernimus. Consecrationem vero Altarium ecclesiae S. Petri et aliorum monasteriorum, nec non consecrationem ecclesiarum, altarium, Sacerdotum, Diaconorum, seu Diaconissarum totius civitatis Leoninae vobis, vestrisque successoribus in perpetuum sicut praelibatum est, concedimus, et confirmamus. Superque etiam ecclesiae SS. Rufinae, et Secundae, cui Deo auctore praesidetis, vobis, vestrisque successoribus in perpetuum concedimus, et confirmamus etiam ecclesiam S. Adalberti, et Paulini, cum ecclesia S. Benedicti, et omni sua integritate, et pertinentiis, et sicut ad manus vestras hodie tenetis posita infra hanc civitatem Romanam in insula Lycaoonia, ut sit vobis, vestrisque successoribus cum volueritis Episcopale domicilium, et congruum receptaculum, opportunumque habitaculum, quemadmodum interesse videtur Portuensem Ecclesiam, S. Johannem inter duos Pontes, presbyteros vero, et clericos, qui protempore in eadem ecclesia S. Adalberti, Paulini, et Benedicti fuerint, ita subiectos vobis esse volumus, ut proprios filios, ecclesiae vestrae, et ab omni jure illos subtrahimus, tuae paternitati tamen eos committentes, ut solummodo vestrum judicium expetent, vestro dominio famulentur, et per omnia vestris rationalibus obsecundent mandatis, ut quomodo vobis placet eos ordinare, secundum decet, regere, informare, et emendare nostra Apostolica auctoritate in perpetuum

liceat, praedictis vero omnibus locis, et familiis cum omnibus eorum pertinentibus, sicut superius missa sunt a praesenti decima indictione, tibi, tuisque successoribus in eodem venerabili Episcopio in perpetuum donamus, largimur, concedimus, et confirmamus, atque stabilimus perenniter in usum, et utilitatem ipsius venerabilis Episcopii, et Episcoporum, qui per tempora tenuerint ipsam ecclesiam. Statuentes quippe Apostolica censura sub divini iudicii obtestatione, et anathematis interdicto, ut nulli unquam nostrorum successorum Pontificum, vel qui publicas functi fuerint actiones, vel alia quaelibet magna, parvaque persona audeat, vel praesumat aliquid de omnibus, quae supra continentur, contra hoc nostrum Pontificale privilegium agere, vel alienare, aut auferre, scilicet potius firma, atque stabilia perpetuis temporibus, sicuti a nobis statuta, et confirmata sunt decernimus permanenda. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu contra hoc nostrum Apostolicum privilegium in quoquam transgressor esse praesumpserit, vel frangere ausus fuerit, et in omnibus obediens, et observator esse noluerit, sciat se auctoritate Dei omnipotentis, et Domini nostri Apostolorum principis Petri, cujus licet immeriti, Dei tamen dignatione gerimus vices, anathematis vinculo innodatum, et a Regno Dei alienum, atque cum Juda traditore Domini nostri Jesu Christi, et omnibus impiis socius sit in inferno. Qui vero pro intuitu custos, et observator hujus nostri Apostolici privilegii extiterit, meritis, atque precibus B. Petri Apostolorum principis, et SS. Martyrum Rufinae, et Secundae in aethereis arcibus praemia, et benedictionis gratiam, atque misericordiam, a justo judice Domino Deo nostro, vitam aeternam percipere, et inuenire mereantur in saecula saeculorum, Amen. Scriptum per manum Georgii notarii regionarii, atque Scriptoris S. R. Ecclesiae in mense Decembris, et indictione suprascripta X. — — — — — — — — — — — — — — — — —

Datum 16. Kal. Januarii per manus Benedicti Episcopi Portuensis, et vice Peregrini Coloniens. Archiepiscopi Bibliethecarii S. Apostolicae sedis; anno Pontificatus Domini nostri Joannis summi Pontificis, et universalis XIX. Papae in sacratissima sede B. Petri Apostoli, tertio mense Decemb. Indictione X. [circa a. 1026.]

199. CONCILIUM CONSTANTIENSE (1414—1418).

• Hübler, *Die Constanzer Reformation und die Concordate von 1418.* Leipzig 1867. p. 128—130. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 340. Friedberg, *Lehrbuch,* § 15. Sägmüller, *Lehrbuch.* § 105.

Art. I. *De numero qualitate et natione dominorum cardinalium.*

Statuimus ut deinceps numerus cardinalium S. R. E. adeo sit moderatus, quod nec sit gravis ecclesiae nec superflua numerositate vilescat. qui de omnibus partibus christianitatis proportionabiliter quantum fieri poterit

assumantur, ut notitia causarum et negotiorum in ecclesia emergentium facilius haberi possit et aequalitas regionum in honoribus ecclesiasticis observetur. sic tamen quod numerum viginti quatuor non excedant, nisi pro honore nationum quae Cardinales non habent unus vel duo pro semel de consilio et consensu cardinalium assumendi viderentur. — Sint autem viri in scientia moribus et rerum experientia excellentes, doctores in theologia aut in jure canonieo vel civili praeter admodum paucos qui de stirpe regia vel ducali vel magni principis oriundi existant, in quibus competens literatura sufficiat, non frater aut nepotes ex fratre vel sorore alicujus cardinalis viventis nec de uno ordine mendicantium ultra unum nec corpore vitiati aut alicujus criminis vel infamiae nota respersi. nec fiat eorum electio per auricularia vota solummodo sed etiam cum consilio cardinalium collegialiter, sicut in promotione episcoporum fieri consuevit. qui modus etiam observetur quando aliquis ex cardinalibus in episcopum assumetur.

200. CONCILIUM BASILIENSE (1431—1448).

Sessio XXIII.

* Mansi, *Conc. ampl. coll.* Tom. 29. p. 116 seq. Haller, *Concilium Basiliense.* Basel 1896 seq. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. VIII. p. 1 seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 310. n. 4. Friedberg, *Lehrbuch.* § 61. Sägmüller, *Lehrbuch.* § 88.

IV. *De numero et qualitate Cardinalium.*

Cum summo pontifici sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in dirigenda Christiana reipublica collaterales assistant, necesse est ut tales instituantur qui sicut nomine, ita re ipsa Cardines sint, super quos ostia universalis versentur et sustententur Ecclesiae. Statuit igitur sancta Synodus, ut deinceps eorum numerus adeo sit moderatus, quod nec sit gravis Ecclesiae, (quae nunc ob temporum malitiam plerisque gravibus affligitur incommodis) nec superflua numerositate vilescat. Qui de omnibus Christianitatis regionibus, quantum commode fieri poterit, assumantur, ut notitia rerum in Ecclesia emergentium facilius haberi, et super his maturius deliberari possit, sic tamen, quod numerum viginti quatuor inter hos qui nunc sunt et assumendos non excedant, ita quod de una natione ultra tertiam partem respectu Cardinalium pro tempore existentium, ac de una civitate et dioecesi ultra unum inde oriundum, et de ea natione quae nunc ultra tertiam partem habet, usque ad ipsius tertiae partis reductionem esse nequeant. Sint viri in scientia moribusque ac rerum experientia excellentes, non minores triginta annis, magistri, doctores seu licentiati cum rigore examinis in jure divino vel humano. Sit saltem tertia vel quarta pars de magistris aut licentiatis in sacra scriptura. Inter hos autem viginti quatuor esse aliqui poterunt admodum pauci filii, fratres aut nepotes regum seu magnorum

principum, in quibus cum circumspectione et maturitate morum competens litteratura sufficiat.

Non fiant Cardinales nepotes ex fratre vel sorore Romani pontificis, aut alicujus Cardinalis viventis, non illegitimi nati, non corpore vitiati nec alicujus criminis aut infamiae nota respersi. Praedicto autem numero viginti quatuor, pro magna Ecclesiae necessitate vel utilitate, duo alii in quibus vitae sanctitas vel eximiae virtutes refulgeant, quamquam memoratos gradus non habeant, ac de Graecis (cum Romanae Ecclesiae uniti fuerint) insignes aliqui viri adjici poterunt.

Non fiat Cardinalium electio solum per auricularia vota, sed illi solum assumi possint, in quos, facto vero scrutinio ac publicato, majorem partem Cardinalium per subscriptionem manus propriae constiterit collegialiter consensisse. Desuper etiam Apostolicae litterae cum subscriptione Cardinalium conficiantur, decreto hujus sacri Concilii in quarta sessione solemniter publicato, quod incipit: Item cum multiplicatio Cardinalium, etc. in suo robore inviolabiliter permansuro. Cum recipient Cardinales suae dignitatis insignia, quorum significatio est, ut pro bono universalis Ecclesiae sanguinem proprium (si opus sit) non vereantur effundere, jurabunt in publico consistorio, si sint in curia; si vero absentes, in manibus alicujus Episcopi, et publice, cui per litteras Apostolicas, in quibus forma juramenti inserta sit, commissum fuerit, in hunc modum.

Ego N. nuper assumptus in sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, ab hac hora in antea ero fidelis beato Petro, universalique et Romanae Ecclesiae ac summo Pontifici, ejusque successoribus canonice intrantibus: laborabo fideliter pro defensione Fidei catholicae, extirpationeque haeresum et errorum ac scismatum, reformatione morum, ac pace in populo Christiano. In alienationibus rerum et bonorum Ecclesiae Romanae, aut aliarum Ecclesiarum et beneficiorum quorumcumque, non consentiam nisi in casibus a jure permissis, et pro alienatis ab Ecclesia Romana recuperandis pro posse operam dabo. Non consulam quidquam summo Pontifici, nec subscribam me, nisi secundum Deum et conscientiam meam. Quae mihi per sedem Apostolicam commissa fuerint fideliter exequar. Cultum divinum in Ecclesia tituli mei, et ejus bona conservabo, sic me Deus adjuvet.

Pro conservandis Cardinalium titulis, quorum aliqui tam in divino cultu quam aedificiis nimium, proh dolor, in opprobrium sedis Apostolicae et ipsorum Cardinalium collapsi sunt, statuit haec sancta Synodus, ut de redditibus seu proventibus terrarum Romanae Ecclesiae, quorum medietas juxta constitutionem Nicolai Papae ad Cardinales (ut praedictum est) pertineat, decima pars ejus quod spectat ad quemlibet Cardinalium proprio titulo singulis annis applicetur. Et nihilo minus vel in vita vel in morte quilibet Cardinalis tantum proprio titulo relinquat, unde communiter una persona sustentari possit. Quod si non fecerit, tam pro hoc, quam pro dicta decima

parte, bona omnia ipsius Cardinalis obligata sint usque ad debitam satisfactionem. Et ad executionem hujus, oneramus primum Cardinalem illius ordinis de quo ille defunctus erat. Visitet per se quilibet Cardinalis praesens in curia, absens vero per vicarium idoneum singulis annis titulum suum, clericosque et populum Ecclesiarum subjectarum, et cum diligentia inquirat, et salubriter provideat, super cultu divino bonisque ipsarum Ecclesiarum, ac vita et moribus clericorum et parochianorum, de quibus, cum suae sint oves, in districto Dei judicio rationem redditurus est. Et tam quoad tempus visitandi, quam quoad alia, servet quae instituta sunt in decreto nostro de Conciliis Synodalibus. Etsi quemlibet Cardinalium tam ipsa dignitas quam propria perurgeat pollicitatio pro memoratis sanctis laborare operibus, nihilo minus ut eo efficacius res fiant, quo singulis quasi peculiariter distribuuntur, Episcopi Cardinales indagare curent, quae regiones haeresibus, erroribus, superstitionibus novis aut veteribus infectae sint: presbyteri, ubi mores et divinorum mandatorum observantia ac Ecclesiastica disciplina deficiant: diaconi, qui reges et principes seu populi bellis agitentur, vel agitari timeantur: et tanquam apes argumentosae tam apud summum Pontificem, quam inter seipsos diligenter ac accurate negotia haec sancta promoveant, operam dantes, ut ubi necessarium fuerit, salubri remedio provideatur. Ipse autem summus Pontifex, tanquam communis omnium pater et pastor, non solum rogatus ac solicitatus, sed proprio motu ubique investigari faciat, et quam potest omnibus filiorum morbis salutarem conferat medicinam. Si quando Papam (quod absit) negligentem aut remissum, seu agentem quae statum illius non decent, ipsi Cardinales inspexerint, filiali reverentia et caritate tanquam patrem obsecrent, ut officio pastorali honorique ac debito suo satisfaciat. Et primo quidem aliquis vel aliqui de per se, deinde si se non corrigat, omnes collegialiter accersitis quibusdam notabilibus Praelatis, praedicentes quod si non abstinuerit proximo Generali Concilio deferant: nec pro salute ipsius summi Pontificis et bono publico ejus odium vel quidquam aliud timeant, dum tamen reverenter et caritative id agant. Multo magis, si quem ex Cardinalibus aliquid perperam seu reprehensione dignum facientem Papa cognoverit, paterna semper caritate et juxta doctrinam Evangelicam corrigat, ut sic alter in alterum, pater in filio, et filii in patrem caritatis opera exercentes, Ecclesiam exemplari ac salubri moderamine gubernent. Praelatos et quoscumque alios, insignes praesertim viros ad curiam Romanam proficiscentes, Cardinales benigne et honorifice tam publice quam private pertractent, et apud summum Pontificem eorum negotia gratis ac liberaliter recommissa faciant. Et cum ei qui communis est omnium pater, Cardinales assistant, personarum acceptatores fieri vel advocatos valde indecens est. Propterea interdicit haec sancta Synodus, ut tanquam judicis collaterales partialitatem nullam accipiant; etiamsi de terra partiali originem ducant. Nec sint principum aut commu-

nitatum, seu aliorum contra quemquam, cum pretio vel sine, partiales protectores, aut defensores; sed exuti omnem passionem, in sedandis concordia vel justitia litibus Papae assistant. Principum autem et quorumcumque, praesertim pauperum ac religiosorum, gratis et sine ullo quaestu promovere justa negotia, tanquam caritatis opus, persuadet sancta Synodus, et commendat. Cum affabilitate et benignitate servent Cardinales gravitatem ac modestiam quae huic congruunt dignitati: pietatem autem, *quae* (secundum Apostolum) *ad omnia utilis est,* servent ad omnes. Affines suos, praesertim bene meritos ac pauperes, quamquam negligere non debeant, non tamen ipsos opum aut beneficiorum multitudine accumulent, ut alii inde scandalum patiantur. Caveant ne bona ab Ecclesiis profecta, ultra quam necessitatis ratio postulat, in carnem et sanguinem effundant. Cum tales sic ambulare in magnis Pontifex inspexerit, arguat atque obviet, ut decet, neque enim culpae erit expers, si juxta officium suum corrigenda non corrigat. Familia, mensa, supellex rerum et equorum tam Papae quam Cardinalium, nec numerositate, nec fastu, aut pompis, neque aliquo excessu reprehensibilis sit. Ita domum et quae in domo sunt moderate componat, ut alii non scandalum, sed frugalitatis capere exemplum possint. Tam summus Pontifex et Cardinales, quam ceteri Episcopi, constitutionem beati Gregorii in Generali Synodo editam servare studeant, cujus tenor hic est, quam haec sancta Synodus innovat.

Cum pastoris vita exemplo debeat esse discipulis, plerumque clerici, qualis in secreto sit vita sui Pontificis nesciunt, quam tamen saeculares pueri sciunt: de qua re praesenti decreto statuimus, ut quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi, in ministerio cubiculo Pontificali obsequantur, ut is qui in loco regiminis est, tales habeat testes qui veram ejus in secreto conversationem videant, et ex sedula visione exemplum profectus sumant.

Pascalis etiam Papae verba advertant dicentis: Episcopi lectioni et orationi vacent, et semper presbyteros et diaconos, aut alios boni testimonii clericos habeant, ut secundum Apostolum, et sanctorum patrum instituta, possint irreprehensibiles inveniri. Non expedit reipublicae, ut Cardinalibus, quos rebus arduis universalis Ecclesiae intentos fore oportet, aliae causae quam electionum Ecclesiarum cathedralium, aut monasteriorum, vel principum, aut universitatum, seu similes, per Papam aut cancellariam delegentur. Minores igitur litigiosae causae in auditorio Rotae, quod ad hoc institutum est, committantur. Neque Papa, neque Cardinales familiares suos, quasi munera accepturos, ad confirmatos vel provisos Praelatos de cetero mittant, ne, quod per se facere non decet, per alios fieri patiantur. Quod aliquando factum est, ut pro annulo in assignatione tituli Cardinalibus tradito post mortem ejus aliqua pecuniae summa vel res alia de bonis suis arripiatur, de cetero non fiat, cum labores eorum pro reipublica impensi exequias, si pauperes forent, potius de publico mereantur. [l. c. p. 116—119.]

201. SIXTUS V. (1585—1590).

a) De S. R. E. cardinalium creandorum praestantia, numero, ordine, aetate et qualitatibus et de optione sex Cathedralium Ecclesiarum, quae Cardinalibus conferuntur.

* *Magnum Bullarium Romanum.* Tom. II. p. 608 seq. Ranke, *Die römischen Päpste.* I. p. 265 seq. Hübner, *Sixtus der fünfte.* Leipzig 1871. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 338.

Postquam verus ille atque aeternus Pastor et Episcopus animarum Christus Dominus ad gubernandam universalem Ecclesiam, quam suo pretioso sanguine acquisivit, Apostolorum Principi Beato Petro, Coelestis simul ac terrenae tradidit plenitudinem potestatis, eique suas in Terris vices commisit, sicut in Cathedra ipsius Petri successor, et verus Christi Vicarius Romanus Pontifex Divina Praeordinatione, eiusdem supremae Apostolicae Dignitatis fastigium, et locum in Terris tenet, ita etiam Sacrosanctae Romanae Ecclesiae Cardinales repraesentantes Personas Sanctorum Apostolorum, dum Christo Salvatori, Regnum Dei praedicanti, atque Humanae Saluti mysterium operanti ministrarent, eidem Pontifici, in executione Sacerdotalis Officii, et in dirigenda ipsa Ecclesia Catholica, cui praeest, Consiliarii et Coadiutores assistunt, quasi oculi et aures, ac Nobilissimae Sacri Capitis partes, et praecipua illius membra a Spiritu Sancto constituta, qui in hac ipsa Ecclesiastica Hierarchia Divina Dispositione, instar illius Coelestis, cui ex altera parte respondet, ordinata, ad altissimum Gradum, cum ipso Romano Pontifice, communi Patre ac Pastore, ad quem ex omnibus undique Gentibus ac Nationibus, in gravissimis, maximeque arduis rebus fideles omnium Generum, omnium ordinum, summi, infimi quotidie confluunt, tanti ponderis molem, atque onus populorum sustineant, et pro animarum Salute, pro Fide, pro Iustitia, pro Unitate assidue invigilent, ac laborent, qui circa ipsum universali Ecclesiae serviendo, singularum Ecclesiarum commoditatibus se impendant, quorum consilio idem Pontifex agenda disponat, quorum opera et necessaria, et plurimum fructuosa universae Reipublicae Christianae in secundis rebus ornamento et commodo, in dubiis praesidio et adiumento esse possit. Qui denique pro exaltatione Catholicae Religionis, pro pace et quiete Christiani populi, pro augumento et honore Sanctae Sedis Apostolicae sanguinem, si ita res ferat, et Spiritum constanter effundant.

§ 1. Cum itaque ipsi veri cardines sint, et clarissima Ecclesiae lumina, Templi Dei bases, firmamenta et columina Christianae Reipublicae singulari quadam pietate ac doctrina, nec vulgari, aut mediocri, sed insigni atque eximia virtute abundare debent, ut quam gerunt personam, digne, et honorifice valeant sustinere. Ac quemadmodum praecipuae sunt partes summi Romani Praesulis in iis asciscendis exquisitam adhibere diligentiam, et accurata circumspectione providere, ut Viri optimi ac lectissimi assu-

mantur, et vel in hoc potissimum necessitati atque utilitati totius Ecclesiae sibi commissae consulatur, ita etiam Praelati, caeteraeque Personae Ecclesiasticae ad tantae dignitatis sublimitatem promovendi, anteactae vitae laude atque excellenti quadam, et rara meritorum commendatione prae caeteris fulgeant, necesse est, ut hoc amplissimo honore digni habeantur; siquidem eorum vita ac mores caeteris exemplo esse debent, verba et responsa pro oraculis, monita ac praecepta ab universis Christianis regulae et norma recte vivendi, recteque sentiendi existimantur, ab iis, quasi sapientissimis Magistris Ecclesiasticae disciplinae forma suscipitur, quae ad mores, vitamque cunctorum fidelium componendos longe lateque diffusa propagetur. Ipsi denique vere sunt sal terrae, ac lucernae positae super candelabrum, ut inter sanguinem et sanguinem, causam et causam, lepram et lepram discernant, ac doctrinae opportunitate et veritate, infirma confirment, disrupta consolident, depravata convertant, luceant omnibus, qui in Domo Domini habitant, ac primae huic Sedi assistentes cunctos Pastores, dum in gravioribus negotiis eamdem Sedem consulunt, ejusve opem implorant, suo judicio, consilio et auctoritate instruere, dirigere, ac docere non cessent. Caeterum, cum non solum ad eos spectet plurima et maxima momenti negotia et causas, quae eis in dies committuntur, praeclara fide et prudentia cognoscere, ac Legationibus in Provinciis gubernandis, et in gravioribus rebus, saepius ad Reges et Imperatores perfungi.

§ 2. Sed, quod omnium caput et summa est, ex eorum corpore, numero, et collegio, ille ipse, qui cunctis Pastoribus est praeficiendus, ac totius Dominici Gregis curam habiturus, Summus Pontifex deligatur, iidemque illum suis suffragiis creent, qui tunc demum publico bono Christiani populi, optimus sine ulla dubitatione existet, si e numero et suffragiis bonorum deligetur, in hac sacra electione censendi sunt veri interpretes, atque internuntii voluntatis Dei, cuius Spiritu sicut universum Ecclesiae corpus sanctificatur et regitur, ita maxime hoc totum hujusmodi electionis opus ejusdem afflatu et instinctu absolvi certissimum est, atque omnibus exploratum, ut vel ex hoc ipso perspici possit, quanta in eis requiratur puritas et sinceritas, ab omni carnis affectu, privatorum commodorum cura, et factionum studiis aliena, quorum pectora et voces, templa et organa futura sint Spiritus Sancti, et ex quibus quasi seminibus is sit prodituras, in quem totius Apostolicae potestatis plenitudo, Deo annuente, merito conferatur.

§ 3. Quapropter, ut tanti muneris amplitudo ea qua decet observantia et admiratione apud cunctos mortales honoretur, et in quos ob celsitudinem gradus, omnium oculi, omnium ora convertuntur, in eis summae dignitatis praeclaritas et splendor eluceat, atque in eis glorificetur Deus, honorificetur Sacerdotale Ministerium, et Animae Fidelium laetificentur, certe sacris amplissimis hujus honoris insignibus ii demum decorandi videntur, qui eximia eruditione, innocentia ac sanctitate, et omni virtutum genere a

vero solidorum bonorum largitore Deo supra ceteros fuerint illustrati. Proinde nos, postquam placuit Divinae Bonitati imbecillitatem nostram ad summi Apostolatus apicem vocare, inter caeteras, quas pro bono universalis Ecclesiae, his maxime turbulentis temporibus, dies, noctesque suscipimus curas et cogitationes, hanc ipsam Pontificia nostra solicitudine dignissimam judicavimus, ut ad communem salutem, et profectum Christiani Populi, nostrae curae crediti, ac ad ipsius Sanctae Romanae Ecclesiae decus et ornamentum, circa Cardinalium electionem atque assumptionem, tam a Praedecessoribus nostris, quam a nobis hactenus editas sanctiones et decreta expenderemus; in quibus licet pleraque salubriter ac prudenter disposita et ordinata fuerint, quia tamen res humanae facile in deterius prolabuntur, nisi sit, qui eas assidue renovet, atque conservet, easdem illas Sanctiones et Decreta partim innovando, partim declarando, partim pro rerum et temporum exigentia supplendo, et in melius reformando, habita super his cum Venerabilibus Fratribus nostris, ejusdem Sacrae Romanae Ecclesiae Cardinalibus deliberatione matura, de eorumdem Fratrum consilio et unanimi consensu, hanc nostram perpetuo valituram Constitutionem duximus promulgandam, qua et nosmetipsos in re tam gravi nostri muneris admonemus, et quam nobis legem imponimus, eamdem nostris Successoribus indicamus, quos et sui Officii non immemores fore confidimus, et se aliquando in districto ac tremendo Dei Judicio suae villicationis rationem esse reddituros, Apostolo dicente; Omnes stabimus ante Tribunal Christi, et unusquisque nostrum pro se rationem reddet Deo.

§ 4. Primum igitur, cum ita exposcente rerum ac temporum qualitate et occasione recensum fuerit a veteri illo more admodum paucos viros in sacrum Collegium adscribendi, jamque plures nostra aetate Cardinales quam antiquitus in ipsum Collegium cooptari consueverint, tum ut, juxta generalis Concilii Tridentini decretum omnium Christianitatis Nationum ratio habeatur, tum quia in eodem Collegio multi, quae est humani corporis infirmitas, senectute vel morbis frequenter gravati, haud commode tanto oneri assidue substinendo sufficere queunt, ut in hoc moderatio congrua adhibeatur, et certi limites praescribantur, ne vel ad veterem illam paucitatem eos redigamus, vel rursus eorum honor nimia ac superflua numerositate vilescat quod interdum et nos ipsi dum in minoribus essemus, vidimus et experti sumus. Ac ut veteris Synagogae figura sanctae et Apostolicae Ecclesiae veritati respondeat, sequi cupientes mandatum Domini factum ad Moysen, de congregandis septuaginta viris de Senibus Israel, quos nosset Senes populi esse et Magistros, ut secum onus populi sustentarent, et non ipse solus gravaretur, super quos ad ostium tabernaculi ductos, loquente Domino, Spiritus, requievit, de pia dictorum Fratrum nostrorum consilio, perpetuo statuimus et ordinamus, ut in posterum connumeratis omnibus cujusque ordinis Episcopis, Presbyteris et Diaconis Cardi-

nalibus, qui nunc sunt, quique in futurum creabuntur, cuncti simul numerum septuaginta nullo umquam tempore excedant, ac talis numerus quovis praetextu, occasione, vel causa etiam urgentissima, minime augeatur. Quod si unum vel plures a nobis vel pro tempore existente Romano Pontifice in futurum ultra dictum numerum eligi in Cardinalem, aut creari aut pronunciari contigerit, decernimus hujusmodi electionem, creationem et pronuntiationem nullam, irritam et inanem fore, et censendam esse, nullumque jus seu titulum re aut nomine sic electo seu electis acquiri, neque eorum quemquam pro Cardinali haberi aut reputari posse aut debere, neque dictam electionem, creationem, pronuntiationem ab initio invalidam et ultra numerum factam si postea ad praescriptum numerum moriente uno vel pluribus Cardinalibus ipsum Collegium redigatur, propterea ex post facto convalescere, sed uti a principio sic deinceps in perpetuum nullius fore roboris vel momenti.

§ 5. Quoniam vero jam inde ab antiquissimis etiam Apostolorum temporibus Diaconorum ordo ad inserviendum et ministrandum in Ecclesia Dei ex magna providentia dignoscitur institutus, et pro temporum varietate modo major, modo minor numerus esse consuevit, ita ut aliquando septem, interdum quatuordecim, quandoque vero decem et octo Diaconi fuerint, et tamen hoc tempore tum propter eorum parvum numerum, tum propter aliquorum absentiam a Romana Curia, adeo pauci reperiuntur, ut eorum officio satisfacere nequeant, immo saepius Presbyteri Cardinales loco Diaconorum, contra Patrum instituta Pontifici assistere et ministrare cogantur. Idcirco statuimus, ut ex praedicto numero Cardinalium, Diaconi quatuordecim, reliqui omnes praeter sex Episcopos, Presbyteri sint et esse debeant.

§ 6. Neque posthac quispiam in Diaconum Cardinalem assumi possit, nisi saltem in vigesimo secundo suae aetatis anno fuerit constitutus, ita ut omnino intra annum ad sacrum Diaconatus ordinem valeat et debeat promoveri, alioquin si anno elapso ad ipsum Diaconatus ordinem promotus non fuerit, eo ipso tam in consistorialibus, et omnibus aliis actibus, et negotiis Cardinalitiis, quam etiam juxta constitutionem felicis recordationis Pii Papae Quarti Praedecessoris nostri super reformatione Conclavis editam, in electione Romani Pontificis voce activa et passiva omnino careat, ac privatus existat.

§ 7. Diaconorum autem numerus sic praefinitus perpetuo retineatur, ac Diaconi in eodem Ordine semper remaneant, et si qui eorum ex devotionis fervore ad Presbyteratus ordinem promoti fuerint, semper tamen in eodem Diaconatus ordine et officio ministrent, et suum locum inter Diaconos Cardinales teneant, donec ex cardinalibus de novo creandis sive eligendis, alii Diaconi praedictum numerum suppleant, et in eorum locum subrogentur ac substituantur. Quo casu antiquiores Diaconi ad Presbyteratus ordinem promoti, ad Presbyteros Cardinales transire atque inter eos sedere valeant et connumerari.

§ 8. Ut vero Diaconos Cardinales, qui in sua vocatione permanserint, et in Ministerio ordinis sui perseveraverint, maioribus honoribus prosequamur, volumus ut cum aliquam ex sex Cathedralibus Ecclesiis, quibus Episcopi Cardinales praesunt, primo, secundo, et tertio per obitum vel translationem, aut alias pro tempore vacare contigerit, antiquior quidem Presbyter Cardinalis praesens, salvo cuique Episcopo Cardinali jure transeundi ad eam, dimissa priore cui praeerat, ut moris est, promoveatur, sed ubi post tres vacationes, tres itidem ex ipsis Presbyteris Cardinalibus in Episcopos praefecti fuerint, tunc si quarta alicujus harum Ecclesiarum vacatio contigerit, excluso, ea tantum vice, antiquiore Presbytero, prior Diaconorum Cardinalium qui praesens fuerit, et in aetate legitima constitutus, vel si ille noluerit, aut nequiverit assumi, sequens Diaconus eisdem qualitatibus praeditus, ad eam promoveatur, et ita deinceps in huiusmodi vacationibus sex Ecclesiarum praedictarum perpetuo observetur, ut post tres Presbyterorum ad dictas Ecclesias promotiones, quarta occurrente vacatione, prior Diaconorum aut sequens, ut praefertur, in Episcopum praeficiatur.

§ 9. Inter hos septuaginta Cardinales, praeter egregios utriusque Juris aut decretorum Doctores, non desint aliquot insignes viri in sacra Theologia Magistri praesertim ex Regularibus, et Mendicantium Ordinibus assumendi, saltem quatuor, non tamen pauciores.

§ 10. Antiquum vero Clementis, Anacleti, Evaristi, Alexandri et aliorum Sanctorum Pontificum Praedecessorum nostrorum morem, per sexcentos et amplius annos continuata serie observatum sequi volentes, ac decretum alias per nos in nostro Consistorio editum innovantes, perpetuo sancimus tempus creandorum Cardinalium, seu promotionis ad Cardinalatus honorem faciendae, mense Decembri dumtaxat in ipsis temporibus seu diebus jejuniorum, et non aliis esse debere.

§ 11. Ut autem ipsi Cardinales in regimine universalis Ecclesiae nobis, et pro tempore existenti Romano Pontifici utiliter assistere valeant, ac de omnibus Christianorum Regnorum Provinciarumque moribus, rebus et negotiis prompte et fideliter certa ab eis notitia, pro rerum emergentium opportunitate habeatur, praedicti Concilii Tridentini decreto inhaerentes, statuimus, ut ex omnibus Christianitatis nationibus, quantum commode fieri poterit, idonei assumantur.

§ 12. Praeterea, qui Cardinales creandi erunt, legitimis, et honestis sint exorti natalibus, neque ulla prorsus labe, aut illegitimorum natalium suspicione quovis modo laborent, sed omni macula, et impuritate careant, alioquin ad tam eminentem dignitatis gradum, penitus inhabiles, et illius incapaces sint, et esse censeantur. Quocirca considerantes, quod licet tanta sit vis, et efficacia Sacramenti Matrimonii, quod Apostolo teste, Magnum est in Christo, et in Ecclesia; ut qui antea geniti erant, ex soluto, et soluta, inter quos rite Matrimonium constare poterat, post illud contractum legi-

timi habeantur, in nonnullis tamen Provinciis, et Dominiis, nobilitatis privilegiis non gaudent, nec ad saecularia officia, honores et dignitates, neque ad nobilium feudorum, et statuum successiones admittuntur, quodque multo magis indecorum videretur, et ab Apostolicae Sedis dignitate alienum, si huiusmodi illegitimi per sequens Matrimonium, ut praefertur, legitimati, in Cardinales assumerentur, ac Cardinalatus celsitudo, et splendor, qui dignitati Regiae comparatur, facile deprimi, commaculari, aut quodammodo inobscurari posset. Ideo ut puriori dignitati puriores natales respondeant quoscumque illegitime natos, quorumvis, etiam Magnorum Principum, etiam Ducali, aut majori, etiam Regia, et Imperiali auctoritate fulgentium filios quocumque gradu, dignitate, et praeeminentia praeditos, etiam genitos ex soluto, et soluta, inter quos tunc Matrimonium constare poterat, ac postea per subsequens Matrimonium, etiam rite, et solemniter in facie Ecclesiae contractum, vel alias legitimatos, et quomodolibet habilitatos, et natalibus restitutos, ac quorumvis bonorum capaces effectos, etiamsi cum eis, ut hanc ipsam dignitatem obtinere valeant, super defectu natalium fuerit expresse, et in specie auctoritate Apostolica quomodolibet dispensatum, nihilominus praedictae Cardinalatus dignitatis prorsus incapaces et ad eam obtinendam perpetuo inhabiles decernimus, ac declaramus.

§ 13. Sed et insuper prohibemus, ne ii, quos propter defectus vitia, aut impedimenta quaecumque ad sacros Ordines secundum canonicas sanctiones promoveri fas non est, etiamsi cum ipsis dicta auctoritate Apostolica fuerit dispensatum, neve alicujus criminis, aut infamiae nota respersi, in Cardinales ullo unquam tempore assumantur.

§ 14. Caeterum, ut non solum honore, sed etiam re ipsa cardines sint, super quibus ostia universalis Ecclesiae tuto nitantur, divinaque et humana ministeria sibi commissa utilius exequi possint, statuimus, ut lectissimi, et praecellentes viri in ipsum Collegium adscribantur, et quorum vitae probitas, morum candor, praestans doctrina, et eruditio, eximia pietas, et erga salutem animarum ardens studium, et zelus, in dandis consiliis sincera fides et integritas, in rebus gerendis singularis prudentia, constantia, et auctoritas, et aliae qualitates a jure requisitae, tam ipsi Pontifici, quam universo Collegio cognitae, et probatae sint.

§ 15. Ac proinde ne homines sacrarum rerum plane imperiti, et rudes atque Ecclesiasticarum functionum ignari, quasi in Ecclesia Dei hospites, et peregrini statim huiusmodi muneri praeficiantur, juxta decretum jam pridem a nobis in praedicto Consitorio nostro sancitum, quod pariter harum serie innovamus, districte interdicimus, ne quis ullatenus ad Cardinalatus honorem assumi queat, nisi qui antea clericali charactere insignitus, et in quatuor minoribus Ordinibus constitutus, per annum saltem habitum, et tonsuram gestaverit clericalem.

§ 16. Cum autem ad honorem adeo sublimem promovendi omni virtutum, et praesertim castimoniae laude supra caeteros plurimum eminere debeant, qui vero filios, etiam legitimos, ex uxore sua alias dignoscitur suscepisse, certum nequeat suae testimonium continentiae exhibere, et pater erga proprios filios naturali affectu nimia quadam propensione feratur, verendumque sit ne propterea variis propriae domus negotiis, ac multiplici liberorum cura distractus, Ecclesiae negotia sibi credita, aut negligenter tractet aut minus solicite, et fideliter quam par est, ejusdem Ecclesiae jura tueatur, prohibemus, ne aliquis, qui utriuslibet sexus filium, seu filios, etiam ex legitimo matrimonio susceptos, vel nepotem, seu nepotes ex eis habeat, ullatenus in Cardinalem assumi, aut promoveri possit.

§ 17. Insuper, ut factionum fomitem et simultatum ansam, ex facto hoc coetu quantum cum Domino possumus amputemus, decretum piae memoriae Julii Papae III. Praedecessoris nostri in sacro olim Consistorio editum approbantes, et declarantes, similiter perpetuo interdicimus, ne ullo umquam tempore assumatur, aliquis posthac in ejusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem, qui Frater ex utroque vel alterutro parente germanus existat alterius Cardinalis viventis, ita ut eodem tempore duo Fratres germani in eodem Collegio nullatenus esse possint. Quinimmo idem decretum extendentes et ampliantes, prohibemus quoque ne patruele vel amitino aut consobrino Cardinale vivente, alter ejus patruelis vel amitinus aut consobrinus ad Cardinalatum valeat promoveri.

§ 18. Sed, et pari ratione sancimus, ne Patruo aut Avunculo Cardinali vivente, eius ex fratre vel sorore nepos, nec rursus nepote, ex fratre vel sorore Cardinali existente, illius Patruus aut Avunculus, nec ullus denique alius, qui primo aut secundo tantum consanguinitatis gradu alicui Cardinali viventi conjunctus sit, quamdiu is vixerit in Cardinalem assumi possit. Ita ut omnes, et singuli praedicti tam pater filios aut nepotes habens, quam fratres germani, patrueles, amitini, consobrini, Patruus, Avunculus, nepos ex fratre vel sorore, et quivis ut supra primo aut secundo gradu conjunctus alter altero Cardinali vivente, ad Cardinalatum inhabiles, et illius incapaces sint, et censeantur, neque eorum aliquis Cardinalis creari valeat, neque adversus hanc prohibitionem ex quacumque etiam urgentissima causa cum eis liceat dispensari. Et nihilominus electio, creatio, ac pronuntiatio Cardinalium huiusmodi contra praesentem prohibitionem, aut interdictum facta, et attentata, nulla, irrita, et inanis sit eo ipso, ac cum omnibus inde secutis nullius sit roboris vel momenti.

§ 19. Postremo attendentes proprium esse eorumdem Cardinalium munus assistere, ut praemittitur, Christi in Terris Vicario, eique in regenda Ecclesia Catholica consilium et operam assidue praestare, atque cum eo Ecclesiae necessitatibus providere, ipsosque tum ad id ex ipsius officii debito, tum ex sanctorum Patrum decretis teneri, ac propterea absurdum esse

Cardinales procul ab ipso Pontifice vitam agere, et locum mansionemque suam in Ecclesia Dei adeo praecelsam contra huiusmodi Officii debitum, et in suarum perniciem animarum negligere ac deserere, inhaerentes decreto similiter a nobis in Consistorio nostro dudum desuper promulgato de eorumdem Fratrum consilio statuimus et ordinamus, ne quis in posterum a Romana Curia absens Cardinalis creetur, aut pronuncietur, nisi hac adjecta, conditione, ut intra annum in Romanam Curiam venire, et Apostolorum limina visitare teneatur, necnon, antequam Biretum rubrum, quod a Romano Pontifice de more benedici, ac per certum Nuncium mitti solet, ei tradatur, illiusve capiti imponatur, juret in manibus personae alicujus in dignitate Ecclesiastica constitutae, cui id negotii datum fuerit, se intra annum a die praestiti juramenti numerandum omni mora postposita, et impedimento remoto, ad Urbem, vel alio, ubi Romana Curia eo tempore fuerit, personaliter adventurum, ut sistat se nobis, aut pro tempore existenti Romano Pontifici, et Sanctae Sedi Apostolicae cujus obsequiis erit ascriptus, et quamdiu ipsi Pontifici visum fuerit, muneri suo incumbat: atque ita de legibus, moribus, consuetudinibus, ac toto statu ejusdem Sedis plene instruantur, atque ad Ecclesiae seu Provinciae, cui forsan praeerit, necessitates sublevandas, abusus tollendos, mores reformandos, Ecclesiasticam disciplinam, si qua ex parte labefactata fuerit, restituendam opportuna, et salutaria consilia ab ipsius Pontificis paterna charitate, sapientia, et vigilantia recipiat, et pro viribus exequatur. Cuius quidem juramenti postquam per eum praestitum fuerit, publicum inde instrumentum conficiatur, et in forma authentica ad nos, vel nostri pro tempore Successorem nulla interposita mora transmittatur. Quod si forte id jurare recusaverit, volumus ut Biretum rubrum ei omnino denegetur, ac nequaquam tradatur, sed ipso facto, absque alia declaratione, vel decreto Cardinalatus honore privatus existat, atque habeatur, in omnibus et per omnia acsi numquam in Cardinalem assumptus, vel promotus fuisset. Inhabilis quoque ad eamdem dignitatem postea obtinendam, et illius incapax efficiatur. Sin autem juret, ac Biretum rubrum accipiat, sed tamen postea ad Urbem, et Romanam Curiam, ut praefertur, intra annum a die praestiti juramenti non comparuerit, tunc pariter absque alia declaratione Cardinalatus dignitate, officio, titulo, denominatione, atque omnibus, et quibuscumque illius insignibus, facultatibus, privilegiis aut auctoritatibus careat eo ipso, et perpetuo privatus sit, et esse censeatur, perinde ac si numquam inter Cardinales cooptatus fuisset, nec Biretum rubrum accepisset. Quod quidem biretum post id tempus confestim deponere omnino teneatur.

§ 20. Decernentes sic in praemissis omnibus, et singulis per quoscumque Judices, et Commissarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et ipsos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, in quavis causa et instantia, sublata eis, et eorum cuique quavis aliter judicandi, et interpretandi

facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, necnon irritum, et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

§ 21. Non obstantibus Apostolicis, ac in generalibus Conciliis editis constitutionibus, et ordinationibus etc.

§ 22. Caeterum, ut praesentes literae omnibus innotescant, mandamus illas ad valvas Lateranensis, et Principis Apostolorum de Urbe Basilicarum, atque Cancellariae Apostolicae, et in acie campi Florae more solito publicari etc.

§ 23. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam etc.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo sexto, tertio nonas Decembris, Pontificatus nostri Anno secundo. [l. c. pag. 608—612].

b) Praefinitio Titulorum et Diaconorum pro S. R. E. Presbyteris et Diaconis Cardinalibus.

* *Magnum Bullarium Romanum.* Tom. II. p. 621 seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 338. Marucchi, *Éléments d' archeologie chrétienne.* Tom. III. *Basiliques et Églises de Rome.* Rome 1893.

Religiosa sanctorum Pontificum Praedecessorum nostrorum providentia institutum olim fuit, jam inde a vetustissimis temporibus, et posteris traditum, ut Sanctae Romanae Ecclesiae Presbyteris, certae in Urbe Roma Ecclesiae, Tituli appellatae, quasi quaedam cujusque propriae Dioeceses, Diaconis vero, Urbis regiones ad Christianae Religionis propagationem et conservationem assignarentur. Quae quidem sancta institutio plurium saeculorum continuata serie, ac pro temporum varietate susceptis incrementis, ad nostram usque aetatem servata, ita viget, ut praeter sex Episcopos Cardinales, qui certis Cathedralibus Ecclesiis Urbi finitimis praesunt, singulis Presbiteris et Diaconis Cardinalibus propriae in Urbe Ecclesiae Tituli videlicet et Diaconiae cum suis Clero et Populo, ac quasi Episcopali jurisdictione in spiritualibus et temporalibus regendae et administrandae committantur.

§ 1. Proinde nos, postquam per nostram nuper editam Constitutio nem, creandorum Cardinalium numerum, computatis sex Episcopis praedictis, quatuordecim Diaconis, reliquis vero Presbyteris Cardinalibus, ad septuaginta praescripsimus, nunc quoque ad Dei honorem, atque ad ipsius Sanctae Romanae Ecclesiae decus et ornamentum, ac Romani Cleri et Populi bonum regimen, salubremque directionem, eisdem Presbyteris, et Diaconis Cardinalibus totidem Titulos et Diaconias, ipsorum amplitudini et dignitati maxime congruentes, duximus assignandos. Ac licet pleraeque ex antiquis Ecclesiis in Titulos et Diaconias concedi solitis, aut a Praedecessoribus nostris successu temporum additis, adhuc integrae, et illaesae permaneant, tamen quia nonnullae, tum diuturnitate et injuria temporum, tum

diversis quae olim contigerunt ejusdem Urbis direptionibus, incendiis, et ruinis collapsae sunt, Nos antiquae pietatis, et Religionis Christianae monumenta conservare cupientes, sicuti Sacrosanctas Basilicas, et augustiora templa antiquitate ipsa veneranda, nedum sarta tecta custodiri, sed et ingenti nostro sumptu refici, instaurari, et ornari indies magis curamus, ita etiam primo quidem loco veteres, et nobiles Ecclesias, priscis temporibus in titulos Presbyterorum Cardinalium, ut praefertur, institutas, delegimus, easque omnes quae adhuc extant, volumus omnino in Titulos pro modernis, et futuris Presbyteris Cardinalibus retinere. Deinde ex iis, quae recenti memoria in Titulos erectae fuerunt, praetermissis quibusdam, propter loci incommoditatem, aut alias minus idoneis, caeteras itidem retinere, ac demum, ne titulorum numerus Presbyteris Cardinalibus desit, exemplo nonnullorum nostrorum Praedecessorum, alias partim antiquas, nondum tamen huiusmodi honore decoratas, partim vero recentiores, celebres tamen Ecclesias, dignitate Praesulum majorem in modum illustrare, et in similes Titulos erigere, et instituere, ac pro numero Presbyterorum Cardinalium tot Titulos addere et supplere, ex Diaconiis quoque antiquitus institutis, quatuordecim magis insignes pro totidem Diaconis Cardinalibus seligere, et congrua distinctione confusionem perpetuo tollere decrevimus, eosdem nimirum Titulos et Diaconias proprios cujusque ordinis certos, et distinctos assignando, ita ut nunquam in posterum, quod hactenus saepe factum est, Presbyteris Diaconiae, neque Diaconis Tituli Presbyterales, perturbato ordine aut promiscue concedantur. Quod quidem rationi consentaneum videtur, ut quemadmodum Summus Pontifex universali Ecclesiae praesidens, et omnium totius Orbis Ecclesiarum solicitudinem gerens, specialiter tamen Urbis Romae Episcopus existit, et in ea divina dispositione supremam Sacerdotalis potestatis Cathedram tenet, pari quoque ratione Cardinalibus, quos uti speciales S. R. E. filios, in Apostolici muneris functione, atque in universae Reipublicae Christianae administratione praecipuos, sibique maxime conjunctos habet Consiliarios et Cooperatores in eadem Urbe Roma, quae olim B. Petri Sede in ea constituta, ipsius, et Coapostoli ejus Pauli doctrinae et martyrio consecrata, et Caput Christiani Orbis et Religionis effecta est certa Sedes, mansionem et locum unicuique proprium assignet, cujus quidem loci concessione, iidem Cardinales et sui officii admoneantur, et residentiae, quam assistendo ipsi Romano Pontifici servare debent, et vel ex hoc magis tamquam in unum corpus compacta membra, sacro capiti connexa esse, et ab illo dependere clarius dignoscantur.

§ 2. Habita igitur cum Venerabilibus Fratribus nostris ejusdem S. R. E. Cardinalibus deliberatione matura, de eorum consilio et assensu, statuimus et ordinamus in posterum perpetuis futuris temporibus, Presbyteris Cardinalibus, has tantum, quae infra descriptae sunt, Ecclesias, neque alias in titulis assignari debere, videlicet, ex antiquis Sanctae Crucis in Hierusalem,

Sanctorum Marcellini et Petri, Sanctorum Quatuor Coronatorum, Sanctorum Joannis et Pauli, Sanctae Anastasiae, Sanctae Sabinae, Sancti Stephani in Coelio monte, Sancti Clementis, Sanctorum Nerei et Achillei, Sanctae Susannae, Sanctae Pudentianae, Sancti Sixti, Sancti Petri ad Vincula, Sancti Martini in Montibus, Sancti Eusebii, Sanctae Priscae, Sancti Vitalis, Sancti Marci, Sancti Marcelli, Sancti Laurentii in Lucina, Basilicae duodecim Apostolorum, Sancti Laurentii in Damaso, quae Sanctae Romanae Ecclesiae Vicecancellario pro tempore existenti perpetuo concessa et assignata est, Sanctae Balbinae, Sanctae Caeciliae, et Chrysogoni, Sanctae Praxedis, Sanctae Mariae Transtiberim. Ex posterioribus vero Sanctorum Quirici et Julitae, Sancti Joannis ante Portam Latinam, Sanctae Agnesis in Agone, Sancti Laurentii in Palisperna, Sancti Thomae in Parione, Sancti Silvestri in Campo Martino, Sancti Pancratii, Sancti Bartholomaei in Insula, Sancti Matthaei in Merulana, Sanctae Mariae de Aracoeli, Sanctae Mariae in Via, Sanctae Mariae supra Minervam, Sanctae Mariae Angelorum in Thermis, Sancti Hieronymi Illiricorum, necnon quas supradictis antiquis, et posterius institutis addimus, et ex nunc in Titulos Presbyterorum Cardinalium, cum honoribus, insignibus, privilegiis, auctoritatibus, et praeeminentiis debitis, et consuetis, instar aliarum Ecclesiarum, quae in similes Titulos per nostros Praedecessores antiquitus erectae et institutae fuerunt, sine alicujus praejudicio, perpetuo erigimus et instituimus, ac Titulorum nomine et dignitate insignimus, et decoramus, Sancti Honuphrii in Janiculo, murato illius statu ex Diaconia quae hactenus fuit, in Titulum Presbyteralem, Sancti Augustini, Sanctae Mariae de Populo, Sancti Alexii in Aventino, Sancti Blasii de Annulo, Sanctae Mariae de Pace, Sancti Salvatoris de Lauro, Sancti Petri in Monte Aureo, Sanctissimae Trinitatis in Monte Pincio, Sanctae Mariae Transpontinae.

§ 3. Ex Diaconiis vero antiquis statuimus retinenda esse tantummodo quatuordecim infra scriptas, videlicet Sanctae Mariae in Aquirio, Sanctae Mariae in Cosmedin, Sanctorum Cosmae et Damiani, Sanctae Mariae Novae, Sancti Hadriani, Sanctae Mariae in Via lata, Sanctae Mariae in Porticu, Sancti Angeli in foro Piscario, Sancti Nicolai in Carcere Tulliano, Sanctae Mariae in Dominica, Sancti Eustachii, Sancti Viti in Macello, Sanctae Agathae, ac Sancti Georgii ad Velabrum Ecclesias, quae insigniores existunt, et praescriptum a nobis Diaconorum Cardinalium numerum exaeequant.

§ 4. Ita ut computatis Ecclesiis Cathedralibus, videlicet Ostiensi et Veliterna invicem unitis, Portuensi et Sanctae Rufinae itidem unitis, Albanensi, Sabinensi, Tusculana, et Praenestina, quibus sex Episcopi Cardinales praesunt, et titulis Presbyterorum superius designatis, numerum septuaginta Ecclesiarum constituant.

§ 5. Ei aliter praeterea Titulus supra numerum additus sit, ut si quando contingat Diaconum vel Episcopum Cardinalem Vicecancellarium

esse et ideo eumdem dictae Ecclesiae Sancti Laurentii in Damaso, quae Vicecancellario pro tempore existenti per literas foelicis recordationis Clementis Papae VII. Praedecessoris nostri perpetuo, ut praefertur, concessa, et assignata fuit, praeesse, alicui presbytero Cardinali proprius titulus non desit.

§ 6. Omnes vero alias Ecclesias, quae per praesentem nostram constitutionem Presbyteris Cardinalibus, etiam forsan ex dispensatione Apostolica, pro Diaconia obtinentur, itidem omnes et quascumque ex quatuordecim superius enumeratis Diaconiis, quae Presbyteris Cardinalibus in Titulos forsan, etiam ex simili dispensatione concessa alias fuerunt, et ab iis obtinentur, demum omnes et quascumque Ecclesias superius non expressas, ipsis Presbyteris aut Diaconis, Cardinalibus in titulos aut Diaconias commissas et assignatas, ac per ipsos obtentas volumus et decernimus per praesentes, ex nunc eo ipso vacare, et quascumque illarum assignationes, concessiones, necnon dispensationes desuper etiam Motu proprio et consistorialiter, ac de simili Fratrum Consilio expeditas, quae a Praedecessoribus nostris, quaeque a nobismetipsis emanarunt, literasque Apostolicas desuper confectas, processusque habitos per easdem, et inde secuta quaecumque cassamus, irritamus, et annullamus, irritaque et nulla, ac nullius roboris vel momenti esse nuntiamus, mox assignaturi eisdem Cardinalibus, ex quorum personis Ecclesiae in Titulos aut Diaconias per eos hactenus obtentae, vigore huius nostri decreti vacant, et eorum cuilibet, alios Titulos aut Diaconias ex supradicto numero, proprio cujusque ordini congruentes.

§ 7. In aliis vero, praeterquam supra nominatis Ecclesiis, etiamsi earum aliquae in Titulos Presbyterorum, aut denominationes Diaconorum Cardinalium concedi solitae sunt, et Cardinales iis praefici consueverunt (quarum singularum situationes et invocationes praesentibus haberi volumus pro expressis) nomina, insignia, denominationes, et statum hujusmodi Titulorum aut Diaconiarum perpetuo supprimimus et extinguimus, ac districte etiam interdicimus, ne de caetero umquam, perpetuis futuris temporibus, alia quam ex suprascripto numero Ecclesia, in Titulum aut denominationem Cardinalatus, cuipiam Presbytero aut Diacono Cardinali, concedatur aut assignetur, neque aliis quam supra nominatis Titulis aut Diaconiis, presbyteri vel Diaconi Cardinales praeficiantur, neve umquam aliqua ex supradictis Diaconiis, Presbytero, neque contra, ullus ex dictis Titulis Diacono Cardinali quomodolibet concedatur vel assignetur, neque cum iis, aut eorum aliquo, ex quavis causa, desuper dispensetur.

§ 8. Sed et decreta alias in Consistorio super hoc edicta, innovantes et ampliantes, pari ratione, etiam perpetuo prohibemus, ne in posterum alicui Presbytero aut Diacono Cardinali, qui alterum Titulum aut Diaconiam quomodolibet assecutus fuerit, quive ex ordine Diaconorum ad ordinem Presbyterorum, vel ad episcopalem dignitatem transierit, aut ex ordine Presbyteratus in Episcopum pariter promotus fuerit, licentia et facultas re-

tinendi Priorem Ecclesiam sui Tituli vel Diaconiae in administrationem aut in titulum, neve Canonicatuum, et Praebendarum, Dignitatum, Officiorum aut Beneficiorum dimissi Tituli vel Diaconiae collatio, neque Palatii domus, vineae, hortorum, aut fructuum, reddituum, et proventuum, aut jurium quorumcumque ad huiusmodi Titulos seu Diaconias pertinentium, ad tempus seu ad vitam retentio, aut ulla alia reservatio, quovis praetextu, occasione, vel causa, etiam melioramentorum et sumptuum in illarum reparationem, necessitatem, sive utilitatem factorum, concedantur, sed volumus ut ipsi Tituli et Diaconiae, cum illis annexis, juribusque et pertinentiis suis universis, libere dimittantur.

§ 9. Insuper praecipimus et perpetuo ordinamus, ut de cetero in quibuscumque literis Apostolicis, in quibus Cardinalium subscriptio manu propria facienda erit, iidem Cardinales, etiam Tituli, seu Diaconiae, vel Episcopatus sui Cardinalatus nomine expresso se subscribant.

§ 10. Decernentes per hujusmodi erectionem et instructionem, decem praedictas per nos in titulos erectas Ecclesias tantummodo, novis privilegiis et dignitate auctas, decoratas et insignitas, nihil autem omnino praejudicii cuiquam illatum, nihil alieni juris detractum, aut immutatum, censeri posse aut debere; sicque per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, et Cardinales praedictos, sublata eis et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, et in quavis causa et instantia, judicari et definiri debere, necnon irritum et inane, si secus super praemissis, eorumve aliquo a quoquam, quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 11. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac Ecclesiarum supradictarum, et aliarum quarumcumque, necnon Ordinum juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, illis, ac quibusvis personis quomodolibet concessis, approbatis, et innovatis. Quibus omnibus, illorum tenores praesentibus pro expressis habentes, specialiter et expresse derogamus; caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 12. Si igitur ipsi Cardinales, quibus huiusmodi Ecclesiarum regimen, cura, et administratio pro tempore commissa erunt, eas in spiritualibus et temporalibus solicite, fideliter et prudenter, regant et gubernent, ac juxta constitutionem piae memoriae Leonis Papae Decimi Praedecessori nostri, in Concilio Lateranensi novissime celebrato, editam, frequenter visitent, circa cultum divinum invigilent, mores ac vitam Cleri et Populi eis subjecti diligenter explorent, eosque ad recte et honeste vivendum paterno moneant affectu, bonorum ac temporalium reddituum curam gerant, sic ad Dei gloriam et fidelis populi aedificationem, pia et magnifica structura et fabrica, suas quique Ecclesias instaurare studeant et exornare; et tam in vita quam in mortis articulo, pro divini cultus augmento, et salute anima-

rum suarum, ac congrue sustentandum aliquem Presbyterum, qui inibi in divinis deserviat, sive alias erga ipsas Ecclesias, si reparatione indigeant, vel alia subventione, de bonis sibi a Deo collatis, prout cuique pro modo facultatum conscientia dictaverit, munificos se exhibeant et liberales, ut earumdem Ecclesiarum decora et ornamenta, tantorum Praesulum re spondeant dignitati, ac ipsae Ecclesiae tam sublimibus personis gaudeant se commissas, et earum amplitudine illustrata; iidemque Cardinales exinde ipsius Sanctae Romanae Ecclesiae, cuius nobilissima membra sunt, majestatem, sua pietate, solicitudine, et prudentia in dies magis extollant, et reverentiam omnium gentium erga illam exemplis bonorum operum insigniter augeant, ac denique praeter aeternae retributionis praemia, digna quoque laudum praeconia, a nobis et Apostolica Sede valeant promereri.

§ 13. Mandamus vero, ut praesentes literae in Quinterno Cancellariae Apostolicae de more describantur.

§ 14. Nulli ergo omnino hominum liceat etc.

Dat. Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, millesimo quingentesimo octuagesimo septimo, Idus Aprilis, Pontificatus nostri Anno 2. [l. c. pag. 621—623.]

202. FORMULA JURAMENTI CARDINALIUM SAEC. XIX. ADHIBITA.

* *Analecta iuris pontificii.* Ser. II. (1857), p. 1934 seq. Hinschius, *Kirchenrecht,* Tom. I. p. 343,

Ego . . . Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalis . . . promitto, et juro, me ab hac hora deinceps, quamdiu vixero, fidelem, et obedientem *Beato Petro,* Sanctaeque et Apostolicae Romanae Ecclesiae, ac *Sanctissimo Domino Nostro Papae* ejusque Successoribus canonice, legitimeque electis futurum; nullum consilium, aut consensum, vel auxilium adversus Pontificiam Majestatem, aut personam praestiturum; consilia mihi ab eis per se, aut Nuncios, aut per literas credita, nemini unquam scientem, prudentemque in eorum damnum, vel dedecus enunciaturum, praesto item eis futurum, ut ipsi Papatum Romanum, et regalia Sancti Petri retineant, defendant, et recuperent, salvo meo ordine, adversus omnes; honorem, et statum eorum omni studio, et totis viribus propugnaturum. Legatos, et Nuncios Sedis Apostolicae benigne, et honorifice in terris et locis Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum Beneficiorum mihi commissorum directurum, et defensurum, ipsisque securum iter curaturum, ac eosdem in eundo, morando, et redeundo honorifice tractaturum et quibuscumque contra eos aliquid conantibus, usque ad sanguinem restiturum. Jura, honores, privilegia, et auctoritatem Sanctae Romanae Ecclesiae, Domini Nostri Papae, et Successorum praedictorum conservare, augere, et promovere omnibus sensibus curaturum, ubi vero contra illa aliquid praejudicii, quod a me impediri nequeat, machinando intentetur, statimque procurari, vel tractari noverim,

eidem Domino Nostro, vel Successoribus praedictis, aut alteri, per quem possit ad notitiam eorum perferri, significaturum; Sanctorum Patrum Regulas, Decreta, et Ordinationes, dispensationes, reservationes, provisiones, et mandata Apostolica, et Constitutionem felicis recordationis Sixti Papae Quinti de visitandis Liminibus Apostolorum, certis praescriptis temporibus, juxta illius tenorem nuper a me perlectum, observaturum, et adimpleturum, ab aliisque observari, et adimpleri procuraturum. Haereticos, schismaticos, et rebelles eidem Domino Nostro Papae vel Successoribus praedictis omni conatu persecuturum, et impugnaturum. Accersitum ab eodem Sanctissimo Domino Nostro, et Successoribus praedictis ex quacumque causa, ad eos profecturum, vel justo impedimento detentum, excusatorem missurum, eisque reverentiam, et obedientiam debitas exhibiturum. Possessiones ad Mensam Ecclesiarum, Monasteriorum, et aliorum Beneficiorum mihi commissorum, seu ad illa quomodolibet pertinentes, nequaquam venditurum, neque donaturum, neque oppignoraturum, neque de novo infeudaturum, neque aliter alienaturum, inconsulto Romano Pontifice, etiam cum consensu Capitulorum, seu Conventuum Ecclesiarum, Monasteriorum, vel beneficiorum eorumdem: et Constitutionem Beati Pii Quinti, quae incipit *Admonet,* sub datum Romae quarto kalendas aprilis, anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Pontificatus sui anno secundo, una cum Declarationibus Romanorum Pontificum successorum, praesertim Innocentii Papae Noni sub datum Romae pridie nonas novembris anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo nonagesimo primo, Pontificatus sui anno primo, et felicis recordationis Clementis Octavi sub datum Romae decimo sexto kalendas martii anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, Pontificatus sui anno primo, de civitatibus et locis Sanctae Romanae Ecclesiae non infeudandis, seu alienandis perpetuo observaturum; necnon perpetuo, et inviolabiliter observare promitto, atque juro, decreta, et incorporationes facta, et factas per eumdem Clementem Octavum sub diebus vigesima sexta junii, praedicti anni millesimi quingentesimi nonagesimi secundi, die secunda novembris millesimi quingentesimi nonagesimi septimi: decima nona januarii, et undecima februarii millesimi quingentesimi nonagesimi octavi, de civitate Ferrariae, et toto ejus Ducatu, nec non de civitatibus, et locis quibuscumque per obitum bonae memoriae Alphonsi ultimi Ferrariae Ducis, seu alias ad Sanctam Romanam Ecclesiam, et Sedem Apostolicam devolutis, ab eo recuperatis. Item decreta, et incorporationes facta, et factas per recolendae memoriae Urbanum Octavum sub die duodecima maii millesimi sexcentesimi trigesimi primi, de civitatibus Urbini, Eugubii, Calli, Forisempronii, totoque Urbini ducatu, nec non de civitatibus Pisauri, Senogalliae, Sancti Leonis, cum statu Montis Feltrii, et Vicariatu Mondavii, aliisque oppidis, et locis quibuscumque per obitum bonae memomoriae Francisci Mariae ultimi Ducis, seu alias ad

Sanctam Romanam Ecclesiam devolutis, et recuperatis. Item decretum, et incorporationem per felicis recordationis Alexandrum Septimum die vigesima decembris millesimi sexcentesimi sexagesimi, in consistorio factum, et factam de ducatu Castri, statuque Roncilionis, atque aliorum locorum, terrarum, seu bonorum, alias per Raynutium Parmensium Ducem Camerae Apostolicae venditorum, et constitutionem ejusdem felicis recordationis Alexandri Septimi ratione, et occasione Decreti, et incorporationis hujusmodi, die vigesima quarta januarii millesimi sexcentesimi sexagesimi primi, publicatam, cum confirmatione, innovatione, extensione, et declaratione aliorum decretorum, et constitutionum per Romanos Pontifices de non infeudando editarum, et contra ipsa, et ipsas quocumque tempore, et quacumque causa, colore, titulo, vel occasione etiam evidentis necessitatis, et utilitatis nullo modo directe vel indirecte venire, tractare, moliri, aut machinare, aut auxilium, seu consilium dare, et consensum praestare: quinimo cuicumque tractatui, et machinationi semper, et perpetuo dissentire, opponere, resistere, ac quascumque machinationes et tractatus, qui ad meam notitiam pervenerint, per me ipsum, seu meum nuncium Sanctitati Suae, et ejus Successoribus legitime intrantibus, statim revelare, tam sub poenis in dictis Constitutionibus contentis, quam aliis quibuscumque gravioribus Sanctitati Suae, et ejus Successoribus praedictis bene visis. Item constitutionem felicis recordationis Innocentii Papae Duodecimi moderatoriam Donationum, et distributionis redituum ecclesiarum in consanguineos, vel affines Romani Pontificis, sub datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo nonagesimo secundo, decimo kalendas julii Pontificatus sui anno primo. Et demum literas memorati Urbani Papae Octavi sub datum Romae apud sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo vigesimo quinto kalendas februarii Pontificatus sui anno tertio, confirmationis Bullae recolendae memoriae Gregorii Papae Decimi Quinti de electione Romani Pontificis juxta illarum tenores a me perlectos, et plene cognitos. Item omnia, et singula, quae per eumdem Urbanum, seu Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, vel alios ab eo deputatos, vel a Sanctissimo Domino Nostro, aut pro tempore existente Romano Pontifice ad hoc specialiter deputandos, et praecipue omnia, et singula decreta a Sacra Caeremoniali Congregatione hactenus emanata, et in posterum emanatura pro sublimi ejus cardinalatus honore, et dignitate conservanda, decerni, statui, et ordinari contigerit, et signanter Motum proprium ejusdem Innocentii Papae Decimi, confirmationis Decreti ab eadem Sacra Caeremoniali Congregatione facti super aequalitate inter Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales servanda in honorificis appellationibus, seu titulis eorum cuilibet attribuendis, et super expunctione Coronarum, aliarumque notarum saecularium a gentilitiis eorumdem Cardinalium insigniis, sigillis, seu armis, sub datum Romae apud Sanctum Petrum anno

Incarnationis Dominicae millesimo sexcentesimo quadragesimo quarto, decimo quarto kalendas januarii Pontificatus sui anno primo, juxta illius tenorem mihi plene cognitum, me ad unguem observaturum, neque quidquam, quod ejusdem Cardinalatus honori, et dignitati quovis modo, et ex quavis causa repugnet, aut diminuat, acturum. Iuraque Annuli Cardinalitii per eumdem Gregorium Decimum Quintum Congregationi de Propaganda Fide concessa, et applicata eidem Congregationi juxta concessionis, et applicationis huiusmodi formam, et tenorem persoluturum, et super praemissis omnibus absolutionem non petiturum, et oblatam nullo modo recepturum.

Sic me Deus adjuvet, et haec Sancta Dei Evangelia.

[l. c. col. 1934—1936.]

VII. CURIA ROMANA.

Phillips, *Kirchenrecht.* Tom. VI. p. 297, 362, 557 seqq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 373 seq. Scherer, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 471 seqq. Friedberg, *Lehrbuch.* § 62. Sägmüller, *Lehrbuch.* § 89. Stutz, *Kirchenrecht,* § 69. Bangen, *Die römische Kurie, ihre gegenwärtige Zusammensetzung und ihr Geschäftsgang.* München 1854. *Des congregations romaines et de leur pratique (An. iur. pont.* Tom. II. p. 2230). O. Mejer, *Die heutige römische Kurie, ihre Behörden und ihr Geschäftsgang (Zeitschrift für das Recht und die Politik der Kirche.* I. p. 54 seq.) Bouix, *Tractatus de Curia romana.* Paris 1859. Simor, *De sacris Congregationibus et de illarum auctoritate. (Archiv für kathol. Kirchenrecht.* 1864. p. 410 seq.). Markgraf, *Die römische Kurie in ihrer Ausbildung und Verfassung.* 1875. Lega, *De origine et natura sacrarum romanarum congregationum. (Anal. eccles.* 1896. p. 45 seq.).

---

203. ORDINES ROMANI.

* Mabillon, *Museum italicum, seu collectio veterum scriptorum ex bibliothecis italicis.* Lutetiae Parisiorum 1724. Tom. II. p. 4, 89, 122, 201 seq. Probst, *Die ältesten römischen Sacramentarien und Ordines.* Münster 1892. p. 386 seq. Grisar in *Zeitschrift für kathol. Theologie.* Tom. V. p. 699; Tom. IX. p. 395; Tom. X. p. 727. *Kirchenlexicon* s. v. Ordo II. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 375 seq.

Ordo romanus I.

(Qualiter Missa pontificalis celebretur).

2. Diebus itaque sollemnibus, sicuti est Pascha, primo omnes acolythi regionis tertiae, et defensores omnium regionum convenientes diluculo in patriarchio Lateranensi, praecedunt Pontificem pedestres ad stationem. Stratores autem laici a dextris, et a sinistris equi ambulent, ne alicubi titubet. Qui autem eum equitantes praecedunt, hi sunt: diacones, primicerius, et duo notarii regionarii, defensores regionarii, subdiaconi regionarii. Procedunt vero divisis turmis, spatium inter se et Apostolicum facientes. Post equum vero hi sunt qui equitant: vicedominus, vestararius, nomenculator, atque saccellarius. Unus autem ex acolythis stationarius praecedit pedester

equum Pontificis, gestans sanctum chrisma manu in mappula involuta cum ampulla. Sed et omnes acolythi absque sacculis, et sindonibus, et chrismate non procedunt: quod disponit stationarius. Si quis autem adire voluerit Pontificem; si equitat, statim ut eum viderit, descendat de equo, et ex latere viae expectet, usque dum ab eo possit audiri. Et petita ab eo benedictione discutiatur a nomenculatore vel saccellario causa ejus: et ipsi indicant Pontifici, et finiunt: quod et similiter observabitur, etiamsi absque ulla petitione ei quisquam obvius fuerit. Qui vero pedester fuerit, tantummodo loco suo figitur, ut ab eo audiatur, vel benedicatur.

3. Die autem Resurrectionis dominicae, procedente eo ad sanctam Mariam, notarius regionarius stat in loco qui dicitur Merolanas, et salutato Pontifice dicit: *In nomine domini nostri Jesu-Christi baptizati sunt hesterna nocte in sancta Dei genitrice Maria infantes masculi numero tanti, feminae tantae.* Respondit Pontifex, *Deo gratias.* Et accipit a saccellario solidum unum: Pontifex autem pergit ad stationem. Feria secunda ad remissa simpliciter. Feria tertia in reflexione porticus sancti Pauli, tantum item qui pedestres obsequuntur. In die vero sancti Paschae omnes acolythi regionis tertiae simul et defensores omnium regionum conveniunt primo diluculo in patriarchio Lateranensi, ut dum processerit Pontifex equum illius praecedant. Acolythi autem, qui inde fuerint, observant, ut portent chrisma ante Pontificem, et evangelia, sindones et sacculos, et aquamanus post eum, sicut supra diximus. Apostolum autem subdiaconus, qui lecturus est, sub cura sua habebit: evangelium archidiaconus. Aquamanus, patenam quotidianam, calicem, scyphos, et pugillares [alios argenteos] et alios aureos, et gemelliones argenteos, colatorium argenteum et aureum, et alium majorem argenteum; amas argenteas, cantatorium et cetera vasa aurea et argentea, cereostata aurea et argentea, de ecclesia Salvatoris per manum primi mansionarii sumunt, et bajuli portant. Diebus vero festis calicem et patenam majores, et evangelia majora de vestiario dominico exigunt sub sigillo vesterarii per numerum gemmarum, ut non perdantur. Sellam autem Pontificis cubicularius laicus praecedens deportat, ut parata sit dum in sacrarium venerit. [l. c. pag. 4—5.]

Ordo romanus IX.

(De gradibus Romanae Ecclesiae).

1. Primum, in qualicumque schola reperti fuerint pueri bene psallentes, tolluntur inde, et nutriuntur in schola cantorum, et postea fiunt cubicularii. Si autem nobilium filii fuerint, statim in cubiculo nutriuntur. Ex hac accipient primam benedictionem ab archidiacono, ut liceat eis super linteum vellosum sedere, quod mos est ponere super sellam equi. Dein, sicut Sacramentorum codex continet, quando et ubi libitum fuerit, usque in subdiaconatus officium ordinantur: diaconi vero atque presbyteri num-

quam nisi in publica ordinatione. Fit enim conventus populi et congregatio regionum, primum ad sanctum Adrianum: et inde pergit Pontifex una cum populo, praecedente solito apparatu, id est cruces, thuribula, vel tale, usque ad sanctam Mariam ad praesepem. Accedente Pontifice ad altare, schola cantorum repetit letaniam, dein Introitum, et Pontifex dicit, *Oremus.* et diaconus, *Flectamus genua.* Post collectam ascendit lector in ambonem, et elevata voce legit lectionem de quarta feria, et sequitur gradale. Dein dicit Pontifex, *Dominus vobiscum.* Diaconus ut supra. Post collectam ascendit lector in ambonem, et elevata voce legit brevem in auribus populi, sic continentem: *Cognoscat fraternitas vestra, quia ill. et ill. vocantur in tali officio. Si quis habet contra hos viros aliquam querelam, exeat confidenter propter Deum et secundum Deum, et dicat. Memor sit tamen omnino communionis suae.* Quod si nullus contradictor exstiterit, sequitur lectio, et responsorium. [l. c. pag. 89—90.]

Ordo romanus XI.

(Benedicti B. Petri canonici Liber pollicitus).

8. Media autem nocte surgens audito signo dominus Papa, eum omnibus ordinibus ad sanctum Leonem venire debet, ibique mansionarius praeparat thuribulum episcopo, et episcopus Pontifici, omnibus indutis de suis indumentis. Cubicularii vero cum duabus faculis accensis, et camerarii cum duobus candelabris et faculis accensis debent ire ante Pontificem. Pontifex autem primum incensat altare sancti Leonis: deinde cum processione incedens per porticum pontificium ad sanctum Gregorium, primum incensat altare ejus, et altare sancti Sebastiani, et altare sancti Tiburtii: deinde duo altaria in mediana ad crucifixos, ubi ab antiquis patribus audivimus requiescere apostolos Simonem et Judam. Postea vadit ad sudarium Christi, quod vocatur Veronica, et incensat, et altare sanctae Mariae similiter, Postea ascendit ad sanctum Pastorem juxta arcum triumphalem, et incensat. Deinde descendens ad corpus, incensat altare super sepulcrum S. Petri: et sic sedet in subsellio cum candelabris ante se. Paraphonista cum schola incipit vigilias, *Ex Aegypto vocavi filium meum;* psalmus, *Beatus vir.* Secunda ant. *Ecce apparebit Dominus supra nubem candidam;* psalmus, *Quare fremuerunt gentes.* Tertia ant. *Ecce veniet Dominus, quem Johannes praedicavit;* psalmus, *Domine quid multiplicati sunt.* Deinde duo subdiaconi basilicarii dicum versum: acolythi tenent librum stationalem, et cubicularii faculas, et basilicarii legunt lectiones, *Gaudens gaudebo in domino:* diaconus praecinit, *Tu autem.* Primicerius cum schola cantat responsoria. Finitis tribus lectionibus, primicerius dicit, *Te Deum laudamus.* Subdiaconus regionarius porrigit Sacramentarium episcopo, et episcopus tenet ante Pontificem; et basilicarii tenent candelabra, et Pontifex dicit orationem. Diaconus dicit, *Benedicamus Domino,* et dominus Papa benedicit.

57. Interim convenientibus omnibus patriarcharium canonicis cum suis crucibus in basilicam Salvatoris, quae vocatur Constantiniana, ubi dominus Pontifex post altare ejusdem ecclesiae induit se cum episcopis, cardinalibus, et aliis ordinibus sacri palatii; tunc primicerius cum cantoribus cantat, *Populus Sion.* Finito cantu, dominus Pontifex dicit: *Oremus;* archidiaconus, *Flectamus genua;* alius respondet, *Levate;* et Pontifex dicit orationem. Schola respondet: *Amen.* Archidiaconus nunciat: *Procedamus cum pace;* schola respondet: *In nomine Christi.* Subdiaconus vero regionarius elevat crucem stationalem de altari, quam plene portat in brachio, ut osculetur ab omnibus, in processione ante Pontificem usque in exitu ecclesiae; deinde levat eam erectam. Primicerius cum schola post domnum Papam tenens pallium cum laeva, primum incipit antiphonam: *Domine Dominus noster.* Deinde Lateranum eamdem antiphonam; postea sancta Maria major: in quarto loco sanctus Petrus. Finitis patriarchiis, primiceris iterum incipit eamdem antiphonam; et hoc ordine cantantur aliae antiphonae per totam viam, dum Pontifex cantat psalmos. [l. c. pag. 122—123, 146.]

Ordo romanus XII.

(De consuetudinibus et observantiis presbyterio vel scholari et aliis Eccl. Rom. in praecipuis sollemnitatibus, auctore Cencio de Sabellis).

XXXIV. *Quid debeat habere et facere magister Senescalcus.*

58. Senescalcus major, qui servit domino Papae in coronatione ultima in Pascha et in Nativitate Domini, et in consecratione domini Papae, debet habere unam scutellam argenteam trium marcarum et dimidiae in singulis praedictis festivitatibus, si coronatur; et debet recipere victualia pro quindecim hominibus unoquoque die coronationis; et debet comedere in panetaria cum sociis suis, antequam dominus Papa redeat a Missa; et debet recipere a pincerna unam aquariciam clareti, et unam vini; et debet habere ad domum suam sex capita porcorum parata, et sex aquariciolas clareti unoquoque die coronationis; et debet habere in unaquaque coronatione medietatem cepi, et medietatem de omnibus coriis bestiarum, quae veniunt in mensa domini Papae, dum festum duraverit.

XXXV. *Quid debet habere magister Pincerna, et facere.*

59. Magister pincerna, qui domino Papae in die coronationis suae ad mensam servit, debet habere cuppam unam trium marcarum et dimidiae argenti. Ipse vero pincerna debet eadem die dare buticulariis quotidianariis domini Papae zonam unam de serico; debet etiam comedere, antequam dominus Papa veniat de Missa, pro quindecim sociis comestionem accipiens; et debet habere sex capita porcina aptata, et sex aquaricias clareti,

quae ad domum suam transmittit, et in comestione sua unam aquariciam clareti, et aliam vini: et in die Paschae, et die lunae post Pascha, post Vesperas ad sanctum Johannem in in Fonte unum barile plenum vino, et unam bonam aquariciam plenam clareti, ut det domino Papae et omnibus adstantibus. [l. c. pag. 201—202.]

204. MARTINUS V. (1417–1431.)

Statuta et ordinationes observandae ab Auditoribus Rotae Romanae, Advocatisque, Procuratoribus et Notariis eius Curiae.

* *Magnum Bullarium Romanum.* Tom. I. p. 300–303. Bangen, *Die römische Kurie.* p. 292 seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 396.

Martinus Papa V. etc. Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Romani Pontificis providentia circumspecta, nonnumquam gesta per eum, rationabilibus et honestis suadentibus causis moderatur, et commutat in melius prout in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Nuper si quidem videlicet pridie Nonas Februarii Pontificatus nostri Anno sexto, quaedam constitutiones, et ordinationes, quae reformationes officialium Romanae Curiae concernere videbantur, in Audientia literarum contradictarum lectae fuerunt, et etiam publicatae. Et quia nonnulla nimium rigorosa continebantur in illis, quae in ipsorum officialium nimis grave dispendium, et praejudicium redundabant, eas per nostrae provisionis officium, habitaque super his deliberatione matura, in melius duximus commutandas. Illas igitur constitutiones, et ordinationes, ut praemittitur publicatas, auctoritate praesentium perinde haberi volentes, ac si in eadem audientia lectae et publicatae minime extitissent, et a nobis nullatenus emanassent.

§ 2. Infrascriptas constitutiones, et ordinationes nostras, in eadem Audientia legi, et publicari volumus, et iubemus easque praecipimus ab omnibus inviolabiliter observari. Et licet foel. rec. Joannes XVII. et Greg. XI. Romani Pontifices praedecessores nostri nonnullas constitutiones, et ordinationes, circa regimen et ordinationem officialium, et officiorum ejusdem Curiae laudabiliter ediderint; quia tamen illis mundi crescente malitia, aut debite non servantur, aut additionibus utilibus indigere noscuntur, Nos super his intendentes prout ex debito pastoralis officii obligamur, salubriter providere constitutiones, et ordinationes dictorum praedecessorum tenore praesentium auctoritate Apostolica innovantes eas cum additionibus infrascriptis quas vim perpetuae constitutionis habere decernimus, praecipimus firmiter observari. Mandantes ex nunc Venerabili fratri nostro Joanni Episcopo Ostiensi S. R. E. Vicecancellario, et in Cancellaria Apostolica Praesidenti, eorumque successoribus, quatenus illas faciant diligentius observari. Quae ut attentius observentur statuimus, quod singuli Sedis Apostolicae

Notarii, et tam praedictae, quam Palatii Apostolici causarum Auditores, Corrector, Scriptores, Abbreviatores literarum Apostolicarum, Advocati, Procuratores, et Notarii causarum dicti Palatii, necnon Senescalcus, qui Custos ex dictae Cancellariae, constitutiones, et additiones, praedictas infra mensem a die publicationis praesentium computandum habere, et de hoc infra alium mensem immediate sequentem, dictum Vicecancellarium certificare, et alia circa praemissa facere, et observare teneantur, prout constitutionibus dictorum praedecessorum, ac praesentibus plenius continetur.

§ 3. De Auditoribus autem causarum Palatii Apostolici, et aliis in Romana Curia Judicibus, eorumque Notariis constitutiones dictorum praedecessorum super hoc laudabiliter editas volumus firmiter observari, quas Auditores, et Notarii praedicti apud se caeteris hujusmodi teneantur ut praefertur habere, et circa illarum observationem diligenter intendere. Verum si quis ex eisdem Auditoribus de praemissarum constitutionum transgressione, seu de praecipitatione justitiae negligentia, corruptione, et munerum acceptione notatus fuerit, seu vagus, at alias male, vel inhoneste versetur, et dicta Curia per praefatum Vicecancellarium, vel ejus Vicegerentem charitative moneatur, ut ab his se abstineat, et emendet, bonamque famam acquirere studeat et in vita laudabiliter perseveret. Qui si sic monitus se emendare neglerexit, et per tres menses continuos post monitionem hujusmodi, eadem nota, vel infamia repertus in proposito suae opinionis permaneat, per Vicecancellarium, aut Vicegerentem praedictum, causae sibis nullatenus committantur, et si per alios tres menses simili nota, vel infamia notatus fuerit, et se emendaverit, tunc idem Vicecancellarius, aut Vicegerens praemissa nobis referre teneatur, ut super hoc possit salubriter provideri.

§ 4. Caeterum statuimus, et etiam ordinamus, quod si contingat inter easdem personas super eadem re de diversis Auditoribus, aut judicibus aliquam causam committi, is cui primo fuerit praesentata commissio super causa hujusmodi remaneat ejusdem causae Judex. Quod si de jurisdictione alterius extiterit pro parte adversa data exceptio, tunc cujus fuerit jurisdictio primitus cognoscat ille, coram quo excipitur, et exceptio alteri Judici intimetur. Quod si constare non potest, cui primo fuerit commissio praesentata, antiquior Auditor Judex sit causae, et junior causam ipsam eidem Auditori antiquiori dimittat, nec ulterius quivis eorum judicium in causa procedat, donec fuerit judicatum. Et si ulterius procedatur ante cognitionem hujusmodi, non valeat processus. Auditor vero, aut judex alius, vel Notarius qui circa hoc ac retinendum causam aliquid dolose egerit, excommunicationis sententiam incurrat eo ipso, a qua non possit nisi per Vicecancellarium praedictum absolvi, aut de ejus mandato, et refusis prius parti laesae expensis, et damnis.

§ 5. Statuimus etiam, quod nullus in Notarium alicujus Auditoris dicti Palatii nisi vigesimum quintum suae aetatis annum attigerit, et alias

Notariatus officium exercuerit. Sitque boni nominis, et laudabilis famae, ac sufficiens, et idoneus ad Notariatus officium causarum dicti Palatii exercendum, et post diligentem examinationem, et informationem super habitam per ipsum Vicecancellarium aut deputandum ab eo de praemissis constiterit, admittatur.

§ 6. Quodque Notarii dictorum Auditorum sua Notariatus officia non locent, nec vendant, alioquim, et officium, et pretium perdant, ipsumque pretium Apostolicae Camerae applicetur, et officium alteri conferatur. Et si quis ex eisdem Notariis cessante causa necessaria, vel absque sui Auditoris licentia per tres menses continuos ab eadem Curia absens fuerit, dicto officio eo ipso privatus existat.

§ 7. Volumus insuper, quod praefati Notarii in habitu decenti incedant, honesto, et convenienti Clerico saeculari. Tabernas non frequentent, nec concubinarii existant, cum per hoc eorum vilescat officium, et ex hujusmodi incontinentia, vitae infamiam consequantur, et si contrarium fecerint, suis priventur officiis.

§ 8. Quodque Notarius, qui notatus aut diffamatus extiterit, quod malitiose, negligenter, vel per dolum aliquid egerit, vel scripserit quod in processu, vel judicio deductum, vel actum non fuerit inter partes, seu quod ipse personarum in quarum causis scribit acceptor sit eis secreta causae detegendo, aut alias in alterius partis praejudicium aliquid committendo, eo ipso sui Notariatus officio sit privatus. Et de hujusmodi infamia, et aliis praemissis per dictum Vicecancellarium, vel ab eo deputandum, summarie, simpliciter, et de plano fiat diligens inquisitio. Et si per inquisitionem hujusmodi ipse Notarius culpabilis repertus fuerit, aut si purgatio extiterit indicenda, et in dicta se debite non purgaverit, privetur quibuscumque aliis officiis quae in eadem curia obtinebit. Et idem volumus de quibusqumque Notariis quorumcumque S. R. E. Cardinalium, Judicum, et Commissariorum in eadem Curia pro tempore deputatorum inviolabiliter observari.

§ 9. Et nihilominus quod dicti Notarii in exactionibus salarorium suorum pro suis processibus, et scripturis taxas super hoc ordinatas per dictum Joannem XXII. cum illarum moderationibus observare teneantur. Quod si ultra dictam taxam, aliquid petere, aut exigere quomodo praesumpserint super excessu hujusmodi ad Vicecancellarium, vel Locumtenentem praedictum habeatur recursus. qui vocatis super hoc peritis, hujusmodi excessus juxta taxas praedictas reducat ad debitum moderamen. Et si Notarius ipse de facto plus receperit, duplum parti laesae refundere teneatur. Quodque pro citationibus, compulsoriis, et inhibitionibus, decretis in partibus, procuratoriis, instrumentis, ac remissionibus ad partes examinationibus testium, et quibuscumque aliis scripturis, bis scriptis in eodem processu, nisi semel dumtaxat taxatio fiat.

§ 10. Praeterea statuimus, et etiam ordinamus, quod tam Notarii causarum dicti Palatii, quam etiam Procuratores, et Advocati pauperibus Clericis in dicta Curia super quibusvis beneficiis Ecclesiasticis litigantibus, qui juraverint se pro suis causis defendendis pecunias non habere, gratis in hujusmodi scribant, scripturasque tradant, eisque procurationis, et advocationis officium, patronicum, et favorem etiam gratis impendant, ad quae facienda eos per Auditorem coram quo causa pendebit compelli posse volumus remediis opportunis.

§ 11. Advocatos etiam, et Procuratores constitutionis Joannis XXII. et Gregorii XI., praedecessorum praedictorum super hoc editas quas secum teneantur habere, diligenter praecipimus observare, et praesertim in examinatione causae, si justa sibi, vel injusta esse videatur, ita ut nullam agendam injustam causam, vel defendendam scienter suscipiant, et de hoc juramentum praestent, et observent, prout in dictis constitutionibus extitit salubriter ordinatum.

§ 12. Caveant autem a tumultuosis clamoribus in Consistoriis, et audientiis, nec umquam plures simul loquantur, donec Advocatus proponens, vel respondens sermonem compleverit, alius sive ejusdem, sive adversae partis Advocatus, quidquam dicere non praesumat. Liceat Procuratori causae proponenti Advocato retro assistere, ut si quid forsan ille omiserit, procurator ad memoriam revocet, et reducat.

§ 13. Statuimus autem prout etiam jura disponunt, ut nullus Advocatus, vel Procurator qui semel uni parti in aliqua causa consilium, vel patrocinium, dederit, parti adversae in eadem causa patrocinium vel consilium praestet, seu causam ipsius agat, vel defendat, nisi facta Advocatorum, aut Procuratorum distributione, auctoritate judicis compellatur. Quo casu de his quae ab illa prima parte in causa didicerit, numquam alteram doceat, aut ex illis nisi ab eadem parte didicerit patrocinium praestet. Et si contra praemissa fecerit, excommunicationis sententiam, et alias poenas juris incurrat, ac suo privetur officio, ad interesse partis nihilominus condemnandus.

§ 14. Et quia propter Procuratorum imperitiam aut inertiam, partes saepe in dispendium, et praejudicium patiuntur. Statuimus quod nullus de caetero ad Procuratoris officium in dicta Curia publice pro salario exercendum in judiciis admittatur, nisi prius per ipsum Vicecancellarium, vel deputandos ab eo in literatura, industria, et stylo curiae examinatus, atque habita debita informatione de moribus, fidelitate, et honesta conversatione repertus fuerit idoneus, et per eumdem Vicecancellarium ad hujusmodi publicum officium per ejus patentes literas admissus, omnesque Procuratores admissi in aliorum matriculam inscribantur, sicut in praefati Benedicti praedecessoris constitutionibus de Advocatis habetur.

§ 15. Et quia saepe in Advocatorum absentia, causae in judiciis per Procuratores aguntur, et defenduntur, Procuratores ipsi ab injuriis et contumeliosis verbis, et malo modo dicendi, et loquendi cessent, et cum haec agunt, eadem studeant observare, quae de Advocatis superius duximus statuenda. Quod si contrarium fecerint, formidabilibus poenis, per Judicem causae taliter puniantur, ut per hoc caeteri a similibus arceantur.

§ 16. Et insuper dignitatem in Cathedrali majorem post Pontificalem, vel in Collegiata Ecclesia principalem obtinentes, ad officium publici Procuratoris in dicta Curia praecipimus de caetero non assumi.

§ 17. Jubemus etiam eisdem Procuratoribus, et Notariis causarum dicti Palatii, et aliis Clericis in dicta Curia actu sua officia exercentibus, ne Concubinas publice teneant, mandantes quod eas de praesenti publice tenentes infra mensem a die publicationis praedictae dimittere teneantur. Alioquin sententiam excommunicationis incurrant, et suis officiis sint privati.

§ 18. Honestum praeterea gerant habitum, congruentem Clerico saeculari, nec tabernas frequentent, et si contrarium fecerint, ab eorum officiis per ipsum Vicecancellarium ad tempus, de quo sibi videbitur suspendantur.

§ 19. Et quoniam lites super quibusvis causis beneficialibus, profanis, et aliis, quae pro tempore per quascumque personas, Ecclesiasticas vel saeculares in Romana Curia ex Apostolica commissione moventur, atque tractantur, intendimus fieri breviores, et ut litigantes ad ipsam Curiam pro defensione suorum Jurium venientes, et hujusmodi causas prosequentes, releventur a laboribus, et expensis, statuimus, et etiam ordinamus, quod in causis, in quibus de Jure, vel alias per rescriptum, sive per commissionem proceditur, summarie, simpliciter, et de plano, sine strepitu, et figura Judicii talis ordo servetur, videlicet. Quod in prima Instantia causae principalis, terminus, ad libellandum servetur ad primam. Ad jurandum de calumnia ad primam. Ad ponendum, et articulandum ad duodecimam. Ad dicendum contra Articulos ad secundam. Ad producendum omnia ad secundam. Ad dicendum contra producta ad secundam. Ad declarandum ad primam. Ad dicendum contra ad primam.

§ 20. In secunda vero Instantia terminus ad libellandum ad primam. Ad jurandum ad primam. Ad articulandum ad octavam. Ad dicendum contra ad primam. Ad producendum omnia ad primam. Ad dicendum contra ad primam. Ad declarandum ad primam diem.

§ 21. In tertia autem Instantia serventur similes termini, qui in secunda servantur Instantia, ad primam, praeter terminum ad articulandum, qui servatur ad sextam diem.

§ 22. Verum cum termini ad articulandum, dicendum contra articulos, ad producendum omnia, et dicendum contra producta, de substantia judicii censeantur existere, Statuimus atque decernimus, quod ipsorum

alicujus omissio reddat eo ipso processus nullos; aliorum vero terminorum, alicujus omissio dum tamen malitiose non fiat, sed casualiter, quo contingente processum non vitiet.

§ 23. In causis autem in quibus proceditur in figura judicii serventur termini secundum stylum Curiae consuetum, praeterquam in terminis ad respondendum libello, et ad jurandum de calumnia, qui serventur ad primam. Et in termino ad articulandum, qui in prima instantia, tam ex parte Actoris, quam Rei, servetur ad decimum quintum diem.

§ 24. In secunda vero instantia similiter ad respondendum libello ad primam. Ad articulandum ad octavam dies. Reliqui vero termini serventur, prout secundum stylum antiquum est solitum observari.

§ 25. In tertia vero instantia serventur omnes termini ad primam, secundum quod consuevit antiquitus observari, praeter terminum ad articulandum observetur ad sextam diem. Volumus insuper quod praemissa vindicent sibi locum, non solum ad negotia, sed ad pendentia etiam per oppositionem, ita tamen, quod processus primo factus propter hoc non vitietur, sed in pristino suo robore, et firmitate persistat.

§ 26. Praeterea illum usum, quo procuratores in observantia terminorum dicunt se dare libellum, et articulos verbo, et dicere contra verbo, et ita servant omnes terminos, et tunc incipiunt processum et dant articulos, et caetera faciunt realiter, quae dixerunt verbo, sic duximus moderandum, quod Procuratores ipsi post terminum ad dicendum contra producta, et ante terminum ad declarandum articulos facto, et omnia quae de jure volunt et possunt producere teneantur.

§ 27. Et quoniam aliquando contingit, quod post observationem omnium terminorum, Notarii Registrum ordinare et Auditori causae praesentare, et postquam Registrum hujusmodi Auditori praesentatum fuerit, Auditores plus debito causam differunt expedire statuimus et etiam ordinamus, quod servatis omnibus terminis, in quacumque causa Notarius qui scripsit in causa Registrum infra quindecim dies conficere teneatur, et ordinare, ac deinde de salario sibi debito satisfacto, illum statim suo Auditori tradere et assignare debeat. Et deinde idem Auditor postquam Registrum ipsum sibi fuerit praesentatum terminum habeat duorum mensium, infra quos causam ipsam expedire teneatur, nisi forsan a nobis vel dicto Vicecancellario propter arduitatem causae sicut saepe contingit, majorem dilationem habuerit, de qua per nostram commissionem in Registro causae constet. Alioquin Notarius sententiam excommunicationis incurrat. Et si de negligentia, expeditione, dolo, vel fraude coram suo Auditore fuerit accusatus, salarium suum perdat, ad expeditionem ad eumdem Auditorem nihilominus compellendus. Et nihilominus, qui infra dictos menses non habita a nobis, vel ipso Vicecancellario majore dilatione temporis, causam expedire contempserit ex tunc jurisdictionem amittat, et causa alteri Auditori com-

mittatur, et ab ingressu Rotae suspendatur per mensem, et idem de judicibus aliis extra Rotam praecipimus observari, quibus si negligentes fuerint causas expedire infra dictos menses, aliquae causae per trimestre tempus nullatenus committatur. Et si fuerit contrafactum, commissiones nullius existant roboris et momenti.

§ 28. Praeterea, quia saepe contingit, quod literae Apostolicae ad impediendum partes, et eas involvendum laboribus, et expensis, absque causa rationabili, in bullarum, et dictarum litterarum, Apostolicarum Registris arrestantur, et suum nequeunt sortiri effectum. Statuimus, et etiam ordinamus quod postquam litera arrestata ad Auditorem causae fuerit reportata, idem Auditor adversae parti terminum octo dierum praefigere per eum postea si expediat prorogandi infra quem ex suo jure, et interesse coram dicto Auditore legitime docere, et fidem facere teneatur.

§ 29. Statuimus insuper, et etiam ordinamus ad parcendum laboribus, et expensis quorumlibet litigantium, quod causae, super quibusvis beneficiis Ecclesiasticis, saecularibus, et Regularibus, quorum fructus, redditus et proventus sexaginta florenorum auri secundum communem aestimationem valorem annuum non excedunt, S. R. E. Cardinalibus nullatenus committantur, et commissiones sint nullae si fuerit contrafactum.

§ 30. Et quoniam frustra ferentur sententiae, nisi essent qui exequerentur easdem, et in habendis literis executorialibus, sub bulla quandoque duorum, vel trium mensium dilationes fiunt, pro quibus expediendis occurrunt graves expensae, quae aliquando ad quindecim, aliquando ad decem et octo florenos ascendunt, et Notarii dictae Sedis, qui illarum minutas deberent conficere: non conficiunt, sed per suos abbreviatores, quorum aliqui sint minus periti fieri faciunt, et cum illas quandoque non bene conficiant ad peritiores oportet habere recursum, et sic partes ipsas Executores prosequentes, plus oportet exponere, quam ab antiquo consuetum sit solvere, et qui non laborant, plus salarii accipiunt, unde cum partes magna temporis dilatione plus quam deceat gravantur laboribus, et sumptibus in earum procuratione, qui in expensarum taxatione non veniunt. Nos ad evitandum hujusmodi inconvenientiam, et ut partes in procurandis praedictis executoribus, opportunum recipiant relevamen, statuimus, et etiam ordinamus, quod sit in electione partis, si velit habere sub bulla simplicem literam executoriam, sive confirmationem sententiae, quae in effectu contineat, quod in causa, quae inter tales partes super tali revertebatur, lata fuit per talem judicem, seu tales judices talis sententia, cujus effectus ponatur in litera, et mandetur executoribus, quod sententiam ipsam debitae executioni demandent, et talis litera non taxetur ultra duodecim grossos Turonenses. Si vero pars malit habere executoriam cum confirmatione sententiae juxta mortem, quia tunc in confectione minutae major labor occurrit, et necessarium est totum processum causae recensere, servetur quod hucusque extitit observa-

tum, ita tamen quod confectio minutarum, quae concernunt justitiam ad Notarios ipsos pertineat. Et praeter hoc salarium habeant, minutae per eos fiant vel expensis eorum et hoc idem in omnibus aliis literis justitiae, et provisionum ad Ecclesias Cathedrales, et Monasteria quaelibet factarum, et fiendarum in Consistorio nostro, quae per manus ipsorum Notariorum transeunt, praecipimus observari. Verum intelleximus quod procuratores, qui causas super quibus expediuntur literae executoriales in judicio, in eadem Curia egerunt, vel defenderunt, quando literae hujusmodi in dicta audientia contradictarum leguntur. Ubi ipsi procuratores intersunt, mediam partem taxae dictarum literarum executores de novo a partibus nituntur exigere, et saepe exigunt, illud reputantes abusum, fieri prohibemus. Volentes eosdem procuratores communi salario pro aliis in dicta audientia, legendis literis quando ibidem intersunt esse contentos, ubi forsan ipsi per totum hujusmodi literam executoriam procuraverint, quo casu competens salarium a partibus petere, et recipere possint secundum quod in taxationibus praefati Joannis XXII. praedecessoris habetur.

§ 31. Caeterum cum saepe continget quod in omnibus diebus unius hebdomadae, quibus teneri solet audientia, et aliquando in duabus conjunctis hebdomadis feriae celebrantur, unde lites prorogari contingit. Statuimus, et etiam ordinamus, ut quotiescumque in una hebdomada tres illi dies quibus teneri solet audientia, quomodolibet sint feriati, praeterquam in octavis Nativitatis, et Resurrectionis *D. N. Jesu Christi,* videlicet per septem dies ante, et septem post, die Jovis in hebdomada tali, si illa dies feriata non fuerit, alioquin die Sabbati audientia teneatur.

§ 32. Nulli ergo omnino hominum liceat etc.

Datum Romae apud S. Petrum etc. a. 1422. [l. c. pag. 300—303.]

205. CALLIXTUS III. (1455—1458.)

Thesaurarius et clerici Reverendae Camerae Apostolicae, veri Familiares Papae, eiusque et Sedis Apostolicae Capellani esse declarantur.

* *Magnum Bullarium Romanum.* T. I. p. 362—363. Bangen, *Die röm. Kurie.* p. 345 seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 406.

Callistus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Quae laudabili et provida praedecessorum nostrorum ordinatione gesta, seu approbata, vel statuta sunt, opportunis nos decet favoribus prosequi, et efficacem operam adhibere circa observantiam eorumdem.

§ 1. Dudum siquidem Eugenius Papa IV. praedecessor noster. (*Omittitur residuum.* Cfr. *Magn. Bullarium Rom.* Tom. I. pag. 330).

§ 2. Et subsequenter praefato praedecessore rebus humanis exempto, per piae mem. Nicolaum Papam V. etiam praedecessorem nostrum, accepto,

quod in praefata Camera Clerici supernumerarii hujusmodi adeo excreverant, ut saepe contingeret plures uno, et eodem tempore ad hujusmodi peragendum officium in ipsa Camera simul sedere, confusio quaedam inter eos oriebatur. Itaque ipsius officii quod inter caetera Rom. Cur. officia insigne et praecipuum existit auctoritas, non parum minui videbatur, quodque ea quae in eadem Camera, secus ab iis qui intra septenarium numerum juxta statutorum ordinationem, et capitulorum continentiam hujusmodi tractabantur, ex supernumerariorum multitudine praedictorum, facile in publicam vulgi notitiam deveniebant. Idem Nicolaus praedecessor inconvenientibus hujusmodi salubriter obviare volens, Motu proprio, auctoritate Apostolica, ex certa scientia, per alias suas literas decrevit, et statuit, et etiam ordinavit, quos omnes, et singuli extra septenarium numerum Clericorum participantium, tam a Nicolao, quam Eugenio praedecessoribus praefatis eatenus creati, et in posterum creandi, quos in dicta Camera quandocumque et quotiescumque fieret, seu teneretur adesse contingeret, post quam audientiam, in ea proponentibus pro tempore noverint datam, sive praestitam, ipsique omnes ut est moris licentiati forent, simul cum illis exire, dictisque numerariis ut se invicem claudere, et super causis proponentium hujusmodi deliberare, ac super caeteris expediendis ejusdem Camerae negotiis consulere, et determinare valerent, omnino cedere, ipsosque quietos dimittere, et a deliberationibus et consultationibus hujusmodi prorsus se retrahere et abesse deberent, ac etiam tenerentur.

§ 3. Nec aliquis eorum quovis quaesito colore contra praemissa, vel aliquid praemissorum, quicquam impetrare, seu alias quomodolibet attentare praesumeret. Volens quemlibet supradictorum hujusmodi, excommunicationis sententiam, ac reatum perjurii, officii sui, omnisque ejus privilegii immunitatis et praerogativae ammissionem incurrere ipso facto, prout in singulis Eugenii, et Nicolai praedecessorum hujusmodi literis, quarum tenores pro expressis haberi volumus, continetur.

§ 4. Cum itaque sicut etiam accepimus, inter alia ejusdem Camerae statuta, ut praemittitur confirmata, diutiusque laudabiliter observata, caveatur expresse, quod ex ipsis septem numerariis, illi qui publicae vel privatae rei causa absentes fuerint, nihil omnino percipere aut petere valeant, nisi duarum ex tribus partibus voto decernatur; ita quod emolumenta quae absentibus si praesentes essent contingere deberent, haberent inter superstites praesentes dividi.

§ 5. Tamen ipso Nicolao adhuc in humanis agente, execrabilis quorumdam ambitio, avaritiaeque coecitas eorum oculos adeo excoecavit, ut post et contra statutorum et ordinationum hujusmodi confirmationes, approbationes, ac in contravenientes sententiarum promulgationes, illa infringere temere satagentes, excommunicationis sententiam, perjuriique reatum non formidantes, importuna eorum instantia, ab eodem Nicolao praedeces-

sore, non tam obtinuerunt, quam extorquere praesumpserunt, se nedum ad locum Numerariorum absentium, et vota danda, sed etiam ad emolumenta, ipsis Numerariis propter eorumdem absentiam denegata recipi, et admitti, licet de facto, in eorumdem Numerariorum praesertim praesentium Clericorum praejudicium, non modicum atque damnum.

§ 6. Nos igitur nostrorum praedecessorum vestigiis inhaerentes, ac tales praesumptores contra statuta hujusmodi admissos, ne id aliis trahi valeat in exemplum, amoventes, amotosque fuisse, et esse nunciantes, Motu proprio non ad eorumdem Clericorum vel aliorum pro eis nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera liberalitate, ex certa scientia, omnes et singulas Eugenii et Nicolai praedecessorum statutorum eorumdem confirmatorias literas, ipsa statuta concernentes, harum serie innovamus, confirmamus, et approbamus, ac plenam roboris firmitatem obtinere velle decernimus, eaque de caetero juxta eorum continentiam atque formam inviolabiliter observari volumus, et mandamus. Decernentes, per receptionem et admissionem praesumptorum et amotorum eorumdem, necnon quorumcumque per eos perceptorum fructuum perceptionem, nullum Clericis et statutorum observationi hujusmodi, praejudicium generari potuisse, sive posse.

§ 7. Et nihilominus motu et auctoritate, et scientia similibus, hac irrefragabili constitutione statuimus, et ordinamus, quod etiam sub praedictis excommunicationis et perjurii poenis, nullus de caetero praetextu quarumcumque literarum etiam Apostolicarum a nobis, seu de mandato nostro emanatarum, nisi in illis praesentium de verbo ad verbum insertio fiat, ad hujusmodi absentium emolumenta, seu ad vota exhibenda, vel alias contra statuta ipsos exercenda, recipi, vel admitti. Decernentes omnes et singulas per quoscumque impetrandas literas, jussiones, et mandata, ad id non extendit: Clericosque seu gentes Camerae hujusmodi, illis, contra tenorem statutorum suorum, obedire non teneri, vel ad id a quoquam quavis auctoritate coarctari, seu propterea interdici, suspendi, vel excommunicari non posse, irritum et inane, si secus super iis, a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit attentari.

§ 8. Praeterea, ut eo magis se nobis et Apostolicae Sedi devotiores exhibeant, quo ex hoc a nobis conspexerint, se majoribus attolli favoribus et gratiis, Thesaurarium, et singulos septem Clericos ipsos, nostros et Sedis praefatae veros Capellanos, ac etiam nostros veros familiares, et continuos commensales fuisse, et esse harum serie nunciamus, eosque tales tam in assecutione beneficiorum, sub eorum expectativis gratiis sibi pro tempore concessis, quam alias reputamus, ac omnibus et singulis illis prorsus similibus privilegiis, gratiis, concessionibus, antelationibus, praerogativis, favoribus, et indultis, quibus alii familiares nostri continui commensales utuntur,

et gaudent, seu uti et gaudere poterunt in futurum, uti pariter et gaudere potuisse, atque posse, et debere, motu, auctoritate et scientia praemissis decernimus, et etiam declaramus, volumusque et concedimus per praesentes. Nulli ergo etc.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicae Milles. quadring. quinquagesimo quinto, 8 Idus Maji, Pont, nostri Anno 1. [l. c. pag. 362—363.]

208. SIXTUS IV. (1471—1484).

De auctoritate majoris Poenitentiarii S. R. Ecclesiae.

* *Magnum Bullarium Romanum.* Tom. I. p. 427—428. Bangen, *Die römische Kurie.* p. 418. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 427 seq.

Sixtus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Quoniam nonnulli iniquitatis filii, elationis et pertinaciae suae spiritu assumpto, potestatem Majoris Poenitentiarii nostri per longissima tempora toti Orbi notam, et a cunctis fidelibus inviolabiliter observatam in dubium revocare, et literis sub ejus nomine per officium Poenitentiariae nostrae pro tempore expeditis contumaciter se opponere, illisque detrahere praesumunt, decet nos adversus tales ea adhibere remedia per quae ipsorum temeritate repressa ejusdem Poenitentiarii auctoritas, et potestas praeserventur illaesae, illiusque literae cum personarum illas pro tempore impetrantium quiete, et conscientiae tranquillitate, semotis quibusvis obstaculis, votivum sortiantur effectum.

§ 1. Dudum siquidem per nos accepto quod licet universo pene orbi innotesceret inter alia officia Romanae Curiae fuisse dudum officium sacrae Poenitentiariae provide institutum, et in aliquibus ex Majoris Poenitentiarii illud pro tempore obtentis literis, quae ab eo ratione dicti officii pro tempore emanabant, sic contineretur videlicet (Auctoritate D. N. P. cujus Poenitentiariae curam gerimus) et in aliis, (Auctoritate D. P. et de ejus speciali mandato super hoc vivae vocis oraculo sibi facto) in reliquis vero (dicta auctoritate D. P. et ejus speciali, et expresso mandato) ac hujusmodi literis, et assertioni ejusdem Poenitentiariae, tam in judicio quam extra absque eo, quod facultas desuper eidem Poenitentiario per Sedem Apostolicam concessa in illis insereretur, fides indubia adhiberi consuevisset, et ab eodem tempore citra Major Poenitentiarius pro tempore existens ex ipsius officii stylo dum Episcopus Cardinalis existeret, se Episcopum solum non autem Cardinalem nominare solitus esset, prout et reliqui Episcopi Cardinales in eorum literis faciebant, et literae praefatae cum antiquo per Majores Poenitentiario qui pro tempore fuerant adhiberi solito sigillo oblongo in cera rubea, et capsa cerae albae impresso pendente secundum dicti officii stylum antiquum sigillari, et sic expeditae debitae executioni absque ulla contra-

32*

dictione et exceptione mandari ac ab omnibus in debita obedientia haberi essent solitae.

§ 2. Quia tamen nonnulli juris interpretes diversarum partium volententes plus sapere quam oporteret, affirmare non erubescebant, et in dubium reducere, an literis dicti officii cum verbis, et sigillo praedictis juxta illius stylum approbatum, ac ab omnibus indifferenter servatum fides esset adhibenda, et illis obedire haberent, affirmantes assertioni praedictae Majoris Poenitentiarii super auctoritate sui officii et Papae speciali et expresso mandato praedictis non esse credendum: et pro eo quia venerabilis frater noster Julianus Ostiensis, olim Sabinensis, Episcopus Major Poenitentiarius noster post promotionem ad Sabinensem translationem ad Ostiensem Ecclesias per Nos factas de persona sua olim tit. S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis, se non Cardinalem sed Sabinensem prius, et post translationem praedictam Ostiensem Episcopum nominabat, literas dicti officii dicto sigillo sigillatas modicae auctoritatis existere, in dicti officii et ejus Poenitentiarii, immo verius Apostolicae auctoritatis contemptum et scandalum plurimorum.

§ 3. Nos tunc provide attendentes quod Major Poenitentiarius ordinaria jurisdictione et auctoritate fungeretur, et propterea in suis literis sicut alii ordinarii, sui officii auctoritates inserere non teneretur, quodque stylus ubilibet praesertim in Rom. Curia literarum Apostolicarum et aliarum quae ab ea emanabant in tantum pro lege servabatur, ut literae praeter stylum expeditae falsitatis suspicione non carerent, ac volentes hujusmodi insolentium temerariis ausibus obviare, et eorum quos literae praedictae concernebant, conscientiarum paci et tranquillitati, dictique officii honori et immunitati consulere per alias nostras literas, Motu proprio et ex certa scientia decrevimus, et declaravimus, literis praedictis Poenitentiariae, tunc expeditis etiam quoad auctoritatem, et mandatum hujusmodi de quibus in eis fieret mentio, absque ulla auctoritatis et mandati hujusmodi in eis insertione plenam fidem adhiberi debere, et ad id probandum alterius probationis adminiculum non requiri. Mandantes omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus quacumque dignitate et auctoritate fulgentibus, sub excommunicationis, aliisque censuris, et poenis tunc expressis, quatenus literis praedictis Poenitentiariae, secundum dicti officii stylum praefatum tunc expeditis, et quas pro tempore in perpetuum expediri contingeret, crederent, et obedirent, ac parerent in omnibus et per omnia, perinde ac si in illis Majoris Poenitentiarii pro tempore existentis facultas, et potestas sibi a Nobis, et successoribus nostris Romanis Pontificibus pro tempore existentibus, ac se de praedicta concessa, quoad ea quae in eisdem literis Poenitentiariae continerentur, sufficiens inserta foret, et per literas Apostolicas de dicti Majoris Poenitentiarii auctoritate, et ei facto speciali et expresso

mandato vivae vocis oraculo hujusmodi constaret, prout in eisdem literis nostris plenius continetur.

§ 4. Cum autem sicut nuper non sine animi nostri molestia etiam accepimus, praedicti juris interpretes, et alii praesumptores, et durae cervicis, hujusmodi literas Poenitentiariae dicti Poenitentiarii nostri, necnon decreto, declarationi, et mandato nostris praedictis adhuc obtemperare contumaciter contemnant, ac ore sacrilego publice dicere et allegare non vereantur, literas Poenitentiariae hujusmodi solum, et dumtaxat in foro conscientiae, non autem in foro judiciali hujusmodi admitti debere, Maiorisque Poenitentiarii hujusmodi potestatem ad forum poenitentiae, et conscientiae dumtaxat se extendere, et restrictam fore, ipsumque Majorem Poenitentiarium licet in casibus juxta facultatem sibi a Sede praedicta concessam per se ipsum dispensare, et absolvere valeat, aliis tamen absolvendi, et dispensandi, aliasque facultates sibi concessas per literas suas committere non posse: eis quoque an literae quae per praefatum officium Poenitentiariae expediuntur, et expeditae reperiuntur secundum antiquum stylum ipsius officii expeditae fuerint, et expediantur minime constare, et propterea de earum validitate merito dubitari debere, pluribusque aliis ac exquisitis suggestionibus, et cavillationibus praedicti Majoris Poenitentiarii potestatem impugnare, et nihilominus ejus literae hujusmodi executioni debitae demandentur, et personae quas concernunt illarum votivum ac debitum effectum consequi valeant, indebite, et injuste impedire, eisdemque personis contra tenorem literarum praedictarum diversa alia molestias, ac damna inferre non erubescant, in animarum suarum periculum, ac ipsius Poenitentiarii, immo verius nostri, et Sedis praedictae contemptum, et vilipendium, ac personarum earum praejudicium non modicum, et gravamen, perniciosum quoque exemplum, et scandalum plurimorum.

§ 5. Nos tantae temeritati, et audaciae, prout nostro incumbit officio opportunis remediis occurrere, ac Majoris Poenitentiarii, et officii, personarumque hujusmodi literas praefatas pro tempore expedientium, honori, indemnitati, et securitati consulere volentes, Motu simili non ad ipsius Juliani Poenitentiarii, vel alicujus alterius nobis super hoc oblatae petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, et voluntate, et ex certa scientia auctoritate Apostolica tenore praesentium decernimus, et declaramus, praefatum Julianum, et pro tempore existentem maiorem Poenitentiarium hujusmodi, non solum per se ipsum in casibus juxta facultates sibi a praedicta Sede concessas dispensare, et absolvere, et absolutiones, et dispensationes Christifidelibus impendendas hujusmodi in diversis Mundi partibus per suas literas aliis committere libere et licite potuisse, et posse.

§ 6. Quodque literae quaecumque per officium Poenitentiariae sub solito sigillo oblongo in cera rubea, et capsa cerae albae impressae pendente hactenus expeditae, et quae in posterum expediri continget, juxta antiquum

stylum dicti officii expeditae intelligantur, nec ad hoc aliud probationis adminiculum requiratur, ipsaeque literae ut praefertur expeditae, et expediendae, illae videlicet quae forum conscientiae in foro conscientiae tantum et quae forum contentiosum concernunt aut in quibus quod in contentioso aut utroque foro valeat appositum fuerit tam in foro judiciali, et contentioso, Ecclesiastico, et saeculari, quam etiam in foro poenitentiae omnimodam fidem faciant, et valeant, illisque stari, et indubitanter credi debeat, ac personis praedictis qui illas impetrarint, et impetrabunt, in utroque foro hujusmodi prout eis concessum fuerit plenarie suffragarentur, et valeant.

§ 7. Volentes, ac motu, et scientia similibus quod omnes, et singulae personae cujuscumque dignitatis, status, gradus, nobilitatis, et praeminentiae fuerint, et quacumque Ecclesiastica vel mundana dignitate praefulgeant, quae contra tenorem praesentium, ac priorum literarum nostrarum hujusmodi aliquid facere attentaverint, et praemissis omnibus, et singulis, in totum vel in partem non paruerint, omnes, et singulas censuras, et poenas in dictis Prioribus literis nostris contentas eo ipso incurrant.

§ 8. Et insuper ut praemissa omnia tam in prioribus quam praesentibus literis nostris contenta plenius observentur, et contumacia, ac inobedientia illa contemnentium facilius comprimatur, venerabili fratri moderno, et pro tempore, existenti Almae Urbis in spiritualibus Vicario nostro, et dilecto filio Curiae causarum Camerae Apostolicae generali Auditori, etiam pro tempore existenti, Motu, scientia, et auctoritate similibus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi vel alter eorum, ubi, quando, et quoties super praemissis, vel aliquo praemissorum pro parte cujuslibet personae de cujus interesse pro tempore agi contigerit, fuerint requisiti, seu alter eorum fuerit requisitus, Priores, et praesentes literas, ac omnia et singula in eis contenta solemniter publicantes, illasque, et illa, per se vel alium seu alios, inviolabiliter observari facientes, omnes et singulos quos huiusmodi excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliasque censuras, et poenas praedictas incurrisse eis constiterit, in Ecclesiis, dum major inibi populi multitudo ad divina convenerit, et locis aliis publicis de quibus eis videbitur, excommunicatos, et sententia hujusmodi irretitos publice nuncient, et faciant nunciari ab aliis, ac ab omnibus arctius evitari, necnon legitimis super iis habendis servatis processibus, eos et quemlibet eorum quotiens opus fuerit aggravare, reaggravare, necnon terras, et loca ad quae eos, et aliquem eorum declinare contigerit, Ecclesiastico interdicto supponere, illudque strictissime observari facere procurent. Contradictores auctoritate nostra appellatione postposita compescendo, invocato ad hoc si opus fuerit auxilio brachii saecularis.

§ 9. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii Papae VIII. praedecessoris nostri, illis praesertim quibus cavetur nequis extra suam civitatem, vel Dioecesim nisi in certis casibus, et in illis ultra unam dietam a fine

suae Dioecesis ad judicium evocetur, seu ne judices a Sede deputati praedicta extra civitatem, et Dioecesim in quibus deputati fuerint, contra aliquem procedere; seu alii, vel aliis vices suas committere praesumant, et duabus dietis in Concilio generali editis, ac aliis constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis quae in dictis Prioribus literis voluimus non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo etc. Si quis etc.

Datum Somae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo octuagesimo quarto, 7. Idus Maji, Pont. nostri Anno 13. [l. c. pag. 427—428.]

207. CLEMENS VII. (1523—1534).

De officio Vicecancellariatus Papae, cum annexione curae et tt. SS. Laurentii et Damasi de Urbe.

* *Magnum Bullarium Romanum.* Tom. I. p. 688—689. Bangen, *Die röm. Kurie.* p. 434. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 440.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Et si ad singula Romanae Ecclesiae officia, et administrationes pro illorum, et ejusdem Ecclesiae, ac Romanae Curiae, illiusque Curialium, et Officialium foelici, tranquillo, et prospero successu ac decore, intendere ex commisso nobis Pastorali officio teneamur, ad Vicecancellariatus tamen officium oculum nostrum, et pro tempore existentis Romani Pontificis dexterum nostrae circumspectionis intuitum propensiori cura, et studio nos providere debere convenire arbitramur, ut illius regimini minister idoneus, per cujus solertiam, foelicibus dante Domino proficiat incrementis, deputetur, et pro tempore deputatus Ecclesiae titulo, et honore condigno decoretur, ipsumque officium cum decentia, et tranquillitate, ac Curialium, et Officialium eorumdem commoditate, et utilitate exerceatur, et quae illius perturbationem quoquomodo adducere possent, de medio submoveantur.

§ 1. Sane Ecclesia S. Laurentii in Damaso de Urbe, quae tituli presbyteri Cardinalis existit, et cui praesidebat, ac officio Vicecancellariatus praedicto quod obtinebat, bonae memoriae Pompejus tt. S. Laurentii in Damaso presbyter Cardinalis ejusdem Romanae Ecclesiae Vicecancellarius dum viveret, per obitum ejusdem Pompei Cardinalis, et Vicecancellarii, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, vacantibus. Nos considerantes ipsius officii dignitatem, excellentiam, et auctoritatem, et quod illud a memoria hominum citra per Vicecancellarium temporalem erectum, et gubernatum non extitit, sed semper Vicecancellarium perpetuum habuit, ac quod pro tanti officii regimine, et exercitio, et ne incommoda, quae ex rei a suo solito, et destinato cursu mutatione evenire solent, proveniant, decens, et plurimum commodum fore dignoscitur, ut dicta Ecclesia S. Laurentii cum

illius palatio seu domo, et membris in ejusdem Romanae Ecclesiae Vicecancellarium pro tempore assumptum pro ejus proprio titulo seu propria denominatione concedatur, et assignetur, habita super his cum venerabilibus fratribus nostris, dictae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, deliberatione matura, cum maxime expediat nobis talem in Vicecancellarium nostrum, et Apostolicae Sedis assumere, de quo confidere quam maxime possimus, et nullum alium Cardinalem de quo magis confidere possimus quam dilectum filium Hippolytum S. Praxedis Diaconum, Cardinalem de Medicis nuncupatum, secundum carnem nepotem nostrum habeamus, ac spem in Domino geramus, quod idem Hippolytus Cardinalis, cujus personam ingenii claritate, singulari providentia, eximia probitate, aliisque multiplicum virtutum donis, ac gratiarum muneribus illarum largitor decoravit Altissimus, gratia sibi assistente divina, per ejus circumspectionem, industriam, et studium fructuosum, ac innatam benignitatem, tam Ecclesiam S. Laurentii, quam officium hujusmodi summa cum providentia, et fidelitate, ac exacta diligentia salubriter regere, et fideliter gubernare studebit, de ipsorum fratrum consilio, ad honorem, et gloriam dictae Romanae Ecclesiae, necnon Ecclesiae S. Laurentii, et officii hujusmodi prosperum regimen, et salubrem directionem, Ecclesiam S. Laurentii cum illius palatio, domibus, membris, jurisdictionibus, collationibus, ac aliis dispositionibus beneficiorum Ecclesiasticorum, ac juribus, et pertinentiis suis universis, necnon Vicecancellariatus officium hujusmodi, sive ut praemittitur, sive alias quovis modo, quem praesentibus haberi volumus pro expresso, aut ex alterius cujuscumque persona vacaret, similiter cum omnibus, et singulis ipsius officii honoribus, oneribus, privilegiis, facultatibus, praerogativis, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, juribus, obventionibus, et emolumentis debitis, et consuetis, eidem Hippolyto Cardinali auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et assignamus, ipsumque Hippolytum Cardinalem eidem Ecclesiae Sancti Laurentii, in Diaconum Cardinalem praeficimus, ac in dictae Romanae Ecclesiae Vicecancellarium assumimus, creamus, constituimus, et deputamus. Sibique curam, regimen, et administrationem Ecclesiae S. Laurentii in spiritualibus, et temporalibus, necnon officii hujusmodi, cujus ratione ab ipso Hippolyto Cardinali fidelitatis debitae solitum recipiemus juramentum, et quod etiam per regentem, et alios ministros prout alii, praefatae Romanae Ecclesiae Vicecancellarii, qui pro tempore fuerunt, facere consueverunt, etiam facere, et exercere posse volumus, liberum exercitium plenarie committimus; ac eisdem auctoritate, ac tenore statuimus, et ordinamus, quod de caetero perpetuis futuris temporibus Ecclesia ipsa S. Laurentii dictae Romanae Ecclesiae Episcopo aut presbytero seu Diacono Cardinali, cui officium ipsum vacans concedi contigerit, pro Ecclesiae, tituli, seu pro ejus denominatione eo ipso absque alio juris vel hominis ministerio dicta auctoritate concessa, et assignata, et ipsae eidem Ecclesiae S. Laurentii

praefectus sit, et esse censeatur; ita quod liceat eidem Hippolyto, et pro tempore ad dictum Vicecancellariatus officium assumpto per se vel alium seu alios Ecclesiae S. Laurentii, ac Palatii, seu domus membrorum, jurisdictionum, jurium, et pertinentiarum praedictarum, corporalem possessionem propria auctoritate libere apprehendere, et retinere, illamque regere, et gubernare, et alia facere, et exercere quae presbyteri seu Diaconi Cardinales, qui illi pro tempore praefuerunt, facere potuerunt, et debuerunt.

§ 2. Ipsique Hippolyto Cardinali, et Vicecancellario, ut omnibus, et singulis privilegiis, praerogativis, facultatibus, immunitatibus, exemptionibus, libertatibus, indultis, concessionibus, et gratiis, nobis, dum in minoribus constituti illud obtineremus, et cuicumque alteri dictae Romanae Ecclesiae Vicecancellario, ratione officii Vicecancellariatus hujusmodi aut nostrae vel illius personae intuitu, et alias quomodolibet, tam in genere, quam in specie concessis, quorum omnium tenores praesentibus pro sufficienter ac de verbo ad verbum insertis habemus, et quicumque alius ejusdem Romanae Ecclesiae Vicecancellarius utebatur, potiebatur, et gaudebat, ac uti, potiri, et gaudere poterat, uti, potiri, et gaudere libere, et licite valeat, indulgemus.

§ 3. Quocirca eidem Hippolyto Cardinali per Apostolica scripta mandamus, quatenus impositum sibi onus regiminis, et administrationis Ecclesiae Sancti Laurentii, ac officii Vicecancellariatus, hujusmodi prompta devotione suscipiens, curam, regimen, et administrationem Ecclesiae S. Laurentii, ac officium hujusmodi juxta datam sibi a Domino providentiam, sic exercere studeat solicite, fideliter, et prudenter, quod Ecclesia et officium praedicta gubernatori provido, et fructuoso administratori gaudeant se commissa, et optati fructus quos speramus, succedant, ipseque Hippolytus Cardinalis praeter aeternae retributionis, praemium, nostram, et dictae Sedis benedictionem, et gratiam exinde uberius consequi mereatur.

§ 4. Necnon dilectis filiis Capitulo, et Clericis Ecclesiae Sancti Laurentii, ut eidem Hipplyto Cardinali, et Vicecancellario in omnibus, et per omnia pareant, et obediant, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tulerit in rebelles, habebimus, et faciemus auctore Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

§ 5. Ac omnibus, et singulis ipsius Cancellariae Officialibus, et aliis ad quos pertinet, ut ipsum Cardinalem Hippolytum ad dictum Vicecancellariatus officium recipiant, et admittant, eique tamquam vero dictae Romanae Ecclesiae Vicecancellario in omnibus ad officium ipsum spectantibus similiter pareant: et obediant, ac de juribus, obventionibus, et emolumentis consuetis integre respondeant. Non obstantibus constitutionibus, etc.

Nulli ergo etc. Si quis, etc.

Dat. Romae apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo trigesimosecundo, die 5. Julii, Pontificatus nostri Anno nono. [l. c. pag. 688—689.]

208. PIUS IV. (1559–1565).

Reformatio Referendariorum Signaturae Justitiae Romani Pontificis et ordinationes a iudicibus Romanae Curiae observandae.

* *Magnum Bullarium Romanum.* Tom. II. p. 90—91. Bangen, *Die röm. Kurie.* p. 280 seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 415.

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei Ad perpetuam rei memoriam.

Cum nuper nos generali officiorum, et Tribunalium Romanae Curiae pro abusibus extirpandis, ac universali in ea litigantium commoditate, reformationi intenderimus, et providerimus; Cupientes eorumdem litigantium indemnitati in totum consulere, ac ut celerius lites terminentur providere, valde opportunum, immo necessarium esse censuimus etiam Signaturam Justitiae, a qua plerumque hi qui lites in longum protrahere, aliosque diutius et gravioribus impensis defatigare quaerunt cavillationibus et versutiis diversa rescripta, aut superflua, aut dilationem inducentia extorqueant reformare. Idcirco pro illius reformatione, visis et etiam mature discussis, nonnullis per dilectos filios Referendarios nostros adnotatis, et coram nobis etiam in praesentia nonnullorum ex venerabilibus fratribus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus propositis, de eorumdem, ac ceterorum fratrum nostrorum consilio, hac in perpetuum valitura constitutione sancimus.

§ 1. Quod nullus ex dictis Referendariis propositas, et rejectas in Signatura Justitiae commissiones, in Signatura Gratiae coram nobis proponere audeat, nisi talis sit materia, quae scientiam nostram requirat, aut quae per Signaturam Justitiae ad eamdem Signaturam Gratiae remissa fuerit.

§ 2. Nec in antiquis ac arduis materiis in quibus plures hinc inde expeditae fuerint commissiones, et in avocatoriis a prioribus judicibus, et quovis modo praejudicialibus, manum apponere nisi ipsius citata coram eo parte interesse habente.

§ 3. Et cum agitur de revocatione, aut moderatione alicujus praeinsertae, similiter manum non apponat, nisi in praeinserta appositum sit nomen Referendarii, qui illi manum apposuit, ut rationem reddere, et eam justificare possit. Nec etiam reformatio sive moderatio ejusdem praeinsertae ab habente Signaturam Justitiae, nisi nomen Referendarii, ut praemittitur, in ipsa praeinserta appositum fuerit, aliquo modo signetur.

§ 4. Minus in commissionibus appellationum ab interlocutoris, nisi expresso relevanti gravamine. Nec cum appellatur a definitiva cum clausula, aut vim definitivae habente, nisi res adeo exprimatur, ut videat Referendarius, an tale sit gravamen, quod per definitivam reparari non possit. Et si in commissione apposita fuerit clausula, cum toto negotio principali, tunc addatur, justificato tamen dicto gravamine.

§ 5. Abstineant ulterius Referendarii ab appositione manuum in commissionibus nullitatum, et attentatorum, nisi exprimantur nullitates ex defectu jurisdictionis, citationis, vel mandati, et ipsa attentata. Et pariter in illis in quibus narratur, pronunciatum fuisse prout in cedula.

§ 6. Nec etiam manum apponat in commissionibus prorogationis fatalium, nisi in quibus prima vice ipsa prorogatio petitur, illas vero commissiones in quibus pro ulteriori prorogatione supplicatur, in Signatura nostra gratiae proponant.

§ 7. Causae criminales, et matrimoniales non inferioribus Episcopis, et in terris Ecclesiae, causae criminales clericorum in sacris constitutorum Ordinario, reliquorum vero clericorum, et laicorum, locorum Gubernatoribus committantur.

§ 8. Et ut lites quanto citius fieri possit, ac minori partium dispendio expediantur, decernimus, quod quilibet Judex qui causae restitutionis in integrum, nullitatis et attentatorum, de caetero committentur, possit absque speciali commissione praefigere terminum ad docendum de causis restitutionis, ac de ipsius nullitatibus, seu attentatis, et eo lapso et non docto, ad negotii principalis expeditionem procedere.

§ 9. Similiter quilibet Judex in quibuslibet causis coram eo introductis, et introducendis, et etiam Auditor Rotae, in causis extra Rotam commissis, possint omnes terminos substantiales in vim commissionis a fel. rec. Innocentio Papa VIII. praedecessore nostro, quam ad omnes Judices et etiam Auditores in causis praemissis tenore praesentium extendimus, absque alia speciali commissione reiterare.

§ 10. Quodque ab excessiva taxatione expensarum, semel tantum appellatio committatur, et duae sententiae habeant vim trium.

§ 11. Causae discussionum inter creditores, et haeredes defuncti, seu alterius debitoris, de cujus bonis inter ipsos creditores agitur, intra tres menses, quoad praesentes, quoad absentes vero, citra montes intra sex menses, ultra autem intra novem expediantur, et nullo modo nisi ex magna causa, et per Signaturam nostram Gratiae instantia praedicta prorogetur.

§ 12. Et a die obitus debitoris intra duos menses haeredes praesentes, assentes autem citra montes intra quatuor, ultra vero montes intra sex inventarium conficere, et an velint haereditatem adire deliberare teneantur.

§ 13. Et interim Judices coram quibus causas discussionis hujusmodi pendere contigerit, bona ipsius debitoris defuncti, vel decoctoris debitoris creditoribus habentibus credita eorum liquida interim recepta idonea cautione de restituendo habentibus priora, et potiora, et contribuendo habentibus aequalia jura consignari mandent, et faciant.

§ 14. Si quis autem constitutioni nostrae hujusmodi in aliquo contravenerit, indignationis nostrae, ac alias arbitrii nostri poenas eo ipso incurrat. Et nihilominus commissiones contra tenorem praesentium signatae,

nullius sint roboris, vel momenti, ac per praeoccupationem extortae censeantur, illisque Judices quibus eas praesentari contigerit, minime parere teneantur. Sicque per quoscumque Judices, et Commissarios quavis auctoritate fungentes, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere, irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§ 15. Non obstantibus constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis contrariis quibuscumque.

§ 16. Nulli ergo omnino hominum liceat etc.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae, millesimo quingentesimo sexagesimo secundo, Kalend. Julii, Pontificatus nostri Anno tertio. [l. c. pag. 90—91.]

209. SIXTUS V. (1585—1590).

Institutio quindecim Congregationum S. R. E. Cardinalium, cum jurisdictionum et Facultatum partita concessione, ad faciliorem Universae Reipublicae Christianae, Statusque ecclesiastici et Romanae Curiae, negotiorum et causarum expeditionem.

* *Magnum Bullarium Romanum.* Tom. II. p. 666 seq. Bangen, *Die röm. Kurie.* p. 84 seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 448.

Immensa aeterni Dei omnium opifex sapientia a fine usque ad finem fortiter attingens, sic cuncta inter se admirabili concordiae nexu copulavit, suaviterque disposuit, ut vicissim ad suorum se numerum functiones exercendas mutuis auxiliis sublevarent. Ipsa in coelesti Hierusalem varios beatorum spirituum ordines distinxit, quorum superiores de divinae providentiae rebus inferiores illuminarent. Ipsa militantis Ecclesiae, quae triumphantis illius imago est, corpus variis membris discrevit, quae capiti suo glutine charitatis compacta, et connexa, mutuo se adjuvarent, ex quo totius corporis salus et conservatio existeret.

§ 1. Quare jure optimo Romanus Pontifex, quem Christus Dominus corporis sui, quod est Ecclesia, visibile caput constituit, omniumque Ecclesiarum solicitudinem gerere voluit, multos sibi tam immensi oneris adjutores advocat, atque adsciscit, cum Venerabiles Episcopos Fratres suos, quos toto terrarum orbe ad singulos greges pascendos mittit, tum amplissimum ordinem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, qui tanquam nobilissima membra capiti proprius cohaerentia, eidem Summo Pontifici, sicut Christo Domino Apostoli semper assistunt, quique primi laborum et consiliorum socii sunt et participes, ut partita inter eos, aliosque Romanae Curiae Magistratus, ingenti curarum negotiorumque mole, ipse tantae potestatis clavum tenens, divina gratia adjutrice, non succumbat.

§ 2. Nos igitur magni illius Moysis exemplo adducti, qui cum Deo loquens soceri sui Jethro Consilium de variis Judicibus constituendis non repudiavit, quique Dei jussu insignem Senatum septuaginta Seniorum conscripsit, cui cum eo onus populi sustinerent, ne solus ipse gravaretur, Pontificium hoc onus Angelicis plane humeris formidandum, inter Senatores Orbis terrae Fratres nostros Cardinales apta quadam distributione pro temporum conditione, negotiorum multitudine, et varietate, ipsaque utilitatis ratione salubriter partiri decrevimus; Ea in primis cogitatione permoti, ut qui ex omnibus nationibus ad hanc matrem, magistram, perfugiumque fidelium Apostolicam Sedem, devotionis, salutisque studio, juris persequendi, gratiae impetrandae, aliasve multiplices ob causas frequentissimi confugiunt, ii quidem, et tuto et commode (quantum in Provinciis nostris praestare possumus) Romam perveniant, et ut facilius celeriusque expediantur distinctos Cardinalium Conventus, et Congregationes ad certas rerum, negotiorumque tractationes paratas habeant, Cardinalesque ipsi distributi muneris partem levius ferant, diligentius administrent, commodius nos consulant, et denique viri primarii publicis in rebus exercitati, nullo unquam tempore desint. Itaque Motu proprio, et ex certa scientia, ac de eorumdem Fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio, et assensu, ex eodem sacro Collegio, quod per Dei gratiam viris pietate, Doctrina, rerumque usu praestantibus ex omni natione abundat, Congregationes quindecim constituimus, singulisque certa negotia assignavimus, ita ut graviores, difficilioresque consultationes ad nos referant, ac unicuique earum suas facultates, et auctoritatem in eum modum, qui infra descriptus est, dedimus atque attribuimus.

Congregatio I., pro Sancta Inquisitione.

§ 1. In primis igitur, quoniam fides, sine qua impossibile est placere Deo, totius spiritualis aedificationis fundamentum est, cupientes hoc pretiosum depositum, quod nobis potissimum a Christo Domino in Beato Petro Apostolo est creditum, adversus omnes inferorum portas integrum inviolatumque custodire; Congregationem sanctae Inquisitionis haereticae pravitatis magna Praedecessorum providentia, tamquam firmissimum Catholicae fidei propugnaculum in Urbe institutum, cui ob summam rei gravitatem, Romanus Pontifex praesidere solet, nos quoque confirmamus et corroboramus, illiusque omnia instituta, omnesque et singulas fatultates a Romanis Pontificibus Praedecessoribus nostris Cardinalibus ad eam Congregationem pro tempore delectis concessas, omnemque auctoritatem et potestatem eis communicatam, scilicet inquirendi, citandi, procedendi, sententiandi, et definiendi in omnibus causis, tam haeresim manifestam, quam schismata, Apostasiam a fide, magiam, sortilegia, divinationes, sacramentorum abusus, et quaecumque alia, quae etiam praesumptam haeresim sa-

pere videntur, concernentibus, non solum in Urbe, et Statu temporali, nobis et huic sanctae Sedi subjecto, sed etiam in universo terrarum Orbe, ubi Christiana viget Religio, super omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et alios inferiores, ac Inquisitores, quocumque privilegio illi suffulti sint, quorum, ac aliorum praedictorum series his nostris literis ad verbum expressa censeatur, confirmamus.

§ 2. Ea denique omnia, veluti per eosdem Praedecessores circa eamdem Congregationem, illiusque jurisdictionem, et auctoritatem decreta fuerunt, nos itidem statuimus atque decernimus.

§ 3. Exemptiones quoque, immunitates, privilegia, atque indulta etiam ejusdem officii ministris, vel in hunc usque diem concessa, usuque recepta, pariter approbamus.

§ 4. Obnixe in Domino hortantes, et per viscera misericordiae Jesu Christi, et per ejus tremendum Judicium obtestantes charissimos in Christo Filios nostros Imperatorem electum, omnesque Reges, ac dilectos Filios Nobiles viros Rerumpublicarum, aliosque Duces, illisque regendis, et administrandis praepositos, ac singulos Orbis Terrarum Principes, et Magistratus, quibus gladii saecularis potestas ad malorum vindictam a Deo est tradita, per eam ipsam quam se tueri promiserunt Catholicam fidem ut sic suas quisque partes, sive in praestando ministris praedictis auxilio, sive in criminum post Ecclesiae sententiam animadversione interponat, quod eos pro eorum pietate libenter facturos confidimus, ut eorum quoque praesidio Ministri ipsi tantum munus, tamque salutiferum, pro Regis aeterni Gloria, ac Religionis incremento feliciter exequantur, cujus pii, Christianique obsequii Principes ipsi et Magistratus amplissimum a Domino praemium recepturi sunt in aeternae beatitudinis consortio Catholicae fidei assertoribus, et defensoribus praeparatum.

§ 5. In his autem omnibus nostra est intentio, ne in officio sanctae Inquisitionis, in Regnis et Dominiis Hispaniarum, Sedis Apostolicae auctoritate superioribus temporibus instituto, ex quo uberes in agro Domini fructus indies prodire conspicimus, Nobis, aut Successoribus nostris inconsultis aliquid innovetur.

Congregatio II., pro Signatura Gratiae.

Et quoniam ad eam, quae Signatura Gratiae appellatur, et in qua nos etiam Praedecessorum nostrorum Romanorum Pontificum more praesidemus, ex diversis Orbis terrarum partibus, ob multiplices gratias obtinendas, magni concursus fiunt, supplicesque libelli referentur, ut quae ex Judicum ordinaria facultate expediri nequeunt, potestate principis, qui viva est lex, justis de causis explicentur, et concedantur, sane pro loci dignitate, et rerum ratione, magna circumspectio adhibenda est, ut, et honestae supplicationes,

quantum cum Domino licet, exaudiantur, et multorum petentium importunitas coerceatur.

§ 1. Quamobrem Cardinales infrascriptos Signaturae nostrae gratiae adscribimus, ad hoc, ut omnes Signaturam nostram quavis de causa adeuntes, benigne audiant porrectasque oblatarum petitionum informationes recipiant, nobis vero, aut successoribus nostris, dum supplices libelli referuntur, assistant, opportunumque Consilium afferant, omnique deposito humano affectu, sincere suam quisque sententiam, etiam non rogatus ex conscientia dicat.

§ 3. Declaramus autem in dictam Congregationem semper eos Cardinales adscriptos esse, qui infrascriptis muneribus et officiis praefecti erunt, videlicet, Major Poenitentiarius, Praefectus Signaturae Gratiae, Praefectus Signaturae Brevium, Praefectus Signaturae Justitiae, et qui Datarii munere fungetur, si Cardinalis fuerit, qui simul atque eas praefecturas, et officia adepti erunt, statim in ipsam Signaturam adnumerati censeantur.

Congregatio III. pro Erectione Ecclesiarum et provisionibus Consistorialibus.

Illa praeterea cura ad pastoralis nostri officii sollicitudinem, et Ecclesiae universalis gubernationem maxime pertinet, ut ad fidelium populorum utilitatem, Ecclesiis jam erectis, aut in posterum justis de causis erigendis, de episcopis et pastoribus idoneis, et fidelibus ac fructuosis, in vinea magni patris familias operariis salubriter in Domino provideamus.

§ 1. Quare aliam constituimus Cardinalium Congregationem, qui in primis cognoscant de legitimis causis erectionum novarum Ecclesiarum quarumcumque, Patriarchalium, Metropolitanarum, et Cathedralium, ac de cuiusque earum dote, Capitulo, Clero, Populo, et aliis, quae ad ejusmodi erectiones, juxta praescriptum sacri Concilii Tridentini, et sanctorum patrum decreta, necessaria erunt. Examinent praeterea omnes difficultates de his incidentes, controversias quoque inter eas, quae jam erectae sunt, necnon dictarum Ecclesiarum, Dioecesium, vel Monasteriorum uniones, dismembrationes, cessiones, permutationes, translationes, pensionum super illarum redditibus assignationes, Monasteriorum pluralitatem, dignitatum incompatibilitatem, praesentationes, et nominationes, electiones suffraganeorum, coadjutorumque deputationes, cum futura successione, sive absque eadem successione, curamque adhibebunt solertem circa aetatem et qualitatem promovendorum, eaque discussa, et examinata, ad nos, Successoresque nostros referant, ut pro nostro, eorumve arbitrio, in Consistorio secreto juxta formam in hunc usque diem servatam proponantur.

Congregatio IV., pro Ubertate Annonae Status Ecclesiastici.

Cumque ad providentiam nostram pertineat curare, ut populi Ecclesiasticae ditioni subjecti, non solum pane verbi Dei reficiantur, sed hoc quoque terreno, quem etiam cum illo a Patre coelesti nobis dari quotidie petimus, abundent, pauperes praesertim et egeni, quibus Parentis loco sumus, idcirco ut in omnibus Provinciis nostris, et in hac potissimum Alma Urbe, ad quam tanta hominum frequentia undique confluit, res frumentaria bene curata sit, et Annonae publicae copia benedicente Domino semper suppetat.

§ 1. Congregationem Cardinalium constituimus, quae omni studio curet, non solum in Urbe, sed in universo Statu Ecclesiastico temporali copiam haberi frumenti, atque aliarum hujus generis frugum, quibus ad vitam humanam sustentandam indigemus, quae si peccatis populi id promerentibus ob terrae sterilitatem in ditione Ecclesiastica aliquando, quod Deus avertat, deerunt, aliunde commeatum pro locorum opportunitate, convehi, comportarique studeat, civitatibus, oppidis, locis, personis quibuscumque quavis etiam Ecclesiastica atque Cardinalatus dignitate fulgentibus, ea omnia, quae, ad abundantiam parandam, atque conservandam erunt opportuna, praecipiat. Commissarios ubique locorum, prout exegerit necessitas, aut suaserit utilitas, deputet, contra impedientes aut negligentes, sive Annonam extrahi vel abduci, per se ipsos, aut per alios palam vel occulte procurantes, procedat, aliaque faciat, quae ad Annonae ubertatem omnino pertinere videbuntur.

§ 2. Praecipuam vero curam, et diligentiam adhibeat, ut pecuniae summa, scutatorum scilicet ducentorum millium a nobis, tam salubri ac necessario operi pauperum inprimis causa paterne assignata atque attributa, nec in alium usum convertatur, et integra conservetur, quod si in charitate Annonae aliquid ex dicta summa decesserit, illius recuperandae, ac reintegrandae rationem quamprimum tueatur, ut hoc publicum praesidium et tamquam patrimonium pauperum, eorumdem Cardinalium prudentia, et sedulitate perpetuo asservetur, et prout in alia constitutione super hoc a nobis edita latius explicatur.

Congregatio V., pro Sacris Ritibus et Caeremoniis.

Jam vero, cum sacri ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia a Spiritu sancto edocta ex Apostolica traditione, et disciplina utiter, in Sacramentorum administratione, divinis officiis, omnique Dei, et Sanctorum veneratione magnam Christiani populi eruditionem, veraeque fidei protestationem contineant, rerum sacrarum majestatem commendant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis etiam igne in-

flammcnt, cupientes filiorum Ecclesiae pietatem et divinum cultum sacris ritibus, et caeremoniis conservandis, instaurandisque magis augere.

§ 1. Quinque itidem Cardinales delegimus, quibus haec praecipue cura incumbere debeat, ut veteres ritus sacri ubivis locorum, in omnibus Urbis, Orbisque Ecclesiis, etiam in Capella nostra Pontificia, in Missis, divinis Officiis, sacramentorum administratione, caeterisque ad divinum cultum pertinentibus, a quibusvis personis diligenter observentur, caeremoniae si exoleverint, restituantur, si depravatae fuerint, reformentur, libros de sacris ritibus, et caeremoniis, inprimis Pontificale, Rituale, Caeremoniale, prout opus fuerit, reforment, et emendent, officia divina de Sanctis patronis examinent et nobis prius consultis, concedant. Diligentem quoque curam adhibeant circa Sanctorum canonizationem, festorumque dierum celebritatem, ut omnia rite, et recte, et ex Patrum traditione fiant, et ut Reges et Principes, eorumque Oratores, aliaeque personae, etiam Ecclesiasticae, ad Urbem, Curiamque Romanam venientes, pro Sedis Apostolicae dignitate ac benignitate honorifice more majorem excipiantur cogitationem suscipiant, seduloque provideant: Controversias de praecedentia in processionibus, aut alibi, caeterasque in hujusmodi sacris ritibus et caeremoniis incidentes difficultates cognoscant, summarie terminent et componant.

Congregatio VI., pro Classe paranda et servanda, ad Status Ecclesiastici defensionem.

Praeterea posteaquam Dei benignitate, nec sine magno nostro labore et sumptu, perditorum hominum licentia compressa, publica tranquillitas in locis mediterraneis restituta est, ut jam unicuique absque timore ullo sub vite sua et sub ficu sua quiescere liceat, cupientes ut littora quoque, et ore maritimae ditionis nostrae, superi inferique maris, a piratis ac praedonibus, quantum fieri potest, tutae sint, nedum ad nostrorum subjectorum securitatem, verum ut exterae quoque nationes ad hanc fidei petram, communemque fidelium matrem secure, pro eo quod in nobis est, accedant, ne a piratis in miseram servitutem, quod alias persaepe accidit, abducantur.

§ 1. Ob eas causas Cardinales quinque praeficimus triremibus numero decem parandis, aedificandis, ornandis, omnique necessario nautico et militari apparatu instruendis, curaque diligentissima conservandis, quarum ope, et praesidio, Deo adjutore, piratae, et praedones coërceantur, et a nostris littoribus longe repellantur, quare et earum triremium idoneos Duces ac Praefectos, nobis tamen et pro tempore Romano Pontifice consultis, deligant, et caetera omnia ad ea quae diximus celeriter utiliterque efficienda, pro ipsorum prudentia et sedulitate disponant atque expediant. Deinde operam adhibeant, ut subsidium pecuniarum quodcumque ab iis, qui nostro mandato huic tam necessario operi contribuere tenentur, fideli-

ter, integre, matureque exigatur, exactum vero ac receptum ad supradicta tantummodo opera perficienda ex voluntatis nostrae praescripto fructuose impendatur. Illud autem Cardinales ipsos magnopere admonemus, curent diligenter, ut in his triremibus Apostolicis, nautae omnes et milites, non solum ex nautica militarique, sed multo magis ex Christiana disciplina, pie et modeste vivant. Quare viros religiosos, animarum corporumque curatores deligant, qui valentes ad pietatem instruant, aegrotos multo charitatis aspectu, quovis necessario adjumenti genere, spirituali inprimis recreent atque reficiant. Denique omni loco a Praefectis, militibus, nautis ea pie vivendi ratio, et institutio observetur, ut vere illos Christianos ac Pontificios esse omnes agnoscant.

Congregatio VII., pro Indice librorum prohibitorum.

Quia vero haeresis morbus animae perniciosissimus ut cancer serpit, et filii tenebrarum arcem Catholicae veritatis omni machinationis genere oppugnant, libris praesertim haeresis veneno infectis promulgandis, aliisque noxia doctrina aspergendis, corrumpendisque postulat a nobis pastoralis officii solicitudo, ut vulpes dolosas et lupos rapaces ab ovili Christi omni vigilantia arceamus.

§ 1. Quare ut Cardinales, qui ad libros prohibendos, expurgandosve delecti sunt, in ea cura diligenter, ac majori cum fructu versentur, has illis facultates tribuimus, ut librorum ejusmodi catalogos, et indices, aut proxime confectos, eorumque regulas editas recognoscant, atque examinent, certorum auctorum libros prohibitos, aut quovis modo in prioribus indicibus suspensos diligenter excutiant, et prout expedire judicaverint, permittant libros, qui post Indicem Tridentini Conc. jussu editum prodierunt, Catholicae doctrinae, Christianorumque morum disciplinae repugnantes, expendant et recognoscant, ac ubi nobis retulerint, nostra auctoritate rejiciant, hominum vero injuria et dolo depravatos emendent, eos libros, qui paucis erroribus rejectis, alioquin utiles studiosis esse possent, expurgandi, atque corrigendi modum ineant, indicesque expurgatorios conficiant, novos praeterea libros approbandi, et imprimendi rationem praescribant. Universitatum Parisiensium, Bononiensium, Salamantinensium, Lovaniensium, aliarumque probatarum studia, ad librorum expurgationem et correctionem excitent, earumque diligentem operam et industriam requirant. Permittimus quoque eidem Congregationi, ut Theologis, Canonistis, aliisque peritis viris, piis atque idoneis, etiam aliunde accersitis, ad hoc omne negotium Reipublicae Christianae, tam in his temporibus necessarium adhibitis, eam ob rem tantum, nec vero aliis, libros vetitos tenendi legendique etiam absque nostra licentia impertiatur facultatem.

Congregatio VIII., pro Executione, et Interpretatione Concilii Tridentini.

Deo autem patri misericordiarum gratias agentes, qui in Oecumenico Concilio Tridentino Spiritus sancti lumine diffuso, Catholicam veritatem omnibus patefecit, haereses nostrorum temporum confutavit, mores et disciplinam restituit, ejusdemque Concilii decreta, ab omnibus observari volentes, cum ad singularem Romani Pontificis auctoritatem tantummodo spectet Generalia Concilia indicere, confirmare, interpretari, et ut ubique locorum serventur, curare ac praecipere.

§ 1. Eorum quidem decretorum, quae ad fidei dogmata pertinent, interpretationem nobis ipsis reservamus, Cardinalibus vero praefectis interpretationi, et executioni Concilii Tridentini, si quando in his quae de morum reformatione, disciplina, ac moderatione, et Ecclesiasticis judiciis, aliisque hujusmodi statuta sunt, dubietas aut difficultas emerserit, interpretandi facultatem, nobis tamen consultis, impartimur. Et quoniam eodem Concilio Tridentino decretum est, Synodos Provinciales tertio quoque anno, Dioecesanas singulis annis celebrari debere, id in executionis usum ab iis quorum interest, induci eadem Congregatio providebit. Provincialium vero, ubivis terrarum illae celebrentur, decreta ad se mitti praecipiet, eaque singula expendet et recognoscet. Patriarcharum praeterea, primatum, Archiepiscoporum et Episcoporum, (quibus beatorum Apostolorum limina certo constituto tempore visitare alia nostra sanctione jussum est) postulata audiat, et quae Congregatio ipsa per se poterit, ex charitatis et justitiae norma expediat, majora ad nos referat, qui Fratribus nostris Episcopis, quantum cum Domino licet, gratificari cupimus. Item ab iisdem Praesulibus Ecclesiarum exposcat, quae in Ecclesiis eorum curae, ac fidei commissis, Cleri, Populique morum disciplina sit, quae Concilii Tridentini decretorum, cum in omnibus, tum praesertim in residentiae munere, executio, quae item piae consuetudines, et qui omnium denique in via Domini sint progressus, ipsisque det literas ex formula praescripta in testimonium obitae per eos visitationis liminum Sanctorum eorumdem Apostolorum. Habeat idem Congregatio auctoritatem promovendi reformationem Cleri et Populi, nedum in Urbe, et Statu Ecclesiastico temporali, sed etiam in universo Christiano Orbe, in iis quae pertinent ad divinum cultum propagandum, devotionem excitandam, et mores Christiani populi ad praescriptum ejusdem Concilii componendos, atque ad rationes difficillimis his, perturbatisque temporibus necessarias confirmandos, quo uberius divinae misericordiae vim in nobis sentiamus, justamque iram, atque animadversionem effugiamus.

Congregatio IX., pro Status Ecclesiastici Gravaminibus sublevandis.

Nec vero paternus noster affectus, quem erga populos nobis et huic sanctae Sedi subjectos, tamquam erga peculiares filios gerimus, eo conten-

tus est, quod Deo auctore, nostraque solicitudine publica pace, et tranquillitate perfruuntur, quodque de eorum utilitate et quiete multis aliis modis praestanda et augenda assidue cogitamus, sed eos etiam ab exactionum oneribus ob temporum interdum difficultates, variasque publici boni rationes, a Praedecessoribus nostris impositis, magnopere, quantum fieri poterit, cupimus sublevare.

§ 1. Quocirca novam instituimus Cardinalium Congregationem, ut quaecumque gravamina vectigalium, pedagiorum et tributorum cujuscumque generis illa sint, eorumque exigendi rationes, Quaestorum injurias, si quas adesse compererint, Commissariorum extorsiones, judicii forma plane postposita, mature audiat et cognoscat, atque si fieri posse videbitur, controversias moderetur et componat; quod si rationibus hinc inde allatis, accurate expensis, res transigi nequiverit, eam totam ad nos deferat, ut quod aequum et pium erit, ejus Congregationis consilio prudenter definire valeamus, causas vero in quibus judicialis ordo requiritur, propriis judicibus de jure decidendas relinquat; Qui autem a Judicibus senserint se gravatos, ad Tribunalia, quae his sunt ex antiqua institutione praeposita, ac ad alia, ut moris est, juris remedia confugiant.

Congregatio X., pro Universitate Studii Romani.

Illud etiam cogitantes, quod literarum cognitio, liberalesque doctrinae et disciplinae, quibus juventus in publicis Gymnasiis instruitur et eruditur, magnam Christianae Reipublicae si cum pietate conjungantur, afferunt utilitatem: tunc enim Civitates et Regna optime administrantur, cum sapientes atque intelligentes gubernacula possident, ob eam sane causam Romani Gymnasii ejusque Universitatis ornandae et amplificandae curam merito gerimus, unde et ipsam Universitatem ab aere alieno vigintiduorum millium scutatorum et aliis pluribus oneribus sublevavimus, ac plane liberavimus.

§ 1. Itaque ut illius rationibus quamoptime prospiciamus, Cardinales quinque eidem Gymnasio, et Universitati, illiusque reformationi praeficimus, quibus facultatem concedimus, ut cum opus fuerit, praeclaros Theologiae Magistros, Jurisconsultos egregios, et liberalium artium Professores eximios undecumque ad juventutem erudiendam evocent, qui morum integritate, eruditione, atque elegantia literarum non minus praestent, quam peritia, usuque docendi, assiduisque praelectionibus juvenes instruant, utque singulis scientiarum Magistris pro meritorum ratione, re tamen nobiscum, aut cum Successoribus nostris participata, stipendium constituant. Insuper cum in hac Alma Urbe nostra, singulari Dei beneficio inter alias discentium scholas Graecorum, Maronitarum, et Neophytorum, ingenti Pontificum liberalitate, atque munificentia, erecta sint Collegia, congruisque redditibus dotata, in quibus sacra Theologia, liberalesque artes Hebraice, Graece, Ara-

bice, et Chaldaice edocentur, eisdem Cardinalibus injungimus, ut horum Collegiorum Alumnos ad literarum studia ardentiori animo complectenda, quod ad fidei Catholicae propagationem, et literarum ornamentum, et ingenia excolenda maxime pertinet, opportune pro eorum pietate et prudentia, omni adhibito studio, excitari curent. Denique cum in praecipuis Christiani Orbis partibus Sancta haec Apostolica Sedes, ut pia mater, insignes quasdam Universitates, in quibus sacrarum literarum, legum, et artium praestantissima studia florent, olim in tutelam, et clientelam receperit, suam nimirum Parisiensem, Oxoniensem, Bononiensem, Salamantinam, ut in eis scilicet ex Apostolicae Sedis protectione bonarum artium studia, tanto majori cum fructu excolerentur, nos et illas ipsas, et caeteras Catholicas Universitates paterna benevolentia complectentes, nec ipsam Oxoniensem, quantum in nobis est, deferentes, sed ex intimo animi affectu ad matris gremium, et ad viam salutis revocantes, omnesque intimo cordis affectu, et summa benevolentia prosequentes, ac sub nostra et beati Petri Apostolorum Principis protectione iterum suscipientes, eidem Congregationi imponimus, ut earumdem Universitatum, atque ad eas pertinentium negotiorum apud Sedem Apostolicam curam gerat, illarumque necessitates, nobis Successoribusque nostris ordine exponat, ut eis ex paterna charitate opem et auxilium afferre valeamus, easque interdum per literas visitet, nostroque nomine Catholicis viris Apostolicam benedictionem impertiatur, illisque ut prospera cuncta eveniant, aliis vero spiritum consilii sanioris, a Deo Optimo Maximo deprecetur.

Congregatio XI., pro Consultationibus Regularium.

Nec sane minus de Regularium Ordinibus soliciti sumus, qui Ecclesiae Dei magnum adjumentum atque ornamentum omni tempore praestiterunt, imo vero summopere cupientes, eorum salutaria studia, progressusque ad pietatem promovere, qui e fluctibus saeculi in portum regularis vitae confugerunt, ob eam causam ut remotis impedimentis, et inanibus contentionibus amputatis, sub suavi Religionis jugo, et suorum institutorum observantia quiete vivant, gratumque Altissimo famulatum exhibeant.

§ 1. Quinque alios Cardinales delegimus, quibus facultatem concedimus, ut Regularium, Claustralium, Medicantium, non Mendicantium, Hospitalariorum, et Militarium, possidentium et non possidentium, cujusvis demum Ordinis sint, controversiis, dubitationibus, consultationibusque propositis respondeant. Causas vero quas inter ipsos religiosos oriri contigerit, juxta quarumcumque Religionum instituta, eorumque dispositionem, Superiores illorum definiant atque terminent. Dum autem inter Episcopos et Regulares dubitationes inciderint, quae sub decretorum Concilii Tridentini dispositione aut interpretatione comprehendantur, eas ad eamdem Congregationem Concilii remittant. Audiant itidem ac decidant praedicti Car-

dinales causas et controversias inter praedictos Ordines vertentes, sive in universum sive ratione particularium locorum, dummodo formam judiciariam non requirant. Concedimus etiam, ut dictis Regularibus, non ad laxiorem, nec ad parem, sed ad arctiorem Religionem transeundi iis quos fervore spiritus incensos ad perfectioris vitae statum transire velle constiterit, non obstantibus quibuscumque Praedecessorum nostrorum decretis, licentiam dare possint. Apostatarum quoque ejectorum, et praeterea extra Monasteria degentium aut vagantium causam iidem Cardinales audiant et cognoscant, eosque coercendi potestatem habeant. Curent praeterea visitationis Apostolicae jussa, et constitutiones editas a Romanis Pontificibus circa ipsos Regulares exequendas, et in usum introducendas. Provideant insuper Regulares laudatae vitae, zelo Dei, et salutis animarum, et prudentia spiritus praeditos, institutorumque Regularium Ordinis, et laudabilium consuetudinum peritissimos, qui, cum necessitas exegerit, Provincias sui Ordinis, et non alterius, receptis a nobis literis ad Omnipotentis Dei laudem, et locorum utilitatem salubriter visitare valeant. Sub nomine autem Regularium etiam Moniales cujusvis sint regulae, et observantiae comprehendi volumus. Omne denique studium Cardinales ipsi impendant, ut ab inferioribus erga superiores debita humilitas et obedientia, ac vicissim a superioribus erga illos paterna benevolentia in multa charitate et disciplina, in spiritu lenitatis adhibeatur, neve dominentur inter Fratres, sed Superiores ipsi Patres se esse meminerint. Postremo eosdem Cardinales quasi Religiosorum omnium tutissimum perfugium esse volumus, ut eorum auctoritate et auxilio recreati, stadium religiosae vitae, et regularis perfectionis sine impedimento strenue percurrant.

Congregatio XII., pro Consultationibus Episcoporum, et aliorum Praelatorum.

Et nos quidem ex Apostolicae servitutis offfcio, omnibus Christifidelibus ad aedificationem debitores sumus, sed tamen praecipuo charitatis affectu, in Christo complectimur Venerabiles Fratres nostros Ecclesiarum Praesules et Pastores, qui ex praecepto Apostoli vigilant, in omnibus laborant, ministeriumque suum implent.

§ 1. Quare ut ab Apostolica Sede, a qua, tanquam a matre honorem et jurisdictionem acceperunt, sibi, cum opus erit, auxilium, praesidiumque paratum esse intelligant, ut greges suos tanto fructuosius pascant, quinque itidem Cardinales praeponimus Episcoporum et aliorum Praelatorum consultationibus audiendis. Quorum erit facultas, ut Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Praelatorum, et Ordinariorum quorumcumque etiam inferiorum, non tamen Regularium, petitiones audiant, propositisque difficultatibus, quaestionibus, ac controversiis, aliisque super

quibus consulti fuerint, etiam per literas sedulo humaniterque respondeant, dubia, rationes, et causas Ecclesiarum, earumque dignitatis, jurisdictionis, exemptionis, immunitatis, jurium, privilegiorum, et laudabilium consuetudinum conservationem concernentes, summarie cognoscant, atque tam ex partium petitione, quam ex officio componant, prout honestum, opportunumque eis videbitur. Causas item et controversias inter eosdem Praelatos de jurisdictione, aliave de causa exortas, item inter Capitula aut obtinentes dignitates, ac inter quascumque singulares personas, et Universitates, aut locorum in temporalibus Dominos, praeter eas quae Concilii Tridentini interpretationem exigunt, vel ordinem judiciarium re ipsa requirant, examinent, atque amicabiliter desuper transigere, etiam per alios, si ita consultum videbitur, etiam extra dioecesim curent. Ac propterea ad Ecclesias visitandas ubique locorum, in quibus Christiana viget religio, Visitatores nobis praesentent, ut exemplo B. Gregorii Magni, S. Leonis, et aliorum Summorum Pontificum Praedecessorum nostrorum, cum in Domino expedire videbitur, destinare valeamus. Visitationis item formam illis praescribant, ut multo cum spirituali fructu, et fidelium aedificatione munus suum obeant, negotiorumque omnium tractationis modum assignent, ac negligentiam, si quando opus erit, emendent. Insuper, ubi necessitas exegerit, viros usu, et doctrina idoneos, rectos, et timentes Deum deligant, qui nostrarum literarum auctoritate suffulti, Ecclesias ut Vicarii Apostolici regant. Denique eosdem Cardinales immunitatis Ecclesiarum defensores, ad tuendum ipsorum Praelatorum personas, res, et bona quaecumque Ecclesiarum praedictarum, ab omnium injuriis atque oppressionibus adversus quoscumque quavis auctoritate praefulgentes constituimus.

Congregatio XIII., pro Viis, Pontibus, et Aquis curandis.

Et quoniam curae et cognitiones nostrae ita in communis boni procuratione defixae sunt, ut dum graviora majoraque disponimus, eorum etiam quae minora videntur, non obliviscamur, considerantes, quod ad Almae Urbis, locorumque ditionis nostrae Ecclesiasticae ornamentum, aëris salubritatem, civium, incolarumque utilitatem, ac ad Peregrinorum, iterque agentium commoditatem, eorum praesertim qui ad hanc Apostolicam Sedem, et Apostolorum limina, totque sancta loca innumerabilium Martyrum sanguine consecrata pie visitanda concurrunt permagni interest Viarum, Pontium, et Aquarum curatio.

§ 1. Nos idcirco huic rei consulentes, Cardinales sex infra nominatos deputavimus, quibus facultatem damus vias curandi, aperiendi, muniendi, dirigendi, factasque tuendi, coarctatas dilatandi, veteres jam occupatas iterum in publicum usum vendicandi et redigendi. Pontes item tuendi, et ubi opus est, novos extruendi, veteresque ruinosos instaurandi, et jam collapsos, si

ita necessitas tulerit, reficiendi. Aquarum praeterea curam gerendi, illarum praesertim, quas nos tanta impensa, et labore in Urbem adduximus, illasque certa mensura ad publicum usum commoditatemque melius distribuendi, et ubi majori aquarum copia opus esse viderint, fontes aquarum magis uberes unde deduci possint, investigandi, deductiones, substructiones, castella, formas, aquaeductus, receptaculaque earumdem sarcta tecta conservandi, omne impedimentum tollendi. Camerae nostrae Apostolicae Praesides et Ministros, quibus ea specialis cura data est, dirigendi, et a contradictoribus protegendi, aliaque in his necessaria et opportuna exequendi. Si qua vero difficultas, aut causa, tam contra Domicellos, Communitates, et Universitates, quam contra quoscumque alios etiam immunes atque exemptos, super his omnibus jam exorta sit, vel in posterum inciderit, eam omnes summarie, sola facti veritate inspecta, ac re primum ad nos, et successores nostros relata, demum definiendi potestatem facimus. Qua Facultate iidem Cardinales nedum in Alma Urbe, verum in universa Ecclesiastica ditione temporali uti posse statuimus.

Congregatio XIV., pro Typographia Vaticana.

Caeterum, cum ex omni antiquitatis memoria notum sit, quantum semper detrimenti attulerint haereticorum, aliorumque veritatis hostium insidiae, et doli in sacris libris, Sanctorumque Patrum monimentis, multis modis corrumpendis, quantamque hoc potissimum saeculo animarum perniciem importaverit eorumdem librorum mendosae impressiones, atque editiones impuro et pestifero haeresium fermento, aliisque erroribus coinquinatae et corruptae.

§ 1. Nos volentes pro nostra Pontificia solicitudine, ut haec praeclara et salutaris nostra haereditas a majoribus accepta, inviolata conservetur, nuper ejus rei causa non mediocri nostra impensa Typographiam Vaticanam ereximus; nunc autem pro rei et negotii gravitate, infrascriptorum Cardinalium Congregationem statuimus, quibus imponimus, ut sacra Biblia Latinae vulgatae, Graecae et Hebraicae editionis; decretales Epistolas, Concilia generalia, Sanctorum praecipuorum Ecclesiae Doctorum opera, caeteros denique libros, quibus fidei Catholicae doctrina traditionesque Ecclesiasticae continentur et explicantur, quam emendatissime curent imprimendos. Quare mandamus, ut vetustis manuscriptis, emendatisque codicibus adhibitis, praesertim ex nobili et optimis libris referta Pontificia Vaticana Bibliotheca, adjumento etiam, studio atque opera doctissimorum hominum ex omnibus Christiani orbis nationibus, per nos aut Successores nostros selectorum, qui linguarum peritissimi sint, libros imprimendos, accurate diligenterque conferant et recognoscant, ut eorum editio, quantum fieri poterit integra atque incorrupta prodeat. Sicque vero graviores dubitationes, et

difficultates in veterum codicum auctoritate, librorum correctione et emendatione inciderint, rebus prius in Congregatione examinatis, ad nos referant, ut in lectionum varietate, id quod orthodoxae veritati maxime consonum erit, ex speciali Dei privilegio huic sanctae Sedis concesso, statuamus. Demum eandem Congregatio, Typographos, et librorum recognitioni Praefectos in quibusvis Christiani Orbis Regnis et Provinciis admonebit, ut diligentem opportunamque operam ad sua quaeque officia fideliter atque integre exequenda praestent, in librorumque hujusmodi editione accuratissime versentur, et ad Vaticanae impressionis praescriptum, ac normam omnino se conforment.

Congregatio XV., pro Consultationibus negotiorum Status Ecclesiastici.

Denique cum valde consentaneum sit, ut qui longinquos et externos in Domino complectimur, eorumque negotia breviter expediri curamus, domesticis et propinquis, qui sub nostra et Apostolicae Sedis peculiari tutela sunt, hac quoque in re propensius consulamus, idcirco ut fideles Ecclesiae Romanae filii ditioni nostrae temporali subjecti, ad varia negotia, causas, necessitatesque suas proponendas per facilem aditum inveniant, remediumque ex justitiae et aequitatis praescripto, opportune celeriterque obtineant.

§ 1. Cardinales itidem quinque eorum consultationibus praeficimus ac praeponimus, quorum juris sit, consultationes, dubitationes, quaerelas super causis civilibus, criminalibus et mixtis ad forum saeculare dumtaxat spectantes audire, illasque inter se statis diebus conferre, quod aequum esse, quodque omnibus diligenter consideratis de majoris partis sententia expedire censuerint, statuere et deliberare, justitiam expedire, administrare, quae decreta ac definita erunt, executioni tradi curare. Ipsisque facultatem concedimus, ut ipsi omnibus negotiis et causis, cuiuscumque generis illae sint, etiam inter Fiscum et privatum, et inter privatos, Communitates, Universitates, Collegia, eorumque rectores aut alios quoscumque etiam coram ditionis Ecclesiasticae Magistratibus, et Ministris, introductis, et pendentibus, quod justum et aequum videbitur, praecipiant, causas ab eis, ubi id jus et ratio postulaverit auctoritate nostra avocent, aliisque Judicibus committant, Gubernatoribus, Praetoribus, caeterisque omnibus officia ex Sedis Apostolicae auctoritate gerentibus, ut jussa et imperata ejus Congregationis exequantur significent, impositas poenas sive mulctas, bonorum proscriptiones, seu confiscationes; corporis poenas etiam capitis ultimique supplicii (nobis tamen prius de ea re consultis) moderentur, et commutent, ac eos qui in carcere erunt de loco ad locum, ubi id ita expedire judicaverint, transferri mandent, caeteraque pro justitiae conservatione, subditorumque nostrorum quiete, et tranquillitate deliberent ac provideant.

Denique quo dictarum Congregationum expeditiones validae existant, Cardinales in qualibet Congregatione non sint pauciores tribus. Ad judiciorum vero confusionem evitandam, volumus, ut unaquaeque Congregatio quando aliqua causa, quaestio vel consultatio ad eam delata fuerit, diligenter perpendat, an ad ipsam proprie ejus causae, cognitio et expeditio pertineat, et si ad se minime spectare cognoverit, eamdem ad Judices ordinarios, vel ad propriam Congregationem remittat.

§ 2. Itidem Cardinales dictarum Congregationum, proprios sigillatim habeant Secretarios, ab eisdem libere deputandos, et ad res. quae in dies geruntur, annotandas; et in publicam formam, si opus fuerit, redigendas.

§ 3. Et quoniam divinis oraculis admonemur, ubi multa consilia, ibi salutem, adesse eaedem Congregationes pro earum arbitrio viros sacrae Theologiae, Pontificii, Caesareique juris peritos, et rerum gerendarum usu pollentes in consultationibus, advocent, atque adhibeant; ut causis, quaestionibus, et negotiis quam optime discussis, quae Dei gloriae, animarumque saluti, et justitiae, atque aequitati consentanea maxime erunt, decernantur; graviora vero quaecumque, ad nos vel successores nostros deferantur, ut quid secundum Deum expediat, ejus gratia adjuvante, mature statuamus.

§ 4. Sicque et non aliter per quoscumque Judices ordinarios et delegatos, etiam dictos Cardinales, ac causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter judicandi et interpretandi facultate, judicari et definiri debere, irritumque et inane quicquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, decernimus.

§ 5. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis quibuscumque formulis illa sint concepta. Quibus omnibus etiamsi de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio aut quaevis alia expressio habenda esset, eorum tenores, acsi ad verbum insererentur, praesentibus pro expressis atque insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, expresse, ac latissime derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 6. Demum per paternam nostram charitatem et auctoritatem, quae nobis a Christo Domino data est, admonemus, et per ipsum, per quem Reges regnant, obtestamur charissimos in Christo filios nostros in Imperatorem electum, omnesque Reges, ac dilectos filios nobiles viros Rerumpublicarum, aliosque Duces, ac caeteros saeculares Principes, quos Deus in excelso loco constituit, et temporali potestate communivit: ut fidei Catholicae propugnatores et defensores sint, de quorum pietate, et erga Apostolicam Sedem observantia, atque obedientia magnopere in Domino confidimus, et quam etiam munitis argumentis perspectam habemus.

§ 7. Alios vero ecclesiastica dignitate praeditos per haec Apostolica scripta, ac per debitae obedientiae vinculum, statusque sui sublimem conditionem, qua Deo arctius religati existunt, obstringimus, ut his nostris conatibus ad Dei laudem, fidei propagationem, fidelium commoditatem et salutem assistant, ac auctoritatem, quae Ecclesiae Praesulibus in Beati Petri persona a Christo Domino credita et collata fuit, ac fidei Catholicae exaltationem et augmentum, prout ex eorum munere tenentur, nosque eos pie facturos speramus, tueantur et defendant; ac operam dent, studiumque demum omne conferant, ut eadem auctoritas Ecclesiastica omnino illaesa conservetur, ac Ecclesiae Dei ministris, opem et auxilium in omnibus impendant, et de Sede Apostolica, ex sua majorumque suorum pietate, bene mereri non desinant; memores se in susceptione Imperialis, ac Regii diadematis et Principatus, ad id prae caeteris devinctos esse, ut inde in hac mortali vita foelicitatem, nostramque et Sedis ejusdem benignitatem ac gratiam uberius valeant promereri, post exactum vero mortalis hujus vitae curriculum, a Deo aeternam gloriam et beatitudinem consequantur. Quod si secus ab eorum aliquo, quod minime credimus, factum erit, divinam iram, donec sub potenti manu Dei humilientur, qui tarditatem poenae supplicii interdum gravitate compensat, se minime effugere posse certo sciant.

§ 8. Ut autem hae literae quamprimum ubique locorum et gentium innotescant, quas inter alias Apostolicas, perpetuasque constitutiones annumeramus, illas publicis in locis de more affigi, earumque exemplis, vel etiam impressis sigillo obsignatae, alicujus personae Ecclesiastica dignitate praeditae, ac quibus Notarius publicus subscripserit, eamdem fidem habere volumus, quae his exibitis maxima cum reverentia omnino esset adhibenda.

§ 9. Nulli ergo omnino hominum liceat etc.

Dat. Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quingentesimo octuagesimo octavo, undecimo Calend. Febr. Pont. nostri Anno 3. [l. c. pag. 667—674.]

210. GREGORIUS XV. (1621—1623).

* *Bullarium Romanum.* Ed. Taurinensis. Tom. XII. p. 690 seq. Phillips, *Kirchenrecht.* Tom. VI. p. 662 seq. Scherer, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 516. O. Mejer, *Die Propaganda, ihre Provinzen und ihr Recht.* Leipzig 1852. P. M. Baumgarten, *Die heilige Kongregation zur Verbreitung des Glaubens und ihr Gebiet* (*Katholik,* 1899. I. p. 250 seq.) Pieper, *Die Gründung und erste Einrichtung der Propaganda-Kongregation* (*Akten des V. internationalen Kongresses kath. Gelehrten zu München.* 1900. p. 319 seq.)

Erectio Congregationis de Propaganda Fide.

Gregorius Papa XV., servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Inscrutabili divinae providentiae arcano ad Christi Ecclesiae regenda gubernacula, nullis nostris meritis, a Spiritu Sancto vocati, praecipuas nostri

pastoralis muneris partes esse intelligimus sedulo invigilandi et quantum nobis ex alto conceditur intentis studiis adnitendi, ut oves miserabiliter errantes, ad Christi ovile adducantur ac Dominum gregis agnoscant et pastorem. Quo scilicet, divina adspirante gratia, desinant per infelicia pascua infedelitatis et haeresum vagari, et aqua mortifera pestilentiae potari, sed in loco pascuae verae fidei ac salutaris doctrinae collocentur, et adducantur ad vitae fontes aquarum. Et vero qui non intelligit, omnem nostram sollicitudinem desiderare, omnemque conatum a nobis exigere opus adductionis animarum ad Ecclesiam Christi? Quippe quod tanti fecerit Deus mundi salutem, ut ipsum Unigenitum suum daret, Unigenitum illum, qui cum esset splendor gloriae et figura substantiae eius, portans omnia verbo virtutis suae, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis; ut sua nimia charitate servos, et malos servos, Dominus redimeret pretio Sanguinis sui. Inaestimabilis huius charitatis imitatores esse profecto omnes debent, qui christiano nomine fideliter glorientur, et membra Christi effecti sunt, ut eius verbi factores sint, non auditores tantum: nam et per sanctum Apostolum suum monet: *Estote imitatores Dei, sicut filii charissimi, et ambulate in dilectione, sicut Christus dilexit nos, et tradidit semetipsum pro nobis.* Quod si haec ad unumquumque christianorum scripta sunt, quanto magis ad eos, qui in sortem et militiam Christi vocati, positi sunt episcopi regere Ecclesiam suam? Quibus saepe per prophetas suos gravibus verbis comminatur, si pascentes semetipsos gregem non pascunt, et quod crassum est occidentes infirmum non consolidant, aegrotum non sanant, confractum non alligant, abiectum non reducunt, perditum non quaerunt. Quae profecto voces, ut omnes ecclesiarum rectores valide sollicitos habere debent, licet in partem sollicitudinis sint vocati, ita multo vehementius nos urgent, qui in plenitudinem electi non solum universo gregi, sed etiam pastoribus praepositi sumus. Quocirca quod apostolis omnibus a Domino mandabatur, ut praedicarent evangelium omni creaturae, principaliter Petro incumbebat, qui omnibus praestabat praerogativa principatus, et cui soli iniunctum fuerat a Domino, ut pasceret oves suas. Quapropter et uni Petro vas illud, quasi linteum, ostenditur quatuor initiis de caelo submitti in terram, in quo erant omnia quadrupedia et serpentia terrae et volatilia caeli, quodque illa vox sequuta est, *surge Petre, occide, et manduca,* ut praefiguraretur Petri et successorum eius munus ex quatuor mundi partibus homines varia impietate insipientes congregandi quo eos quasi occidendo, hoc est, veteri vita exuendo, et exutos manducando, idest in sua membra, qui visibile erat caput Ecclesiae, convertendo, etiam membra Christi redderet, invisibilis Ecclesiae capitis; atque ita adipiscerentur participationem generationis Christi, eamque adepti, quae Christi sunt saperent, quae Christi sunt operarentur, ac demum per gratiam Spiritus Sancti eius in aeterna pascua trasferrentur, potandi torrente

inexhausto voluptatis Dei. Quantum vero his calamitosis temporibus excreverit errantium et dispersarum ovium numerus, qui Ecclesiam sanctam eius catholicam, Christi ovile, vel nunquam cognoverunt, vel cognitam Satanae dolis deseruerunt, sine lacrymis commemorari non potest. Si enim mentis nostrae aciem convertimus ad innumerabilem populorum multitudinem, iam tot seculis Agarenorum impurissima dementia captam, insanique erroris ac mendacii tenebris obcaecatam, miseratione commoventur viscera nostra, cernentes, tam multis ac variis caelestibus donis olim celebres nationes per ignorantiae et pestilentis persuasionis stuporem humanitatem in bestiarum naturam fere mutasse, atque ad aeterna incendia diabolo et angelis eius parata ali ac propagari. Et licet inter eas aliquae sint gentes, in iustitia detentae, quae Christi nomen invocant; tamen ita antiquarum haeresum veneno sunt infectae, ut sinceram veritatem paucissimae agnoscant, ac fere omnes, in multis nedum in uno peccantes, factae sint omnium reae. Ubi vero, peccatis nostris facientibus, inimicus homo super bonum semen in septemtrionalibus partibus seminavit haeresum zizania, ita dira contagia grassata sunt, ut animas innumerabiles iamdiu perdiderit, ac provincias, et regna Christo per summam iniuriam erepta, suae tyrannidi mancipaverit.

§ 1. Quamobrem, etsi a felicis recordationis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, pastorali vigilantia, ope, studio et industria elaboratum fuerit, ne tam multae messi deessent operarii, et negociatio haec sancta non negligeretur; nihilominus nos, ut maiori cum vigilantia, cura et fervore opus prosequi possimus, et in posterum successores nostri possint, nonnullorum venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. cardinalium peculiari sollicitudini negotium committendum duximus, prout tenore praesentium committimus et demandamus.

§ 2. Volentes, ut in unum congregati, adhibitis etiam aliquot Romanae Curiae praelatis et religiosis viris, ac secretario, prout nos hac prima vice eos adhiberi voluimus et nominavimus, in commune consulant, tantaeque rei nobiscum invigilent, ac tam sancto et divinae maiestati maxime grato operi, quanto melius fieri poterit, incumbant. Quod ut commodius praestari possit, semel coram nobis ac bis saltem in domo antiquioris eorum, quolibet mense congregentur, omniaque et singula negotia, ad fidem in universo mundo propagandam pertinentia, cognoscant et tractent, et graviora, quae in praedicta domo congregati tractaverint, ad nos referant: alia vero per seipsos decidant et expediant pro eorum prudentia.

§ 3. Missionibus omnibus ad praedicandum et docendum evangelium et catholicam doctrinam superintendant, ministros necessarios constituant et mutent. Nos enim eis, tam praemissa, quam omnia et singula alia desuper necessaria et opportuna, etiam si talia fuerint, quae specialem, specificam et expressam requirant mentionem, faciendi, gerendi, tractandi, agendi

et exequendi, plenam, liberam et amplam facultatem, auctoritatem et potestatem, apostolica auctoritate, earumdem tenore praesentium, concedimus et impertimur.

§ 4. Ut vero res tanti momenti, in quam magnos sumptus fieri necesse est, per temporalium cum spiritualibus felicem commutationem, nullo retardata impedimento, facilius et celerius procedat, ultra ea, quae ex arca nostra privata suppeditari iam mandavimus, et priorum fidelium liberalitate collata sunt, et in posterum non defutura subsidia in Domino confidimus, cum nostrum et huius sanctae Sedis proprium sit negotium, certos huic operi redditus ex camera nostra apostolica in perpetuum attribuemus, eorumque administrationem iisdem cardinalibus committemus, prout in aliis nostris expediendis litteris plenius continebitur.

§ 5. Cardinales autem, quos sancto huic negotio praeficimus, sunt qui sequuntur: Antonius Ostiensis Saulius, Odoardus Sabinensis Farnesius Octavius Praenestinus, episcopi; Bandinus Franciscus sanctae Praxedis de Surdis, Maphaeus sancti Honuphrii Barberinus, Ioannes Garzias sanctorum Quatuor Coronatorum Millinus, Gaspar sanctae Crucis in Hierusalem Borgia, Robertus sancti Alexii Ubaldinus, Scipio sanctae Susannae, Petrus sancti Salvatoris in Lauro Valerius, Itelius Friedericus sancti Laurentii in Pane et Perna de Zolleren, Ludovicus, sanctae Mariae Transpontinae Ludovisius, et Franciscus sancti Matthaei titulorum presbyteri cardinales; Sacratus nuncupati; praelati vero, dilecti filii Ioannes Baptista Vives in utraque signatura nostra referendarius, et Ioannes Baptista Agucchius secretarius noster ac Sedis Apostolicae notarius, et Dominicus a Iesu Maria Ordinis Carmelitarum Discalceatorum professor et vicarius generalis, secretarius vero a nobis pariter deputatus dilectus filius Franciscus Ingolus presbyter Ravennas, utriusque iuris doctor.

§ 6. Decernentes, praesentes litteras ac omnia et singula in eis contenta semper et perpetuo valida, firma et efficacia esse, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat et in futurum quomodolibet spectabit, firmiter et inviolabiliter perpetuo observari debere; sicque et non aliter, per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii apostolici auditores, ac S. R. E. cardinales, ubique iudicari et definiri debere, ac irritum et inane quicquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

§ 7. Non obstantibus quibusvis constitutionibus et ordinationibus apostolicis, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis, quibusvis Ordinibus, congregationibus, societatibus et institutis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis, etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacioribus et insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie, ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, eorum

omnium tenoribus praesentium pro plene et sufficienter expressis et ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 8. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam etc.

Datum Romae, apud sanctam Mariam Maiorem, anno Incarnationis Dominicae MDCXXII, decimo kalendas iulii, pontificatus nostri anno II. [l. c. pag. 690—693.]

211. ALEXANDER VII. (1655—1667).

Constitutio super Erectione Collegii ex Referendariis utriusque Signaturae et super qualitatibus admittendorum deinceps in Referendarios.

* *Magnum Bullarium Romanum.* Tom. VI. p. 118 seq. Bangen, *Die röm. Kurie.* p. 375. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 417.

Alexander Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Inter caeteras Apostolicae sollicitudinis curas, quibus incessanter urgemur, ea semper nobis cordi fuit, ut Praelati Romanae Curiae, qui tanquam Stellae in firmamento militantis Ecclesiae relucent, ac in arduis quibusque negotiis Apostolicae Sedi opera, et consilio praesto esse debent, ii demum deligantur, qui optima indole, moribus, ac litteris praestantiores caeteris verae virtutis exemplar se ipsos praeferunt. Ad haec sane licet nonnulli Summi Pontifices Praedecessores nostri eorum Constitutionibus, multa praesertim pro Referendariis utriusque Signaturae statuerint, quorum tamen nonnulla temporum cursu, ut saepe solet, antiquata, et forsan neglecta fuerunt; propterea Nos illa innovare, ac pristinae observantiae restituere, et aliqua etiam addere, quae rerum experientia docuit expedire, duximus opportunum.

§ 1. Hac igitur nostra perpetuo valitura Constitutione praedictas nostrorum praedecessorum in illis partibus, quae praesenti non adversantur, aut alias legitime reformatae non fuerint confirmamus, et innovamus: Insuper erigimus, et instituimus Collegium eorumdem Referendariorum, quod volumus repraesentari ex duodecim Votantibus Signaturae Justitiae de corpore, ac numero ipsorum Referendariorum electis, et in posterum eligendis, quorum caput, ac moderatorem perpetuo constituimus Praefectum ejusdem Signaturae Justitiae pro tempore existentem; et antiquior eorum in officio appellabitur Decanus.

§ 2. Horum autem officium erit formare inquisitiones, ac processus super qualitatibus eorum, qui ad praefatum Referendarii munus, ac dignitatem admittendi erunt, prout singulis a Praefecto Signaturae speciali rescripto demandabitur, ut infra statutum est. Praeterea eidem Decano, et Collegio incumbet caeteros Referendarios, praesertim in posterum recipiendos diligenter instruere de his, quae spectant ad exercitium eorum officii,

et omnibus intimare decreta, et ordinationes quascumque tam nostras, quam ejusdem Praefecti, eorum personas, ac munus concernentes, et concernentia, necnon dies, ac tempora, et servitia a singulis eorum nobis tam in Capella nostra, quam in aliis functionibus praestanda, ac etiam curare, ut tabellae indicantes Signaturas, et Congregationes faciendas congruis temporibus a ministris deputatis, ut moris est, exponantur, ac omnibus demum incumbere, quae totius Ordinis interesse concernent.

§ 3. Quoties vero dictum Collegium convocari, et coadunari necesse erit; requiratur prius licentia Praefecti, et de ejus mandato per Decanum convocetur, atque in domo habitationis ejusdem Praefecti, et non alibi, nec aliter convocari, et coadunari possit, nisi de expresso ejusdem Praefecti consensu, ac licentia in scriptis tantum praestanda.

§ 4. Volumus autem praefatum Collegium a nobis institutum eisdem privilegiis, et exemptionibus perfrui, ac potiri, quibus caetera Collegia Praelatorum Romanae Curiae potiuntur, et gaudent.

§ 5. Porro illi, qui in ordinem Referendariorum cooptari petent, ante omnia curabunt, ut relata nobis, et successoribus nostris a Praefecto Signaturae eorum instantia nostrum, ac successorum praefatorum beneplacitum praecedat: Deinde ut ab eodem Praefecto unus ex Praelatis praefati Collegii delegetur pro conficiendo processu, in quo infrascriptae instantium qualitates legitime justificentur. Primo scilicet ut ex vero, et legitimo matrimonio, et probis, ac honestis parentibus nati, et procreati sint, ac bonae indolis, vitae, ac famae prorsus inculpatae fuerint, atque in vigesimo quinto aetatis anno constituti; Praeterea in aliqua publica Universitate studiis legalibus saltem per quinquennium operam dederint, ac in eadem utriusque juris scilicet Canonici, et Civilis Lauream Doctoratus assecuti fuerint: atque annuos etiam redditus summam scutorum mille quingentorum monetae constituentes vere ac realiter, et pacifice possideant, vel a parentibus, aut propinquis fuerint illis valide assignati: Ac demum in hac Curia Romana saltem per biennium versati fuerint, et studio praxeos penes aliquem ex Auditoribus Rotae nostrae, vel alios Praelatos, Officiales, seu Advocatos ejusdem Curiae sedulo incubuerint: super quibus compilato diligenter processu fiat a Ponente, seu delegato illius relatio in Collegio, cui si videantur probata sufficienter praemissa, tunc Orator admittatur ad examen, assignatis illi (ut moris est) duabus supplicationibus, seu commissionibus coram ipso collegio proponendis: Et subinde peracto examine si ejusdem Praefecti, atque Collegii, quorum conscientiam oneramus, fuerit concordi judicio, vel saltem per duas ex tribus partibus votorum, quae secreto per fabas albas, et nigras proferri volumus approbatus; tunc Praefectus omnibus Nobis, et successoribus nostris relatis, illum auctoritate nostra pronunciabit Referendarium, ac in aliorum numerum adscribi mandabit, praestito tamen prius in ejus manibus solito juramento.

§ 6. Postremo ut in Signaturis tam Gratiae, quam Justitiae liberior sit causarum discussio, et votorum prolatio, prohibemus omnibus et singulis tam Votantibus, quam aliis quibuscumque in eisdem Signaturis intervenientibus, ac eorum Auditoribus, et studiorum Coadiutoribus vota ipsa cuiquam alteri etiam speciali expressione digno referre, aut propalare oretenus, vel in scriptis per se ipsos, vel alios quacumque forma, et exquisito modo, sub poena indignationis nostrae.

§ 7. Decernentes praesentes litteras validas, et efficaces existere, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtinere, ac ab omnibus, ad quos spectat, et spectabit in futurum inviolabiliter observari: Sicque per quoscumque Judices etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate, judicari, et definiri debere: irritum quoque, et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§ 8. Non obstantibus praemissis, ac quatenus opus sit nostra, et Cancellariae Apostolicae regula de gratiis non concedendis adinstar, ac fel. recor. Pii Papae IV. praedecessoris nostri de gratiis interesse Camerae Apostolicae quomodolibet concernentibus in praedicta Camera registrandis, aliisque Constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ac omnibus illis, quae praefati praedecessores in dictis constitutionibus voluerunt non obstare, caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat etc.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Domicae 1659. Idibus Junii Pont. Nostri anno quinto.

212. BENEDICTUS XIV. (1740—1748).

a) Facultates maioris Poenitentiarii et officii Poenitentiariae.

* Bangen, *Die röm. Kurie.* pag. 557 seq. *Bullarium Benedicti XIV.* Romae 1754. Tom. I. Const. 95. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 429.

Benedictus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Pastor bonus Christus Dominus . . . .

§ 6. Concedimus itaque Nostro, et pro tempore existenti Majori Poenitentiario, ut omnes, et singulos cujuscumque qualitatis, dignitatis, et gra-

---

* Schneider, *Fontes iuris ecclesiastici novissimi.* Ratisbonae, Neo Eboraci et Cincinnati. 1895. p. 98 seq.

Facultates a S. Poenitentiaria pro foro interno Episcopis concedi solitae.

N. N. (plenus titulus) SS. D. N. Papae et S. Sedis Apostolicae Major Poenitentiarius.

Vobis Venerabili in Christo Patri N. N. Episcopo Ecclesiae N. infrascriptas facultates ad Quinquennium duraturas communicamus, quibus, non obstante Const.

dus, Ecclesiasticos Saeculares, et cuiusque Ordinis, Congregationis, Societatis, et Instituti Regulares, nec non Laicos quoscumque utriusque sexus, tam praesentes, quam absentes, ab omnibus, et quibuscumque culpis criminibus, et excessibus, quantumcumque gravibus, et atrocibus, tam publicis, quam occultis, quandocumque, et quomodocumque commissis, et perpetratis, nec non ab omnibus excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque censuris, et poenis Ecclesiasticis, praemissorum criminum occasione latis, et per illos incursis, etiam in casibus, nedum Ordinariis, et Regularibus Superioribus, sed etiam Nobis, et Sanctae Sedis specialiter, ac etiam per Litteras, quae die Coenae Domini quotannis promulgantur, reservatis: injuncta semper eisdem pro modo culpae poenitentia salutari, et aliis, quae de jure injungenda fuerint, absolvere, et absolvi mandare possit, et valeat: Regulares nimirum a culpis, et censuris in utroque Foro; Ecclesiasticos vero Saeculares, nec non Laicos, a praedictis culpis, et censuris in Foro conscientiae tantum; eosdem vero Ecclesiasticos Saeculares, nec non Lai-

---

Apostolicae Sedis, pro foro Conscientiae per Vos sive per Vestrum Vicarium in Spiritualibus Generalem, dummodo in Sacro Presbyteratus Ordine sit constitutus, etiam extra Sacramentalem Confessionem pro grege Vobis commisso et intra fines Vestrae dioecesis tantum, atque de speciali, in unoquoque casu exprimenda, Sedis Apostolicae Auctoritate Vobis delegata, uti valeatis; quasque Canonico Poenitentiario necnon Vicariis Foraneis pro foro pariter Conscientiae ac in actu sacramentalis Confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si Vobis placuerit, aliis vero Confessariis cum ad Vos, sive ad praedictum Vicarium Generalem in casibus particularibus Poenitentium recursum habuerint pro exposito casu impertiri possitis, nisi ob peculiares causas aliquibus Confessariis a Vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio Vestro statuendum, illas communicare judicabitis.

I. Absolvendi ab excommunicatione R. Pontifici simpliciter reservata ob manus violentas injectas, sive in Clericos sive in Regulares, dummodo non fuerit secuta mors vel mutilatio seu lethale vulnus aut ossium fractio et dummodo casus ad forum Ordinarii deducti non fuerint; injunctis injungendis et praesertim, ut parti laesae competenter satisfiat.

II. Absolvendi a Censuris contra Duellantes inflictis in Casibus dumtaxat ad Forum Externum non deductis: injuncta gravi poenitentia salutari et aliis injunctis, quae fuerint de jure injungenda.

III. Absolvendi quoscumque Poenitentes sive Viros sive Mulieres (exceptis Haereticis publicis, sive publice dogmatizantibus) a quibusvis Sententiis, Censuris et Poenis Ecclesiasticis incursis ob Haereses tam nemine audiente vel advertente, quam coram aliis externatas; ob infidelitatem et Catholicae Fidei abjurationem private admissas, Sortilegia ac Maleficia haereticalia etiam cum sociis patrata, nec non ob Daemonis invocationem cum pacto donandi Animam eique praestitam Idololatriam, ac superstitiones haereticales exercitas ac demum ob quaecunque insinuata falsa Dogmata incursis, postquam tamen Poenitens Complices, si quos habeat prout de jure denuntiaverit; et quatenus ob justas causas nequeat ante absolutionem denunciare, facta a Poenitente seria promissione denuntiationem peragendi cum primum et meliori modo quo fieri poterit, et postquam in singulis casibus coram Absolvente haereses secrete abjuraverit, et pactum cum maledicto

cos, tunc in utroque Foro absolvere, et absolvi mandari possit, quando agitur de censuris publicis latis a jure praesertim Sedi Apostolicae reservatis, etiam nominatim declaratis, vel si agatur de latis nominatim ab homine, tunc quando Delegati, vel alterius Judicis, a quo latae fuerunt, Jurisdictio expiraverit, seu quando absolutio per eosdem Judices, aut alios, ad Romanum Pontificem, et ad dictam S. Sedem remissa fuerit: seu quando sic Censura ligati legitime impediuntur, quo minus praesentiam Judicum, vel illorum, qui eos sic ligarunt, aut alium, seu alios, quos de jure deberent, adire possint.

§ 7. Ita tamen, ut ab ejusmodi Censuris ab homine latis, vel declaratis in utroque Foro, ut praefertur, absoluti, vel qui absolvendi remittentur Judici coram quo Censurarum causa pendet, in suis congruis casibus respective judicato paruerint, et Parti satisfecerint, vel quamprimum potuerint, pareant, et satisfaciant, alioquin in easdem Censuras reincidant. Renuente vero altera Parte satisfactionem a Reo oblatam, et in sententiis, seu Decretis

---

Daemone initum expresse revocaverit; tradita eidem Absolventi syngrapha forsan exarata, aliisque mediis superstitiosis ad omnia comburenda seu destruenda; injuncta pro modo excessuum gravi Poenitentia salutari cum frequentia Sacramentorum, et obligatione se retractandi apud personas, coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illata scandala.

IV. Absolvendi a Censuris incursis ob violationem clausurae Regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit commissa cum intentione ad malum finem, etiam effectu non secuto, nec casus fuerint ad Forum Ordinarii deducti, cum congrua Poenitentia salutari. Et insuper absolvendi Mulieres tantum a Censuris et poenis Ecclesiasticis ob violationem ad malum finem Clausurae Virorum Religiosorum incursis, dummodo tamen Casus occulti remaneant: injuncta gravi Poenitentia salutari, cum prohibitione accedendi ad Ecclesiam aut Conventum seu Coenobium dictorum Religiosorum, durante occasione peccandi.

V. Absolvendi a Censuris ob retentionem, et lectionem Librorum prohibitorum incursis, injuncta congrua poenitentia salutari, nec non firma obligatione tradendi prout de jure, sive per se, sive per alium absque ulla mora, et quantum fieri poterit ante absolutionem, libros prohibitos, quos poenitens in sua potestate retineat.

VI. Absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a Regularibus utriusque sexus; injuncta poenitentia salutari, et quando agitur de muneribus quae valorem decem scutorum non excedunt, aliqua eleemosyna Absolventis judicio taxanda et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium Religionis, cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet, quod illa fuerint de bonis propriis Religionis; quatenus vero accepta munera vel fuerint ultra valorem scutorum decem, vel constet fuisse de bonis propriis Religionis, facta prius restitutione, quam si de praesenti poenitens adimplere nequeat, emissa seria promissione restituendi intra terminum Absolventis arbitrio praefiniendum, alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi a Censuris, et Poenis Ecclesiasticis eos, qui Sectis vetitis, Massonicis aut Carbonariis, aliisque similibus nomen dederunt, aut qualemcumque favorem praestiterunt, ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent,

minime expressam accipere; possit Major Poenitentiarius pro sua prudentia convenientem satisfactionem arbitrari, et respective supradicti Judicis conscientiae remittere, ut ejusmodi pariter arbitretur; illaque per reum oblata, ac per aliam partem irrationabiliter recusata, valeat, adhuc firma remanente hüiusmodi oblatione, ad absolutionem procedere, et ab alio procedi mandare.

§ 8. Romam quoque advenientes, ibique Sacra loca visitaturos, ab omnibus per quemcumque Judicem, vel alias quomodocumque, non tamen in Romana Curia nominatim promulgatis, vel, si alibi promulgatae fuerint, in eadem Curia notoriis Censuris, ad effectum dumtaxat, ut Indulgentias, Sacra eadem loca Urbis pie, ac religiose invisentibus concessas, libere, et licite consequi valeant, absolvere, vel absolvi mandare possit: itaut elapso congruo tempore ab ipsa Poenitentiaria ad effectum praedictae visitationis praefiniendo, iisdem, quibus antea, Censuris teneantur. Eos vero, qui Censuris ab homine nominatim ligati, pro absolutione Romam advenerint, sed

---

eamque abjurent, libros, manuscripta, ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manus Absolventis tradant, ad Ordinarium quam primum caute transmittenda aut saltem, si justae gravesque causae id postulent, comburenda; injuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari, cum frequentia sacramentalis confessionis aliisque injunctis de jure injungendis: nec non absolvendi eos, qui ejusmodi Sectarum duces et coryphaeos occultos denuntiare culpabiliter neglexerint, injuncta pariter salutari poenitentia et firma obligatione sub reincidentia eosdem Vobis vel aliis ad quos spectat, prout de jure denunciandi.

VIII. Absolvendi religiosos cujuscunque ordinis (etiam Moniales, per Confessarios tamen pro ipsis a Vobis approbatos vel specialiter deputandos) non solum a praemissis, sed etiam a Casibus et Censuris in sua Religione reservatis, dummodo Religiosi apud confessarium subdelegatum legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem.

IX. Dispensandi ad petendum debitum Conjugale cum Transgressore Voti castitatis privatim emissi, qui Matrimonium cum dicto voto contraxerit: hujusmodi Poenitentem monendo, ipsum ad idem Votum servandum teneri, tam extra licitum Matrimonii usum, quam si Marito seu Uxori respective supervixerit.

X. Dispensandi cum Incestuoso sive Incestuosa ad petendum debitum Conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum Consanguinea vel Consanguineo, sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae Uxoris seu respective Mariti: remota occasione peccandi et injuncta gravi poenitentia salutari et Confessione Sacramentali singulis mensibus per tempus arbitrio Dispensantis statuendum.

XI. Dispensandi super occulto impedimento primi, nec non primi et secundi, ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agatur de Matrimonio cum dicto impedimento jam contracto: et quatenus agatur de copula cum suae putatae Uxoris Matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae Uxoris nativitatem, et non aliter: monito Poenitente de necessaria secreta renovatione Consensus cum sua putata Uxore aut suo putato Marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensus, sed ita caute, ut ipsius Poenitentis delictum nusquam detegatur: et quatenus haec certioratio ab-

pro illa obtinenda fuerint ad proprios Judices remissi, et probabile mortis periculum in itinere pertimescant, poterit Major Poenitentiarius, ad congruum tempus, ab ipso pro huiusmodi itineris confectione arbitrandum, in Foro conscientiae tantum absolvere, et absolvi mandare; cum reincidentia, statim ac itineris terminum attigerit.

§ 9. Haereticos occultos, qui nemini, et cum nemine suas haereses communicaverint, possit idem Major Poenitentiarius in Foro conscientiae tantum, absque ulla abjuratione coram Ordinario, vel Inquisitore facienda, absolvere, vel absolvi mandare: quod pariter ipsi liceat quando praedicti Haeretici occulti aliquos actus extrinsecos fecerint, ex quibus dignosci potuissent pro haereticis; dummodo eosdem actus, quamvis de sua natura noscibiles, seu ad notitiam deducibiles, nullus, quem ipsi sciant, aut credant, notaverit, vel advertit.

§ 10. Publicos vero Haereticos, seu Apostatas a Fide Catholica, in Foro conscientiae tantum, absolvere, seu absolvi, mandare possit, in iis dumtaxat casibus, in quibus necesse non est complices denuntiare; quando

---

sque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis Auctoribus traditas: remota occasione peccandi, ac injuncta gravi poenitentia salutari, et Confessione Sacramentali semel in mense per tempus Dispensantis arbitrio statuendum.

Item de speciali et expressa apostolica auctoritate Vobis facultatem concedimus dispensandi super dicto occulto impedimento, seu impedimentis affinitatis ex copula illicita etiam in matrimoniis contrahendis, dispensandique facultatem subdelegandi, etiam habitualiter, parochis Vestrae dioecesis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio absque periculo gravis scandali differri queat: remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione, quod copula habita cum matre mulieris hujus nativitatem non antecedat: injuncta in quolibet casu poenitentia salutari.

XII. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione et agatur de matrimonio jam contracto: monitis putatis conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione.

Item ex eadem speciali et expressa Apostolica auctoritate pariter facultatem concedimus dispensandi super eodem occulto impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis, in casibus tamen urgentioribus, in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem; injuncta in utroque casu gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel singulis mensibus per tempus Dispensantis arbitrio statuendum.

NB. Mens nostra est, 1° ut si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus Vos uti contingat, absolutiones seu dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae; 2° ut injunctio confessionis sacramentalis, de qua sub nr. X, XI et XII non sit *irritativa,* sed tantum *praeceptiva;* 3° ut his facultatibus non solum singillatim sed etiam *cumulatim* in uno eodemque casu uti possitis.

Datum Romae ex Aedibus Nostris etc. [l. c. pag. 92—99.]

nimirum hujusmodi complices, aut mortui sunt, aut in regionibus palam infectis existunt, et in illis degunt; non tamen quando complices in illis Regionibus viverent, in quibus Inquisitionis Sancti Officii auctoritas viget.

§ 11. Principes porro, et alios jus imperii, etiam Vicario nomine habentes, ac dominia, et Respublicas, seu Personas illorum, et illarum administrationem habentes, vel habere solitas, necnon Episcopos, et alios Superiores Praelatos, in casibus publicis, qui in praefatis Litteris, die Coenae Domini legi consuetis, continentur, etiamsi Romanus Pontifex propter infirmitatem, vel aliam causam ita fuisset impeditus, ut celeriter consuli non posset, absolvere, et absolvi mandare nullatenus valeat.

§ 12. Minusque possit, etiam in occultis, licet in Foro conscientiae tantum absolvere, vel absolvi mandare S. R. E. Cardinales, aut alios cujuscumque qualitatis, status, gradus, conditionis, dignitatis, et praeeminentiae fuerint, qui, vivente Rom. Pontifice, de alio quopiam in ejus locum post ipsius mortem eligendo, vel excludendo tractaverint, suffragia tulerint, ambitusque, aut pactiones fecerint; vel, Sede Apost. vacante, in censuras, seu poenas in Litteris fel. record. Gregorii PP. XV., et Urbani VIII. Praedecessorum Nostrorum super electione Romani Pontificis pro tempore facienda, XVII. Kal. Septembris Anno Incarnationis MDCXXV. respective emanatis, contentas, quomodolibet inciderint; praeterquam si absolvi peterent Sede Apost. adhuc vacante; tunc enim absolvi poterunt modo inferius praescribendo pro tempore vacantis ejusdem Sedis.

§ 13. Nec pariter possit, etiam in occultis, etiam in Foro conscientiae tantum, eos cujuscumque qualitatis, status, dignitatis, praeeminentiae, et conditionis fuerint, absolvere, et absolvi mandare qui Astrologia judiciaria, vel per se, vel per alios, de statu Reipublicae Christianae, sive de vita, aut morte Romani Pontificis pro tempore existentis inquirentes, ejusdem Urbani VIII. Pontif. Max. Litteris pridie Kalendas Aprilis Anno ejusdem Incarnationis MDCXXXI. contra praedicta perpetrantes editis, contravenerint.

§ 14. Nec similiter valeat in casibus publicis, etiam in judicium non deductis, violatae immunitatis, seu libertatis Ecclesiasticae, ullatenus absolvere, seu absolvi mandare.

§ 15. Super quacumque irregularitate, et inhabilitate ex quocumque delicto, etiam homicidio voluntario, et ex quocumque defectu proveniente, possit idem Major Poenitentiarius, in casibus tamen occultis, et in Foro conscientiae tantum, et praevia in gravioribus casibus matura discussione in Signatura Poenitentiariae agenda, dispensare, vel dispensari mandare, tam cum Laicis, quam cum Ecclesiasticis Saecularibus, et Regularibus, cum quibus expediens videbitur, ad hoc ut Ordinibus initiari, vel respective in susceptis, etiam in Sacris, et presbyteratus Ordinibus ministrare, et ad superiores ascendere, ac Dignitates, etiam Cathedrales, et Metropolitanas, et quae-

cumque Beneficia Ecclesiastica, quandocumque ante dispensationem alioquin canonice obtentas, vel obtenta, retinere, nec non ut hujusmodi Beneficia, et Dignitates, (exceptis quando agitur de homicidio voluntario, vel alio gravissimo excessu, Ecclesiis Cathedralibus, et Metropolitanis) etiam post delictum assequi valeant.

§ 16. Item cum Haereticis, et Apostatis a Fide Catholica, quando haeresis, et Apostasia hujusmodi, si de Saecularibus agitur, nullatenus est propalata, et quando casus gravitas non suadet, Poenitentes ad Sacram Inquisitionem remittendos esse, super quacumque Irregularitate, et Infamia exinde contracta, ad Ordines sive susceptos, sive suscipiendos, quam ad Beneficia, dispensare, et dispensari mandare possit, et valeat.

§ 17. Cum Homicidiis, Bannitis, aliisque criminosis, ut in Religionem recipi, et in ea Professionem emittere licite possint, atque ut etiam qui homicidia voluntaria commiserint, aliquam ex approbatis Religionibus, tanquam Clerici ingredi, in eaque profiteri valeant, in utroque Foro dispensare, seu dispensari mandare possit; ea tamen lege, quando sic oportere videbitur, ut Fiscum, et Partem prius concordaverint; et insuper cavendo, ne tempore Novitiatus Sacros Ordines suscipiant, aut ad superiores ascendant, sed id eis minime liceat, nisi post Professionem emissam. Ut autem in iis Ordinibus, quos antea suscepissent, etiam tempore Novitiatus ministrare possint, quoties aliqua rationabilis causa id postulaverit, dispensare, et dispensari mandare possit; adjecta tunc clausula: *Ut si forte in Religione non perseveraverint, seu ad saeculum redierint, ipso facto suspensi, etiam ab hujusmodi Ordinum antea susceptorum exercitio, remaneant.*

§ 18. Cum male promotis quibuscumque ad Ordines, in casibus tamen occultis, dispensare, vel dispensari mandare valeat; et signanter, accedente legitima causa dispenset, vel dispensari mandet cum Promotis per saltum, in casibus similiter occultis, ad effectum scilicet, ut omissos Ordines secrete recipiant a quolibet Catholico Antistite gratiam, et communionem cum Sede Apostolica habente, extra tempora, et non servatis Interstitiis, et absque Dimissoriis; non tamen, ut plures Ordines Sacros eodem die recipiant.

§ 19. Cum promotis ad Sacros Ordines, qui Simoniam cum Episcopis promoventibus commiserint, dispensare, et dispensari mandare possit, in occultis dumtaxat, et in Foro conscientiae tantum, cum clausula *monitis monendis,* et injuncta gravi poenitentia, ac re praesertim in Signatura discussa.

§ 20. Titulos Beneficiorum cum occulta inhabilitate, vel alio occulto vitio, etiam in concursu male obtentorum, convalidare, et convalidari mandare valeat.

§ 21. Verum a convalidatione Titulorum, et condonatione fructuum abstineat quoad illos, qui de ecclesiis Cathedralibus provisi, munus Consecrationis infra praefinitum tempus non susceperint.

§ 22. Cum vero agitur de Simonia reali scienter contracta, et de Beneficiis, super quibus eadem contracta fuit, abstineat a dispensationibus, seu convalidationibus Titulorum, etiam in Foro conscientiae tantum, etiam in casibus occultis; nisi forte praedicta Simonia contracta fuerit ignoranter ignorantia facti, vel juris, et Orator de illa certior factus, quam primum commode potuerit, dispensationem petierit. Idemque intelligatur de Pensionibus, super quibus Simonia realis scienter contracta, et commissa fuerit.

§ 23. Abstineat a condonatione pretii simoniaci, quando in Ecclesiam laesam, vel pauperes erogari debet; praeterquam si delinquentium paupertas, et qualitas suadeant, aliquam ejus partem ipsis remitti, aut condonari posse; residua semper in Ecclesiam, vel alios pauperes erogando.

§ 24. A compositione pariter, et condonatione fructuum Beneficialium; et Episcopalium Ecclesiarum, ac etiam distributionum quarumcumque quovis modo male perceptorum, in casibus non occultis, abstineat. In occultis vero, possit cum Gallis, Belgis, Germanis, Polonis, et ulterioribus, componere, vel etiam condonare; injuncta eisdem Poenitentibus erogatione eleemosynae, ipsius Majoris Poenitentiarii, vel Confessarii ab ipso deputandi arbitrio limitandae. Cum reliquis autem videlicet Italis, Hispanis, Lusitanis, et adjacentium Insularum Personis, discrete compositionem concedere, et ea mediante fructus condonare valeat; pecuniis exinde redactis Arbitrio Nostro, et Successorum Nostrorum pro tempore erogandis. Pauperibus autem, quorum inopia compositionem non admittit, possit condonare, injuncta pro eorum viribus eleemosyna modo supradicto. Porro quae hic ordinantur, sine praejudicio illorum, quibus distributiones accrescere, vel non decrescere debent, sint, et censeantur ordinata.

§ 25. Quoad male ablata, vel retenta, quando domini incerti sunt, et casus occulti, partem aliquam delinquentibus pauperibus, si eorum qualitate, et necessitate pensatis, ita videbitur, remittere, seu condonari mandare possit; residuum vero pauperibus distribui, vel in pia opera erogari, et quidem, si fieri potest, in locis, ubi illa ablata, extorta, vel usurpata sunt, mandare debet.

§ 26. Accipientes munera a Regularibus, exceptis rerum medicinalium, seu devotionis muneribus, ultra valorem decem scutorum monetae, contra praescriptum a Praedecessoribus Nostris Clemente VIII, et Urbano pariter VIII. in suis Constitutionibus, XII. Kalendas Julii Anno MDCXI. respective editis non absolvat, nisi facta restitutione; vel, si eam de praesenti nequeant adimplere, cum obligatione eandem, quamprimum poterunt, faciendi. Qui vero infra praedictum valorem ejusmodi munera acceperint, eos, injuncta arbitrio ipsius Majoris Poenitentiarii, seu Confessarii per eum eligendi, eleemosyna, qui in beneficium Religionis, seu Conventus, cui de jure facienda esset restitutio, si caute fieri possit, erogetur, absolvere, seu absolvi mandare possit.

§ 27. Cum Puellis, quae Virgines non sunt, et subsidia Dotalia petunt, seu jam obtinuerunt a Confraternitatibus, aut aliis Locis, vel Dispensatoribus piis, quibus injunctum est, ut illas Virginibus tantum dent, seu distribuant; in occultis, et in foro Conscientiae tantum, quatenus illae imposterum honeste vivant, facultatem habeat dispensandi. Nec non dispensare possit in occultis pariter, et in foro Conscientiae tantum, cum Virginibus, quae petunt, vel obtinuerunt ingredi, vel jam ingressae sunt in Conventus, seu Monasteria destinata pro Mulieribus ad bonam frugem traductis, ad effectum ea licite ingrediendi, seu in eis remanendi, ac profitendi, et officia quaecumque suscipiendi, et exercendi.

§ 28. Juramenta quaecumque, in quibus imploratum sit nullum cujusquam agi praejudicium, facultatem habeat in foro Conscientiae dumtaxat relaxandi.

§ 29. Vota simplicia quaecumque quomodolibet emissa. tametsi privato juramento confirmata, etiam Religionis, Castitatis, Visitationis Sepulchri Dominici, aut Sacrorum Liminum Beatorum Apostolorum Petri, et Pauli de Urbe, aut Sepulcri S. Jacobi de Compostella, possit idem Major Poenitentiarius in alia pietatis opera dispensando commutare etiam ad effectum contrahendi matrimonium, cum agitur de voto castitatis, aliisve ex se matrimonium illicitum reddentibus; item Votorum implementum differre, et ab illorum transgressionibus absolvere; et respective dispensando commutari, differri, et absolvi mandare; consideratis causis talium commutationum, dilationum, aut absolutionum, et adjectis clausulis, quas apponere, iisque injuctis, quae injungere hactenus in hujusmodi casibus Poenitentiaria laudabiliter consuevit.

§ 30. Super recitatione Divini Officii, seu Horarum Canonicarum, propter aliquam impossibilitatem, seu moralem difficultatem, dispensandi, cum commutatione in alias preces, vel orationes, vel alia pia opera, earumque, seu eorum injunctione, habeat facultatem.

§ 31. Cum Regularibus autem super Irregularitate, tam ex defectu, quam ex quocumque delicto quandocumque perpetrato, quomodolibet contracto, ut eadem Irregularitate, aut quavis inhabilitate, aliisque defectibus quibuscumque non obstantibus, susceptis Ordinibus, et eorum Privilegiis uti, ac in illis, etiam in altaris ministerio ministrare, et Ordines non susceptos suscipere, ac in iisdem pariter ministrare, necnon quaecumque, quotcumque, et qualiacumque suorum Ordinum, et Congregationum, alioquin Canonice obtenta, Officia, Beneficia regularia, munia, praeeminentias, dignitates, et Praelaturas, etiam maiores, et principales, retinere, et exercere, nec non eadem, seu easdem, ad quae, seu quas in futurum canonice, et juxta eorumdem Ordinum, et Congregationum regularia Instituta, eligentur, vel aliter assumentur, recipere, assequi, gerere, ac libere, et licite exercere valeant, dispensare, eosque in pristinum, et ad eum, in quo ante praemissa

quomodolibet erant, statum, et ad vocem activam, et passivam restituere, reponere, et plenarie reintegrare, et poenas illis gratiose remittere, et condonare; (non tamen habilitare ad Generalatum, quando agitur de publico natalium defectu); nec non pro majori absolutionum, et dispensationum praedictarum firmitate, quibusvis Constitutionibus, Ordinationibus, Statis et Privilegiis quomodolibet obstantibus sufficienter derogare, praefatus Major Poenitentiarius possit, et valeat.

§ 32. Volumus tamen, ut in hujusmodi casibus, qui occulti fuerint, in Foro conscientiae tantum; in publicis vero casibus in utroque Foro, auditis tamen Superioribus, et matura circumspectione semper adhibita, cum iisdem Regularibus, ut praefertur, dispenset, vel dispensari mandet.

§ 33. Quo ad Apostatas, vel fugitivos Regulares, ad Apostolicam Poenitentiariam recurrentes, servetur laudabilis ejusdem praxis, ut scilicet Major Poenitentiarius, audito prius, si in Urbe adsit. Ordinis superiore, seu Procuratore Generali, injungat Apostatae, seu fugitivo, intra tempus arbitrio ipsius Majoris Poenitentiarii taxandum, reditum ad proprium Ordinem: Interim vero, si expediat, a censuris eumdem absolvere, vel absolvi mandare possit; cum reincidentia si intra dictum tempus minime redierit (dilata tamen usque ad actualem reditum dispensatione super Irregularitate; si forte eam insuper contraxisset): et alias praeterea poenas, sive de jure communi, sive ex Statutis Ordinum, propter Apostasiam, seu fugam inflictas, discrete moderari, commutare, vel etiam, juxta peculiares circumstantias, condonare possit. Si vero casus ejusmodi sit, ut, re praesertim in Signatura discussa, censeatur expedire, quod absque reditu ad proprium, transitus eidem ad alium ordinem concedatur; possit Major Poenitentiarius istud etiam concedere, adhibitis tamen iis cautionibus, quas ad refrenandam vagandi licentiam necessarias, seu opportunas judicaverit; nec non illa prae oculis habendo, quae infra circa transitum disponentur. Nemini autem Regulari quacumque de causa permittere valeat, ut in habitu saeculari seu Clerici Saecularis, in perpetuum extra Claustra vivere possit.

§ 34. Quoad transitum vero de una ad aliam Religionem, non solum valeat illum concedere a laxiori ad arctiorem, juxta *Cap. Licet de Regular.*, verum etiam ad aequalem, et ab arctiori ad laxiorem, ob justas tamen, et graves respective causas ab eodem Majori Poenitentiario probandas; audito prius Superiore Ordinis, a quo, et cum consensu Superioris Ordinis, ad quem faciendus est transitus. Pro majori autem transitus firmitate, in his omnibus casibus possit idem Major Poenitentiarius Statutis, et Privilegiis Apostolicis quomodolibet obstantibus opportune derogare.

§ 35. Verum abstineat ab hujusmodi transitu concedendo ad alias Religiones, seu Ordines, praeter quam ad illas, seu illos, in quibus claustralis, et regularis observantia vigere dignoscatur, quod si de tali claustrali, et regulari observantia ullatenus dubitetur, exquirenda erit authentica Ordi-

narii attestatio. Abstineat pariter a transitu praedicto concedendo ad Ordines Hospitalares, et Militares, quamvis in istis claustralis, et regularis observantia vigeret, nisi forte ad ordinem S. Joannis De Deo. Neque item eumdem transitum concedat ad Ordinem Sancti Benedicti antiquioris observantiae, aut ad alias consimiles Congregationes, cujuscumque Ordinis fuerint.

§ 36. Concedere itidem possit transitum ab uno Monasterio ad aliud, Monialibus tantum ultra montes existentibus, legitima concurrente causa, in Signatura discutienda, et approbanda; committendo tamen facultatem hujusmodi transitus admittendi, et exequendi, arbitrio Ordinarii, cum clausulis opportunis pro casuum varietate.

§ 37. Quo vero ad censuras, seu ad poenas, in quas Moniales incurrere, et peccata reservata, quae ab eisdem committi contigerit, etiam in casibus violatae Clausurae, qui tamen casus occulti fuerint, vel ubi agatur de aliquo occulto defectu dispensando, possit idem Major Poenitentiarius praefatis Monialibus Confessarium cum opportunis facultatibus concedere.

§ 38. In casibus vero publicis Clausurae a Monialibus praedictis, vel ab aliis quibuscumque personis, ad malum finem violatae, delinquentes non absolvat, nec absolvi mandet, nisi pro ipsis Episcopi, seu Ordinarii supplicaverint et casus ad Congregationem S. R. E. Cardinalium negotiis, et consultationibus Episcoporum, et Regularium propositam deducti non fuerint.

§ 39. In Matrimoniis contrahendis possit idem Major Poenitentiarius, in foro Conscientiae tantum, super impedimentis occultis, quae matrimonium non dirimunt, dispensare, vel dispensari mandare; itemque super omissione denuntiationum, etiam ad effectum contrahendi secreto; in quo serventur, quando agitur de Matrimoniis *Conscientiae* nuncupatis, Litterae a Nobis datae ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, et Episcopos sub die 17. Novembris anni 1741 per ea verba incipientes: *Satis vobis compertum.* At a dispensationibus concedendis super quocumque impedimento ex quovis gradu sive consanguinitatis, sive affinitatis ex copula licita, seu ex cognatione spirituali proveniente, etiam in foro Conscientiae tantum, tametsi impedimentum sit occultum, et periculum scandalorum immineat, in iisdem Matrimoniis contrahendis abstineat.

§ 40. In contractis vero Matrimoniis, a dispensatione, seu Matrimonii revalidatione in gradibus primo, et secundo, seu secundo tantum, consanguinitatis, vel affinitatis ex copula licita, etiam in occultis, pariter abstineat; praeterquam si in secundo tantum gradu praedicto impedimentum saltem per decennium duraverit occultum, et Oratores simul publice contraxerint, et uti conjuges legitimi reputati fuerint; in tertio autem, et quarto gradibus occultis, in contractus possit dispensare; atque etiam in iisdem tertio, et quarto gradibus publicis, possit revalidare Matrimonia, ex causa subreptionis, et obreptionis occultae Litterarum Apostolicarum nulliter contracta; prae-

terquam si falsitas consistat in narratione praecedentis copulae, quae antea revera non intercesserit.

§ 41. Quod si aliqui Oratores obtinuerint a Nostra Dataria dispensationem super gradu prohibito in primo, et secundo, vel in secundo tantum, ac etiam in tertio, vel quarto, cum reticentia copulae inter eos sequutae, quam sine honoris detrimento detegere non valeant, et ratione hujusmodi retinentiae petant dispensationem pro matrimonio contrahendo, seu revalidationem Matrimonii contracti; possit idem Major Poenitentiarius, si copula sit adhuc secreta, hujusmodi dispensationem, seu respective revalidationem in foro Conscientiae tantum concedere; facta, quando agitur de primo, et secundo, vel secundo tantum gradu, compositione quinquaginta ducatorum auri de Camera ad Datariam transmittendorum, ad effectum (ut incussi moris est) erogandi in eleemosynas; nisi prior gratia expedita fuisset in forma pauperum; quo casu etiam haec gratia similiter absque ulla compositione expediatur.

§ 42. Si qui vero Oratores, obtenta dispensatione a Dataria super impedimento primi, et secundi, sive secundi dumtaxat gradus Consanguinitatis, seu Affinitatis, cum expressione quidem carnalis copulae, sed tacita, occulta, et malitiosa intentione in ipsa copula habita ad facilius obtinendam dispensationem, pro revalidatione hujusmodi dispensationis ad dictam Poenitentiariam recurrant, possit idem Major Poenitentiarius desuper absolute dispensare cum miserabilibus personis explicite affirmantibus, se, uti tales, sub illa expressa qualitate, et forma miserabilium, dispensationes a Dataria obtinuisse: Cum iis vero, qui non tamquam pauperes, sed uti ex honestis familiis, sive uti nobiles, sive uti illustres, ab eadem Dataria, similiter dispensati fuerint, non dispenset, nisi soluta prius in Dataria, ad effectum pariter erogandi in eleemosynas, taxa definienda arbitrio ejusdem Majoris Poenitentiarii, pensatis circumstantiis; cujuscumque Casus, et respectu, habito ad praejudicium Componendae, et ad vires supplicantium. Si tamen isti pauperes essent, ita ut vere, et realiter integram summam taxatam, vel aliquam ejus partem solvere non possent; praefatus Major Poenitentiarius opportune in hoc casu provideat, facto verbo, si peculiaris difficultas id postulet, cum Sanctissimo.

§ 43. Super impedimento occulto affinitatis ex copula illicita, seu ex actu fornicario proveniente, quotiescumque adsit rationabilis causa, licet periculum revelationis, seu scandalorum non immineret, vel non adesset, in matrimoniis tam contractis, quam contrahendis, in foro Conscientiae dispensare, et dispensari mandare possit, et valeat.

§ 44. Super occulto impedimento criminis adulterii, si fuerit cum fide data dumtaxat, neutro machinante, commissum, possit tam in contrahendis, quam in contractis Matrimoniis dispensare. Si vero crimen hujusmodi fuisset, utroque, vel altero Machinante, patratum, possit in occultis pariter di-

spensationem concedere: raro tamen, et quando necessitas postulaverit, ratione alicujus gravis imminentis periculi, quod prudentia Majoris Poenitentiarii, re praesertim discussa in Congregatione, vel Signatura, arbitrandum erit.

§ 45. Declaramus praeterea, quod facultates praefatae a Nobis Majori Poenitentiario, et ejusdem Poenitentiariae Officio concessae circa dispensationes Matrimoniales, locum habeant, etiamsi gradus, et impedimenta hujusmodi multiplicia sint, quacumque, et quantacumque multiplicitate; Volentes in Litteris hujusmodi dispensationum Matrimonialium, posse Prolem, ubi opus erit, sive suscipiendam, non tamen in adulterio conceptam, in Foro conscientiae tantum, legitimam decernere; nec non apponi clausulam: *Nullis etc.;* prout in hujusmodi materiis hactenus ipsa Poenitentiaria servare consuevit.

§ 46. Ulterius super casibus quibusvis occulti impedimenti ad petendum licite debitum dispensare, aut dispensari mandare possit, et valeat.

§ 47. Facultates Poenitentiariis minoribus ordinariis trium Basilicarum Urbis, aliisque extraordinariis, quorum deputatio pertinet ad praedictum Majorem Poenitentiarium, possit idem ad libitum concedere, et restringere. Fratres vero Minores Cappucinos in Confessarios nullatenus deputet in illis Regionibus, in quibus iidem Confessionibus audiendis operam dare non solent.

§ 48. Dubia omnia in materia peccatorum, seu Forum poenitentiale alias quomodolibet concernentia, cum consilio Doctorum, et Theologorum suorum, valeat declarare.

§ 49. Commissiones vero Majoris Poenitentiarii non expirent, etiamsi committens, illis nondum praesentatis, et re integra, desinat quomodocumque Poenitentiarius existere. Idemque intelligi volumus de illis commissionibus, quas majori Poenitentiario absente, vel ex aliqua justa causa impedito, alterius Pro-Poenitentiarii ad tempus subrogati nomine expeditas, elapso hujusmodi subrogationis termino, praesentari contigerit.

§ 50. Omnibus denique Christifidelibus, qui ex veteri, et laudabili instituto Poenitentiarium Majorem, munere suo statutis diebus Hebdomadae Majoris in tribus Urbis Basilicis solemni ritu fungentem, pie, reverenterque adierint, seseque poenitentiali virga tangendos submiserint, centum dies de injunctis eis, seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxandi perpetuam facultatem eidem Majori Poenitentiario confirmamus, et, quatenus opus sit, de novo concedimus.

§ 51. Sede Apostolica vacante, quoniam animarum saluti, quae omni tempore periclitatur, nunquam non est subveniendum, unde merito Praedecessores Nostri Officium Poenitentiariae etiam post obitum Pontificis continuare jusserunt; Volumus, et decernimus, ut Major Poenitentiarius (cujus facultas dicto tempore non expirat, sed tantummodo non habet exer-

citium extra Conclave), seu ejus Officiales, facere, et expedire valeant quaecumque ad forum Conscientiae pertinent. Ideo absolvere, seu absolvi mandare in dicto conscientiae foro valeant ab iis quoque censuris, a quibus alias vivente Pontifice adempta etiam Majori Poenitentiario, et Poenitentiariae Officio absolvendi facultas reperitur: Hac tamen lege (quemadmodum fel. record. Praedecessor Noster Clemens Papa XII., lata constitutione, quae incipit: *Apostolatus officium,* ad consulendum simul animarum Fidelium saluti, et disciplinae Ecclesiasticae conservationi provide cavit) quod nempe in hujusmodi censuris, ad tempus dumtaxat, et cum reincidentia in easdem, servatis alias servandis, absolutio concedatur; ita ut qui fuerint absoluti ad novum Pontificem intra terminum pro Locorum distantia definiendum, recurrere pro eadem causa teneantur, neque liceat Poenitentiario Majori, ejusque officialibus, praefixum terminum post Pontificis electionem ampliare, vel prorogare.

§ 52. Praeterea concedimus, ut, si quando aliquod gravius Animae periculum immineat, cui celeriter occurrendum videatur, re in Signatura diligenter examinata, et Majori quoque Poenitentiario, si in Conclavi degat, pro materiae gravitate consulto, et approbante, dispensare, aut dispensari mandare pro eodem foro Conscientiae, valeant; super illis etiam, super quibus alias vivente Pontifice inhibita sit Majori Poenitentiario, et Poenitentiariae dispensandi facultas; ita tamen, ut Oratores, sicuti superius dictum est, ad novum Pontificem post ejus electionem similiter debeant recurrere, aliisque appositis clausulis pro casus natura necessariis, et opportunis.

§ 53. Pro foro vero externo, eadem Sede Apostolica vacante, eorum Officium penitus conquiescat, ita ut a quibuscumque Matrimonialibus, et aliis dispensationibus, et absolutionibus, ac declarationibus, nec non quibusvis aliis expeditionibus forum fori mixtim, vel separatim quomodolibet respicientibus, omnino abstineant.

§ 54. Attamen concedimus, ut dicta Sede vacante, pro foro externo facere, et expedire valeant, quae ad Regularium, et praesertim Apostatarum, et fugitivorum remedium, in superioribus facultatibus concessa sunt. Necnon ut Monialibus Confessarios extra Ordinem valeant deputare, si eos ex aliqua rationabili causa petierint, pro earum libitu inter approbatos ab Ordinario ad audiendas Monialium Confessiones, eligendos.

§ 55. Et demum, ut illos, qui in aliquam Censuram Sedi Apostolicae reservatam, etiam ob violatam Ecclesiasticam Libertatem, vel Immunitatem publice incurrerint, vel incurrisse declarati fuerint, et vere ac sincere poenitentes, et novi Pontificis, ad quem post electionem recurrere debebunt, mandatis obtemperare parati, beneficium absolutionis sibi ulterius non differri enixe deprecentur, absolvere, cum reincidentia, quemadmodum in superioribus dictum est, vel absolvi mandare possint.

§ 56. Decernentes praesentes Litteras, etiam ex eo, quod Major Poenitentiarius, ac praefatae Poenitentiariae Regens, et Officiales praedicti, ac illi quicumque in praemissis quomodolibet interesse habentes, seu habere praetendentes, eisdem praemissis non consenserint, aut vocati, seu auditi non fuerint, aliaque quavis de causa, quantumvis legitima, et juridica, de ullo subreptionis, vel obreptionis, seu nullitatis vitio, aut intentionis Nostrae, vel alio quocumque defectu notari, impugnari, redargui, retractari, in jus, vel controversiam revocari nullatenus posse etc.

§ 57. Non obstantibus praemissis etc.

§ 58. Nulli ergo omnino hominum liceat etc.

Dat. Romae apud Sanctam Mariam Majorem, Anno incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, idibus Aprilis, Pontificatus nostri Anno quarto. [l. c. pag. 557—567.]

b) Divisio Materiarum et Gratiarum Apostolicarum, quae per Datariam Apostolicam, quaeque per Secretariam Brevium Secretorum sunt expediendae.

* Bangen, *Die röm. Kurie.* pag. 567. seq. *Bullarium Benedicti XIV.* Tom. I. p. 591. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 423.

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Gravissimum Ecclesiae universae, reique publicae regimen humilitati Nostrae concreditum, optima, quantum Nobis ex alto conceditur, ratione moderari; simulque ab omnibus iis, quorum opera ac ministeriis utimur, concordibus atque in unicum publicae utilitatis scopum collineantibus studiis procurari cupientes; id maxime interesse arbitramur, ut singulis Officiis, quibus tam justitiae administratio, quam Gratiarum dispensatio continetur, proprias atque distinctas in Republica partes, certosque tum auctoritatis tum jurisdictionis limites designemus: Constat enim, non aliunde certiorem gubernii concordiam, quam ex recta divisione munerum, et Officiorum partitione coalescere, nec magis firmam corporis stabilitatem, quam ex apta atque ordinata membrorum omnium distinctione consistere. Quapropter, cum anno proxime elapso, editis Apostolicis Litteris XII. Kalendis Januarii, quarum initium est: *Romanae Curiae praestantiam,* hujusmodi munerum et jurisdictionum divisionem pro Judicibus et Tribunalibus hujus Nostrae Curiae, in iis, quae pertinent ad legitima causarum judicia, opportune statuerimus: animum in praesentia adjicimus ad certos constituendos fines, intra quos ea quoque Officia se in posterum continere debeant, quibus demandata est expeditio Gratiarum, quae de Apostolicae Sedis liberalitate tam in Universos Christifideles, quam in Subditos Ditioni Nostrae Populos assidue diffunduntur.

§ 1. Porro ad expedienda complura hujusmodi Gratiarum genera, inter caeteros Apostolicae Sedis Ministros, et Officiales, unus in Dataria

Apostolica ab immemorabili tempore extitit, Magister Brevium nuncupatus, cujus electionem ante Pontificatum fel. rec. Praedecessoris Nostri Pauli Papae V. ad Collegium Secretariorum Apostolicorum absque controversia pertinuisse dignoscitur. Verum quum de anno 1614 post obitum olim Joannis Mileti ad hujusmodi Officium Magistri Brevium a praedicto Collegio Secretariorum Apostolicorum electi, super jure Novum Magistrum Brevium eligendi, et deputandi, triangularis orta esset lis et controversia; num scilicet ad Datariam Apostolicam, an vero ad praedictum Collegium Secretariorum Apostolicorum, vel potius ad Collegium Scriptorum Brevium, praedicti Officialis electio et deputatio spectaret; eaque lis et causa coram bon. mem. Marco Aurelio Maraldo tunc temporis Datario discuteretur, atque adhuc indecesse penderet, idem Praedecessor Paulus huiusmodi litem et causam auctoritate Apostolica ad se avocavit, atque omnibus rite perpensis, per suam Schedulam motus proprii decrevit, et declaravit, electionem personae, quae Officium Magistri Brevium exerceret, a praedicto Collegio Secretariorum Apostolicorum semper faciendam esse, et fore, factamque tum ab ipso Collegio electionem in persona Joannis Jacobi Bulgarini ratam habuit, approbavit, et confirmavit.

§ 2. Postea vero recolend. mem. Praedecessor pariter noster Gregorius Papa XI. anno 1621 Officium hujusmodi Magistri Brevium in Officium Vacabile sub eodem titulo, cum adnexis Praelaturae insigniis et honoribus, et cum facultate illud resignandi pro justo pretio, ad instar aliorum Officiorum Vacabilium, erexit, ipsique pro tempore Praelato hujusmodi Officii Possessori, omnia et singula emolumenta, quae de caetero in Gratiarum expeditionibus a Magistro Brevium percipi et exigi consueverant, perpetuo cessit et assignavit; atque ita de una in alteram personam transeundo, Officium praedictum in proprietatem devenit Venerabilis Fratris Alexandri de Abbatibus, nunc Viterbiensis Episcopi. Cum Nos, conservandis augendisque Apostolici Aerarii utilitatibus sollicite intenti, uberes ejusdem Officii reditus, cum primum illud ex persona moderni ipsius Possessoris vacare contigisset, Camerae Nostrae Apostolicae in perpetuum applicare et appropriare statuissemus; ut etiam citius hujusmodi applicatio et appropriatio suum sortirentur effectum, Officium ipsum a praedicto Alexandro Episcopo pro competenti pretio resignari curavimus. Quod quum ipse de facto in manibus Nostris sponte resignasset; Nos resignationem hujusmodi admittentes ad commodum et favorem ejusdem Camerae Apostolicae, per speciale Chirographum, manu Nostra signatum sub die 6. Junii Anni Domini 1742, mandavimus, ipsi Resignanti persolvi ex pecuniis praedictae Camerae tredecim millia scutorum monetae Romanae de Juliis decem pro quolibet scuto, pro pretio convento praedicti Officii, quemadmodum soluta fuerunt; et ex tunc hujusmodi Officii Magistri Brevium nuncupati annuum fructum, et emolumenta ex ipsius Officii exercitio pro tempore redigenda, eidem Camerae

Apostolicae applicavimus, et perpetuo incorporavimus; ita tamen, ut a Nostro et Pontificum Successorum Nostrorum pro tempore Datario, unus aliquis Officialis eligi, et cum congrua mercedis assignatione deputari debeat, ad hoc ut sub ejusdem Datarii directione, nomine vero Camerae Apostolicae, Officium ipsum fideliter exerceat, et administret, pro ut supradictus Alexander Episcopus ejusque in dicto Officio Praedecessores pro tempore exercuerunt; ac de praeceptis seu exactis emolumentis, statutis temporibus, et quandocumque opportunum visum fuerit, rationem reddat, pro ut in praedicto Chirographo manu Nostra signato, et in Instrumento indidem per Acta dilecti Filii Gregorii Castellani unius ex ejusdem Camerae Apostolicae Secretarii sub die quinta Julii ejusdem anni confecto et stipulato, latius et uberius continetur.

§ 3. Ut autem certa ratione constet, quaenam gratiarum, et concessionum genera per Datariam praedictam et per organum huiusmodi Magistri Brevium in posterum expediri oporteat; quaenam vero sint expeditiones, quae per Litteras sub Annulo Piscatoris, et per Secretariam Brevium Nostrorum Secretorum fieri permittuntur; omnisque inordinatio et confusio tollatur, quae ex promiscuo recursu ad praedictas Datariam, et Secretariam Brevium, alias usitato, oriebatur, non sine fraudum periculo, et officiorum vacabilium de expeditionibus participantium, adeoque ipsius Camerae Nostrae Apostolicae detrimento; Mandavimus Dilecto Filio Nostro Dominico Tituli Sancti Bernardi ad Thermas S. R. E. Presbytero Cardinali Passioneo nuncupato Brevium Nostrorum secretorum Secretario, necnon Dilecto Filio Magistro Joanni Jacobo Milio Datario Nostro, ut unanimi studio, perpensis veteri stylo et consuetudine, atque etiam ipsa multiplicis generis Gratiarum et Concessionum natura, consilium suum Nobis aperirent super hujusmodi negotiorum divisione, et congrua partitione inter praedicta Officia inviolabiliter in posterum stabilienda et respective servanda.

§ 4. Ipsi vero praemissa omnia sedulo et accurate pensantes, auditis etiam utriusque Officii praedicti Ministris in eorum praxi, stilo, et consuetudinibus, respective peritis, post maturum examen, Elenchum quemdam, communi ipsorum consensu conceptum, et utriusque subscriptione signatum Nobis obtulerunt, in quo sigillatim continebantur materiarum seu Gratiarum Apostolicarum genera: Primo quidem earum, quarum expeditionem ad dictam Secretariam Brevium secretorum privative; Secundo earum, quarum expeditionem, tam ad ipsam Secretariam, quam ad Datariam Apostolicam promiscue; Tertio demum earum, quarum expeditionem ad ipsam Datariam privative spectare debere convenientius judicarunt.

§ 5. Porro concessiones et gratiae, quarum expeditio, juxta praedictum Elenchum, Secretariae Brevium secretorum privative tribuitur, tales sunt:

«Altaria Portatilia; Altaria Privilegiata; Concessiones Habitus Militiae D. N. J. C., aut alterius Militiae similis; Avocationes Causarum, et

extinctiones litium; Abbreviatoriae Nuntiaturarum; Indulta gaudendi privilegio anzianitatis pro Advocatis Consistorialibus Coadjutoribus; Creationes in Militem auratae Militiae, et in Comitem Palatinum; Licentiae ingrediendi in Monasterium educationis causa; Facultates permanendi in Monasterio habitu saeculari; Capiendi possessionem nomine Camerae; Vescendi prohibitis; Brevia facultativa Magnis Magistris cuiuslibet Ordinis Equestris, vel Militiae; Benedictiones agrorum contra animalia nociva; Commutationes voluntatis; Confirmationes Decretorum Congregationum; Et Litterarum Patentium Nuntiorum, aut Legatorum Sedis Apostolicae; Commutationes Officii Divini in alias preces; Creationes in Generalem, aut alios Officiales Regulares; Clericatus Camerae; Admissiones ad privilegia Civitatis, vulgo «Cittadinanze»; Deputationes Coadjutorum in Officiis et muneribus saecularibus; Communicationes privilegiorum et indulgentiarum; Confirmationes electionum personarum, non tamen super re Beneficiaria; Creationes Magistrorum, Abbatum, et aliorum Graduatorum Regularium; Commissiones contra Episcopos; Dispensationes super defectu aetatis tredecim mensium vel alterius temporis, ad effectum suscipiendi Ordines; Declarationes Cappellae publicae; Derogationes Fideicommissorum; Doctoratus; Deputationes Commissariorum, Visitatorum, Collectorum, Auditorum, et Notariorum, Nunciaturarum et aliorum similium; Dispensationes super Bigamia, et alio simili impedimento obsistente receptioni in Militiis et Ordinibus Equestribus; Licentiae concedendi bona Ecclesiastica in Emphyteusim ad tempus, et ad tertiam generationem, dummodo tamen Canon aut Census annuus summam decem Ducatorum auri de Camera non excedat, prout reperitur in Regestis; Erectiones Marchionatus in Principatum, aut Ducatum, vel Comitatum; Erectiones Montium, Collegiorum, et Provinciarum pro Regularibus; Dismembrationes Conventuum ab aliqua Provincia ad effectum erigendi aliam; Oeconomatus; Erectiones Archiconfraternitatum cum facultate aggregandi; facultates Universitatibus Studiorum; Facultates Episcopis suscipiendi munus consecrationis; Licentia patrocinandi in Causis Civilibus; Retinendi famulam in Monasterio; Facultates absolvendi a Casibus reservatis; Retinendi Sacrum Oleum Infirmorum; Et asservandi SS. Eucharistiae Sacramentum; Facultates S. R. E. Cardinalium, Legatorum, Nunciorum, et Episcoporum Pontificio Solio assistentium; Facultates assumendi Nomen et Titulum Archiepiscopi, etiam si Pallium quis non habeat; Gubernia; Indulgentiae ordinariae, et extraordinariae; Indulta emittendi Professionem ante completum annum Novitiatus: Emittendi pariter Professionem in Conventu non destinato; Utendi Birettino; Non incedendi in habitu ratione pensionum, juxta Constitutionem Sixti V., ad triennium; Impositiones super Ecclesiasticis; Cruciata; Prorogationes Pensionum; Exemptiones a vectigalibus, processionibus et oneribus; Licentiae ingrediendi Monasteria et pernoctandi in eis; Creandi census, eosque ex-

tinguendi; Permutationes Bonorum non tamen super materia Beneficiali vel Ecclesiastica; Indulta capiendi Possessionem post signatam supplicationem, et ante expeditionem Litterarum, tam pro Episcopis, quam pro quocumque Beneficio Ecclesiastico, ad sex menses; percipiendi fructus in absentia, et non residendo; Permanendi extra statum Ecclesiasticum; Habendi Fenestram, Cancellos, et Januam in publicis Ecclesiis; Recipiendi Sacram Communionem in privatis Domus Oratoriis; Retinendi, et legendi Libros prohibitos; Exercendi opera servilia diebus festivis; Celebrandi in loco patrati delicti; Incedendi in habitu laicali, ad effectum dumtaxat gaudendi privilegio Fori, et retinendi pensiones, ut supra; Legitimationes; Concessiones habendi locum in Concilio Ferrarien. aut alterius civitatis, et Terrae Status Ecclesiastici; Dispensationes Matrimoniales pro Principibus Supremis; Oratoria Privata; Creationes Protonotariorum Apostolicorum non participantium; Prohibitiones extrahendi Libros, Paramenta, et Utensilia Sacra; Revocationes talium prohibitionum; Prorogationes ad tempus, non tamen ad praesentandum, aut publicandum, vel ad suscipiendos Ordines, sive aliquem gradum, juxta Decretum appositum, in supplicatione per Datariam; Facultates privative imprimendi Libros; Revalidatoriae seu perinde valere super Brevibus jam expeditis. Loca seu Officia quadraginta virorum Reformatorum status libertatis Civitatis Bononien., et Resignationes eorumdem Locorum seu Officiorum; Restitutiones in integrum, dummodo non sint in Materia Beneficiaria; Reductiones onerum et Missarum; Concessiones privativae venationis; Provisiones Ecclesiarum in Partibus Infidelium ad instantiam vel commodum Congregationis de Propaganda Fide, favore Vicariorum, nec non Ecclesiarum Scotiae, et Hiberniae, quae a praedicta Secretaria gratis conceduntur; Auditoratus Rotae Maceraten., Ferraren., et Bononien., Officia Signaturae; Alia Officia, et munera Saecularia, quae a Romano Pontifice Saecularibus conferuntur, et quae per Breve expediri consueverunt, et similia, quae respiciunt saecularitatem sine ulla connexione cum re beneficiaria, cujusmodi sunt Capitaneatus, Baroncellatus, Fiscalatus, et similia; nec non Deputationes Coadjutorum in eisdem; Licentia Personis Ecclesiasticis suscipiendi tutelam Minorum, et nobilibus Mulieribus Viduis suscipiendi tutelam Filiorum; Item Personis Ecclesiasticis, studendi Juris in publicis Studiorum Universitatibus; Extrahendi reliquias; Versandi cum Haereticis; Locandi ad tempus; Et indulta liberandi Reos pro Confraternitatibus.»

§ 6. Gratiae autem et Concessiones, quae tam per Secretariam Brevium praedictorum, quam per Datariam Apostolicam promiscue, juxta dictum Elenchum, poterunt expediri, sunt, quae sequuntur:

«Confirmationes Contractuum, Statutorum, Privilegiorum, Ordinationum, Concordiarum, et Transactionum, tam in forma communi, quam in forma specifica; Absolutiones cum dispensationibus ad Ordines super Ir-

regularitate proveniente ex defectu corporis, vel ex delicto, non tamen homicidii in Statu Ecclesiastico commissi; Confirmationes Decreti Judicis; Derogationes Statutorum Urbis Spoletan., et aliarum Civitatum super excessu Dotis. Dispensationes super praemissis Irregularitatibus cum praedictis restrictivis; Extra Tempora, tam pro Italis, quam pro Ultramontanis; Erectiones Confraternitatum; Indulta medendi, et exercendi Chirurgiam; Indulgentiae perpetuae pro Confraternitatibus; Licentiae transeundi ad Ordinem strictiorem; Licentiae se immiscendi in Criminalibus; et restitutiones adversus lapsum quinquennii.

§ 7. Demum Concessiones, et Gratiae, quarum expeditio, juxta relatum Elenchum, Datariae Apostolicae privative quoad Secretariam praedictam reservata, sunt generaliter quacumque aliae Concessiones et Gratiae, in superibus non comprehensae nec expressae; et signanter illae omnes in quarum expeditione, de stylo et consuetudine immemorabili, solvenda est Compositio in ipsa Dataria, aut Taxa Cancellariae, sive Jocalium.

§ 8. Nos igitur, quum praemissam materiarum, et Gratiarum Apostolicarum divisionem et partitionem justa lance liberavimus, eamdemque rationabilem, et aequitati consonam, et tam Secretariae, et Datariae praedictarum juribus congruenter distinguendis, quam Camerae et Cancellariae Apostolicarum, illarumque respective Ministrorum, Officialium et Collegiorum indemnitatibus conservandis, et stabiliendis, aptam opportunamque agnoverimus; non modo ipsam, prout superius expressa est, ratam, et gratam habemus; verum etiam perpetuae ipsius firmitati, et observantiae consulere, et providere volentes, motu proprio, et ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostris, eamdem, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, in perpetuum approbamus, et confirmamus, illique inviolabilem Sanctionis Nostrae firmitatem, et robur adjicimus. Decernentes, et eadem auctoritate statuentes, quod gratiae, et concessiones Apostolicae alterutri ex Secretaria Brevium et Datariae praedictis privative, ut praemisimus, attributae, si quas forte per alterum ex dictis Officiis, contra hujusmodi partitionis, et divisionis praescriptum, expediri quandocumque in posterum contingat; necnon ipsae Litterae Apostolicae super iisdem confectae; nullitatis et invaliditatis vitio subjaceant: pro ut Nos illas ex nunc, pro ut et tunc, et e contra, tamquam non rite, et legitime, seu etiam nullo modo expeditas, processusque forsan habitos, vel habendos per easdem, cum omnibus, et singulis inde quomodolibet secutis, et sequendis, dicta Apostolica auctoritate, ipsarum tenore praesentium, annullamus, irritamus, et invalidamus, neminique ad quemcumque effectum ullatenus suffragari posse decernimus.

§ 9. Quamobrem iisdem Dominico Cardinali, et Magistro Joanni Jacobo Datario, eorumque pro tempore in muneribus hujusmodi respective successoribus, per easdem praesentes districte praecipimus et injungimus, ut ipsi in posterum in quarumcumque Gratiarum et Concessionum Apo-

stolicarum expeditione, superius praescriptam divisionem et partitionem prae oculis habentes, eam firmiter observent; ac de omnibus et singulis sibi respective subjectis Personis, Officialibus, vel Ministris inviolabiliter observari faciant. Et pro hujusmodi observantia, omnes, et quascumque petitiones, aut supplicationes pro impetratione Gratiarum in alterutro ex dictis Officiis per Sollicitatores, Agentes, negotiorum Expeditores, aut alios quoscumque contra praescriptae petitionis normam, forsan porrectas et praesentatas, seu quandocumque porrigendas et praesentandas, ad alterum ex iisdem Officiis, ad quod juxta praemissae partitionis continentiam, pertinere dignoscuntur, fideliter dirigant, et remittant: Non obstantibus aliis quibuscumque ipsarum petitionum, aut supplicationum remissionibus, quae forsan ab alio quolibet ex Nostris Administris et Officialibus, etiam a Secretaria Nostra supplicum Libellorum, ac Nostro et Romani pro tempore Pontificis nomine, ac etiam a quacumque ex Congregationibus S. R. E. Cardinalium emanaverint, vel extortae fuerint. Nos enim remissiones ejusmodi contra memoratae partitionis praescriptum quomodolibet pro tempore emanatas, vel obtentas, nisi illae de speciali Nostro aut Successorum nostrorum mandato, expressa ipsarum praesentium derogationem contineant, tamquam per errorem factas, sive per subreptionem aut obreptionem obtentas, ab ipsis Brevium Secretario atque Datario, eorumque Successoribus praedictis, omnino spernendas, et nullatenus attendendas fore declaramus.

§ 10. Praesentes quoque Litteras de subreptionis, obreptionis, aut cujuscumque nullitatis vel invaliditatis vitio, intentionisque Nostrae, ac quocumque alio defectu, etiam ex eo, quod in praemissis quomodolibet interesse habentes, vel habere praetendentes, illis non consenserint, ac ad ea vocati, et auditi non fuerint, vel quocumque alio colore, praetextu, occasione, vel causa a quoquo notari, impugnari, in jus vel controversiam revocari nullatenus unquam posse, sed eas semper, et perpetuo validas, firmas, et efficaces esse, fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos spectat, et spectabit quomodolibet in futurum, inviolabiliter observari: Sicque, et non aliter in praemissis, per quoscumque Judices Ordinarios, aut Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac praedictae S. R. E. Cardinales, et alios quoscumque quavis auctoritate, et potestate fungentes, et functuros sublata eis, et eorum cuilibet quavis aliter judicandi, declarandi, et interpretandi facultate judicari, declarari et interpretari debere, et si secus super his, a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, et inane decernimus.

§ 11. Non obstantibus quibuslibet Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, de non tollendo jure quaesito, aliisque Nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis, nec non Privilegiis, Indultis, Facultatibus, et Litteris Apostolicis ejusdem S. R. E. Cardinali Brevium

praedictorum Secretario, ac Datario, seu Pro-Datario, pro tempore existentibus, quomodolibet, et ex quacumque causa sic forsan de necessitate exprimenda, respective forsan concessis, approbatis, et innovatis, usibus quoque, stylis, tollerantiis, permissionibus, et consuetudinibus etiam diuturnis, et inveteratis, in contrarium praemissorum quomodolibet forsan facientibus, vel extantibus. Quibus omnibus, et singulis, illorum omnium, et singulorum tenores, etiam veriores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, specialiter, et expresse, motu scientia, et potestatis plenitudine paribus, derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

§ 12. Nulli ergo omnino hominum liceat, etc.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicae 1745, sexto Kalendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno sexto.

218. LEO XIII. (1878—1903).

a) Motus proprius, quo usus characteris theutonici tollitur, et usus plumbei numismatis cum adiectis cordulis limitatur in Apostolicis litteris.

• *Acta S. Sedis.* Tom. XI. p. 465—467. Wetzer u. Weztke, *Kirchenlexicon* s. v. *Bullen u. Breven.* IV. *Archiv für kathol. Kirchenrecht.* 1878.

Motu proprio etc. Universae Ecclesiae regimen humilitati Nostrae concreditum inter alia sollicitudinem a Nobis expostulat, ut per eos, quorum opera, et ministeriis utimur, eae meliorationes ac modificationes quae magis publicae utilitati consulere, magisque aetati huic nostrae respondere videntur, in re praesertim Ecclesiastica procurentur, atque afferantur. Quapropter cum experientia compertum fuerit charactere theutonicum vulgo — *Bollatico* — utpote ab usu communi remotum, Litterarum Apostolicarum lectioni difficultatem ingerere, et earumdem remorari expeditionem quousque authenticum exemplar, *Transumptum* nuncupatum, signatum non fuerit; plumbeum vero numisma faciliori huiusmodi Litterarum transmissioni haud leviter obesse, super quibus elatas quandoque fuisse querelas novimus, Nos his, aliisque minoris ponderis incommodis prospiciendum, Apostolici muneris esse reputamus.

Idcirco de consilio dilecti Nostri Filii Cardinalis Pro-Datarii, et audito desuper etiam dilecto filio Cardinali S. R. E. Vice-Cancellario, per praesentes litteras Motu proprio characteris, de quo supra, in Apostolicis Litteris usum sublatum, et abolitum decernimus ac declaramus, mandantes ut a praesentium publicatione Litterae Apostolicae communi latino charactere super charta pergamena, ut in more est, excribantur, et exarentur, firmis tamen manentibus omnium, et singulorum Officialium, et ministrorum subscriptionibus cum proprii cuiusque muneris respectiva designatione.

Quoad plumbea numismata una cum adiectis cordulis praecipimus ea servanda tantum esse in Apostolicis Litteris collationum, erectionum et dismembrationum Beneficiorum maiorum, nec non in aliis Sanctae Sedis solemnibus actis. In reliquis vero litteris et praesertim in illis quae Beneficia minora ac dispensationes super impedimentis matrimonialibus respiciunt, Auctoritate Nostra Apostolica, per praesentes eadem abolemus, et abolita fore statuimus et mandamus, iisque substitui ac substitutam, et subrogatam fore iubemus impressionem rubri coloris sigilli noviter conficiendi imagines ipsorum Apostolorum Petri et Pauli referentis, inscriptione Nominis regnantis Summi Pontificis circumducta. Quae autem pro fideliter custodiendis et asservandis plumbi numismatum typis statuta sunt, eadem per praesentes confirmamus atque examussim observanda esse decernimus.

Quamobrem Cardinalibus Nostris Pro-Datario, et S. R. E. Vicecancellario eorumque pro tempore Successoribus hoc Nostro Motu proprio praecipimus et iniungimus, ut ipsi in posterum in quacumque Litterarum Apostolicarum huiusmodi expeditione, superius praemissa atque ordinata prae oculis habentes, ea firmiter observent, et ab omnibus, et singulis sibi respective subjectis Officialibus, ministris, ac personis quibuscumque inviolabiliter observari faciant.

Non obstantibus quibusvis Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, de iure quaesito non tollendo; aliisque Nostris et Cancellariae Apostolicae regulis; nec non Privilegiis, Indultis, Facultatibus, et Litteris Apostolicis speciali mentione dignis, et ex quacumque causa hic forsan de necessitate exprimenda, concessis approbatis et innovatis, usibus quoque, stylis, consuetudinibus etiam diuturnis, et inveteratis in contrarium praemissorum quomodolibet facientibus vel extantibus. Quibus omnibus et singulis illarum omnium et singularum tenores pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes ad praemissorum effectum specialiter et expresse praesentibus huius Nostri Motus proprii Litteris derogamus, caeteris contrariis quibuscumque.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae abolitionis, Suppressionis, Subrogationis, Confirmationis, Praecepti, Statuti, Mandati, et Voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc tentare praesumpserit, indignationem Dei Omnipotentis, et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die vigesima nona Decembris 1878.

Leo PP. XIII.

Carolus Card. *Sacconi* Pro-Datarius.

b) Literae breves de reformatione Congregationis Indulgentiis s. Reliquiis cognoscendis praepositae.

* *Archiv für kathol. Kirchenrecht.* Tom. 78 (1898). p. 337 seq.

Christiana reipublicae tam late fusa tamque operosa administratio omnino postulabat, ut Pontifici romano viri sapientes et graves perpetuo assiderent, quibuscum et consilia communicare et quotidianam negotiorum molem partiri opportune posset. Hinc ea sunt S. R. E. Cardinalium Consilia sapientissime constituta, quae *Romanae Congregationes* nuncupantur; quorum est quibusdam in causis ius dicere, de iure respondere, aliaque complura decernere, transigere, quae transigi decernique eorum auctoritate lex et consuetudo iubet. Iis tamen, quod ratio, quod naturalis rerum ordo requirebat, non promiscua universis, sed sua singulis potestas data, suumque negotiorum ad expediendum unicuique assignatum genus. Quod sane nisi decessorum Nostrorum providentia cavisset, magna erat permixtio iuris et confusio futura, simulque spes utilitatum maximarum, quas nomini christiano Congregationes Romanae pepererunt quotidieque pariunt, vel ab initio intercidisset. Iamvero officii Nostri est tueri in eis constitutionem temperationemque nativam, efficiendo ut singularum potestas suis contineatur finibus, ac si quid forte minus consentaneum invexerit diuturnitas, emendare. His de rebus et causis cum animum adiecissemus ad sacrum Consilium, cuius muneris est de Indulgentiis Sanctorumque Reliquiis cognoscere ac statuere, aliquod ei officium providentiae Nostrae impertiri vidimus oportere.

Illud videlicet Clemens IX. decessor Noster instituit *Motu proprio* die VI. Iulii an. MDCLXIX edito, diligenterque eius quae forent partes praescripsit his verbis: ..... «cum facultate omnem difficultatem ac dubietatem in Sanctorum reliquiis, aut Indulgentiis emergentem, quae ad fidei dogma non pertineat, Nobis tamen et romano Pontifice pro tempore existente circa graviora difficilioraque consultis, expediendi. Ac si qui abusus in eis irrepserint, illos, iudicii forma plane postposita, corrigendi et emendandi. Falsas quoque, apocryphas indiscretasque Indulgentias typis imprimi vetandi, impressas recognoscendi et examinandi, ac ubi Nobis, seu romano Pontifici pro tempore existenti retulerit, Nostra seu illius auctoritate reiiciendi ..... Reliquias de novo inventas recognoscendi quoque et examinandi ..... omniaque pie, sancte, et incorrupte fieri curandi». Verum ad haec posteriorum concessa Pontificum alia accessit facultas, nimirum ipsa sacrae indulgentiae munera dilargiendi, adiecta rescriptis clausula, *praesenti valituro absque ulla Brevis expeditione.*

Sed cum huius generis rescriptorum frequentia crevisset praeter modum, iisdemque de rebus rescribere eodem tempore consuesset Curia a diplomatibus pontificiis, abnormis quaedam ac praepostera agendarum rerum

consecuta ratio est. Huic incommodo occurrendum tempestive censuit Pius IX. f. r. decessor Noster, datoque in id decreto Congregationem Indulgentiis sacrisque Reliquiis cognoscendis praepositam extra fines Constitutionis Clementinae excurrere prohibuit, indulgentiarum tribuendarum adempta facultate. «Nos praesenti *Motu proprio,* et ex certa scientia ac matura deliberatione decernimus, ut Congregatio eadem pergat quidem retinere quaestiones et disceptationes quae super Indulgentiis aut Reliquiis forte oboriantur, et peragere etiam atque expedire alia omnia quae suae dumtaxat institutionis munia respiciunt ad tramites *Motus proprii,* quem hac de re praelaudatus Antecessor Noster Clemens IX. dedit sub die VI. Iulii MDCLXIX; abstineat tamen omnino ab emittendis actis illis quae ad Indulgentiarum pertinent concessionem». Verumtamen huius vis decreti sensim excidit, restituta scilicet ea ipsa, quae fuerat adempta, facultate: ita plane ut non minore quam antea numero rescripta edi soleant cum ea clausula, quam supra diximus. Qua re quoniam perturbationem ordinis debiti ac vetera incommoda plane renovari, multorum testimonio Nobis consisterat, delectis quibusdam S. R. E. Cardinalibus mandavimus, ut causam mature perpenderent, et quo remedio opus esse videretur, aperte significarent. Igitur cognita eorum sententia, ut sua cuique munia serventur integra, *Motu proprio* et certa scientia decernimus:

I. Ut Congregationi Indulgentiis sacrisque Reliquiis praepositae ea salva iura permaneant, quae Clemens auctor instituit: praetereaque eidem confirmamus, et, quatenus opus sit, de integro concedimus facultates omnes, quae in syllabo, his litteris adnexo, numerantur.

II. Volumus et statuimus, ceteras concessiones iterationesque indulgentiarum, privilegia altarium, facultates benedicendi et alia eiusmodi ad Nostram Secretariam Brevium exclusive pertinere.

III. Simili ratione decernimus ut quae facultas Congregationi, de qua agimus, collatae sunt, eae ita sint eius propriae, ut nulli praeterea vel Congregationi vel Secretariae possint esse communes.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die XXXI. Octobris anno MDCCCLXXXXVII, Pontificatus Nostri Vigesimo. [l. c. pag. 337—339.]

VIII. LEGATI PONTIFICII.[1]

Phillips, *Kirchenrecht.* Tom. VI. p. 684. seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 498. Scherer, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 498. Friedberg. *Lehrbuch.* § 63. Sägmüller, *Lehrbuch.* § 90. p. 377 segg. Calisse, *Diritto ecclesiastico.* I. p. 377 seq. Giobbio, *Lezioni di diplomazia ecclesiastica.* Roma 1897.

---

214. SILVESTER II. (999—1003).

Silvester P. P. II. Stephano, Hungarorum Duci, coronam regiam, crucem, Apostolatus insigne, vicemque in Sedibus Episcopalibus disponendis, in successores trasmittendam, confert.

* Fejér, *Codex Diplomaticus Hungariae ecclesiasticus ac civilis.* Budae 1829 seq. Tom. I. p. 274. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 518. Scherer, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 522 seq.

Siluester Episcopus, Seruus Seruorum Dei, Stephano Duci Vngarorum salutem, et Apostolicam benedictionem.

Legati Nobilitatis tuae, in primis vero Confrater noster Astricus, venerabilis Colocensis Episcopus, tanto maiori cor nostrum laetitia affecerunt, ac minori officium suum labore confecerunt, quanto diuinitus praemoniti, cupidissimo animo illorum aduentum, de ignota nobis gente praestolabamur. Felix legatio, quae caelesti praeuenta nuncio, atque Angelico pertractata ministerio, prius Dei conclusa est decreto, quam a nobis audita fuisset. Vere non volentis, neque currentis, sed secundum Apostolum, miserentis est Dei, qui, teste Daniele, mutat tempora, et aetates; transfert regna, atque constituit; reuelat profunda, et abscondita, et nouit in tenebris constituta: quia lux cum eo est, quae sicut docet Ioannes, illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Primum ergo gratias agimus Deo Patri, et Domino nostro Iesu Christo, qui temporibus nostris inuenit sibi Dauid filium Geyzae, hominem secundum cor suum, et luce irradiatum coelesti, suscitauit illum pascere Israël populum suum, electam gentem Vngarorum. Deinde laudamus pietatem Sublimitatis tuae in Deum, et re-

---

[1]) Conf. n. 170—174.

uerentiam erga sedem Apostolicam, cui diuina patiente misericordia, nullo meritorum nostrorum suffragio, praesidemus. Tum vero largitatem liberalitatis qua Beato Petro, Apostolorum Principi, regnum, ac gentem, cuius Dux es, cunctaque tua, ac temetipsum per eosdem legatos, et litteras perpetuum obtulisti, digno praeconio commendamus. Hoc enim facto egregio aperte testatus es, et reuera talem te merito esse, demonstrasti, qualem, vt nos te declarare dignaremur, studiose expetiuisti. Sed parcimus. Neque enim necesse est, vt quem tot et talia praeclara pro Christo gesta facinora voce publica clamant, quemque Deus ipse commendat, amplius commendemus. Quare gloriose fili cuncta a nobis, et sede Apostolica expostulata, diadema, nomenque regium, Strigoniensem Metropolim, et reliquos Episcopatus, de Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate, praemonente atque ita iubente eodem omnipotente Deo, cum Apostolica et nostra benedictione libenter concessimus, concedimus, et impertimur. Regnum quoque a Munificentia tua S. Petro oblatum, teque vna, ac gentem, et Nationem Vngaricam praesentem et futuram, sub protectionem sanctae romanae Ecclesiae acceptantes, prudentiae tuae Heredibus, ac legitimis successoribus tuis habendum, tenendum, regendum, gubernandum, ac possidendum reddimus et conferimus. Qui quidem Heredes ac Successores tui quicunque, posteaquam per Optimates legitime electi fuerint, teneantur similiter nobis, et Successoribus nostris per se, vel per Legatos suos debitam obedientiam, ac reuerentiam exhibere, seque sanctae Romanae Ecclesiae, quae subiectos non habet vt seruos, sed vt filios suscipit vniuersos, subditos esse ostendere, atque in catholica fide, Christique Domini ac Saluatoris nostri religione firmiter perseuerare, eandemque promouere. Et quia Nobilitas tua Apostolorum gloriam aemulando, Apostolicum munus, Christum praedicando, eiusque fidem propagando, gerere non est dedignata, nostrasque, ac sacerdotii vices supplere studuit, atque Apostolorum Principem prae ceteris singulariter honorare: idcirco et nos singulari insuper priuilegio Excellentiam tuam, tuorumque meritorum intuitu, Heredes ac Successores tuos legitimos, qui sicut dictum est electi, atque a Sede Apostolica approbati fuerint, nunc et perpetuis futuris temporibus condecorare cupientes; vt postquam tu et illi corona, quam mittimus, rite iuxta formulam Legatis tuis traditam, coronatus vel coronati exstiteritis, Crucem ante se, Apostolatus insigne, gestare facere possis, ac valeas, atque illi possint valeantque; et secundum quod diuina gratia te, et illos docuerit, Ecclesias regni tui praesentes, et futuras, nostra, ac successorum nostrorum vice disponere, ac ordinare, Apostolica auctoritate similiter concessimus; volumus et rogamus, sicuti in aliis litteris, quas in communi ad te, optimatesque Regni, et cunctum fidelem populum, per Nuncium nostrum, quem ad te dirigimus, deferendis, plenius haec omnia explicata continentur. Oramus omnipotentem Deum, qui Te de vtero matris tuae vocauit nomine tuo ad

regnum et coronam, quique diadema, quod Duci Polonorum confectum per nos fuerat, tibi dandum mandauit, augeat incrementa frugum iustitiae suae, nouellas plantas regni tui rore suae benedictionis perfundat largiter; regnumque tuum tibi, teque regno seruet incolumen, ab hostibus visibilibus et inuisibilibus protegat; ac post terreni regni molestias, in coelesti regno corona adornet aeterna. Data Romae VI. Kal. April. Indictione decima tertia. [a. 1000.]

215. URBANUS II. (1088—1099).

De legatione apostolica Siciliae.

* Muratori, *Rerum italicarum scriptores.* Tom. V. p. 602. Sentis, *De Monarchia sicula.* Friburgi 1870. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 519. Scherer, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 524.

Urbanus Episcopus servus servorum Dei carissimo filio R[ogerio] Comiti Calabriae, et Siciliae salutem et Apostolicam benedictionem. Quia prudentiam tuam Supernae Majestatis dignatio multis triumphis, et honoribus exaltavit, et probitas tua in Saracenorum finibus Ecclesiam Dei plurimum dilatavit, Sanctaeque Sedi Apostolicae devotam se multis modis semper exibuit, nos in specialem, atque carissimum filium ejusdem universalis Ecclesiae assumpsimus, idcirco de tuae probitatis sinceritate plurimum confidentes, sicut verbis promisimus, ita etiam literarum auctoritate firmamus: quod omni vitae tuae tempore, vel filii tui Simonis, aut alterius, qui legitimus tui haeres exstiterit, nullum in terra potestatis vestrae, praeter voluntatem, aut consilium vestrum legatum Romanae Ecclesiae statuemus: quinimmo, quae per legatum acturi sumus, per vestram industriam legati vice exhiberi volumus, quando ad vos ex latere nostro miserimus, ad salutem videlicet Ecclesiarum, quae sub vestra potestate existant, ad honorem Beati Petri, Sanctaeque ejus Sedis Apostolicae, cui devote hactenus obedisti, quamque in opportunitatibus suis strenue, ac fideliter adjuvisti. Si vero celebrabitur concilium tibi mandavero, quatenus Episcopos, et Abbates tuae terrae mihi mittas, quot, et quos volueris mittas, alios ad servitium Ecclesiarum, et tutelam retineas. Omnipotens Dominus actus tuos in beneplacito suo dirigat, et te a peccatis absolutum ad vitam aeternam perducat. Dat. Salerni per manum Joannis Sanctae Romanae Ecclesiae Diaconi III. Nonas Julii. Indictione VII. Pontificatus Domini Urbani Secundi XI. [a. 1098.]

216. COELESTINUS III. (1191—1198).

Coelestinus III. in c. 2. X. *de officio legati.* I. 30.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 183. Potthast. n. 10729.

De causa specialiter delegata a Papa legatus se intromittere non potest.

Studuisti a nobis quaerere utrum de causa, quam alicui delegamus, alius, qui sit generalis in provincia legatus, *vel* ante cognitionem, vel postea

cognoscere valeat, vel commissionis nostrae processum, quem iudici delegato transmittimus, taliter impedire. *Hanc itaque dubitationem de animo tuo amputare volentes* Respondemus, quod quum mandatum speciale derogat generali, legatus commissionem alii *vel aliis* factam specialiter impedire non *debet nec* potest unde, et si secundum formam *expressam* mandati nostri sententia iam fuerit promulgata, non poterit ipse legatus, nisi super hoc mandatum speciale receperit, eam quomodolibet irritare. Ipsam tamen, si rationabiliter lata fuerit, confirmare valebit et exsecutioni mandare.

217. INNOCENTIUS III. (1198—1215).

a) Innoc. III. Primicerio et clero Mediolanensi, in c. 177. X. *de censibus exactionibus et procurationibus.* III. 39.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 627. Potthast n. 603. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 516.

Omnes ecclesiae, nisi quae ab hoc per privilegium apostolicum sint exemptae, procurare tenentur legatos sedis apostolicae seu etiam eius nuncios, nec in hoc praescriptione iuvantur. H. d. usque ad § Sane. — (Sane etc.) Tractat de modo procurationis ipsorum legatorum et nunciorum. Abbas.

Quum instantia nostra quotidiana † *sit secundum debitum apostolicae servitutis omnium ecclesiarum sollicitudo continua, quoties ipsarum negotiis promovendis non possumus personaliter imminere, per fratres nostros ea expedire compellimur, quos a nostro latere destinamus, illius exemplum in hac parte secuti, qui, discipulis suis in mundum universum transmissis, ipse in medio terrae salutem fuit personaliter operatus. Hinc est, quod, quum nuper dilectum filium B. tit. S. Petri ad Vincula cardinalem apostolicae sedis legatum pro negotiis ecclesiae in Lombardiam duximus destinandum, et iis, vestram civitatem ingressus, procurationes [a vobis] exigeret, quae consueverunt apostolicae sedis legatis et nunciis exhiberi, vos, non attendentes, quod dicitur ab Apostolo: «Si vobis spiritualia seminavimus, non est magnum, si carnalia vestra metamus», ne vos ad onus procurationis arctaret, nisi a canonicis maioris ecclesiae se faceret antea procurari, sedem apostolicam appellastis, et sicut idem cardinalis per suas nobis literas intimavit, in aliis etiam non modicum iniuriosi fuistis. Propter quod dilecti filii nostri praepositus S. Nazarii et A. canonicus S. Stephani, syndici et procuratores vestri, cum dilecto filio abbate S. Vincentii ad Sedem apostolicam venientes, ut super his statueremus ordinem et mensuram, ex parte vestra suppliciter postulabant. Licet autem pro eo, quod praedicto cardinali vel potius nobis in ipso contumaciter resistentes, iuxta verbum dominicum: «Qui vos recipit me recipit, et qui vos spernit me spernit», necessaria denegastis, non pro vobis, sed contra vos potius meruerint exaudiri: quia tamen paternam affectionem, qua nobis proprium est de Romanae sedis clementia misereri semper et parcere, offensi etiam deponere non*

valemus; de consilio fratrum nostrorum Postulationi vestrae taliter *in huiusmodi* respondemus, quod, quum omnes ecclesiae legatis et nunciis sedis apostolicae procurationes impendere teneantur, ab earum praestatione nullam *prorsus* habere volumus excusatam, nisi forte per speciale privilegium sedis apostolicae, quod non credimus, sit exempta etiamsi longissimo tempore procurationis obsequium non impenderint, quum in talibus praescriptio sibi locum nequeat vindicare, quia nos a provisione pastoralis sollicitudinis circa omnes ecclesias nunquam omnino cessamus. Sane in his exigendis eum modum et ordinem volumus observari, ut nulla ecclesia vel praelatus se indebite praegravari rationabiliter conqueratur. Si vero de communi collecta legatorum et nunciorum nostrorum expensas duxeritis faciendas, quod vobis non duximus inhibendum, ex hoc nobis et nostris nullum praeiudicium volumus generari, quo minus possint a quocunque maluerint procurationes sibi debitas postulare, ita quod, si exactus ultra suam gravatus fuerit facultatem, sibi ab aliis restauretur. Nunciis tamen nostris in necessariis expensis exhibendis pareat quicunque fuerit requisitus *humiliter et devote,* ita *tamen,* quod in fraudem nihil penitus attentetur, nec per communes ministros procurationis obsequium, si noluerint, recipere compellantur. Qui vero contumaciter eis duxerint resistendum, *omni prorsus appellatione remota* districtione sunt ecclesiastica compellendi. [*Super iniuriis autem etc. Dat. Lat. XII. Kal. Mart.* 1199.]

b) Innocentius III. Bononiensi Episcopo et M. Capellano nostro, in c. 5. X. *de officio legati.* I. 30.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 184. Potthast. n. 1707.

Ex quo legatus retulit causam Papae, illius desinit esse iudex.

Licet Tranenses canonici ab initio dissensissent, tandem *tamen omnes* unanimiter consenserunt, *dilectum filium* G. fratrem Cassinensis abbatis in archiepiscopum eligentes, cuius electionem *venerabilis frater noster* Portuensis, episcopus, tunc *apostolicae sedis* legatus, examinari praecepit, † *et examinationem redactam in scriptis fecit sigillis dilectorum filiorum archidiaconi et magistri Petrarchae muniri, cum suo quoque sigillo ad sedem apostolicam transmittendam. Literas quoque suas nobis pro dicto fratre Cassinensis abbatis deprecatorias destinavit, quas cum decreto electionis omnium canonicorum subscriptionibus roborato, nec non et literis suffraganeorum et populi, tres de canonicis Tranensis ecclesiae, ab universo capitulo destinati, nobis humiliter praesentarunt, petentes electionem canonicam de persona idonea celebratam auctoritate apostolica confirmari. Nos autem ad maiorem cautelam a praedictis canonicis in iuramentum recepimus, non a nobis exactum, sed ab ipsis oblatum, et factum electionis sicut est et moris et iuris, examinavimus diligenter. Interim vero,* Nuncius prae-

fati *Cassinensis* abbatis *suas* nobis literas praesentavit, gravem contra iam dictum legatum quaerimoniam continentes, quod, postquam electionem examinaverat, et eam ad nostrae deliberationis examen transtulerat, nunciis iam directis, *iterum* electionem eandem malitiose nimis examinare praesumpsit. † *Unde petebat per viros idoneos suspicione carentes de ipso facto diligenter inquiri. Quumque praefatus supervenisset episcopus, et ea, quae gesta sunt, intellexissemus ab ipso,* De *communi* consilio fratrum nostrorum examinationem secundam, tanquam a non suo iudice factam, postquam negotium ad nostrum fuerat translatum examen, censuimus irritam et inanem. [*Quia tamen etc. Dat. Lat. VIII, Kal. Iul.* 1202.]

c) Innocentius III. S. Petri et S. Leonis Abbatibus et R. archidiacono Tullensibus, in c. 6. X. *de officio legati.* I. 30.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 185. Potthast, n. 2133.

Legatus de latere confert beneficium vacans, licet illud spectet ad praesentationem alicuius clerici. Hoc dicit et est casus notabilis.

Dilectus filius R. Metensis canonicus *nobis humiliter* intimavit, quod, quum *venerabilis frater noster* Praenestinus episcopus, apostolicae sedis legatus, ecclesiam sancti Trudonis *ad resignationem proprii pastoris in manibus eius factam liberaliter* contulisset eidem, *dilectus filius B.* Metensis archidiaconus, ad quem illius ecclesiae praesentatio pertinebat, asserens, quod eodem inconsulto conferri non potuit a legato, *donationi eius minus rationabiliter se opponens,* canonicum ipsum super eadem ecclesia *indebite* molestare praesumit. Quum igitur plus iuris habeat in concessione praelatus, quam in praesentatione patronus, nec praeiudicetur praelato, si quando per apostolicae sedis legatum eo inconsulto ecclesia concedatur, *discretioni vestrae per apostolica scripta* mandamus quatenus dictum archidiaconum, ut ab eius super hoc *indebita* molestatione desistat, *monitione praemissa per censuram ecclesiasticam* appellatione remota cogatis. [*Nullis literis etc. Dat. Anagniae X. Kal. Mart. Ao. VI.* 1204.]

d) Innocentius III. tit. S. Laurentii in Lucina Presbytero sed. Apostolico, sedis apostolicae Legato, in c. 3. X. *de officio legati* I. 30.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. VI. col. 183. Potthast. n. 1112.

Legatus etiam de latere ex generali legatione non potest transferre episcopos, vel unam ecclesiam cathedralem alteri subiicere, et alteri concedere ius primatiae, vel duos episcopatus unire, vel unum dividere; excommunicatos tamen propter manuum iniectionem in clericos absolvere potest. Hoc dicit cum c. seq.

Nisi specialis illa dilectio, quam ad personam tuam habuimus et habemus, iustum, *immo iustissimum* motum animi nostri temperaret, poena docente cognosceres, quantum *in personam tuam* excesseris, *quantumcun-*

quae in Romanam ecclesiam deliqueris, matrem tuam, quae quum te nutriverit et exaltaverit, tu eam penitus sprevisse videris, qui spretis canonicis sanctionibus et consuetudine generali, motu proprio praesumpsisti, *quod nec factum fuit, nec auditum, venerabilem fratrem nostrum* Troianum episcopum *regni Siciliae cancellarium praeter speciale mandatum nostrum* de Troiana ecclesia ad Panormitanam de facto, *quia de iure non potuisti,* transferre. [*Sane etc. cf. c. 3. de usu et auct. pall. I.* 8.]

e) Innocentius III. eidem, in c. 4. X. *de officio legati.* I. 30.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 184. Potthast. n. 1056.

Summatum fuit supra in cap. praecedenti.

Quod translationem † *pontificis de Troiano episcopatu ad Panormitanam metropolim a te factam nolumus ratam habere, zelus utique non amaritudinis, sed rectitudinis nos induxit, quia,* Licet in regno Siciliae generalis sit tibi commissa legatio, ad ea tamen sine speciali mandato nostro non debuisti manus extendere, quae in signum privilegii singularis sunt tantum summo Pontifici reservata. *Tamen* Et si quaedam ex his, quae de speciali concessione saepe fuere legatis indulta, ut illorum videlicet absolutio, qui propter sacrilegas manuum iniectiones in clericos, incidunt in canonem promulgatae sententiae, videantur ex ipso legationis officio iam licere legatis, an existimas, quia vices nostras tanquam legato tibi commisimus exsequendas, quod Panormitanam ecclesiam posses subiicere Messanensi, ut illam praeficeres isti, concesso sibi privilegio primatiae? An putas, ex eadem causa tibi licere, duos episcopatus unire, vel unum dividere sine licentia speciali? *Non ergo in eius odium, vel ad iniuriam tui reputes esse factum, sed ut privilegium Petri maneat inconcussum, quum et felicis memoriae Alexander Papa, praedecessor noster, quasi simile fecerit, obviando praesumptioni legati, quem in Hispaniam destinarat, volenti simile attentare.* [*Super eo vero etc. cf. c. 11. de temp. ord. I.* 11.]

218. GREGORIUS IX. (1227—1141).

a) Gregorius IX. Patriarchae Hierosolymitano, in c. 8. X. *de officio legati.* I. 30.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 185. Potthast n. 9559.

Praesente legato de latere minor legatus exsecutionem officii sui dimittere debet.

Volentes *(et infra:)* Fraternitati tuae legationis officium in provincia tua duximus committendum, ita tamen, quod, si legatum ad partes illas de latere nostro contigerit destinari, exsecutionem ipsius officii, quamdiu legatus ipse ibi fuerit, pro sedis apostolicae reverentia omnino dimittas.

b) Gregorius IX., in c. 9. X. *de officio legati.* I. 30.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 186. Potthast. n. 9500.

Legatus, non de latere sed ratione personae, extra provinciam sibi decretam absolvere nequit excommunicatos pro iniectione manuum in clericos, nec etiam in provincia, si tales excommunicati aliunde veniant. Legatus vero ratione dignitatis nullos tales absolvit. H. d. secundum communem intellectum.

Excommunicatis pro iniectione manuum violenta ecclesiae Romanae legati, qui de ipsius latere non mittuntur, extra provinciam sibi commissam, vel ibidem, si huiusmodi manuum iniectores illuc contingat aliunde accedere, et qui ecclesiarum suarum praetextu legationibus sibi vendicant dignitatem, etiam subditis, quamvis in provincia sua exsistentes, beneficium absolutionis impertiri non possunt, nisi de speciali gratia illis et istis amplius a sede apostolica concedatur.

219. JOHANNES XXII. (1316—1334).

Johannes XXII in *Extrav. Communes.* c. un. *de consuetudine.* I. 1.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1237.

Consuetudo impediens, ne legati sedis apostolicae recipiantur, non valet, et, illa non obstante, legati ipsi sunt ab omnibus recipiendi, et eos impedientes ipso facto excommunicationem incurrunt, et eorum terrae ecclesiastico subiiciuntur interdicto.

Super gentes et regna Romanus Pontifex a Domino constitutus, quum personaliter singulas regiones circuire non possit, nec circa gregem sibi creditum curam pastoralis sollicitudinis exercere: necesse habet interdum ex debito impositae servitutis, suos ad diversas mundi partes, prout necessitates emerserint, destinare legatos, qui vices ipsius supplendo errata corrigant, aspera in plana convertant, et commissis sibi populis salutis incrementa ministrent. Verumtamen aliqui, huiusmodi officium et potestatem ipsius Romani Pontificis, quam non ab homine, sed a Deo recepit, sub suo arbitrio redigere molientes, legatos ipsos, nisi ab eis petiti fuerint, vel de beneplacito eorum transmissi, sibi terras subiectas, dicentes, hoc eis de consuetudine competere, ingredi non permittunt. Nos, huiusmodi consuetudinem non tam irrationabilem, quam nonnunquam animarum saluti contrariam detrahentemque apostolicae potestati auctoritate apostolica penitus reprobantes, legatos ipsos ad omnibus, cuiuscunque praeeminentiae, conditionis aut status fuerint, debere admitti decernimus, nec eos praetextu cuiusvis consuetudinis impediri posse a quoquam, Christiano nomine gloriante, quo minus regna, provincias et terras quaslibet, ad quae ipsos destinari contigerit, ingrediantur libere, ac commissae sibi legationis officium exerceant in eisdem. Qui vero de cetero super praedictis dictos legatos aut etiam nuncios, quos ad quascunque partes pro causis quibuslibet sedes ipsa

transmiserit, praesumpserint impedire, ipso facto sententiam excommunicationis incurrant. Regna, terrae et loca quaelibet subiecta eisdem tamdiu sint eo ipso ecclesiastico supposita interdicto, quamdiu in huiusmodi contumacia duxerint persistendum, non obstantibus quibuslibet indulgentiis aut privilegiis, imperatoribus ac regibus, seu quibuscunque aliis sub quibuscunque modis, tenoribus et formis, a sede ipsa concessis, quae contra praemissa nulli volumus suffragari.

220. LEO X. (1513—1521).

Leo X. in Concilio Lateranensi a. 1515 habito. (c. un. in VII° *de officio legati* I. 8.)

* *Bullarium Romanum.* ed. Taurinensis. Tom. V. p. 6. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. VI, p. 107. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 524.

§ 15. Nullis cardinalibus provincias ac civitates legationis titulo obtinentes, eas per locumtenentes aut officiales quoscunque administrare liceat, sed personaliter ipsis pro maioris temporis adesse atque eas omni vigilantia regere et gubernare teneantur: et qui nunc titulum legationis obtinebunt, si in Italia intra tres menses, si extra Italiam quinque, a die praesentis publicationis ad suas provincias ire ac maiorem temporis partem ibi residere teneantur: nisi de nostro et successorum nostrorum mandato pro aliquibus gravioribus negotiis in Romana Curia retineantur vel ad alia loca prout necessitas postulat, mittantur et tunc in dictis provinciis ac civitatibus vicelegatos, auditores locum tenentem ceterosque consuetos officiales cum debitis provisionibus ac salariis habeant. Qui praemissa omnia et singula non servaverit, emolumentis quibuscunque legationis careat. Quae quidem propter hoc antiquitus ordinata et instituta fuerunt, ut opportuna legatorum praesentia populis esset salutaris non ut ipsi laborum et curarum penitus expertes lucro tantum suaeque legationis titulo inhiarent.

221. LEO XIII. (1878—1902).

Nominatio Delegati Apostolici.

* *Archiv für katholisches Kirchenrecht.* Tom. 78. p. 343—344.

Dilecto Filio Sebastiano Martinelli, Priori Generali Eremitarum Ordinis S. Augustini.

Dilecte Fili, Salutem et Apostolicam Benedictionem.

Apostolici muneris partes, quas, viribus licet imparibus, divina tamen virtute freti explere studemus, Nos saepe illius admonent sollicitudinis quam Romanum Pontificem ad procurandum Ecclesiarum omnium bonum pervigili cura impendere oportet, ut in omnibus vel longo terrarum marisque

tractu dissitis regionibus ea adimpleantur quae Catholico nomini aeternaeque fidelium saluti bene, prospere, feliciterque eveniant.

Iamvero cum gravibus de causis Foederatorum Statuum Americae Septentrionalis Ecclesiae peculiares nostras curas provisionesque expostulent, et dilectus filius Noster S. R. E. Cardinalis Franciscus Satolli mandatum suum iisdem in Statibus ad quos, munere Delegati Apostolici insignitus, a Nobis missus fuerat, expleverit, Nos attentis pietate, doctrina, religionis zelo, usu rerum, prudentia, consilio, aliisque praestantibus tui animi ingeniique laudibus, omnibus rei momentis mature perpensis cum Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, de Fratrum eorumdem consilio, tibi, dilecte fili, Delegationem huiusmodi committendam existimavimus. Quare te, quem per similes Nostras literas hoc ipso die datas titularis Ecclesiae Ephesinae archiepiscopum renuntiavimus, peculiari benevolentia complectentes et a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quas forte incurreris huius tantum rei gratia absolventes. et absolutum fore censentes, Apostolica nostra auctoritate praesentium vi Delegatum Apostolicum in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis ad Nostrum et huius Sanctae Sedis beneplacitum eligimus, facimus, renuntiamus.

Tibi itaque concedimus omnes et singulas facultates necessarias et opportunas ad Delegationem huiusmodi gerendam, omnibusque et singulis ad quos pertinet praecipimus ut in te Apostolico Delegato supremam Delegantis Pontificis auctoritatem agnoscentes, in omnibus tibi, dilecte fili, faveant, praesto sint, ac pareant, tuaque salubria monita et mandata reverenter excipiant atque efficaciter adimpleant, secus sententiam quam rite in rebelles tuleris ratam habebimus, eamque faciemus auctoritate Domino usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari.

Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die 18. Augusti 1896, Pontificatus Nostri anno decimonono.

C. Card. *de Ruggiero.*

IX. METROPOLITAE.

Phillips, *Kirchenrecht.* Tom. VI. p. 817. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. p. 1 segg. Friedberg, *Lehrbuch.* § 64. Scherer, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 531. Calisse, *Diritto ecclesiastico.* p. 490 seq. Mast, *Über die rechtliche Stellung der Erzbischöfe in der katholischen Kirche.* Freiburg 1847. Schwitz, *Metropolitanverfassung und Provinzialsynoden in Gallien während des V. Jahrhunderts. (Archiv für kathol. Kirchenrecht.* 1887. p. 3. seq.). Sieke, *Die Entwicklung des Metropolitanwesens in Frankreich bis auf Bonifaz.* München 1900. Wernz, *Jus decretalium.* Tom. II. p. 843 seq. Cfr. etiam p. 455. (Sect. V. c.)

---

222. ANACLETUS (76? — 88?) [PSEUDOISIDORUS].

Anacletus servus Christi Jesu ad omnes Episcopos, (Ep. III. c. 30), in c. 2. D. XXII.

* *Corpus iuris can.* ed. Friedberg. Tom. I. p. 73—75. Hinschius *Decretales Pseudoisidorianae.* Lipsiae 1863. p. 83.

Non ab apostolis, sed ab ipso Domino Romana ecclesia primatum obtinuit.

Sacrosancta Romana et apostolica ecclesia non ab apostolis, sed ab ipso Domino saluatore nostro primatum obtinuit, sicut B. Petro apostolo dixit: «Tu es Petrus», et reliqua usque: «soluta in celo». § 1. Adhibita est societas in eadem Romana urbe beatissimi Pauli apostoli, uasis electionis, qui uno die eodemque tempore cum Petro gloriosa morte coronatus est, et ambo sanctam ecclesiam Romanam consecrauerunt, atque aliis urbibus omnibus in uniuerso mundo tam sua presentia quam uenerando triumpho pretulerunt. Et licet pro omnibus assidua apud Deum omnium sanctorum effundatur oratio, his tamen uerbis Paulus beatissimus Romanis proprio cirographo pollicetur, dicens: «Testis enim mihi est Deus, cui seruio in spiritu meo in euangelio Filii eius, quod sine intermissione memoriam uestri facio semper in orationibus meis». § 2. Prima ergo sedes est celesti beneficio Romana ecclesia, quam (ut memoratum est) beatissimi Petrus et Paulus suo martirio consecrarunt. § 3. Secunda autem sedes

apud Alexandriam B. Petri nomine a Marco, eius discipulo atque euangelista, consecrata est. § 4. Tercia uero sedes apud Antiochiam eiusdem, B. Petri habetur honorabilis: quia illic, priusquam Romanam ueniret, habuit, et Ignatium episcopum constituit; et illic primum nomen Christianorum exortum est, *Et post pauca.* § 5. Inter beatos apostolos quedam fuit discretio, et post licet omnes essent apostoli, Petro tamen a Domino concessum est (et ipsi inter se uoluerunt id ipsum), ut reliquis omnibus preesset apostolis, et Cephas, id est caput et principium teneret apostolatus; qui et eandem formam suis successoribus et reliquis episcopis tenendam tradiderunt. Et non solum hoc in nouo testamento est constitutum, sed etiam in ueteri fuit; unde scriptum est: «Moyses et Aron in sacerdotibus eius», id est primi inter eos fuerunt. *Et post pauca:* § 6. Hec uero apostolica sedes caput et cardo (ut praefatum est) a Domino, et non ab alio constituta est; et sicut cardine ostium regitur, sic huius sanctae apostolicae sedis auctoritate omnes ecclesie (Domino disponente) reguntur.

Gratian. *Hac auctoritate Alexandrina ecclesia secundum a prima locum habere censetur. Sed postea in Constantinopolitana sinodo ecclesia Constantinopolitana secundum a sede apostolica locum accepit.*

228. CONCILIUM ANTIOCHENUM hab. a. 332.

a) c. 4. = c. 1. C. IX. q. 3.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 606. Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum.* Tom. II. p. 44. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. I. p. 514.

Nec episcopi sine metropolitani consensu, nec ille sine eorum consensu aliquid agere debet. *(Decr. Grat.)*

Per singulas prouincias oportet episcopos cognoscere metropolitanum suum, et ipsum primatus curam suscipere, nichil autem agere reliquos episcopos preter eum, secundum quod antiquitus a patribus nostris constitutum continetur in canone. Propter quod et metropolitanus nichil praesumptiue assumat absque consilio ceterorum.

b) c. 9 = c. 2. C. IX. q. 3.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 606—607. Bruns, *Canones.* Tom. II. p. 49. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. I. p. 515.

Sine metropolitani conscientia extra suam dioecesim nichil agat episcopus. *(Decr. Grat.)*

Per singulas prouincias episcopos singulos scire oportet, episcopum metropolitanum, qui preest, curam et sollicitudinem totius prouinciae suscepisse. Propter quod ad metropolitanam ciuitatem ab his, qui causas habent, concurratur. Quapropter placuit eum et honore precellere, et nihil ultra sine ipso reliquos episcopos agere secundum antiquum Patrum no-

strorum canonem, nisi hoc tantum, quod uniuscuiusque ecclesiae per suam dioecesim conpetit. Unumquemque enim episcopum oportet habere suae dioecesis potestatem, ut regat et gubernet secundum conpetentem, singulis reuerentiam, et prouidentiam gerat omnis regionis, que sub ipsius est ciuitate, ita ut etiam ordinare ei presbiteros et diaconos probabili iudicio liceat, et de singulis ipsius regionis causis cum moderatione et pondere disceptare. Ultra autem nichil agere permittitur citra metropolitani episcopi conscientiam, nec metropolitanus sine ceterorum aliquid gerat consilio sacerdotum.

224. CONCILIUM CARTHAGINENSE III. hab. a. 386—390.

c. 12. = c. 5. D. LXV.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 250. Bruns. *Canones Apostolorum et Conciliorum.* Tom. I. p. 121. Hefele, *Conciliengeschichte.* T. II. p. 49.

Placet omnibus, ut inconsulto primate cuiuslibet prouinciae tam facile nemo presumat, licet cum multis, in quocumque loco sine eius (ut dictum est) precepto episcopum ordinare. § 1. Si autem necessitas fuerit, tres episcopi, in quocumque loco sint, cum primatis precepto odinare debebunt episcopum.

225. LEO I. (440—461).

Leonis Papae Ep. 82 alias Ep. 84 c. 6. = c. 4. D. LXV.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 250.

Absque primatis consensu metropolitanus episcopum non ordinet. *(Decr. Grat.)*

De persona autem consecrandi episcopi, et de cleri plebisque consensu metropolitanus episcopus ad fraternitatem tuam referat, quodque in prouincia bene placuit scire te faciat, ut ordinationem rite celebrandam tua quoque confirmet auctoritas. Que rectis dispositionibus nihil morae aut difficultatis debebit afferre, ne gregibus Domini diu desit cura pastorum.

226. CONCILIUM RAVENNENSE hab. a. 877.

c. 12. = c. 1. D. G. [Pelagius].

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 351—352. Mansi, *S. Conciliorum nova et amplissima collectio.* Tom. XVIII. p. 337. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. IV. p. 522. Noorden, *Hinckmar v. Reims.* p. 347.

Infra tres menses fidem suam exponere et pallium postulare a Romana ecclesia quisque metropolitanus studeat. *(Decr. Grat).*

Quoniam quidam metropolitanorum fidem suam secundum priscam consuetudinem sanctae sedi apostolicae exponere detrectantes usum pallii neque expetunt, neque percipiunt, ac per hoc episcoporum consecratio uiduatis ecclesiis non sine periculo protelatur, placuit, ut [§ 1. Conc. Rav.]

quisquis metropolitanus ultra tres menses consecrationis suae ad fidem suam exponendam palliumque suscipiendum ad apostolicam sedem non miserit, commissa sibi dignitate careat, sitque licentia metropolitanis aliis, post secundam et tertiam commonitionem uiduatis ecclesiis cum consilio Romani Pontificis ordinando episcopum subuenire. § 1. [§ 2. Conc. Rav.] Si uero consecrandi episcopi negligentia prouenerit, ut ultra tres menses ecclesia uiduata consistat, communione priuetur, quousque aut loco cedat, aut se consecrandum offerre non differat. Quod si ultra quinque menses per suam negligentiam retinuerit uiduatam ecclesiam, neque ibi, neque alibi consecrationis donum percipiat, imo metropolitani sui iudicio cedat.

227. JOHANNES XIX. (1024—1033).

• Ughelli, *Italia sacra.* Venetiis 1725. T. V. col. 49.—50. Ballerini, *De Patriarcatus Aquileiensis origine.* Verona 1729 (*Opera Card.* Noris. Tom. IV. 1051, 1056 seq.) De Rubeis, *De schismate Ecclesiae Aquileiensis.* Venetiis 1732. Idem, *Monumenta Ecclesiae Aquileiensis commentario illustrata.* Argentor. 1877. Cappelletti, *Storia della Chiesa di Venezia.* Venezia 1845. De Renaldis, *Memorie storiche dei tre ultimi secoli del Patriarcato di Aquileia.* Udine 1888. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 567 seq.

[De subiectione insulae et ecclesiae Gradensis].

Joannes episcopus servus servorum Dei.

Dilecto in Christo fratri Popponi sanctae Aquilejensis Ecclesiae Patriarchae perpetuam salutem. Cum magna nobis sollicitudine insistit cura pro universis Ecclesiis Dei ac piis locis vigilandi, ne aliquam necessitatis jacturam sustineant, sed magis propriae utilitatis stipendia consequantur. Ideo convenit nos tota mentis aviditate eorundem veterum locorum stabilitatem ac integritatem maxime procurare, et sedulo eorum utilitatem, ac subsidia illic contrahere, ut Deo nostro omnipotenti id, quod pro ejus sancti nominis honore et laude, atque gloria ejus divinae majestatis nostrarum rerum confirmare veteribus locis sit acceptabile. Nobisque ab ejus locupletissima misericordia, digna hujusmodii pii in sidereis conseri amor arcibus remuneratione. Igitur quia postulastis a nobis, quatenus Patriarchatum sanctae Aquilejensis Ecclesiae cum omni suo honore, atque suis pertinentiis totum in unum vobis conferamus, sicuti olim a Beato Petro Principe Apostolorum, nec non Eugenio, atque Gregorio, caeterisque praedecessoribus nostris hujus Apostolicae sedis Episcopis decretum est. Inclinati namque precibus vestris Apostolica auctoritate concedimus, et per hujus nostri privilegii paginam confirmamus vobis vestrisque successoribus Patriarchatum sanctae Aquilejensis Ecclesiae fore Caput, et Metropolim super omnes Italiae Ecclesias, quoniam ante omnes constitutam, et in fide Christi fundatam fuisse cognoscimus: atque volumus S. Aquilejensem in cunctis fidei rebus

peculiarem, et Vicariam, et secundam esse post hanc Almam Romanam sedem, sicut olim a Beato Petro Apostolo concessum fuisse videtur. Insuper vobis vestrisque successoribus, Apostolica auctoritate Pallium concedimus, quo vos ad Missarum solemnia celebranda uti volumus in Natali Domini, ac solemnitate Epiphaniae, et in quatuor S. Mariae festivitatibus, et in ejusdem dedicatione Ecclesiae, et in die Natalitii sui, et in Coena Domini, et in die S. Paschae, et in Ascensione Domini, et in die S. Pentecostes et in nativitate S. Joannis Baptistae, atque in festivitatibus omnium Apostolorum, et in festivitate omnium Sanctorum, et in caeteris omnibus praecipuis festivitatibus, nec non in consecratione Episcoporum. De rationali autem idipsum praecipimus, ut in caeteris festivitatibus utamini, quemadmodum et de Pallio. Insuper autem vobis vestrisque successoribus Apostolica auctoritate universos Episcopos S. Aquilejensis Ecclesiae pertinentes, nec non Monasteria . . . atque etiam Parochias cunctas eidem Patriarchatui pertinentes cum omnibus plebibus, titulis, Ecclesiis, seu Capellis, Castellis, Villis, terris cultis, et incultis, seu decimationibus eorum cum exitibus, vel redditibus eorum, seu cum omnibus utensilibus eorum, et appenditiis, quaesitis, vel inquirendis, quae dici vel nominari possunt. Nec non confirmamus vobis vestrisque successoribus Insulam, quae Gradus vocatur, cum omnibus suis pertinentiis, quae barbarico impetu ab eadem Aquilejensi Ecclesia subtracta fuerant, et falso Patriarchali nomine utebatur, de qua multi antecessores vestri, temporibus meorum antecessorum, et multorum Imperatorum per multas Synodos proclamaverunt, ad quas aemulus tuus multoties Synodali sententiae, et Imperiali praecepto vocatus venire renuit, unde interventu etiam et petitione dilecti filii nostri Conradi Imperatoris Augusti Synodum congregavimus, in qua multi nostrates et Langobardi, et Theutonici Episcopi, et Abbates interfuerunt, ad quam ipse canonice vocatus venire distulit. Unde judicio omnium Episcoporum qui aderant, restituta est ibi eadem Insula cum omnibus suis pertinentiis, ut secundum Deum et votum vestrum eam ordinare vobis liceat, vel omnia, quae sub jure ac dominio Patriarchatus praefati adjacere, vel pertinere noscuntur, quemadmodum Beatissimus Petrus Apostolus olim suo discipulo Marco Evangelistae, ejusque sequaci eleganti viro Hermagorae contradidit. Statuentes igitur Apostolica censura sub divini judicii obtestatione, et anathematis interdictu interdicimus, ut nullus unquam nostrorum successorum Pontifex, nullusque Episcopus, nullaque magna, parvaque persona in totis finibus vestri Patriarchatus, vel Episcoporum vestrorum dominio pertinentium ordinationem quamlibet facere praesumant, nisi vestro, vestrorumque successorum fuerit consensu, quatenus Ecclesiarum ordines cum Dei adjutorio sedule accrescant. Si quis autem, quod non optamus, temerario ausu hujus nostri Apostolici privilegii transgressor extiterit, sciat se auctoritate Dei omnipotentis, et Apostolorum Principis Petri, et Pauli, et nostra, qui eorum fungimur

vice, anathematis vinculo esse innodatum, et a regno Dei esse alienum; qui vero hujus nostrae Epistolae institutionis in omnibus observator extiterit, benedictionis gratiam, vitamque aeternam, et absolutionem omnium peccatorum suorum consequi mereatur a Deo, qui vivit et regnat in secula seculorum, Amen.

Scriptum per manus Joannis Cardinalis, et Cancellarii vice Petri Diaconi Mense Septembris, Indictione decima. Datum per manus Bossonis Episcopi et Bibliothecarii S. R. E. in Mense, et Indictione suprascripta, in Sacratissima Sede Beati Petri Apostoli anno IV. Deo propitio, Pontificatus D. Joannis Summi Pontificis et universalis XIX. Papae. (a. 1026.) [l. c. col. 49—50.]

228. ALEXANDER III. (1159—1181).

c. 11. X. *de electione.* I. 6.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 53.

Metropolitanus confirmatus, licet nondum receperit pallium, potest suum suffraganeum consecrari facere.

Suffraganeis alicuius metropolitani, ad mandatum ipsius *metropolitani,* post confirmationem electionis suae, etiamsi pallium non receperit, licitum est *aliquem* electum, qui ad eius iurisdictionem pertinet, consecrare, *et metropolitano aegritudine laborante vel alias praepedito, post susceptionem pallii, et etiam ante si eius est electio confirmata suffraganei sui ad mandatum ipsius possunt electo munus consecrationis conferre.*

229. INNOCENTIUS III. (1161—1198).

a) Innocentius III. C. Presbytero Cardinali Apostolicae sedis legato. in c. 3. X. *de auctoritate et usu pallii.* I. 8.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. T. II. col. 101. Potthast, n. 1112.

Per pallium confertur plenitudo pontificalis officii et nomen archiepiscopale.

Nisi specialis dilectio illa *(Et infra: [cf. c. 8. de off. leg. I. 30]).* Sane, si postulatio *venerabilis fratris nostris* Troiani episcopi *regni Siciliae cancellarii* ad Panormitanam ecclesiam fuisset per nos etiam approbata, non tamen deberet se archiepiscopum appellare prius, quam a nobis pallium suscepisset, in quo pontificalis officii plenitudo cum archiepiscopalis nominis appellatione confertur. Tu ergo, *sicut vir providus et discretus* quod factum est sic studeas palliare, ut id in confusionem tuam, et sedis apostolicae opprobrium non redundet, quoniam, si oporteat, ut *vel* nos vel tu ex hoc negotio confundamur, eligemus potius te confundi, quam laedamus sedis apostolicae dignitatem.

b) Innocentius III. Antiocheno Patriarchae, in c. 1. X. *de translatione episcopi.* I. 7.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 96—97. Potthast n. 52.

Patriarcha, qui confirmatum in archiepiscopum transfert ad sedem episcopalem, ab episcoporum confirmatione suspenditur. Ioan. Andr.

Quum ex illo generali privilegio, quod beato Petro et per eum ecclesiae Romanae Dominus noster indulsit, canonica postmodum manaverint instituta, continentia maiores ecclesiae causas *esse* ad sedem apostolicam perferendas, ac per hoc translationes episcoporum, *sicut depositiones eorum,* et sedium mutationes ad summum apostolicae sedis antistitem de iure pertineant, nec super his quicquam praeter eius assensum debeat immutari: miramur *non modicum et movemur,* quod *[tu], praedecessoris tui exempla secutus, qui motu propriae voluntatis Mamistanum in Tarsensem dicitur transtulisse,* L. *quondam* Apamensem electum in Tripolitanam ecclesiam transtulisti, *nec tibi sufficit dictam praedecessoris tui praesumptionem solummodo imitari, imo etiam in iniuriam nostram ipsius transgressus excessum* et, novo quodam mutationis genere parvificasti maiorem, et magnum quodammodo minorasti, episcopare archiepiscopum, immo potius dearchiepiscopare praesumens, *quum dictus praedecessor tuus dictum archiepiscopum de Tharsensi ecclesia in ecclesiam transtulerit similis dignitatis.* Licet enim dictus L. nondum fuisset in archiepiscopum consecratus, confirmationis tamen munus receperat, et archiepiscopalia, quantum ei licuit, ministrarat, sicut nobis ipsius relatione innotuit, qui se Valiensem episcopum *quum in nostra essel praesentia constitutus,* asseruit confirmasse. Ne igitur perpetrandi similia ceteris audacia tribuatur, *si tantus excessus relictus fuerit impunitus* te ab episcoporum confirmatione duximus suspendendum, *quousque super hoc aliud statuamus,* [*sciturus etc. Dat. Lateran. XVI. Kal. April.* 1198.]

c) Innocentius III. in Conc. Lateranensi IV. a. 1215 habito c. 5. = c. 23. X. *de privilegiis et excessibus privilegiatorum.* V. 33.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg, Tom. II. col. 431. Hefele, *Congeschichte.* Tom. V. p. 882—883.

Ponit concilium ordinem quatuor patriarchalium sedium, usque ibi: Servata, ubi ponit tria privilegia ipsarum. Primum quia dant pallium. Secundum ibi: Dominicae, quia ante se crucem deferri faciunt, praeterquam in casibus, hic exceptis. Tertium ibi: In omnibus, quia ad ipsos appellatur. Et in hoc potestatur ibi: Salvis.

Antiqua patriarchalium sedium privilegia renovantes, sancta universali synodo approbante sancimus, ut post Romanam ecclesiam, quae disponente Domino super omnes alias ordinariae potestatis obtinet principatum, utpote mater universorum Christi fidelium et magistra, Constantinopolitana primum, Alexandrina secundum, Antiochena tertium, Hierosolymitana

quartum locum obtineant, servata cuilibet propria dignitate ita, quod, postquam antistites earum a Romano Pontifice receperint pallium, quod est plenitudinis officii pontificalis insigne, praestito sibi fidelitatis et obedientiae iuramento, licenter et ipsi suis suffraganeis pallium largiantur, recipientes pro se professionem canonicam, et pro Romana ecclesia sponsionem obedientiae ab eisdem. Dominicae vero crucis vexillum ante se faciant ubique deferri, nisi in urbe Romana, et ubicunque summus Pontifex praesens extiterit, aut eius legatus, utens insigniis apostolicae dignitatis. In omnibus autem provinciis, eorundem iurisdictioni subiectis, ad eos, quum necesse fuerit, provocetur, salvis appellationibus ad sedem apostolicam interpositis, quibus est ab omnibus humiliter deferendum.

230. NICOLAUS V. (1447—1455).

* Ughelli, *Italia Sacra.* Tom. V. col. 1292—1294. Hinschius, *Kirchenrecht.* T. I. p. 570. Cappelletti, *Le Chiese d' Italia.* Venezia 1855. T. III.

[Diploma extinctionis patriarcalis sedis Gradensis, nominisque Castellani Episcopi ac institutionis patriarchalis sedis Venetiis].

Nicolaus Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

Regis aeterni, ac Pastoris illius coelestis, et animarum Christi, a quo singula gratiarum dona, vicem licet immeriti gerentes in terris, cum simus ab eo in eminenti Ecclesiae militantis specula constituti, tum ad omnes Christi fidelium nationes, loca, et personas, ut pro meritorum qualitate honorentur, intenti sumus, tum ad eorum dignitatem, et honorem pervigili cura extendimus nostras cogitationes, quorum devotio erga nos fervore fidei, et plurimarum virtutum merita videntur exposcere, ut amplioris dignitatis titulo decorentur. Sane mentis nostrae intuitu considerantes, quanta sit dignitas, et magnitudo Reipublicae Venetorum, quanta populi multitudo, quantus civium ornatus, et amplitudo, quanta illius magnitudo dominii, quanta eorum magnificentia existat; advertentes quoque animum ad singularem ipsorum erga nos, et Romanam Ecclesiam devotionem, nimirum ipsorum quasi requirentibus meritis, ad ea agenda, et concedenda impellimur, quibus tales, et tam egregiae civitates, et civium nomen, et gloria, pro suae quoque Ecclesiae majestate, et amplitudine illustretur. Cum itaque Ecclesia Patriarchalis Gradensis in dominio ipsius Reipublicae Venetorum existens, quae per obitum bonae memoriae Dominici ultimi illius Patriarchae, extra Romanam Curiam defuncti pastoris est solatio destituta, sita sit in loco dissito, et destituto cultoribus, adeo ut nullus jamdudum ibidem Patriarcha residere valuit, ex quo tantae dignitatis splendor sordescere existimatur. Nos considerantes, quod si in Civitate Venetiarum dignitas Patriarchalis sedis institueretur, civitas ipsa tanquam planta fructifera radicibus suis altius in solo suo uberi defixis, in immensum fere suae dignitatis ramos

expandet, et amplificationem recipiet digniorem; quodque ex eo devotio civium, et religio fidei, ac divinus cultus majorem fructum pariet animarum ad omnipotentis Dei laudem, et exaltationem Ecclesiae suae sanctae, et ut civitas ipsa Venetiarum digniort in spiritualibus titulo decoretur, dignitatem, et titulum Patriarchalis Ecclesiae Graden. necnon titulum, et dignitatem ipsam Episcopatus Venetiarum, qui a nomine loci in ambitu ipsius civitatis existens, Castellum nuncupatur; in quo illius Ecclesia Cathedralis sita est, episcopatus Castellanus nominatus existit, caeteras quoque dignitates personatus, administrationes, officia, canonicatus, praebendas, ac alia beneficia ecclesiastica, in praefatis Graden. et Castellan. Ecclesiis, de venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, et assensu, ac de potestatis plenitudine auctoritate Apostolica supprimentes, et penitus extinguentes, prefatam Castell. Ecclesiam Patriarchalem sedem, et dignitatem, cui venerabilem fratrem nostrum Laurentium, antea Castell. Episcopum, in Patriarcham, et Pastorem preficere intendimus, cum omnibus, et singulis Patriarchalibus insignibus, dignitatibus, praeminentiis, privilegiis, juribus, et honoribus, tam ipsi olim Patriarchali Graden. Ecclesiae, quam illius Patriarchis concessis, erigimus, constituimus, et deputamus, Graden. vero Provinciam cum omnibus illius suffraganeis Episcopis, in Provinciam Patriarchalis Ecclesiae Venetiarum, constituimus, et erigimus, volentes, et decernentes, ut deinceps Ecclesia Patriarchalis Venetiarum futuris perpetuis temporibus appelletur; quodque tam dictae quondam Graden. cum omnibus ecclesiis sibi unitis, quam Castell. ecclesiarum dictae prefatae Patriarchali Ecclesiae Venetiarum unitae sint, et una dumtaxat, eademque dioecesis censeatur. Omnes vero, et singulas dignitates, personatus, administrationes, officia, canonicatus, et praebendas, ac beneficia, quae erant in praefaia olim Castell. Ecclesia cum omnibus eorum possessionibus, mobilibus bonis, et immobilibus, juribus, actionibus, obventionibus et emolumentis ad illam spectantibus, nec non fructibus, redditibus, et proventibus eorumdem, ac cum illis Canonicorum Capitulum in omnibus, et per omnia, prout in dicta olim Ecclesia Castellana esse consueverunt in Patriarchali Ecclesia huiusmodi per nos erecta de novo creamus, et instituimus, ac illis, qui ipsam pro antea obtinebant, conferimus, et de eisdem providemus. Illis vero, qui Canonicatus, praebendas, dignitates, personatus, et administrationes, officia, et beneficia in olim Graden. suppressa praedicta obtinebant, quod ipsorum fructus, redditus, et proventus, donec, et quousque vixerint, integre exigere, et percipere, ac in suos usus, et utilitatem convertere libere, ac licite valeant, et possint perinde, ac si suppressio, extinctio, et alia supradicta per nos facta non fuissent. Concedimus praeterea etiam omnia, et singula dominia, feuda, possessiones, fructus, redditus, proventus, census, jura actiones, et alia mobilia, et immobilia bona quaecumque olim Graden. et Castell. Ecclesiarum, et aliorum in dicta Graden. suppressorum praefatae

Patriarchali Ecclesiae Venetiarum pro ejus mensa perpetuo donamus, concedimus, applicamus, appropriamus, et assignamus, volentes et eisdem scientia, et auctoritate statuentes pariter, et decernentes, quod ex nunc in antea in perpetuum ipsa Ecclesia sic erecta Patriarchalis Ecclesia, ac dioecesis, et provincia Venetiarum sit, et etiam nuncupetur, quodque in eadem quondam Ecclesia Graden. prout hactenus consuevit, per unum, vel plures presbyteros, quibus de illius proventibus per Patriarcham Venetiarum pro tempore existentem, necessaria congrue ministrentur, et animarum cura, si qua illi immineat, diligenter exerceatur, ac inibi laudabiliter deserviatur in divinis. Nulli ergo omnino hominum liceat etc.

Dat. Romae apud Sanct Petrnm anno incarnationis Domini MCDLI. 8. Idis Octobr. Pontificatus nostri anno quinto. [l. c. col. 1282—1294.]

231. CONCILIUM TRIDENTINUM. (1545—1563).

Sess. XXIV. *de reformatione.* c. 3.

* *Canones et decreta concilii Tridentini.* ed. Schulte-Richter. p. 330. Friedberg, *Lehrbuch* § 64. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. § 79.

Patriarchae, primates, metropolitani et episcopi propriam dioecesim per se ipsos, aut si legitime impediti fuerint, per suum generalem vicarium aut visitatorem, si quotannis totam propter eius latitudinem visitare non poterunt, saltem maiorem eius partem, ita tamen, ut tota biennio per se vel visitatores suos compleatur, visitare non praetermittant. A metropolitanis vero, etiam post plene visitatam propriam dioecesim, non visitentur cathedrales ecclesiae, neque dioeceses suorum comprovincialium, nisi causa cognita et probata in concilio provinciali.

X. EPISCOPI.[1]

Barbosa, *De officio et potestate Episcoporum.* Lugduni 1648. Thomassinus, *Vetus et nova ecclesiae disciplina.* Parisiis 1691. P. I. L. 1. c. 50. Benedictus XIV., *De synodo diocesana libri XIII.* 1—4. Romae 1754. Andreucci, *Hierarchia ecclesiastica.* Romae 1766. Tom. 1. Helfert, *Von den rechten und Pflichten der Bischöfe und deren Gehülfen und Stellvertreter.* Prag 1832. Bouix, *Tractatus de Episcopis et de synodo diocesana.* Parisiis 1859. Rinalei-Bucci, *De insignibus episcoporum commentaria.* Romae 1891. Philipps, *Kirchenrecht.* Tom. VII. § 357—359. Hinschius, *Kirchenrecht.* § 79. Scherer, *Kirchenrecht.* § 89. Friedberg, *Lehrbuch.* § 65. Wernz, *Jus decretalium* Tom. II. pag. 25. Sägmüller, *Lehrbuch,* § 93. Stutz, *Kirchenrecht.* § 75.

---

232. CONCILIUM ANTIOCHENUM HAB. A. 341.

c. 58 = c. 5. D. XCII.

• *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 318. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. I. p. 483. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. p. 49 seq.

De episcopo ordinato, quem sua parrochia non recipit. *(Decr. Grat.)*

Si quis episcopus ordinatus ad parrochiam, cuius est electus, minime accesserit, non suo uitio, sed quod eum aut populus uetet, aut propter aliam causam, non tamen eius uitio perpetratam, hic et honoris sit et ministerii particeps, dummodo rebus ecclesiae, ubi ministrare cognoscitur, in nullo molestus existat. Quem etiam obseruare conuenit, quicquid sinodus perfecte prouinciae iudicando decreuerit.

233. GREGORIUS I. (590—604).

Gregorius Papa ad Rusticum Monacum. Ep. IV. = c. 41. C. VII. q. 1.

• *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 582.

In una ecclesia duo prelati esse non debent. *(Decr. Grat.)*

In apibus princeps unus est: grues unam secuntur ordine litterato; inperator unus, iudex unus prouinciae. Roma condita duos fratres simul

---

[1] Cfr. n. 2, 3, 7, 13 (can. 4.), 177.

habere reges non potuit et parricidio dedicatur. In Rebeccae utero Esau et Iacob bella gesserunt; singuli ecclesiarum episcopi, singuli archiepiscopi, singuli archidiaconi, et omnis ordo ecclesiasticus suis rectoribus nititur.

VII. Pars. Gratian. *Ecce in quibus casibus episcopo uiuente alius potest ei substitui, quamquam secundum rei ueritatem non uiuente episcopo talis probetur succedere. Translatus enim ab una ciuitate ad aliam desinit esse episcopus illius ciuitatis, a qua transfertur, atque ideo qui huic succedit non uiuenti, sed defuncto quodammodo episcopo probatur substitui. Sed inter eum, qui hostilitatis necessitate, et eum, qui utilitatis causa transfertur, hoc interest, quod ille, qui metu hostilitatis ad aliam transit, si priorem contigerit aliquando ab hostibus liberam fieri, ad eandem illum redire oportet.*

234. CONCILIUM CABILONENSE (639—654).

* *Monumenta Germ. historica. Legum Sect.* III. *Concilia.* Tom. I. ed. Maassen. p. 209. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. III. p. 92. Havet, *Questions mérovingiennes.* Paris 1897. V. 52.

c. 4. Ut duo in una civitate penitus uno tempore nec ordinentur nec habeantur episcopi nec res ecclesiae saeva divisione debeant partire.

235. INNOCENTIUS III. (1198—1216).

a) Innocentius III. Decano et Capitulo Andegavensi, in c. 2. X. *de translatione episcopi.* I. 7.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 97—98. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. p. 608.

Electos in episcopos et confirmatos trasferre potest solus Papa.

Inter corporalia et spiritualia eam cognovimus esse differentiam, quod corporalia facilius destruuntur quam construantur, spiritualia vero facilius construuntur quam destruantur. Unde iuxta canonicas sanctiones episcopus solus honorem dare potest, solus *autem* auferre non potest. Episcopi quoque a metropolitanis suis munus consecrationis accipiunt, qui tamen non possunt nisi per Romanum Pontificem condemnari. Quum ergo fortius sit spirituale vinculum quam carnale, dubitari non debet, quin omnipotens Deus spirituale coniugium, quod est inter episcopum et ecclesiam, suo tantum iudicio reservaverit dissolvendum, qui dissolutionem etiam carnalis coniugii, quod est inter virum et feminam, suo tantum iudicio reservavit, praecipiens, ut quos Deus coniunxit homo non separet. Non enim humana, sed potius divina potestate coniugium spirituale dissolvitur, quum per translationem, *vel* depositionem, aut *etiam* cessionem auctoritate Romani Pontificis, quem constat esse vicarium Iesu Christi, episcopus ab ec-

clesia removetur: et ideo tria haec, quae praemisimus, non tam constitutione canonica, quam institutione divina soli sunt Romano Pontifici reservata. Sicut enim episcopus consecratus sine licentia Romani Pontificis suam non debet ecclesiam derelinquere, sic et electus *[et]* confirmatus ***praeter eius assensum suam deserere nequit ecclesiam, cui est matrimonialiter alligatus,*** quum non debeat in dubium revocari, quin post electionem et confirmationem canonicam inter personas eligentium et electi coniugium sit spirituale contractum, cui profecto episcopalis dignitas nihil addit, quum quis episcopali praeditus dignitate nullius tamen ecclesiae possit esse episcopus, quemadmodum de illo contingit, qui oneri pontificali renunciat, non honori. Unde, quum non sit maius vinculum episcopi ad ecclesiam, quam electi, maxime quum fuerit confirmatus, immo idem penitus, et non aliud, idem iuris obtinet in utroque. Sicut ergo episcoporum translatio, ***vel etiam*** depositio et cessio, sic et electorum post confirmationem spiritualis ratione coniugii soli est Romano Pontifici reservata. Licet usque ad tempora ista quod cautum fuerat de episcopis expressum non fuerat de electis, propter expressam tamen similitudinem, vel identitatem potius, nemini poterat videri dubium subtiliter intuenti, quum de similibus idem iudicium sit habendum. § 1. Sed neque illud, quod in canone legitur de electo, ut, si ultra sex menses per suam negligentiam retinuerit ecclesiam viduatam, nec ibi, nec alibi donum consecrationis accipiat, immo metropolitani sui cedat iudicio, aliter intelligentibus poterat suffragari, quum non intelligatur ecclesia viduata, quasi sponsum non habeat, sed quia, ***quam*** sponsus eius nondum sit consecratus, adhuc quoad quaedam quasi viri maneat solatio destituta, sicut iuxta communem modum loquendi illa dicitur ecclesia viduata, quae, licet episcopum habeat, inutilem tamen perhibetur habere. Nec quod de cessione subsequitur, et statutum fuit ad poenam, trahi debet ad gratiam, ut, sicut metropolitani iudicio electus deiicitur, ita etiam ad aliam ecclesiam possit transferri, praesertim quum nec sine auctoritate Romani Pontificis fiat cessio vel deiectio memorata, qui, ut haec possent, ex illo canone metropolitanis indulsit. Unde, si circa translationem idem fieri voluisset, quod de cessione dixerat, et de translatione poterat expressisse, et quod non est sanctorum Patrum decreto sancitum superstitiosis non est adinventionibus praesumendum, praesertim quum nonnunquam intelligatur prohibitum quod non invenitur concessum. § 2. Sane quoniam Turonensis archiepiscopus electum Abricensem, per metropolitanum suum ***postea*** confirmatum, in ecclesiam vestram praeter auctoritatem sedis apostolicae transferre praesumpsit et in episcopum consecrare, quem ***etiam venerabilis frater noster*** Rothomagensis archiepiscopus citra mandatum nostrum absolvit, et ei licentiam tribuit transeundi: praedictos archiepiscopos, ***qui saltem apostolicam sedem super hoc, quod novum emerserat, praesertim quum iuxta canonicas sanctiones maiores ecclesiasticae causae ad sedem apostolicam sint referen-***

dae, consulere debuerunt, a consecratione *pariter* et confirmatione pontificum, episcopum vero ab exsecutione pontificalis officii, Bituricensis archiepiscopus iuxta mandati nostri tenorem suspendit. Et quamvis iidem archiepiscopi *Turonensis et Rothomagensis* tanquam maiores plus excesserint in praemissis, praefatus vero episcopus minus, utpote illorum tanquam maiorum errorem secutus, nos tamen, intellecta *per literas et per nuncios* eorum *archiepiscoporum* confessione spontanea et supplicatione devota, veniam errori dedimus, quia non ex malignitate, sed ex simplicitate peccaverunt. Et quoniam praefatus episcopus, qui *et* minus peccaverat, *et sicut ex praemissis apparet,* severius fuerat castigatus, *ad apostolicam sedem, licet spontanea voluntate, non tamen sine multis laboribus et expensis accessit,* reatum suum recognoscens humiliter et devote, ac misericordiam postulans, et judicium non requirens: nos *super facto eius cum fratribus nostris communem tractatum habentes et subtiliter* intuentes, quod, licet sibi munus consecrationis impensum, nec prioris ecclesiae ipsum pontificem fecerit, nec secundae, quum ad primam non fuerit consecratus, et ad secundam priori vinculo perdurante non potuerit canonice consecrari, adhuc coniugaliter alteri alligatus, *illud tamen provide attendentes, quod et urgens necessitas, et evidens utilitas ecclesiae vestrae, quoniam non poteratis in aliam personam idoneam convenire, dispensationis gratiam requirebant,* ei *de plenitudine potestatis* tam in vinculo prioris ecclesiae, quam a poena suspensionis penitus absoluto, de benignitate sedis apostolicae duximus concedendum, ut, priori consensu hactenus perdurante, *sicut per literas personarum ecclesiae vestrae nobis est intimatum,* Andegavensem ecclesiam *tanquam proprius pontifex ad gloriam et laudem nominis Dei, ad honorem et exaltationem ipsius et ad salutem et utilitatem suam, et tam cleri quam populi sibi commissi,* studeat gubernare, *ut praeveniente divina gratia et sequente plus prodesse velit et valeat, quam praesse* [*etc. Dat. Lat. XII. Kal. Febr.* 1199.]

b) Innocentius III. in Concilio Lateran. IV. a. 1215. hab. c. 7. = c. 14. X. *de officio iudicis ordinarii.* I. 31.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 191—192. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 885. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. § 79.

Quum in civitate vel dioecesi sunt populi diversarum linguarum; episcopus debet providere eis per viros idoneos, qui secundum varietatem linguarum officia eis celebrent, et sacramenta ministrent. Et si urgens est necessitas, constituet sibi vicarium pontificem illius linguae; non tamen propter hoc eadem dioecesis debet habere duos episcopus.

Quoniam in plerisque partibus infra eandem civitatem atque dioecesim permixti sunt populi diversarum linguarum, habentes sub una fide varios ritus et mores, districte praecipimus, ut pontifices huiusmodi civitatum

sive dioecesum provideant viros idoneos, qui secundum diversitates rituum et linguarum divina illis officia celebrent et ecclesiastica sacramenta ministrent, instruendo eos verbo pariter et exemplo. Prohibemus autem omnino, ne una eademque civitas sive dioecesis diversos pontifices habeat, tanquam unum corpus diversa capita, quasi monstrum. Sed si propter praedictas causas urgens necessitas postulaverit, pontifex loci catholicum praesulem nationibus illis conformem provida deliberatione constituat sibi vicarium in praedictis, qui ei per omnia sit obediens et subiectus. Unde, si quis aliter se ingesserit, excommunicationis se noverit mucrone percussum, et, si nec sic resipuerit, ab omni ministerio ecclesiastico deponendum, adhibito, si necesse fuerit, brachio saeculari ad tantam insolentiam repellendam.

c) Innocentius III. in Concilio Lateran. IV. c. 10. = c. 15. X. *de officio iudicis ordinarii.* I. 31.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 192. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 885. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. § 79.

Episcopi, qui per se non possunt, tenentur assumere idoneos, qui suppleant suo loco quoad praedicationes, visitationes et confessionum auditiones; et ut possint episcopi reperire tales, praecipit in ecclesiis cathedralibus et collegiatis tales institui.

Inter cetera, quae ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei permaxime sibi noscitur esse necessarium, quia, sicut corpus materiali, sic anima spirituali cibo nutritur, eo, quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Unde, quum saepe contingat, quod episcopi propter suas occupationes multiplices, vel invaletudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias, ne dicamus defectum scientiae, quod in eis reprobandum est omnino, nec de cetero tolerandum, per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas dioeceses et diffusas: generali constitutione sancimus, ut episcopi viros idoneos ad sanctae praedicationis officium salubriter exsequendum assumant, potentes in opere et sermone, qui plebes sibi commissas vice ipsorum, quum per se iidem nequiverint, sollicite visitantes, eas verbo aedificent et exemplo, quibus ipsi, quum indiguerint, congrue necessaria subministrent, ne pro necessariorum defectu compellantur desistere ab incepto. Unde praecipimus, tam in cathedralibus quam in aliis conventualibus ecclesiis viros idoneos ordinari, quos episcopi possint coadjutores et cooperatores habere, non solum in praedicationis officio, verum etiam in audiendis confessionibus et poenitentiis iniungendis, ac ceteris, quae ad salutem pertinent animarum. Si quis autem hoc adimplere neglexerit, districtae subiaceat ultioni.

236. HONORIUS III. (1216—1227).

a) Honorius III. Episcopo Baiocensi et Archidiacono Rothomagensi, in c. 18. X. *de officio iudicis ordinarii.* I. 31.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. T. II. col. 193—194. Potthast. n. 7730.

Lex dioecesana et lex iurisdictionis sunt diversae, unde res iudicata in una non obstat agenti in alia.

Dilectus filius abbas monasterii Rothomagensis *Venetensis dioecesis coram* nobis exposuit, quod tertia pars emendarum, quas homines quinque parochiarum, *quae sui conventus sunt usibus deputatae,* pro suis excessibus solvere compelluntur, ad suum spectat monasterium ab antiquo, † *et quod inter ipsos homines orta ecclesiastica quaestione citatio ad eundem, sed examinatio et decisio quaestionis ad venerabilem fratrem nostrum Venetensem episcopum et ipsum abbatem pertinent in communi.* Quumque *felicis memoriae* Innocentius Papa praedecessor noster, *conquerente ipso abbate, quod praefatus episcopus super hoc inquietabat eundem*, vobis *de assensu partium* dederit in mandatis, ut, *vocatis partibus et* auditis hinc inde propositis, causam remitteretis ad eum sufficienter instructam, dictus episcopus processum vestrum diutius impedivit occasione cuiusdam sententiae, quae super quibusdam ecclesiis quoad legem dioecesanam promulgata exstitit pro eodem. Unde praefatus abbas nobis humiliter supplicavit, ut quum citatio, causarum examinatio et decisio, ac emendae ad legem iurisdictionis pertinere noscantur, non sineremus sententiae memoratae praetextu negotii processum ulterius impediri. Quum igitur praedicta de lege iurisdictionis exsistant, *discretioni vestrae* mandamus, quatenus huiusmodi sententia non obstante procedatis in negotio *ipso* iuxta traditam vobis formam.

b) Honorius III. Episcopo Assisinatino, in c. 16. X. *de officio iudicis ordinarii.* I. 31.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 192—193. Potthast. n. 7728.

Episcopus in ecclesiis dioecesis suae debet esse contentus iuribus episcopalibus, et quae sint iura episcopalia declarat.

Conquerente oeconomo monasterii sancti Benedicti montis Subasii nobis innotuit, quod tu iuribus episcopalibus non contentus, quae in ecclesiis seu capellis eiusdem monasterii debes habere, a quibusdam earum procurationem exigis, quas ad dandam procurationem minime sufficere proponebat, petens, *ut iure tuo contentus exsistens a molestatione dictarum ecclesiarum super ceteris desisteres*, *postulans etiam ad omnem litis materiam in posterum amputandam,* ut specificares, quae tibi ratione iuris episcopalis competerent in eisdem, quorum quibusdam *iuribus episcopalibus* specificatis *hinc inde* lis fuit *super praemissis* legitime contestata. Nos

autem, inspectis probationibus *utrinque receptis,* et quae ab utraque parte fuere proposita *plenius* intellectis, decrevimus, ut in ecclesiis seu capellis tuae dioecesis, ad monasterium ipsum spectantibus, habeas canonicam obedientiam, subiectionem et reverentiam, institutionem et destitutionem, correctionem et reformationem, ac censuram ecclesiasticam, jurisdictionem quoque causarum omnium ad forum ecclesiasticum de jure spectantium, poenitentias et sacramentorum omnium, quae ab episcopo sunt recipienda, collationem, synodum et synodatici seu cathedratici nomine duos solidos *Lucensis monetae,* quarta decimationum et mortuariorum, visitationem quoque annuam, ita, quod quum ad eas visitandas accesseris, non amplius procurationis nomine requiras ab eis, nisi quantum, pensatis facultatibus earundem, moderate poterunt exhibere, ne plus ceteris capellis eiusdem dioecesis in procurationibus *ullatenus* onerentur, *de ecclesiam S. Pauli de Assisia a procurationis onere penitus relevamus.* Tu autem his iuribus in praefatis ecclesiis contentus exsistens, non amplius ab eis exigas praeter moderatum auxilium, quod iuxta formam Lateranensis concilii, si manifesta et rationabilis causa exstiterit, cum caritate postulandum, sicut ab aliis ecclesiis eiusdem dioecesis pro necessitate temporis sustinemus.

237. GREGORIUS IX. (1227—1241).

Gregorius IX. in c. 16. X. *de poenitentia et remissionibus.* V. 38.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 889.

Episcopus et alii, de quibus in litera, possunt sine licentia superiorum sibi eligere providum confessorem.

Ne pro dilatione poenitentiae periculum immineat animarum, permittimus episcopis et aliis superioribus, nec non minoribus praelatis exemptis, ut etiam praeter sui superioris licentiam providum et discretum sibi possint eligere confessorem.

238. INNOCENTIUS IV. (1243—1254).

Innocentius IV. in Concilio Lugdunensi, c. 4. in VI°. *de sententia excommunicationis, suspensionis et interdicti.* V. 11.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1094. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 1105 seq.

Episcopi nullam interdicti vel suspensionis incurrunt sententiam, nisi in sententia sint expressi. H. d. Joann. Andr.

Quia periculosum est episcopis et eorum superioribus propter exsecutionem pontificalis officii, quod frequenter incumbit, ut in aliquo casu interdicti vel suspensionis incurrant sententiam ipso facto, nos deliberatione provida duximus statuendum, ut episcopi et alii superiores praelati nullius

constitutionis occasione, sententiae sive mandati, praedictam incurrant sententiam ullatenus ipso iure, nisi in ipsis de episcopis expressa mentio habeatur.

239. BONIFATIUS VIII. (1294—1303).

a) Bonifatius VIII. in c. 12. in VI°. *de privilegiis*. V. 7.

* *Corpus iur. can.* ed Friedberg. Tom. II. col. 1089.

Episcopi cum altari viatico celebrare possunt et sibi facere celebrari, ita tamen, quod non violent interdictum. H. d. Joann. Andr.

Quoniam episcopi eorumque superiores se habent diversis ex causis a suis ecclesiis et dioecesibus absentare frequenter, nec semper possunt commode ad ecclesias accedere pro missa celebranda vel audienda in ipsis, sine qua eos transire non decet absque causa rationabili ullam diem: praesenti constitutione indulgemus eisdem, ut altare possint habere viaticum, et in eo celebrare ac facere celebrari, ubicunque absque interdicti transgressione illis permittitur celebrare vel audire divina.

b) Bonifacius VIII. in Concilio Lugdunensi a. 1245. hab. c. 2. in VI°. *de constitutionibus*. I. 2.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 937—938. Hefele, *Conciliengeschichte*. Tom. V. p. 1114.

Duo sunt dicta: primum, quod statuta ordinariorum non ligant probabiliter ignorantes; secundum, quod statutum episcopi extra suam dioecesim subditum non ligat. Joann. Andr.

Ut animarum periculis obvietur, sententiis per statuta quorumcumque ordinariorum prolatis ligari nolumus ignorantes: dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina. Statuto episcopi, quo in omnes, qui furtum commiserint, excommunicationis sententia promulgatur, subditi eius, furtum extra ipsius dioecesim committentes, minime ligari noscuntur, quum extra territorium ius dicenti non pareatur impune.

240. PIUS IV. (1559—1565).

* *Magnum Bullarium*. Tom. II. p. 112 seq. c. 5. in VII°. *de foro compet.* (*Corpus iur. can.* ed. Lancellotus Col. Mun. 1717. App. p. 66). Hinschius, *Kirchenrecht*. Tom. II. p. 40.

Graeci subjiciuntur iurisdictioni Ordin. circa ea quae Dei cultum, Sacram. administrat., animarumq. salutem, et haeresum extirpationem concernunt.

Romanus Pontifex praecipuus aequitatis, et religionis assertor, facultates, et gratias ab Apostolica Sede concessas, et quibus tempore procedente animarum pericula, et inter Catholicos scandala provenire animadvertit, pro sui pastoralis officii debito mature revocare consuevit.

§ 1. Sane nonnulli locorum Ordinarii nuper ad audientiam nostram referri curarunt, quod in quampluribus Regni Siciliae citra, et ultra Pharum, et aliis Christiani nominis civitatibus, et locis magna Graecorum, tam religiosorum, et saecularium clericorum, quam laicorum multitudo reperitur, qui Ecclesiae Graecae mores, et ritus observantes, seque suos proprios eiusdem nationis Praelatos habere, ac illis, non autem locorum Ordinariis subesse, sed immunitatum, aliorumque privil. sibi per fel. rec. Leon. X. Paul. III. Jul. etiam III. et forsan alios Rom. Pont. praedecessores nostros, et dictam Sedem antiquitus concessorum praetextu, se ab eorumdem Ordin. jurisd., et superioritate exemptos esse praetendentes, impunitate sibi proposita in diversas haereticas, nefariasque opiniones, et absurda deliramenta passim prolabuntur, asserentes inter alias eorum blasphemias nullum esse defunctorum purgatorium, Rom. Pont. aliquam in eos jurisdictionem, vel auctoritatem habere negantes, indulgentias ab illo concessas damnantes, ecclesiast. sententias, et censuras ab eo latas spernentes, S. Dei genitricis V. Mariae, beatorum Apostol. et aliorum Dei Sanctorum festivitates ab Eccles. Rom. sanctisque Patribus ordinatas non observantes, sanctiss. Eucharistiae Sacram. suis infantibus in Bapt. exhibentes, inhumata defunctorum cadavera superstitione quadam impia, et plusquam barbarica e sepulchris eruentes igneque comburentes, Ordin. locorum, quos habitant, visitationem, jurisdictionemque contemnentes, et Ecclesiast. disciplinam perturbantes; ac demum hujusmodi, aliisque suis opinionibus erroneis atque sacrilegis populos Latinos inficientes, correctionem legitimam suae praetensae exemptionis clypeo repellentes, in suis impietatibus. abusibusque consenescunt, et immoriuntur, in suarum vicinorumque populorum, praesertim simplicium animarum perniciem, et scandalum plurimorum.

§ 2. Nos igitur provide considerantes ejusdem Sedis intentionem numquam fuisse exemptionem, aliudve privilegium a se confessam iri, ut inde scelerum impunitas, et animarum periculum emergat, abusibus, et periculis hujusmodi, quantum cum Deo possumus, tempestive obviare volentes, ac quarumcumque exemptionum, aliorumque privil. dictis Graecis, eorumque Praelatis, Rect. Abbatibus, et aliis, tam Sancti Basilii, et alterius Ordinis regularibus, quam saecularibus, ac etiam laicis personis quocumque nomine nuncupatis, praefatos, et alios quoscumque Rom. Pontifices praedecessores nostros, ac nos et Sedem praefatam in genere vel in specie hactenus concessorum, ac etiam iteratis vicibus approbatorum, et innovatorum, litterarumque desuper confectarum, et inde secutorum tenores praesentibus pro sufficienter expressis habentes, Motu proprio, et ex certa scientia nostra, ac de Apost. potestatis plenitudine, omnes et singulas exemptiones, ac prout illas concernunt, desuper confectas litteras praefatas, ad hoc videlicet, ut ipsi locorum Ordinarii quascumque Graecorum Eccl. Monast. Prioratus, et alia pia loca, tam saecularia, quam cujusvis Ordinis regularia, eorumque Prae-

latos, etiam si Episc. Archiep. ac majori dignitate praefulgeant, necnon Abb. Rect. Ministros, et quasvis alias ejusdem nationis personas, in suis civitatibus et dioec. consist. quoties opus fuerit, visitare, ac in illis suam ordinariam jurisd. plenamque et omnimodam superioritatem, in iis quae Dei cultum, Sacramentorum administrationem, et animarum salutem, haeresumque extirpationem concernunt, exercere, et exequi libere, et licite valeant, reliquis ipsorum Graecorum in divinis celebrandis, aliisque ritibus a Sede Apostolica approbatis, necnon privilegiis, et gratiis Apostolicis intactis remanentibus, auctoritate Apostolica tenore praesentium perpetuo revocamus, cassamus, et annullamus, ac revocatas, cassatas et annullatas esse, nec ipsis Graecis, clericis, vel laicis, eorumve Praelatis, Ecclesiis, Coenobiis, aut aliis piis locis in aliquo suffragari, sed illos omnes et singulos locorum, in quibus moram traxerint Ordinariorum visitationi, correctioni, punitioni, jurisdictioni, et omnimodae superioritati in praemissis subesse, illisque tamquam superioribus suis, suarumque animarum pastoribus humiliter obedire.

§ 3. Et sic quoscumque judices, et commissarios quavis auctoritate fungentes, etiam S. R. E. Cardinales, sublata eis quavis aliter judicandi facultate, judicari, et definiri debere, ac quicquid secus a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irritum et inane decernimus.

§ 4. Non obstantibus praemissis, ac constitutionibus, et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 5. Per hoc tamen non intendimus, quod ipsi Graeci ab eorum graecanico ritu distrahantur, vel alias desuper quoquo modo per locorum Ordinarios, aut alios impediantur.

§ 6. Et quia difficile foret praesentes ad diversa loca, circumferri, volumus, et eadem auctoritate similiter decernimus, quod earumdem praesentium transumptis etiam impressis, Notarii publici manu subscriptis, et personae in dignitate Ecclesiastica constitutae sigillo signatis, plenaria et indubia, eaque prorsus adhibeatur fides, in judicio et extra, quae praesentibus adhiberi deberet, si forent exhibitae vel ostensae.

Dat. Romae apud S. Petrum, sub annulo Piscatoris, die 16. Februarii 1564. Pontificatus nostri Anno quinto. [l. c. pag. 112—113.]

241. DECRETUM POENITENTIARIAE APOSTOLICAE (5. mai 1896).

* *Deutsche Zeitschrift für Kirchenrecht.* 1897. p. 139 seq. *Archiv für kathol. Kirchenrecht.* 1897. p. 179 seq. *Le Canoniste contemporain.* T. XX. p. 56. Stutz, *Kirchenrecht.* § 74.

[De facultatibus ad quinquennium duraturis.]

Raphael divina miseratione Episcopus Ostiensis et Veliternus S. R. E. Cardinalis Monaco La Valetta, Sacri Collegii Decanus, Sacrosanctae Patriar-

chalis Archibasilicae Lateranensis Archipresbyter, S. S. D. Nostri Papae et S. Sedis Apostolicae Major Poenitentiarius.

Vobis Venerabili in Christo Patri N. N. infrascriptas communicamus facultates ad quinquennium duraturas, quibus, non obstante Constitutione Apostolicae Sedis, pro foro conscientiae, per vos sive per vestrum vicarium in spiritualibus generalem, dummodo in sacro presbyteratus ordine sit constitutus, etiam extra sacramentalem confessionem pro grege vobis commisso et intra fines vestrae dioecesis tantum atque de speciali in unoquoque casu exprimenda Sedis Apostolicse auctoritate vobis delegata, uti valeatis; quasque canonico poenitentiario, necnon vicariis foraneis pro foro pariter conscientiae ac in actu sacramentalis confessionis dumtaxat, etiam habitualiter, si vobis placuerit, aliis vero confessariis, cum ad vos sive ad praedictum vicarium generalem in casibus particularibus poenitentium recursum habuerint, pro exposito casu impertiri possitis, nisi ob peculiares causas aliquibus confessariis a vobis specialiter subdelegandis, per tempus arbitrio vestro statuendum, illas communicare judicabitis.

I. Absolvendi ab excommunicatione Romano Pontifici simpliciter reservata ob manusviolentas injectas sive in clericos sive in regulares, dummodo non fuerit secuta mors vel mutilatio, seu lethale vulnus aut ossium fractio; et dummodo casus ad forum Ordinarii deducti non fuerint; injunctis de jure injungendis et praesertim ut parti laesae competenter satisfiat.

II. Absolvendi a censuris contra duellantes statutis in casibus dumtaxat ad forum Ordinarii non deductis: injuncta gravi poenitentia salutari et aliis injunctis quae fuerint de jure injungenda..

III. Absolvendi quoscumque poenitentes (exceptis haereticis publice dogmatizantibus) e quibusvis sententiis, censuris et poenis ecclesiasticis incursis ob haereses tam nemine audiente vel advertente, quam coram aliis externatas; ob infidelitatem et catholicae fidei abjurationem private admissas, sortilegia ac maleficia haereticalia etiam cum sociis patrata, necnon ob daemonis invocationem cum pacto donandi animam, eique praestitam idololatriam ac superstitiones haereticales exercitas, ac demum ob quaecumque insinuata falsa dogmata incursis, postquam tamen poenitens complices, si quos habeat, prout de jure denunciaverit: et quatenus ob justas causas nequeat ante absolutionem denunciare, facta a poenitente seria promissione denunciationem peragendi cum primum et meliori modo quo fieri poterit, et postquam in singulis casibus coram absolvente haereses secrete abjuraverit et pactum cum maledicto daemone initum expresse revocaverit; tradita eidem absolventi syngrapha forsan exarata aliisque mediis superstitiosis ad omnia comburenda seu destruenda; injuncta pro modo excessuum gravi poenitentia salutari cum frequentia Sacramentorum et obligatione se retractandi apud personas coram quibus haereses manifestavit, et reparandi illata scandala.

IV. Absolvendi a censuris ob incursis violationem clausurae regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit commissa cum intentione ad malum finem, etiam effectu non secuto, nec casus fuerint ad forum Ordinarii deducti; cum congrua poenitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris et poenis ecclesiasticis ob violationem ad malum finem clausurae virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant; injuncta gravi poenitentia salutari cum prohibitione accedendi ad ecclesiam aut conventum seu coenobium dictorum religiosorum durante occasione peccandi.

V. Absolvendi a censuris ob retentionem et lectionem librorum prohibitorum incursis, injuncta congrua poenitentia salutari, nec non firma obligatione tradendi, prout de jure, sive per se sive per alium absque ulla mora et quantum fieri poterit ante absolutionem, libros prohibitos quos poenitens in sua potestate retineat.

VI. Absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a regularibus utriusque sexus, injuncta poenitentia salutari; et quando agitur de muneribus quae valorem decem scutatorum non excedunt, imposita aliqua eleemosyna absolventis judicio taxanda et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium religionis aut conventus cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet quod illa fuerint de bonis propriis religionis: quatenus vero accepta munera vel fuerint ultra valorem scutatorum decem, vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione, quam si de praesenti poenitens adimplere nequeat, emissa seria promissione restituendi infra terminum absolventis arbitrio praefiniendum; alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui sectis vetitis massonicis, aut carbonariis, aut aliis ejusdem generis sectis nomen dederunt, aut qualemcumque favorem praestiterunt; ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent eamque abjurent, libros, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manus absolventis tradant ad ordinarium quam primum caute transmittenda, aut saltem, si justae gravesque causae id postulent, comburenda: injuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentalis confessionis aliisque injunctis de jure injungendis: nec non absolvendi eos qui ejusmodi sectarum duces et coriphaeos occultos denunciare culpabiliter neglexerint: injuncta pariter salutari poenitentia et firma obligatione sub reincidentia eosdem vobis vel aliis, ad quos spectat, prout de jure denunciandi.

VIII. Absolvendi religiosos cujuscumque ordinis (etiam moniales, per confessarios tamen pro ipsis a vobis approbatos vel specialiter deputandos) non solum a praemissis, sed etiam a casibus et censuris in sua religione reservatis, dummodo religiosi apud confessarium subdelegatum legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem.

IX. Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis privatim emissi qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, hujusmodi poenitentem monendo ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum quam si marito vel uxori respective supervixerit.

X. Dispensandi cum incestuoso vel incestuosa ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae uxoris seu respective mariti; remota occasione peccandi et injuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali singulis mensibus per tempus arbitrio dispensantis statuendum.

XI. Dispensandi super occulto impedimento primi necnon primi et secundi ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto, et, quatenus agatur de copula cum suae putatae uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae uxoris nativitatem et non aliter, monito poenitente de necesseria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore aut suo putato marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensus; sed ita caute ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur: et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis auctoribus traditas; remota occasione peccandi ac injuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel in mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

Item de speciali et expressa apostolica auctoritate vobis facultatem concedimus dispensandi super dicto occulto impedimento, seu impedimentis affinitatis ex copula illicita, etiam in matrimoniis contrahendis, dispensandique facultatem subdelegandi, etiam habitualiter, parochis vestrae dioecesis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio absque periculo gravis scandali differi queat: remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione quod copula habita cum matre mulieris hujus nativitatem non antecedat: injuncta in quolibet casu poenitentia salutari.

XII. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione et agatur de matrimonio jam contracto; monitis putatis conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione.

[Item ex eadem speciali et expressa Apostolica auctoritate pariter facultatem concedimus dispensandi super eodem impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis, in casibus tamen urgentioribus in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem; injuncta in utroque casu gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel singulis mensibus per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

N.B. Mens nostra est 1° ut si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus vos uti contingat, absolutiones, seu dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae; 2° ut injunctio confessionis sacramentalis, de qua sub nn. X, XI et XII, non sit irritativa sed tantum praeceptiva; 3° ut his facultatibus non solum singillatim sed etiam cumulatim in uno eodemque casu uti possitis.]

Datum Romae ex Aedibus Nostris die 5 maii 1896.

P. Pompili, S. P. Corrector. — R. Celli, S. P. Substit.

XI. CAPITULI.

Thomassinus, *Vetus et nova ecclesiastica disciplina.* P. 1. L. III. c. 7 seq. Barbosa, *De canonicis et dignitatibus aliisque beneficiariis eorumque officiis in choro et capitulis.* Venetiis 1641. Bouix, *Tractatus de capitulis.* Par. 1852. Schneider, *Die Entwicklung der bischöflichen Domkapiteln bis zum XVI. Jahrhundert.* Würzburg 1882. Idem, *Die bischöflichen Domkapitel.* Mainz 1885. Peluso, *I capitoli cattedrali.* Napoli 1899. Hatch, *Die Grundlegung der Kirchenverfassung Westeuropas im früheren Mittelalter. Aus dem englischen übersetzt von* Harnack. Tom. II. §§. 80—84. Scherer, *Kirchenrecht.* § 90. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. § 80. Friedberg, *Lehrbuch.* § 66. Sägmüller, *Lehrbuch.* § 95. Stutz, *Kirchenrecht.* § 75.

---

242. REGULA CANONICORUM CHRODEGANGI METENSIS EPISCOPI.[1]

* Holstenius, *Codex Regularum monasticarum et Canonicarum. Augustae Vindelicorum* 1759. seq. Tom II. p. 93 seq. Mansi, *S. Concil. ampl. Coll.* Tom. XIV. p. 313. Walter, *Fontes iuris eccl.* p. 29 seq. Migne, *Patr. Lat.* Tom. 89. col. 1594. Schmitz, *S. Chrodegangi. Regula Canonicorum aus dem Leidener Codex Vossianus Lat. 94.* Hannover 1889. Schneider, *Die bischöfl. Domkapitel.* p. 24—32. Werminghoff, (*Neues Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde.* XXVII. p. 605.) Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. p. 52.

Cap. I. *De humilitate.* Clamat nobis scriptura divina: Omnis, *qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.* Et quantum enim *humilior fueris, tantum te sequitur gloriae altitudo.* Et quia, *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Omnis, qui arrogans, immundus est coram domino: quemcumque enim superbum videns, filium diaboli esse non dubites: et quem humilem perspexeris, Dei filium esse omnino cre-

---

[1]) *Omittuntur:* Cap. V. De officiis divinis in noctibus C. VI. Ut omnes per horas canonicas ad officium divinum veniant. C. VII. De disciplina psallendi. C. X. De proficiscentibus in itinere. C. XI. De zelo bono quem debent servi Dei habere. C. XII. Ut non praesumat alter alterum caedere aut excommunicare. C. XIII. Ut in Congregatione clericorum non liceat alteri alterum defendere. C. XIV. De confessionibus. C. XVI. De his, qui sine iussione iunguntur excommunicatis. C. XVII. De excommunicatione. C. XVIII. De his, qui in quibusdam levioribus delinquunt. C. XIX. Qualis debeat esse modus excommunicationis. C. XX. De

dere debes. De multis enim pauca perstrinximus, ut animos vestros ad amorem humilitatis, provocemus et a detestabili inimicaque Deo superbia retrahamus. Nam dum omne genus humanum Christianorum, atque omne vulgus humilitatem habere conveniat, nimis iniquum pessimumque ac detestabile est, ut qui servitio Dei peculiarius se junxerunt, humilitatem derelinquant, et superbiae, vel diabolicae tyrannidi se socient. Idcirco necesse est, ut qui suadente diabolo usque nunc superbus atque elatus vultu vixit in antea, Deo auxiliante, per humilitatem atque charitatem vel obedientiam, seu per reliqua bona Dei praecepta resurgat, quia multo melius est per humilitatem cum Christo in coelestibus regnare, quam cum diabolo per superbiam in inferno cum reliquis contemptoribus demergi.

Cap. II. *De Ordine Congregationis Canonicorum.* Ordines suos Canonici ita conservent, ut ordinati sunt in gradibus suis secundum legitimam institutionem Romanae Ecclesiae in omnibus omnino locis, id est Ecclesia, vel ubicumque in simul se conjunxerint, et ratio praestat; exceptis his, quos Episcopus in altiore gradu constituerit, vel degradaverit certis ex causis; reliqui omnes, ut diximus, ita, ut ordinati sunt, ordines suos custodiant. Juniores igitur Priores suos honorent: Priores juniores suos in Deum diligant.

In ipsius autem appellatione nominis nulli liceat alium puro nomine appellare, sed secundum constitutionem sanctae Ecclesiae sedis Apostolicae vocet eum suum, prius addito et ministerii sui gradu, qualiscumque fuerit, Ubicumque autem se obviaverit Clerus junior, inclinatus a Priore benedictionem petat; et si sedentem invenerit, transeunte majore surgat, et det ei locum sedendi, nec praesumat junior consedere, nisi ei praecipiat Senior suus, ut fiat, quod scriptum est: *honore invicem praevenientes.* Pueri parvi, vel adolescentes in oratorio vel ad mensas cum disciplina ordines suos custodiant, foras autem, ubi et ubi custodiam habeant, disciplinam.

Cap. III. *Ut in illa claustra omnes in uno dormiant.* Ita instituimus, ut in illa claustra ille Clerus canonicus, qui sub ipso ordine, Deo adjuvante, vivere debent, ut omnes in uno dormiant dormitorio, praeter illos, quibus Episcopus licentiam dederit, secundum quod ei rationabiliter visum fuerit, ut in ipsa claustra per dispositas mansiones dormiant separatim, et per singula lecta singuli dormiant, et in dormitorio similiter separatim dormiant mixti cum Senioribus, propter providentiam bonam, ut Seniores praevide-

quadragesimae observationibus. C. XXI. De mensis ordinandis. C. XXII. De mensura cibi. C. XXIII. De mensura potus. C. XXIV. De septimanariis coquinae. C. XXVI. De cellerario. C. XXVII. De portario. C. XXVIII. De infirmis Clericis Canonicis. C. XXIX. De vestimentis clericorum, vel calceamentis vel ligno. C. XXX. De festivitatibus Sanctorum. C. XXXIII. Diebus dominicis vel festivitatibus Sanctorum qualiter ad capitulum, seu ad missam occurrant. C. XXXIV. De matriculariis ut ad lectionem divinam audiendam veniant in statuta Ecclesiae domo.

ant, quod juniores secundum Deum agant. Et in ipsa claustra nulla faemina introeat, nec laicus homo, praeter tantum, si Episcopus, aut Archidiaconus, vel Primicerius jusserint: Ut in refectorio pro refectionis causa veniant, relinquant arma sua ante refectorium, et statim cum exjerint de refectorio ducantur foras claustra; et si necesse fuerit ad opera facienda, intrent ibi laici homines: at ubi perfectum habuerint opus suum, cum summa festinatione egrediantur foras: et praeter causam necessitatis, si coqui Clerici desunt, et opus fuerit, laici coqui ad coquinandum tantum ingrediantur, expleto ministerio suo cum celeritate exeant foras.

Et per illas mansiones ipsi Clerici canonici nullum Clericum eorum habeant sine praecepto Episcopi sui: et si permiserit, ut habeant, sic sit conversatio illorum cum humilitate et Dei timore, qualiter nec Deo, nec Episcopo displiceant nec illis, qui sub sua manu ipsam Congregationem regunt. Et si aliter fecerint, ille, qui praeest, aut excommunicet eos, aut corporalem disciplinam accipiant. Et in ipsas mansiones intra ipsa claustra, nec Clericus, nec laicus bibere, nec manducare, nec dormire non praesumant, nisi ipsi Clerici, qui in ipsa Congregatione sunt, aut illi Clerici, qui ibidem in ipso Claustro per jussionem Episcopi sui Senioribus suis deserviunt. Et qui de ipso Clero unum Clericum in ipsa claustra, ut diximus, habuerit, hoc praevideat, ut planetam cum reliquis vestimentis habeat, et diebus Dominicis, vel reliquis festivitatibus in Ecclesia Dei vestiti in ordinibus suis stent.

Gap. IV. *De completorio, vel taciturnitate.* Ut ad completorium omnis Clerus, qui in ipsa Congregatione est, veniat, et omnino omni tempore incipiente nocte primum signum ad completorium sonet: et cum primitus illud signum, qui ad hoc ordinatus fuerit, auditum fecerit, statim, ubicunque fuerint, ad eorum claustra veniant: et cum iterum ipsum signum audierint, sic omnes in Ecclesia sancti Stephani sint, et tunc in Dei nomine completorium cantent. Et postquam completorium cantatum habuerint; postea non bibant, nec manducent usque in crastinum legitima hora; et omnes silentium teneant, et nemo cum altero loquatur usque mane post primam cantatam, nisi, si necesse fuerit, et hoc cum suppressione vocis cum grandi cautela, ut de illa alia mansione, quae juxta est, sua vox non audiatur; et qui de illis ad completorium non fuerit, postea illam noctem non praesumat illa ostia tundere, nec per ullum locum in ipsa claustra ingredi, antequam ad nocturnas veniant. Nec Archidiaconus, nec Primicerius, nec ille Ostiarius ullum commeatum exinde donare possint, ut post completorium aliquis ibi ingrediatur, nisi ad nocturnas; nisi tantum, si talis causa evenerit, quod necesse sit, ut hoc ille Archidiaconus, vel Primicerius, vel qui tunc temporis exinde praeviderit ad illum Episcopum possit dicere, pro qua causa hoc factum fuisset, et si ita est, quod necesse sit, tunc licentiam habeant introeundi et exeundi.

Et si contigerit, ut opus sit post completorium aliqua causa in claustra nunciare, tunc ad illum custodem de sancto Stephano veniat, et illi patefaciat, et ipse hoc in claustra nuntiet. Et si (quod absit) evenerit, ut ullus de ipso Clero, qui ante completorium in civitate venerit, aut antea ibidem fuerit; quod si ausus vel praesumptuosus, aut negligens suadente diabolo fuerit, ut in civitate aliqua nocte alicubi maneat, nisi in sua claustra; si una vice hoc fecerit, si pro vitio factum non est, verbis corripiatur; et si iteraverit ipse Clericus, tunc ipso die sit in pane et aqua: et si tertia vice hoc fecerit, tres dies in pane et aqua sit: et si amplius hoc facere praesumserit, corporali disciplinae subjiciatur, sic, ut caeteri timeant: et si aliquid suadente diabolo, per hoc retardaverint, ut ante completorium in civitatem non veniat, ut licentiam haberet foras claustra esse, et hoc Episcopus, aut Archidiaconus, vel Primicerius investigare potuerint, ille Clericus, qui hoc vitium fecerit, aut excommunicetur, aut corporali disciplinae subjaceat.

Cap. VIII. *Ut ad capitulum quotidie veniant.* Necesse est, ut quotidie omnis Clerus canonicus ad capitulum veniant, et ibidem Dei verba audiant, et istam institutiunculam nostram, quam propter illorum utilitatem ad eorum animas salvandas, Deo auxiliante, fecimus, unoquoque die aliquod capitulum exinde relegant; praeter tantum die Dominico, et feria quarta, et sexta: Tractatus et alias homilias, vel quod aedificet, audientes ad capitulum legant. Ideo autem quotidie ad capitulum omnes venire constituimus, ut et anima verbum Dei audiat, et quod Episcopus, vel Archidiaconus, vel quilibet tunc praesse videtur, ibidem, quod jubere habet, jubeat; et quod corrigere, corrigat: vel quod faciendum sit, ordinare studeat. Ipsi autem Clerici cum de *prima* cantata ad mansiones vadunt, statim sibi parare festinent, ut quando signum audierint, ad capitulum parati cum celeritate veniant; et omnis Clerus, qui foris claustra esse videtur, et in ipsa civitate consistunt, omnibus diebus Dominicis ad capitulum veniant parati cum planetis, vel vestimentis officialibus, sicut habet ordo Romanus. Et in ipsis diebus Dominicis, vel festivitatibus Sanctorum praeclaris omnis ipse Clerus, ut diximus, qui foras claustra est, ad *Nocturnas,* et ad *Matutinas* veniant; et ipsis diebus, stationibus suis parati custodiant, ut unusquisque in officio suo stet, donec missa peragitur; et si aliter fecerint, ab Archidiacono, vel Primicerio excommunicentur, aut etiam, si necesse fuerit, corporali disciplinae subjaceant. Et in ipsis diebus Dominicis, ut diximus, et festivitatibus Sanctorum praeclaris, omnes in refectorio cum alio Clero reficiantur ad mensas, quae eis ordinatae fuerint.

Cap. IX. *De opera manuum quotidiana.* Otiositas inimica est animae; propter eam decernimus, ut ad jussionem Episcopi, vel Archidiaconi, seu Primicerii, vel qui ab ipsis ordinantur, Clerus de capitulo ad opera, ubi eis injungitur, exeant, et cum bono animo absque murmuratione obe-

dientiam suam expleant; et quando communem operam non est necesse facere, postea unusquisque, quod opus habet, faciat.

Cap. XV. *De gravioribus culpis.* Si quis Clericus de ordine canonico graviores culpas commiserit, id est homicidium, fornicationem, adulterium, furtum, vel his simile unum ex principalibus vitiis commiserit, corporali castigationi primitus subjaceat: deinde quando tempore vult Episcopus, vel qui sub eo sunt, carcerem vel exilium patiatur, sciens illam terribilem sententiam Apostoli dicentis: *Tradere hujusmodi hominem in interitum carnis; ut Spiritus salvus sit in die Domini.* Et dum in ipso carcere est, nullus ex Clero in nullo ei jungatur consortio, neque in colloquio, nisi cui Prior jusserit: Solus persistens in poenitentiae luctu, quamdiu Priori visum est.

Egressus de carcere, si Episcopo, vel qui sub eo sunt, visum fuerit, agat adhuc publicam poenitentiam id est, suspendatur ab oratorio simul et a Missa, et omnibus canonicis horis veniat ante hostium Ecclesiae, ubi Prior jusserit jacens prostratus omni corpore ante ipsum limen Ecclesiae, usque dum ingrediuntur omnes, et postea erigat se, stet foras Ecclesiam ante ipsum ostium, impleat ibi officium suum, in quantum potest. Egredientibus de Ecclesia similiter prostratus jaceat, usque dum omnes egrediuntur foras: et jacens, vel stans ante ipsum limen cum nullo homine loquatur.

De abstinentia vero, quamdiu, vel qualiter Episcopo visum fuerit, vel qui sub eo sunt, mensura, vel hora, qua ei viderit competere: neque a quoquam benedicatur, usque dum reconcilietur. Qui dum vocatus venerit ad reconciliandum ante Episcopum vel Clerum cum omni humilitate prostratus omni corpore in terra petat ab omnibus veniam; et Episcopus secundum ordinem canonicum eum reconciliet.

Cap. XXV. *De Archidiacono vel Primicerio.* Oportet eos esse prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbas: id est, ut sint sapientes in bonum, et simplices in malum; et docti Evangelia et sanctorum Patrum instituta canonum, ut possint docere Clerum in lege divina et hujus parvae institutionis. Et sic se conforment Clero, ut non tantum verbis capacibus; sed etiam exemplo simplicioribus divina praecepta demonstrent: qui Apostoli debent semper servare formam in qua dicit: *Argue, obsecra, increpa,* id est miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta; id est indisciplinatos et inquietos debent durius arguere: obedientes autem et mites et patientes, ut in melius proficiant, obsecrare: negligentes et contemnentes et superbos, ut increpent, et corripiant, neque dissimulent peccata delinquentium, sed mox, ut coeperint oriri, radicitus, ut praevalent, amputent, memores periculi Heli Sacerdotis de Silo; et honestiores quidem atque intelligibiles prima et secunda admonitione verbis corripiant; improbos autem ac duros corde ac superbos, vel inobedientes verbere et corporis castigatione in ipso initio peccati coerceant, scientes scriptum. *Stultus verbis*

non corrigitur; Et iterum: *Percute Filium tuum Virga, et liberabis animam ejus a morte.*

Et quidquid per se juste et rationabiliter secundum canonicam institutionem, vel hujus parvae institutionis non potuerint definire, omnino Episcopo patefaciant; et ipse secundum Dei voluntatem, quod castigandum est, castiget. Qui Archidiaconus vel Primicerius in omnibus omnino actibus vel operibus suis sint Deo et Episcopo fideles et obedientes et non sint superbi, neque rebelles, vel contemptores; sed casti et sobrii patientes, benigni, atque misericordes, et semper superexaltet misericordia judicium, ut ipsi idem consequantur. Diligant Clerum, oderint vitia, in ipsa autem correptione prudenter agant, et ne quid nimis, ne dum cupiunt eradere aeruginem, frangatur vas; Meminerint calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittant nutrire vitia, sed prudenter et cum charitate ea amputare festinent.

Caveant, ne, dum aliis praedicaverint, ipsi reprobi efficiantur; intendentes illud Dominicum praeceptum; et qui in oculo Fratris tui festucam videbas, in tuo trabem non vidisti: Ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo Fratris tui.

Qui Archidiaconus, vel Primicerius si reperti fuerint, quod absit, superbi aut elati, aut contradictores, vel contemptores canonicae et hujus parvae institutionis, ii secundum Dominicum praeceptum admoneantur semel et iterum; si non emendaverint, ab Episcopo secundum modum culpae judicentur. Quod si neque sic correxerint, de ordinibus suis ejiciantur, et alii, qui digni sunt, et voluntatem Dei vel Episcopi sui secundum divinum praeceptum impleverint, in locis illorum subrogentur.

Cap. XXXI. *De eo, quod, qui ad huc Canonicum specialem ordinem huius Congregationis se sociare vult, de rebus, quas possidet, ad Ecclesiam B. Pauli Apostoli solemnem donationem per praesentem faciat, reservato tamen tempore vitae suae usufructuario ordine.* Licet legamus antiquam Ecclesiam sub tempore Apostolorum ita unanimem concordemque extitisse, et ita omnia reliquisse, ut singuli praedia sua vendentes ad pedes Apostolorum pretia ponerent; ut nullus eorum sibi aliquid proprium dicere auderet, sed erant illis omnia communia, unde et habere dicebantur cor unum et animam unam: quotidie enim circa domus panem frangentes, quod in commune accipiebant, tam viri quam foeminae, seu parvuli, omnisque vulgus ardore fidei accensi, atque in amore religionis provocati cunctis cum gratiarum actione sufficientiam praebebant: sed quia nostris temporibus persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut ad aliquantulamcumque similitudinem conversationis eorum nostros animos contrahamus, quia nimis inertis, tepidaeque, ac remissae devotionis est, ut, quod, sicut diximus, omne vulgus pro Dei nomine consensit, nos qui peculiarius canonicis ordinibus inservire debemus, quantulamcumque in partem hanc per-

fectionem non consentiamus. Et si omnia relinquere non possumus, sic ad usum tantum nostra teneamus, ut dimissa, volumus nolumus, fuerint; non ad haeredum nostrorum carnalium atque parentum, sed ad Ecclesiam, cui Deo auctore in commune deservimus, de cujus rebus stipendia habemus, loco haereditario relinquamus. Ut, si cum illis perfectis pro perfecta abrenuntiatione saeculique hujus contemptu coronā non tribuitur; vel peccatorum venia, sicut minimis, misericordia divina concedatur. Quia sanctus Prosper vel alii sancti Patres, secundum divinam auctoritatem sanxerunt, ut illi Clerici, qui de rebus Ecclesiae vivere cupiunt, res proprias, quas habent, per instrumenta chartarum, Deo et Ecclesiae, cui deserviunt, condonent: et sic rebus Ecclesiae licentius absque maxima culpa utantur; ut sic de rebus Ecclesiae ipsi Clerici gaudent; ita et Ecclesia de rebus ipsorum Clericorum cum pauperibus suis sic aucta atque meliorata gratuletur. Ita tamen ut ipsi Clerici, dum advivent, si ita placuerit, res suas usufructuario ordine per beneficium Ecclesiae habeant, ut omnia sint communia, et propter obitum eorum ad Ecclesiam vel ad canonicum ordinem; cui ante datae fuerant, revertantur. Similiter iudicantes ut illi Clerici, qui de facultatibus suis sufficientiam habent, de ipsis rebus propriis vivere debeant, si tamen infirmi fuerint, ut in omnibus ad integrum Ecclesiae Dei, cui deserviunt, dare noluerint, et sic ipsius Ecclesiae in amore, Christi gratuita servitute, sedulaque modulatione impendant; et sciant se pro hac re, quia rebus Ecclesiae, sicuti caeteri Canonici, utuntur, specialem misericordiam a Deo recepturos, cui de propriis rebus inserviunt: quia si ea, quae accepturi erant, pro eorum ordinibus de eleemosyna dispensatori reliquerit, nihil habentibus conferenda sine peccato possident sua: quia et ipsi quodammodo relinquunt sua, quando propriis contenti rebus, nihilque se jure debere arbitrantur recipi. Quod si putant ideo accipi debere eorum, quae conferentur Ecclesiae, portionem, nec eam videantur abjicere, quia non possint sua relinquere, quod eis deforme sit, inter suos, pauperes reddi: noverint esse deformius, possessuros de eleemosynis pauperum pasci. Hoc enim providendum est, ut non gravetur mater Ecclesia, quam constat quotidie subventioni pauperum, viduarumque, atque orphanorum, simulque egentium, Canonum jussione constrictam, debere esse semper intentam.

Igitur quicumque se ad hunc ordinem Canonicum, quem modo utcumque recuperare cupimus, sicut in parvulo decretulo, quod digessimus, intimavimus, se sociare voluerit, et de rebus, quas habet, solemniter donatione praesentem donet ad Ecclesiam B. Pauli ad opus Dei, vel Clericis ibidem deservientibus, faciat et precariam, si ita ei placuerit, exinde ab Episcopo accipiat in ea ratione, ut dum advivet, ipsas res usufructuario ordine habeat, et post obitum ejus cum omni integritate, omnique superposito ad Ecclesiam, cui datae fuerint, vel ipsius Congregationis ipsas res absque ullius consignatione vel exspectata traditione revertantur. Et liceat

ei de omni mobili ex ipsis rebus, quamdiu vivit, et in ipso ordine consistit, eleemosynas tam in pauperes, quam ad ipsam Congregationem, quam etiam ubicumque voluerit facere, et necessitates suas explere. Et, si aliquod de ipso mobili post obitum ejus superfuerit, media pars in eleemosyna, ejus in pauperes vel promissas ejus, aut, ubi voluerit, ambulet, Archidiacono vel Primicerio, vel cui ipse vivens rogaverit, dispensante, et illa media pars in ipsius eleemosyna ad Clerum vel ad ipsam Congregationem revertatur. Et ipsi Clerici de ipsis rebus, quas in precarias habent, neque de terris, neque de vineis, aut silvis, pratis, domibus, aedificiis, mancipiis, accolabus, vel quibuslibet rebus immobilibus minuendi, aut vendendi, aut communicandi potestatem non habeant; excepto ut diximus, de illa fructa, vel quod ibidem laborare potuerint, viventes faciant, quod voluerint. Quod si contigerit, suadente diabolo, ut aliquis ex his Fratribus, qui ipsas res per precarias habuerint, ut aliquo crimine grave, aut leve incidat, poenitentiam, juxta quod Episcopus ei judicaverit, agat; tamen de rebus, quas per precariam possidet, expoliatus pro hac re esse non debeat. Si quis autem eodem modo, quod supra instituimus, ad hanc Congregationem, tam unus ex Abbatibus nostris, quam quilibet extraneis Clericis se sociare desideraverit, eo tenore, ut alii Fratres fecerunt, faciat. Quod si aliter fuerit, qui se eis voluerit sociare, et omnia ad integrum perfectionis gratia derelinquere: Episcopus provideat eis necessaria; qualiter opus bonum, quod Deo inspirante coepit, adimplere valeat.

Cap. XXXII. *De eleemosynis.* De eleemosynis accipiendis ita constituimus, ut si aliquis uni Sacerdoti promissa sua vel pro confessione aut infirmitate, seu pro quolibet charo suo aut vivente aut mortuo aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc Sacerdos a tribuente accipiat, et exinde, quod voluerit, faciat. Si autem ad omnes Sacerdotes sub tali conditione, seu pro quolibet modo aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc omnino tam ad omnes Sacerdotes, quam ad omnes Canonicos veniat, et omnes hanc eleemosynam communem habeant. Similiter et illae eleemosynae, quae in commune ad omnem Clerum veniunt, omnes in commune habeant, et psalmodiam, vel missas pro ipsis eleemosynis ut Episcopus instituerit, faciant. Ideo autem mensuram Sacerdotibus de eleemosynis recipiendis ad opus proprium fecimus, quia nimis grave pondus existimavimus eis esse, si tam ingentia onera peccantium solis illis Sacerdotibus contingeret portare. Quia facilius Dei misericordiam plures impetrant pro peccatoribus, quam unus, quamvis studiosus, et unusquisque de propria conscientia debet metuere; quanto magis de alienis peccatis non debet si supra vires sarcinam peccatorum cumulare.

Has eleemosynas Archidiaconus, aut Primicerius reipieant, et in necessitatibus Fratrum, ut eis opus fuerit; et Episcopus judicaverit, ipsas expendant: et si aliquid exinde superfuerit, in vestiariis Fratrum recondant.

243. INNOCENTIUS II. (1130—1143).[1])

Innocentius II. in Conc. Lat. II. hab. a. 1139 c. 28. = c. 24. D. LXIII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 247. Mansi, *S. Conc. ampl. coll.* Tom. XXI. p. 533. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 442. Schneider, *Die bischöfl. Domkapitel.* p. 154.

Absque religiosorum virorum consilio canonici maioris ecclesiae episcopum non eligant. *(Decr. Grat.)*

Obeuntibus sane episcopis, quoniam ultra tres menses uacare ecclesiam sanctorum Patrum prohibent sanctiones, sub anathemathe interdicimus, ne canonici de sede episcopali ab electione episcoporum escludant religiosos uiros, sed eorum consilio honestam et idoneam personam in episcopum eligant. Quod si exclusis religiosis electio facta fuerit quod absque eorum consensu et conniuentia factum fuerit, irritum habeatur et uacuum.

244. ALEXANDER III. (1159—1181).

Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo, in c. 9. X. *de praebendis et dignitatibus.* III. 5.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 466—467. Potthast, n. 8868.

Receptus in canonicum ex promissione capituli debet, quando facultas se obtulerit, habere praebendam. Vid. cap. 2. de concess. praebend. in VI°. cum gloss.

Relatum est † *auribus nostris, quod, quum dilectus filius noster magister Ia. in ecclesia tua sit per te canonice institutus, et in choro, capitulo et aliis, quorum communis est usus, plenam, sicut canonicus habeat, potestatem, nondum sibi praebendam iuxta promissionem tuam assignare curasti, licet post promissum tuum plures praebendae in ipsa ecclesia vacasse dicantur.* Quoniam igitur dignum est, *et omnimodis consentaneum rationi,* ut, postquam magister I. in ecclesia tua canonicus est institutus, et a te habuit in promissis de conferenda sibi prima praebenda, quum in ecclesia ipsa vacaret, ut debeat praebendae integritate gaudere, *praesertim quum, sicut nobis proponitur, literatus sit et discretus, fraternitati tuae per apostolica scripta praecipiendo* mandamus, quatenus, si idem I. in ecclesia tua est canonice institutus, et in choro et capitulo et in aliis, quorum usus est communis, potestatem sicut canonicus habet, ei praebendam, si qua *de antiquis in ecclesia ipsa* nunc vacat, vel quum ibi primo vacaverit, *omni occasione et contradictione cessante* secundum promissionem tuam concedas liberaliter et assignes *ita, quod de constantia et gravitate possis merito commendari, et nos propter hoc iterato tibi scribere non compellamur,* quia non est congruum, ut praebenda careat qui in canonicum noscitur esse receptus.

---

[1]) Conf. n. 53.

IV. Absolvendi a censuris ob incursis violationem clausurae regularium utriusque sexus, dummodo non fuerit commissa cum intentione ad malum finem, etiam effectu non secuto, nec casus fuerint ad forum Ordinarii deducti; cum congrua poenitentia salutari. Et insuper absolvendi mulieres tantum a censuris et poenis ecclesiasticis ob violationem ad malum finem clausurae virorum religiosorum incursis, dummodo tamen casus occulti remaneant; injuncta gravi poenitentia salutari cum prohibitione accedendi ad ecclesiam aut conventum seu coenobium dictorum religiosorum durante occasione peccandi.

V. Absolvendi a censuris ob retentionem et lectionem librorum prohibitorum incursis, injuncta congrua poenitentia salutari, nec non firma obligatione tradendi, prout de jure, sive per se sive per alium absque ulla mora et quantum fieri poterit ante absolutionem, libros prohibitos quos poenitens in sua potestate retineat.

VI. Absolvendi a casu Sedi Apostolicae reservato ob accepta munera a regularibus utriusque sexus, injuncta poenitentia salutari; et quando agitur de muneribus quae valorem decem scutatorum non excedunt, imposita aliqua eleemosyna absolventis judicio taxanda et caute eroganda, cum primum poterit, in beneficium religionis aut conventus cui facienda esset restitutio; dummodo tamen non constet quod illa fuerint de bonis propriis religionis: quatenus vero accepta munera vel fuerint ultra valorem scutatorum decem, vel constet fuisse de bonis propriis religionis, facta prius restitutione, quam si de praesenti poenitens adimplere nequeat, emissa seria promissione restituendi infra terminum absolventis arbitrio praefiniendum; alias sub reincidentia.

VII. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis eos qui sectis vetitis massonicis, aut carbonariis, aut aliis ejusdem generis sectis nomen dederunt, aut qualemcumque favorem praestiterunt; ita tamen ut a respectiva secta omnino se separent eamque abjurent, libros, manuscripta ac signa sectam respicientia, si quae retineant, in manus absolventis tradant ad ordinarium quam primum caute transmittenda, aut saltem, si justae gravesque causae id postulent, comburenda: injuncta pro modo culparum gravi poenitentia salutari cum frequentia sacramentalis confessionis aliisque injunctis de jure injungendis: nec non absolvendi eos qui ejusmodi sectarum duces et coriphaeos occultos denunciare culpabiliter neglexerint: injuncta pariter salutari poenitentia et firma obligatione sub reincidentia eosdem vobis vel aliis, ad quos spectat, prout de jure denunciandi.

VIII. Absolvendi religiosos cujuscumque ordinis (etiam moniales, per confessarios tamen pro ipsis a vobis approbatos vel specialiter deputandos) non solum a praemissis, sed etiam a casibus et censuris in sua religione reservatis, dummodo religiosi apud confessarium subdelegatum legitimam habuerint licentiam peragendi confessionem sacramentalem.

IX. Dispensandi ad petendum debitum conjugale cum transgressore voti castitatis privatim emissi qui matrimonium cum dicto voto contraxerit, hujusmodi poenitentem monendo ipsum ad idem votum servandum teneri tam extra licitum matrimonii usum quam si marito vel uxori respective supervixerit.

X. Dispensandi cum incestuoso vel incestuosa ad petendum debitum conjugale, cujus jus amisit ex superveniente occulta affinitate per copulam carnalem habitam cum consanguinea sive in primo, sive in primo et secundo, sive in secundo gradu suae uxoris seu respective mariti; remota occasione peccandi et injuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali singulis mensibus per tempus arbitrio dispensantis statuendum.

XI. Dispensandi super occulto impedimento primi necnon primi et secundi ac secundi tantum gradus affinitatis ex illicita carnali copula provenientis, quando agatur de matrimonio cum dicto impedimento jam contracto, et, quatenus agatur de copula cum suae putatae uxoris matre, dummodo illa secuta fuerit post ejusdem putatae uxoris nativitatem et non aliter, monito poenitente de necesseria secreta renovatione consensus cum sua putata uxore aut suo putato marito, certiorato seu certiorata de nullitate prioris consensus; sed ita caute ut ipsius poenitentis delictum nusquam detegatur: et quatenus haec certioratio absque gravi periculo fieri nequeat, renovato consensu juxta regulas a probatis auctoribus traditas; remota occasione peccandi ac injuncta gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel in mense per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

Item de speciali et expressa apostolica auctoritate vobis facultatem concedimus dispensandi super dicto occulto impedimento, seu impedimentis affinitatis ex copula illicita, etiam in matrimoniis contrahendis, dispensandique facultatem subdelegandi, etiam habitualiter, parochis vestrae dioecesis, quando tamen omnia parata sint ad nuptias, nec matrimonium usque dum ab Apostolica Sede obtineri possit dispensatio absque periculo gravis scandali differi queat: remota semper occasione peccandi, et firma manente conditione quod copula habita cum matre mulieris hujus nativitatem non antecedat: injuncta in quolibet casu poenitentia salutari.

XII. Dispensandi super occulto criminis impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione et agatur de matrimonio jam contracto; monitis putatis conjugibus de necessaria consensus secreta renovatione.

[Item ex eadem speciali et expressa Apostolica auctoritate pariter facultatem concedimus dispensandi super eodem impedimento, dummodo sit absque ulla machinatione, etiam in matrimoniis contrahendis, in casibus tamen urgentioribus in quibus tempus non suppetat recurrendi ad S. Sedem; injuncta in utroque casu gravi poenitentia salutari et confessione sacramentali semel singulis mensibus per tempus dispensantis arbitrio statuendum.

N.B. Mens nostra est 1° ut si forte ex oblivione vel inadvertentia ultra praedictum terminum his facultatibus vos uti contingat, absolutiones, seu dispensationes exinde impertitae ratae sint et validae; 2° ut injunctio confessionis sacramentalis, de qua sub nn. X, XI et XII, non sit irritativa sed tantum praeceptiva; 3° ut his facultatibus non solum singillatim sed etiam cumulatim in uno eodemque casu uti possitis.]

Datum Romae ex Aedibus Nostris die 5 maii 1896.

P. Pompili, S. P. Corrector. — R. Celli, S. P. Substit.

XI. CAPITULI.

Thomassinus, *Vetus et nova ecclesiastica disciplina.* P. 1. L. III. c. 7 seq. Barbosa, *De canonicis et dignitatibus aliisque beneficiariis eorumque officiis in choro et capitulis.* Venetiis 1641. Bouix, *Tractatus de capitulis.* Par. 1852. Schneider, *Die Entwicklung der bischöflichen Domkapiteln bis zum XVI. Jahrhundert.* Würzburg 1882. Idem, *Die bischöflichen Domkapitel.* Mainz 1885. Peluso, *I capitoli cattedrali.* Napoli 1899. Hatch, *Die Grundlegung der Kirchenverfassung Westeuropas im früheren Mittelalter. Aus dem englischen übersetzt von* Harnack. Tom. II. §§. 80—84. Scherer, *Kirchenrecht.* § 90. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. § 80. Friedberg, *Lehrbuch.* § 66. Sägmüller, *Lehrbuch.* § 95. Stutz, *Kirchenrecht.* § 75.

---

242. REGULA CANONICORUM CHRODEGANGI METENSIS EPISCOPI.[1]

* Holstenius, *Codex Regularum monasticarum et Canonicarum. Augustae Vindelicorum* 1759. seq. Tom II. p. 93 seq. Mansi, *S. Concil. ampl. Coll.* Tom. XIV. p. 313. Walter, *Fontes iuris eccl.* p. 29 seq. Migne, *Patr. Lat.* Tom. 89. col. 1594. Schmitz, *S. Chrodegangi. Regula Canonicorum aus dem Leidener Codex Vossianus Lat. 94.* Hannover 1889. Schneider, *Die bischöfl. Domkapitel.* p. 24—32. Werminghoff, (*Neues Archiv für ältere deutsche Geschichtskunde.* XXVII. p. 605.) Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. p. 52.

Cap. I. *De humilitate.* Clamat nobis scriptura divina: Omnis, *qui se exaltat, humiliabitur; et qui se humiliat, exaltabitur.* Et quantum enim *humilior fueris, tantum te sequitur gloriae altitudo.* Et quia, *superbis Deus resistit, humilibus autem dat gratiam.* Omnis, qui arrogans, immundus est coram domino: quemcumque enim superbum videns, filium diaboli esse non dubites: et quem humilem perspexeris, Dei filium esse omnino cre-

---

[1]) *Omittuntur:* Cap. V. De officiis divinis in noctibus C. VI. Ut omnes per horas canonicas ad officium divinum veniant. C. VII. De disciplina psallendi. C. X. De proficiscentibus in itinere. C. XI. De zelo bono quem debent servi Dei habere. C. XII. Ut non praesumat alter alterum caedere aut excommunicare. C. XIII. Ut in Congregatione clericorum non liceat alteri alterum defendere. C. XIV. De confessionibus. C. XVI. De his, qui sine iussione iunguntur excommunicatis. C. XVII. De excommunicatione. C. XVIII. De his, qui in quibusdam levioribus delinquunt. C. XIX. Qualis debeat esse modus excommunicationis. C. XX. De

dere debes. De multis enim pauca perstrinximus, ut animos vestros ad amorem humilitatis, provocemus et a detestabili inimicaque Deo superbia retrahamus. Nam dum omne genus humanum Christianorum, atque omne vulgus humilitatem habere conveniat, nimis iniquum pessimumque ac detestabile est, ut qui servitio Dei peculiarius se junxerunt, humilitatem derelinquant, et superbiae, vel diabolicae tyrannidi se socient. Idcirco necesse est, ut qui suadente diabolo usque nunc superbus atque elatus vultu vixit in antea, Deo auxiliante, per humilitatem atque charitatem vel obedientiam, seu per reliqua bona Dei praecepta resurgat, quia multo melius est per humilitatem cum Christo in coelestibus regnare, quam cum diabolo per superbiam in inferno cum reliquis contemptoribus demergi.

Cap. II. *De Ordine Congregationis Canonicorum.* Ordines suos Canonici ita conservent, ut ordinati sunt in gradibus suis secundum legitimam institutionem Romanae Ecclesiae in omnibus omnino locis, id est Ecclesia, vel ubicumque in simul se conjunxerint, et ratio praestat; exceptis his, quos Episcopus in altiore gradu constituerit, vel degradaverit certis ex causis; reliqui omnes, ut diximus, ita, ut ordinati sunt, ordines suos custodiant. Juniores igitur Priores suos honorent: Priores juniores suos in Deum diligant.

In ipsius autem appellatione nominis nulli liceat alium puro nomine appellare, sed secundum constitutionem sanctae Ecclesiae sedis Apostolicae vocet eum suum, prius addito et ministerii sui gradu, qualiscumque fuerit, Ubicumque autem se obviaverit Clerus junior, inclinatus a Priore benedictionem petat; et si sedentem invenerit, transeunte majore surgat, et det ei locum sedendi, nec praesumat junior consedere, nisi ei praecipiat Senior suus, ut fiat, quod scriptum est: *honore invicem praevenientes.* Pueri parvi, vel adolescentes in oratorio vel ad mensas cum disciplina ordines suos custodiant, foras autem, ubi et ubi custodiam habeant, disciplinam.

Cap. III. *Ut in illa claustra omnes in uno dormiant.* Ita instituimus, ut in illa claustra ille Clerus canonicus, qui sub ipso ordine, Deo adjuvante, vivere debent, ut omnes in uno dormiant dormitorio, praeter illos, quibus Episcopus licentiam dederit, secundum quod ei rationabiliter visum fuerit, ut in ipsa claustra per dispositas mansiones dormiant separatim, et per singula lecta singuli dormiant, et in dormitorio similiter separatim dormiant mixti cum Senioribus, propter providentiam bonam, ut Seniores praevide-

quadragesimae observationibus. C. XXI. De mensis ordinandis. C. XXII. De mensura cibi. C. XXIII. De mensura potus. C. XXIV. De septimanariis coquinae. C. XXVI. De cellerario. C. XXVII. De portario. C. XXVIII. De infirmis Clericis Canonicis. C. XXIX. De vestimentis clericorum, vel calceamentis vel ligno. C. XXX. De festivitatibus Sanctorum. C. XXXIII. Diebus dominicis vel festivitatibus Sanctorum qualiter ad capitulum, seu ad missam occurrant. C. XXXIV. De matriculariis ut ad lectionem divinam audiendam veniant in statuta Ecclesiae domo.

ant, quod juniores secundum Deum agant. Et in ipsa claustra nulla faemina introeat, nec laicus homo, praeter tantum, si Episcopus, aut Archidiaconus, vel Primicerius jusserint: Ut in refectorio pro refectionis causa veniant, relinquant arma sua ante refectorium, et statim cum exjerint de refectorio ducantur foras claustra; et si necesse fuerit ad opera facienda, intrent ibi laici homines: at ubi perfectum habuerint opus suum, cum summa festinatione egrediantur foras: et praeter causam necessitatis, si coqui Clerici desunt, et opus fuerit, laici coqui ad coquinandum tantum ingrediantur, expleto ministerio suo cum celeritate exeant foras.

Et per illas mansiones ipsi Clerici canonici nullum Clericum eorum habeant sine praecepto Episcopi sui: et si permiserit, ut habeant, sic sit conversatio illorum cum humilitate et Dei timore, qualiter nec Deo, nec Episcopo displiceant nec illis, qui sub sua manu ipsam Congregationem regunt. Et si aliter fecerint, ille, qui praeest, aut excommunicet eos, aut corporalem disciplinam accipiant. Et in ipsas mansiones intra ipsa claustra, nec Clericus, nec laicus bibere, nec manducare, nec dormire non praesumant, nisi ipsi Clerici, qui in ipsa Congregatione sunt, aut illi Clerici, qui ibidem in ipso Claustro per jussionem Episcopi sui Senioribus suis deserviunt. Et qui de ipso Clero unum Clericum in ipsa claustra, ut diximus, habuerit, hoc praevideat, ut planetam cum reliquis vestimentis habeat, et diebus Dominicis, vel reliquis festivitatibus in Ecclesia Dei vestiti in ordinibus suis stent.

Gap. IV. *De completorio, vel taciturnitate.* Ut ad completorium omnis Clerus, qui in ipsa Congregatione est, veniat, et omnino omni tempore incipiente nocte primum signum ad completorium sonet: et cum primitus illud signum, qui ad hoc ordinatus fuerit, auditum fecerit, statim, ubicunque fuerint, ad eorum claustra veniant: et cum iterum ipsum signum audierint, sic omnes in Ecclesia sancti Stephani sint, et tunc in Dei nomine completorium cantent. Et postquam completorium cantatum habuerint; postea non bibant, nec manducent usque in crastinum legitima hora; et omnes silentium teneant, et nemo cum altero loquatur usque mane post primam cantatam, nisi, si necesse fuerit, et hoc cum suppressione vocis cum grandi cautela, ut de illa alia mansione, quae juxta est, sua vox non audiatur; et qui de illis ad completorium non fuerit, postea illam noctem non praesumat illa ostia tundere, nec per ullum locum in ipsa claustra ingredi, antequam ad nocturnas veniant. Nec Archidiaconus, nec Primicerius, nec ille Ostiarius ullum commeatum exinde donare possint, ut post completorium aliquis ibi ingrediatur, nisi ad nocturnas; nisi tantum, si talis causa evenerit, quod necesse sit, ut hoc ille Archidiaconus, vel Primicerius, vel qui tunc temporis exinde praeviderit ad illum Episcopum possit dicere, pro qua causa hoc factum fuisset, et si ita est, quod necesse sit, tunc licentiam habeant introeundi et exeundi.

Et si contigerit, ut opus sit post completorium aliqua causa in claustra nunciare, tunc ad illum custodem de sancto Stephano veniat, et illi patefaciat, et ipse hoc in claustra nuntiet. Et si (quod absit) evenerit, ut ullus de ipso Clero, qui ante completorium in civitate venerit, aut antea ibidem fuerit; quod si ausus vel praesumptuosus, aut negligens suadente diabolo fuerit, ut in civitate aliqua nocte alicubi maneat, nisi in sua claustra; si una vice hoc fecerit, si pro vitio factum non est, verbis corripiatur; et si iteraverit ipse Clericus, tunc ipso die sit in pane et aqua: et si tertia vice hoc fecerit, tres dies in pane et aqua sit: et si amplius hoc facere praesumserit, corporali disciplinae subjiciatur, sic, ut caeteri timeant: et si aliquid suadente diabolo, per hoc retardaverint, ut ante completorium in civitatem non veniat, ut licentiam haberet foras claustra esse, et hoc Episcopus, aut Archidiaconus, vel Primicerius investigare potuerint, ille Clericus, qui hoc vitium fecerit, aut excommunicetur, aut corporali disciplinae subjaceat.

Cap. VIII. *Ut ad capitulum quotidie veniant.* Necesse est, ut quotidie omnis Clerus canonicus ad capitulum veniant, et ibidem Dei verba audiant, et istam institutiunculam nostram, quam propter illorum utilitatem ad eorum animas salvandas, Deo auxiliante, fecimus, unoquoque die aliquod capitulum exinde relegant; praeter tantum die Dominico, et feria quarta, et sexta: Tractatus et alias homilias, vel quod aedificet, audientes ad capitulum legant. Ideo autem quotidie ad capitulum omnes venire constituimus, ut et anima verbum Dei audiat, et quod Episcopus, vel Archidiaconus, vel quilibet tunc praesse videtur, ibidem, quod jubere habet, jubeat; et quod corrigere, corrigat: vel quod faciendum sit, ordinare studeat. Ipsi autem Clerici cum de *prima* cantata ad mansiones vadunt, statim sibi parare festinent, ut quando signum audierint, ad capitulum parati cum celeritate veniant; et omnis Clerus, qui foris claustra esse videtur, et in ipsa civitate consistunt, omnibus diebus Dominicis ad capitulum veniant parati cum planetis, vel vestimentis officialibus, sicut habet ordo Romanus. Et in ipsis diebus Dominicis, vel festivitatibus Sanctorum praeclaris omnis ipse Clerus, ut diximus, qui foras claustra est, ad *Nocturnas,* et ad *Matutinas* veniant; et ipsis diebus, stationibus suis parati custodiant, ut unusquisque in officio suo stet, donec missa peragitur; et si aliter fecerint, ab Archidiacono, vel Primicerio excommunicentur, aut etiam, si necesse fuerit, corporali disciplinae subjaceant. Et in ipsis diebus Dominicis, ut diximus, et festivitatibus Sanctorum praeclaris, omnes in refectorio cum alio Clero reficiantur ad mensas, quae eis ordinatae fuerint.

Cap. IX. *De opera manuum quotidiana.* Otiositas inimica est animae; propter eam decernimus, ut ad jussionem Episcopi, vel Archidiaconi, seu Primicerii, vel qui ab ipsis ordinantur, Clerus de capitulo ad opera, ubi eis injungitur, exeant, et cum bono animo absque murmuratione obe-

dientiam suam expleant; et quando communem operam non est necesse facere, postea unusquisque, quod opus habet, faciat.

Cap. XV. *De gravioribus culpis.* Si quis Clericus de ordine canonico graviores culpas commiserit, id est homicidium, fornicationem, adulterium, furtum, vel his simile unum ex principalibus vitiis commiserit, corporali castigationi primitus subjaceat: deinde quando tempore vult Episcopus, vel qui sub eo sunt, carcerem vel exilium patiatur, sciens illam terribilem sententiam Apostoli dicentis: *Tradere hujusmodi hominem in interitum carnis; ut Spiritus salvus sit in die Domini.* Et dum in ipso carcere est, nullus ex Clero in nullo ei jungatur consortio, neque in colloquio, nisi cui Prior jusserit: Solus persistens in poenitentiae luctu, quamdiu Priori visum est.

Egressus de carcere, si Episcopo, vel qui sub eo sunt, visum fuerit, agat adhuc publicam poenitentiam id est, suspendatur ab oratorio simul et a Missa, et omnibus canonicis horis veniat ante hostium Ecclesiae, ubi Prior jusserit jacens prostratus omni corpore ante ipsum limen Ecclesiae, usque dum ingrediuntur omnes, et postea erigat se, stet foras Ecclesiam ante ipsum ostium, impleat ibi officium suum, in quantum potest. Egredientibus de Ecclesia similiter prostratus jaceat, usque dum omnes egrediuntur foras: et jacens, vel stans ante ipsum limen cum nullo homine loquatur.

De abstinentia vero, quamdiu, vel qualiter Episcopo visum fuerit, vel qui sub eo sunt, mensura, vel hora, qua ei viderit competere: neque a quoquam benedicatur, usque dum reconcilietur. Qui dum vocatus venerit ad reconciliandum ante Episcopum vel Clerum cum omni humilitate prostratus omni corpore in terra petat ab omnibus veniam; et Episcopus secundum ordinem canonicum eum reconciliet.

Cap. XXV. *De Archidiacono vel Primicerio.* Oportet eos esse prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbas: id est, ut sint sapientes in bonum, et simplices in malum; et docti Evangelia et sanctorum Patrum instituta canonum, ut possint docere Clerum in lege divina et hujus parvae institutionis. Et sic se conforment Clero, ut non tantum verbis capacibus; sed etiam exemplo simplicioribus divina praecepta demonstrent: qui Apostoli debent semper servare formam in qua dicit: *Argue, obsecra, increpa,* id est miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta; id est indisciplinatos et inquietos debent durius arguere: obedientes autem et mites et patientes, ut in melius proficiant, obsecrare: negligentes et contemnentes et superbos, ut increpent, et corripiant, neque dissimulent peccata delinquentium, sed mox, ut coeperint oriri, radicitus, ut praevalent, amputent, memores periculi Heli Sacerdotis de Silo; et honestiores quidem atque intelligibiles prima et secunda admonitione verbis corripiant; improbos autem ac duros corde ac superbos, vel inobedientes verbere et corporis castigatione in ipso initio peccati coerceant, scientes scriptum. *Stultus verbis*

non corrigitur; Et iterum: *Percute Filium tuum Virga, et liberabis animam ejus a morte.*

Et quidquid per se juste et rationabiliter secundum canonicam institutionem, vel hujus parvae institutionis non potuerint definire, omnino Episcopo patefaciant; et ipse secundum Dei voluntatem, quod castigandum est, castiget. Qui Archidiaconus vel Primicerius in omnibus omnino actibus vel operibus suis sint Deo et Episcopo fideles et obedientes et non sint superbi, neque rebelles, vel contemptores; sed casti et sobrii patientes, benigni, atque misericordes, et semper superexaltet misericordia judicium, ut ipsi idem consequantur. Diligant Clerum, oderint vitia, in ipsa autem correptione prudenter agant, et ne quid nimis, ne dum cupiunt eradere aeruginem, frangatur vas; Meminerint calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittant nutrire vitia, sed prudenter et cum charitate ea amputare festinent.

Caveant, ne, dum aliis praedicaverint, ipsi reprobi efficiantur; intendentes illud Dominicum praeceptum; et qui in oculo Fratris tui festucam videbas, in tuo trabem non vidisti: Ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc perspicies, ut educas festucam de oculo Fratris tui.

Qui Archidiaconus, vel Primicerius si reperti fuerint, quod absit, superbi aut elati, aut contradictores, vel contemptores canonicae et hujus parvae institutionis, ii secundum Dominicum praeceptum admoneantur semel et iterum; si non emendaverint, ab Episcopo secundum modum culpae judicentur. Quod si neque sic correxerint, de ordinibus suis ejiciantur, et alii, qui digni sunt, et voluntatem Dei vel Episcopi sui secundum divinum praeceptum impleverint, in locis illorum subrogentur.

Cap. XXXI. *De eo, quod, qui ad huc Canonicum specialem ordinem huius Congregationis se sociare vult, de rebus, quas possidet, ad Ecclesiam B. Pauli Apostoli solemnem donationem per praesentem faciat, reservato tamen tempore vitae suae usufructuario ordine.* Licet legamus antiquam Ecclesiam sub tempore Apostolorum ita unanimem concordemque extitisse, et ita omnia reliquisse, ut singuli praedia sua vendentes ad pedes Apostolorum pretia ponerent; ut nullus eorum sibi aliquid proprium dicere auderet, sed erant illis omnia communia, unde et habere dicebantur cor unum et animam unam: quotidie enim circa domus panem frangentes, quod in commune accipiebant, tam viri quam foeminae, seu parvuli, omnisque vulgus ardore fidei accensi, atque in amore religionis provocati cunctis cum gratiarum actione sufficientiam praebebant: sed quia nostris temporibus persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut ad aliquantulamcumque similitudinem conversationis eorum nostros animos contrahamus, quia nimis inertis, tepidaeque, ac remissae devotionis est, ut, quod, sicut diximus, omne vulgus pro Dei nomine consensit, nos qui peculiarius canonicis ordinibus inservire debemus, quantulamcumque in partem hanc per-

fectionem non consentiamus. Et si omnia relinquere non possumus, sic ad usum tantum nostra teneamus, ut dimissa, volumus nolumus, fuerint; non ad haeredum nostrorum carnalium atque parentum, sed ad Ecclesiam, cui Deo auctore in commune deservimus, de cujus rebus stipendia habemus, loco haereditario relinquamus. Ut, si cum illis perfectis pro perfecta abrenuntiatione saeculique hujus contemptu coronâ non tribuitur; vel peccatorum venia, sicut minimis, misericordia divina concedatur. Quia sanctus Prosper vel alii sancti Patres, secundum divinam auctoritatem sanxerunt, ut illi Clerici, qui de rebus Ecclesiae vivere cupiunt, res proprias, quas habent, per instrumenta chartarum, Deo et Ecclesiae, cui deserviunt, condonent: et sic rebus Ecclesiae licentius absque maxima culpa utantur; ut sic de rebus Ecclesiae ipsi Clerici gaudent; ita et Ecclesia de rebus ipsorum Clericorum cum pauperibus suis sic aucta atque meliorata gratuletur. Ita tamen ut ipsi Clerici, dum advivent, si ita placuerit, res suas usufructuario ordine per beneficium Ecclesiae habeant, ut omnia sint communia, et propter obitum eorum ad Ecclesiam vel ad canonicum ordinem; cui ante datae fuerant, revertantur. Similiter iudicantes ut illi Clerici, qui de facultatibus suis sufficientiam habent, de ipsis rebus propriis vivere debeant, si tamen infirmi fuerint, ut in omnibus ad integrum Ecclesiae Dei, cui deserviunt, dare noluerint, et sic ipsius Ecclesiae in amore, Christi gratuita servitute, sedulaque modulatione impendant; et sciant se pro hac re, quia rebus Ecclesiae, sicuti caeteri Canonici, utuntur, specialem misericordiam a Deo recepturos, cui de propriis rebus inserviunt: quia si ea, quae accepturi erant, pro eorum ordinibus de eleemosyna dispensatori reliquerit, nihil habentibus conferenda sine peccato possident sua: quia et ipsi quodammodo relinquunt sua, quando propriis contenti rebus, nihilque se jure debere arbitrantur recipi. Quod si putant ideo accipi debere eorum, quae conferentur Ecclesiae, portionem, nec eam videantur abjicere, quia non possint sua relinquere, quod eis deforme sit, inter suos, pauperes reddi: noverint esse deformius, possessuros de eleemosynis pauperum pasci. Hoc enim providendum est, ut non gravetur mater Ecclesia, quam constat quotidie subventioni pauperum, viduarumque, atque orphanorum, simulque egentium, Canonum jussione constrictam, debere esse semper intentam.

Igitur quicumque se ad hunc ordinem Canonicum, quem modo utcumque recuperare cupimus, sicut in parvulo decretulo, quod digessimus, intimavimus, se sociare voluerit, et de rebus, quas habet, solemniter donatione praesentem donet ad Ecclesiam B. Pauli ad opus Dei, vel Clericis ibidem deservientibus, faciat et precariam, si ita ei placuerit, exinde ab Episcopo accipiat in ea ratione, ut dum advivet, ipsas res usufructuario ordine habeat, et post obitum ejus cum omni integritate, omnique superposito ad Ecclesiam, cui datae fuerint, vel ipsius Congregationis ipsas res absque ullius consignatione vel exspectata traditione revertantur. Et liceat

ei de omni mobili ex ipsis rebus, quamdiu vivit, et in ipso ordine consistit, eleemosynas tam in pauperes, quam ad ipsam Congregationem, quam etiam ubicumque voluerit facere, et necessitates suas explere. Et, si aliquod de ipso mobili post obitum ejus superfuerit, media pars in eleemosyna, ejus in pauperes vel promissas ejus, aut, ubi voluerit, ambulet, Archidiacono vel Primicerio, vel cui ipse vivens rogaverit, dispensante, et illa media pars in ipsius eleemosyna ad Clerum vel ad ipsam Congregationem revertatur. Et ipsi Clerici de ipsis rebus, quas in precarias habent, neque de terris, neque de vineis, aut silvis, pratis, domibus, aedificiis, mancipiis, accolabus, vel quibuslibet rebus immobilibus minuendi, aut vendendi, aut communicandi potestatem non habeant; excepto ut diximus, de illa fructa, vel quod ibidem laborare potuerint, viventes faciant, quod voluerint. Quod si contigerit, suadente diabolo, ut aliquis ex his Fratribus, qui ipsas res per precarias habuerint, ut aliquo crimine grave, aut leve incidat, poenitentiam, juxta quod Episcopus ei judicaverit, agat; tamen de rebus, quas per precariam possidet, expoliatus pro hac re esse non debeat. Si quis autem eodem modo, quod supra instituimus, ad hanc Congregationem, tam unus ex Abbatibus nostris, quam quilibet extraneis Clericis se sociare desideraverit, eo tenore, ut alii Fratres fecerunt, faciat. Quod si aliter fuerit, qui se eis voluerit sociare, et omnia ad integrum perfectionis gratia derelinquere: Episcopus provideat eis necessaria; qualiter opus bonum, quod Deo inspirante coepit, adimplere valeat.

Cap. XXXII. *De eleemosynis.* De eleemosynis accipiendis ita constituimus, ut si aliquis uni Sacerdoti promissa sua vel pro confessione aut infirmitate, seu pro quolibet charo suo aut vivente aut mortuo aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc Sacerdos a tribuente accipiat, et exinde, quod voluerit, faciat. Si autem ad omnes Sacerdotes sub tali conditione, seu pro quolibet modo aliquid in eleemosyna dare voluerit, hoc omnino tam ad omnes Sacerdotes, quam ad omnes Canonicos veniat, et omnes hanc eleemosynam communem habeant. Similiter et illae eleemosynae, quae in commune ad omnem Clerum veniunt, omnes in commune habeant, et psalmodiam, vel missas pro ipsis eleemosynis ut Episcopus instituerit, faciant. Ideo autem mensuram Sacerdotibus de eleemosynis recipiendis ad opus proprium fecimus, quia nimis grave pondus existimavimus eis esse, si tam ingentia onera peccantium solis illis Sacerdotibus contingeret portare. Quia facilius Dei misericordiam plures impetrant pro peccatoribus, quam unus, quamvis studiosus, et unusquisque de propria conscientia debet metuere; quanto magis de alienis peccatis non debet si supra vires sarcinam peccatorum cumulare.

Has eleemosynas Archidiaconus, aut Primicerius reipieant, et in necessitatibus Fratrum, ut eis opus fuerit; et Episcopus judicaverit, ipsas expendant: et si aliquid exinde superfuerit, in vestiariis Fratrum recondant.

243. INNOCENTIUS II. (1130—1143).[1]

Innocentius II. in Conc. Lat. II. hab. a. 1139 c. 28. = c. 24. D. LXIII.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 247. Mansi, *S. Conc. ampl. coll.* Tom. XXI. p. 533. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 442. Schneider, *Die bischöfl. Domkapitel.* p. 154.

Absque religiosorum virorum consilio canonici maioris ecclesiae episcopum non eligant. *(Decr. Grat.)*

Obeuntibus sane episcopis, quoniam ultra tres menses uacare ecclesiam sanctorum Patrum prohibent sanctiones, sub anathemathe interdicimus, ne canonici de sede episcopali ab electione episcoporum escludant religiosos uiros, sed eorum consilio honestam et idoneam personam in episcopum eligant. Quod si exclusis religiosis electio facta fuerit quod absque eorum consensu et conniuentia factum fuerit, irritum habeatur et uacuum.

244. ALEXANDER III. (1159—1181).

Alexander III. Cantuariensi Archiepiscopo, in c. 9. X. *de praebendis et dignitatibus.* III. 5.

* *Corp. iur can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 466—467. Potthast, n. 8868.

Receptus in canonicum ex promissione capituli debet, quando facultas se obtulerit, habere praebendam. Vid. cap. 2. de concess. praebend. in VI°. cum gloss.

Relatum est † *auribus nostris, quod, quum dilectus filius noster magister Ia. in ecclesia tua sit per te canonice institutus, et in choro, capitulo et aliis, quorum communis est usus, plenam, sicut canonicus habeat, potestatem, nondum sibi praebendam iuxta promissionem tuam assignare curasti, licet post promissum tuum plures praebendae in ipsa ecclesia vacasse dicantur.* Quoniam igitur dignum est, *et omnimodis consentaneum rationi,* ut, postquam magister I. in ecclesia tua canonicus est institutus, et a te habuit in promissis de conferenda sibi prima praebenda, quum in ecclesia ipsa vacaret, ut debeat praebendae integritate gaudere, *praesertim quum, sicut nobis proponitur, literatus sit et discretus, fraternitati tuae per apostolica scripta praecipiendo* mandamus, quatenus, si idem I. in ecclesia tua est canonice institutus, et in choro et capitulo et in aliis, quorum usus est communis, potestatem sicut canonicus habet, ei praebendam, si qua *de antiquis in ecclesia ipsa* nunc vacat, vel quum ibi primo vacaverit, *omni occasione et contradictione cessante* secundum promissionem tuam concedas liberaliter et assignes *ita, quod de constantia et gravitate possis merito commendari, et nos propter hoc iterato tibi scribere non compellamur,* quia non est congruum, ut praebenda careat qui in canonicum noscitur esse receptus.

---

¹) Conf. n. 53.

245. INNOCENTIUS III. (1198—1216).

a) Innocentius III. Clugiensi Episcopo, in c. 9. X. *de constitutionibus.* I. 2.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 11—12. Potthast, n. 88.

Non obstante certo canonicorum numero, etiam per Papam confirmato, providendum est receptis ultra numerum de superexcrescentibus fructibus; maxime si voluntarie per canonicos fuerint recepti.

Quum Martinus Ferrariensis † *canonicus, F., W., B. et G., canonicorum Ferrariensium, et magister G. Ferrariensis capituli procuratores ad sedem apostolicam accessissent, super quaestione, quam de praebendis et reditibus habebant ad invicem, dilectum filium nostrum S. Mariae in Cosmedin diaçonum cardinalem eis concessimus auditorem, coram quo* Dictus M. pro se ac quatuor sociis suis proposuit, quod Ferrarienses canonici, ut eo amplius suos reditus augmentarent, quo proventus ecclesiae, qui dividi consueverant inter plures, in usus cederent paucorum, quatuordecim praebendas tantum, praeter id, quod mensae communiter deputarunt, in eadem ecclesia contra antiquam consuetudinem statuerunt. Postmodum vero, contra constitutionem ipsam voluntarie venientes, dictos quinque in canonicos receperunt, nullis praebendis assignatis eisdem. Et licet eorum reditus non modicum fuerint augmentati, nondum tamen eis voluerunt ex superexcrescentibus reditibus providere. Verum ex adverso fuit propositum, quod *olim de communi tam canonicorum, quam tunc Ferrariensis episcopi voluntate* quatuordecim praebendarum numero in Ferrariensi ecclesia *provida deliberatione* instituto et apostolicae protectionis praesidio roborato, [*tandem*], quum una in eadem ecclesia praebenda vacasset, ad *multam* quorundam instantiam duos ad eam, et postmodum ad praeces *venerabilis fratris nostri Ferrariensis* episcopi dictum M. et quendam alium sine praeiudicio dictae constitutionis in canonicos receperunt ita, quod ipsi canonici de canonia nihil perciperent, donec primi duo essent praebendas integre assecuti. Quumque per canonicorum industriam fuerit procuratum, ut ex possessionibus, quas [*eadem*] ecclesia tempore longo possedit, plures eis reditus solverentur, superexcrescentes *reditus* communi mensae, quae minus sufficiens fuerat, *communiter* deputaverunt, quos dicti quinque sibi postmodum petierunt contra capituli constitutionem in beneficium assignari. *Quia vero super his plena nobis, sicut idem cardinalis asseruit, exhiberi non poterat certitudo, causam ipsam tuo duximus examini committendam.* Mandamus, quatenus, quum in constitutione praedicta et confirmatione sedis apostolicae vel fuerit vel esse debuerit, sicut consuevit, expressum: «nisi in tantum excrescerent ecclesiae facultates, quod pluribus possent sufficere competenter», et *quum* iidem canonici in derogationem suae constitutionis ad vacaturas praebendas quatuor receperunt ultra numerum constitutum, *ab* anti-

quis canonicis praebendas cum integritate percipientibus consuetas, superexcrescentes reditus praedictis canonicis *appellatione remota* facias assignari, ita *tamen,* quod si ex eis pares potuerint cum aliis sortiri praebendas, quod superfuerit in communes canonicorum usus, sicut prius statuerant, sive aliter, prout melius videbitur, convertatur, revocatis in irritum *omnibus,* quaecunque ab alterutra partium in praeiudicium alterius post motam quaestionem coram episcopo Ferrariensi circa praebendas vel possessiones fuerint innovata. [*Nullis literis etc. Dat. Rom. ap. S. Petr. XII. Kal. Mai.* 1198.]

b) Innocentius III. Archiepiscopo et Canonicis Sutrinis, in c. 3. X. *de causa possessionis et proprietatis.* II. 12.

• *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 276—277. Potthast, n. 947.

Si spoliatus possessorio et petitorio simul agens possessionem et spoliationem probat, sed non dominium seu proprietatem, obtinet in possessorio, sed succumbet in petitorio.

Quum ecclesia Sutrina pastore vacaret, vos convenientes in unum, et, sicut moris est, Spiritus sancti gratia invocata, pastorem unanimiter elegistis, petentes ipsius electionem a sede apostolica confirmari. Verum *dilecti filii* clerici conventualium ecclesiarum civitatis eiusdem *apud nos de vobis* consequenter suam deposuere querelam, quod, quum in episcoporum electionibus *faciendis* ipsi ac praedecessores eorum consueverint interesse, vos eis *invitis* renitentibus et exclusis ad *faciendam* electionem procedere praesumpsistis, quam ob hoc non confirmari, sed infirmari potius postulabant. Partibus igitur *pro quaestione huiusmodi* apud sedem apostolicam constitutis, *dilectos filios nostros B. tit. S. Petri ad vincula, et I. tit. S. Priscae presbyteros, et tit. S. Mariae in Cosmedin diaconum cardinales dedimus auditores,* in *quorum* auditorum praesentia testes utrinque producti fuerunt, et eorum depositionibus publicatis, pars canonicorum per testes a se productos intentionem suam, quod ad eos tantum spectaret electio, sufficienter dicebant esse probatam; parte clericorum nihilominus asserente, quod per dicta testium, quos produxerant, et ipsi assertionem suam, quod electioni pontificum interesse deberent, plenius probavissent, per quae constare dicebant, eos electionibus trium episcoporum, qui ecclesiae Sutrinae ultimo et immediate praefuerant, cum canonicis cathedralis ecclesiae adfuisse, vocemque habuisse cum aliis eligendi. Nos igitur, *auditis allegationibus et rationibus partium et depositionibus ipsis diligenter inspectis,* quoniam *liquido* deprehendimus, testes vestros in perhibendis testimoniis varios exstitisse, atque adversus fidem attestationis suae coram *dictis* auditoribus vacillasse, *sicut ipsi nobis postea retulerunt,* et quod negativam quodammodo adstruere satagebant, probare volentes, ius electionis ita *quidem* ad vos spectare, quod ad adversarios minime pertineret, per testes vero adver-

sae partis fuit sufficienter ostensum, quod in trium episcoporum electionibus, de quibus praemissum est, clerici praesentes adfuerint et vocem habuerint eligendi, praemissam electionem factam eis contradicentibus et exclusis *de fratrum nostrorum consilio* decrevimus irritandam, clericos saepe dictos in eam quasi possessionem, quam ante controversiam motam habuerant, reducentes. Verum quoniam in quaestione praedicta quicquid iuris utraque pars in electione habebat deductum in iudicium videbatur, quum iure civili sit cautum, id venire in iudicium, non solum de quo actum est, ut veniret, sed id non venire, de quo nominatim actum est, ne veniret, et secundum statuta canonica electiones episcoporum ad cathedralium ecclesiarum clericos regulariter pertinere noscantur, nisi *forte* alibi secus obtineat de consuetudine speciali, nec ex eo, quod clerici antedicti se inter eligentes Sutrinos episcopos probaverunt tertio exstitisse, ius eligendi propter brevitatem temporis usque ad praescriptionem legitimam non producti sibi acquirere potuerunt, et actore non probante, qui convenitur, etsi nihil praestiterit, obtinebit, ab eorum impetitione super electionibus faciendis vos duximus absolvendos, saepedictis ecclesiarum clericis super hoc perpetuum silentium imponentes. [*Nulli ergo etc. Dat. Lat. VII. Febr.* 1200].

c) Innocentius III. Archiepiscopo et Archidiacono Senonensibus, in c. 19. X. *de praebendis et dignitatibus.* III. 5.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. T. II. col. 471—472. Potthast. n. 2754.

Recepto in canonicum, quam cito facultas se obtulerit, debetur praebenda, et interim habebit quotidianas distributiones.

Dilectus filius T. canonicus Linconiensis *in nostra praesentia constitutus* proposuit, quod, quum de mandato *bonae memoriae* C. Papae praedecessoris nostri G. *quondam* Linconiensis episcopus quandam praebendam assignavit eidem in ecclesia Linconiensi, *et eadem sibi per praedictum praedecessorem nostrum fuerit confirmata,* quia capitulum *Lingonense* ipsum ad eandem *praebendam* recipere contemnebat, † *dilecti filii Clarevallensis et Longivadi abbates auctoritate [praedicti] praedecessoris nostri, quum nollet aliquatenus a contradictione cessare, ipsum supposuerunt ecclesiastico interdicto. Postmodum autem ad praesentiam nostram accedens, ad dilectos filios Melundensem et Quinciacensem abbates obtinuit scripta nostra. Sed quum per eos suam non potuisset iustitiam obtinere, nos venerabili fratri nostro Remensi archiepiscopo, S. Romanae ecclesiae cardinali, tunc episcopo Praenestino, apostolicae sedis legato, sicut asserit, dedimus in mandatis, ut praedictam interdicti sententiam, sicut rationabiliter fuerat promulgata, faceret appellatione postposita firmiter observari. Verum quum idem archiepiscopus negotium prorogaret, et idem post labores multiplices fere de promovendo ipso negotio desperasset, deficiens in expensis,* Ad in-

stantiam Remensis archiepiscopi, tunc episcopi Praenestinensis, apostolicae sedis legati, et auctoritate ipsius talis inter eum *T. ex una parte,* et *venerabilem fratrem nostrum R.* episcopum et *dilectos filios* canonicos Linconienses *ex altera* compositio intercessit, quod ipso ab eis *per manum praedicti archiepiscopi* recepto in canonicum et *in fratrem,* et concesso sibi stallo in choro et participatione qualibet divinorum, idem fructus praebendae *alicuius eiusdem ecclesiae* percipere non deberet, nisi loco proximo vacaturae. † *Licet autem memoratum archiepiscopum sincera diligamus in Domino caritate, ipsiusque velimus honori deferre, quia tamen in his, quae contra canonicas sanctiones attentari noscuntur, ei deferre nec volumus nec debemus, quod ab eo illicite factum est in hac parte duximus irritandum, quod licitum factum est approbantes.* Quum ergo dictum T. in canonicum recipi *et in fratrem* canonicis non obviet institutis, et vacaturam exspectare praebendam Lateranensi concilio non sit dubium obviare, nos, facto eiusdem legati illicito reprobato, quod est licitum approbantes, quia videtur indignum, ut *is, qui* receptus *est* in canonicum, praebendae beneficio defraudetur, *discretioni vestrae per apostolica scripta* mandamus, quatenus dictos episcopum et canonicos *Lingonenses, si verum est quod asseritur,* ut ei praebendam, quum se facultas obtulerit, non differant assignare, *monitione praemissa per censuram ecclesiasticam* appellatione postposita compellatis, facientes eidem portiones quotidianas, quae fiunt in ecclesia memorata, sine diminutione qualibet assignari, *contradictores per censuram ecclesiasticam appellatione postposita compescendo.* [*Dat. Rom. ap. S. Petrum XIII. Kal. Mai. Ao. IX.* 1206.]

d) Innocentius III. in Concilio Laterano IV. hab. a. 1215. c. 24. = c. 42. X. *de electione.* I. 6.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 88—89. Schneider, *Die bischöfl. Domkapitel.* p. 155.

Per aliquam de tribus formis hic contentis, scilicet scrutinii, compromissi et inspirationis, procedi debet ad electionem in ecclesiis cathedralibus; aliter electio celebrata non valet, et contra facientes privandi sunt ea vice potestate eligendi. H. d. usque ad §. Illud. — § 1. Interdicit procuratorem in electionis negotio constitui, nisi concurrant hic contenta usque ad §. Electiones. Abbas Siculus. — § 2. Praecipit electiones solenniter publicari, et clandestinas reprobari. H. d. usque ad finem. Abbas Siculus.

Quia propter diversas electionum formas, quas quidam invenire conantur, et multa impedimenta proveniunt, et magna pericula imminent ecclesiis viduatis, statuimus, ut, quum electio fuerit celebranda, praesentibus omnibus, qui debent, et volunt et possunt commode interesse, assumantur tres de collegio fide digni, qui secrete et sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, et in scriptis redacta mox publicent in communi, nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, ut is collatione habita eligatur, in

quem omnes, vel maior et sanior pars capituli consentit. Vel saltem eligendi potestas aliquibus viris idoneis committatur, qui vice omnium ecclesiae viduatae provideant de pastore. Aliter electio facta non valeat, nisi forte communiter esset ab omnibus, quasi per inspirationem absque vitio celebrata. Qui vero contra praescriptas formas eligere attentaverint, eligendi ea vice potestate priventur. § 1. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in electionis negotio procuratorem constituat, nisi sit absens in eo loco, de quo debeat advocari, iustoque impedimento detentus venire non possit, super quo, si opus fuerit, fidem faciat iuramento, et tunc si voluerit, uni committat de ipso collegio vicem suam. § 2. Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, ut, quam cito electio fuerit celebrata, solenniter publicetur.

246. GREGORIUS IX. (1227—1241).

Gregorius IX, in c. 55. *de electione.* I. 6.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 94—95. Schneider, *Die bischöfl. Domkapitel.* p. 155.

Irrita est electio, quam collatio non praecessit, vel quae facta non est a maiore parte capituli, vel quae non fuit communis.

In Genesi legitur *(Et infra:)* Quum in concilio caveatur, ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel maior et sanior pars capituli consentit, et in G. maior pars totius capituli non consenserit, quanquam maiorem partem habuit partium comparatione minorum, nec plene numeri ad numerum, quia, utrum G. et H., de quibus adversarii referunt quaestionem, in electione vocem habuerint, tractatum non exstitit nec discussum, nec zeli ad zelum, nec meriti ad meritum collatio facta fuerit, nec etiam electio communiter celebrata, quoniam, licet in eundem G. singulariter singuli consensissent, non tamen debuit subsequi singularis electio, sed communis, ne vel idem repeti videretur, vel ex hoc sequeretur absurditas, ut tot essent electiones, quot essent numero eligentes, nec ex singularibus vel particularibus consensibus appareret universalis electio vel communis, licet quilibet singularis veritatem exprimat suae partis, quemadmodum ex singularibus propositionibus, licet veris, universalis propositio non apparet, nisi per signum universale forsitan exprimatur, nec praemissi duo canonici poterant sic excludi, quum primus exsisteret in canonicatus possessione vel quasi, habendo stallum in choro, locum in capitulo, legendo et cantando ut canonicus, et ad tractatus ac electiones dignitatum et personatuum, quae occurrerunt pro tempore faciendae, tanquam canonicus sit vocatus, quanquam hac vice fuerit cum protestatione admissus, secundus vero esset in tali loco, de quo fuerat ad electionem vocandus, quum de toto regno Franciae vocentur absentes de consuetudine ecclesiae Gallicanae: nos, his ple-

nius intellectis, de consilio fratrum nostrorum praemissam electionem, utpote contra formam concilii attentatam, decernimus irritam et inanem.

247. BONIFACIUS VIII. (1294—1303).

Bonifacius VIII., in c. 8 in VI°. *de concessione praebendae et ecclesiae non vacantis.* III. 7.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1040—1041.

Revocatoria gratiarum includit receptos in canonicos, praebendam distinctam exspectantes, etiamsi percipiebant distributiones quotidianas: secus si praebendam distinctam non exspectant, sed augmentum portionis. Includit habentes ius ad vacaturam, si nondum est deventum ad collationem. H. d. secundum Domin.

Quoniam ex constitutione nostra, per quam paulo post promotionem nostram ad summi Pontificatus apicem omnes collationes, provisiones, reservationes et concessiones, super canonicatibus, dignitatibus, personatibus, praebendis, officiis, portionibus, praestimoniis, ecclesiis parochialibus, ruralibus, et aliis quibuscunque beneficiis ecclesiasticis vacaturis, quocunque nomine censerentur, ac etiam super canonicatibus sub exspectatione dignitatum, vel aliorum quorumcunque beneficiorum, in quibus ius non esset quaesitum in re, licet ad rem, a felicis recordationis Nicolao Papa IV. et Coelestino V. praedecessoribus nostris factas sive concessas, auctoritate apostolica in fratrum nostrorum praesentia omnino cassavimus, irritavimus et vacuavimus, cassas, irritas et vacuas nunciavimus, et nullius fore decrevimus firmitatis, multae dubitationes insurgunt, ut, unde praefatae constitutionis revocatoria processit editio, interpretatio eius quoque procedat: praesenti declarandum duximus sanctione, quod in illis, qui editionis tempore supra dictae ultra statutum numerum erant per eosdem praedecessores canonici sub exspectatione praebendarum vel etiam portionum, eadem constitutio locum habet. Si autem huiusmodi recepti ultra numerum distributiones, et alia, ut canonici de numero existentes, sic tempore dictae revocationis habebant, quod per cessionem vel decessum illorum, qui erant intra numerum, ex vigore prioris gratiae nil amplius assequi exspectabant, nisi distributionum seu partium suarum augmentum, quum forsan esset ecclesia, in qua canonicorum, non autem portionum numerus vel praebendarum distinctio habebatur, quantoque inter pauciores cuiusvis ecclesiae dividuntur, proventus, tanto maiores fieri possunt singulorum percipientium portiones: ad istos vel eos, qui per literas facultatis dictorum praedecessorum nostrorum in aliquarum ecclesiarum canonicos erant recepti, licet praebendas vel alia beneficia exspectarent, constitutionem certum est non extendi praefatam. In illis vero, qui ultra numerum auctoritate praefata in aliquarum ecclesiarum canonicos iam recepti, quantum ad capitulum et ad chorum ac distributionum perceptionem quotidianarum plenitudinem iuris

canonici tunc habebant, sed in eis dignitates, personatus, praebendas, portiones vel alia beneficia, quae dantur tantum exsistentibus de numero, exspectabant, constitutionem praefatam locum habere, ratione huiusmodi exspectationis dubium non exsistit. Sane in iis, qui super canonicatibus, praebendis et dignitatibus, parochialibus vel aliis ecclesiis seu beneficiis quibuscunque a dictis praedecessoribus nostris literas impetraverunt, etiamsi per exsecutores illorum factae fuerint reservationes, decreti interpositiones variique processus, et, etiamsi eadem beneficia tunc vacabant, et per impetrantes petitum fuerat ab exsecutoribus, quod eis illa conferrent, non tamen ipsorum beneficiorum vacantium collationes tunc temporis erant factae, locum habet constitutio supra dicta, ut omnes huiusmodi gratiae, quarum ratione tunc non erat ad collationem processum, et sic per consequens ius in re non fuerat ipsis impetrantibus acquisitum, intelligantur penitus revocatae.

248. CONCILIUM TRIDENTINUM. (1545—1563).

Sess. XXIV. *de reformatione.*

* *Canones et Decreta Concilii Tridentini.* ed. Schulte-Richter. p. 348—349. Schneider, *Die bischöfl. Domkapitel.* p. 162—166.

Quales esse debeant promovendi ad dignitates et canonicatus cathedralium ecclesiarum, quidve promoti praestare teneantur.

C. XII. Quum dignitates in ecclesiis, praesertim cathedralibus, ad conservandam augendamque ecclesiasticam disciplinam fuerint institutae, ut qui eas obtinerent pietate praecellerent, aliisque exemplo essent atque episcopos opera et officio iuvarent, merito qui ad eas vocantur tales esse debent, qui suo muneri respondere possint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoveatur, nisi qui saltem XXV. suae aetatis annum attigerit, et in clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exsequendum necessaria ac morum integritate commendetur, iuxta constitutionem Alexandri tertii in concilio Lateranensi promulgatam, quae incipit: *Quum in cunctis.* Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur episcopi, sint in omnibus ecclesiis, ubi fieri poterit, magistri in theologia, seu doctores aut licentiati in iure canonico. Ad ceteras autem dignitates vel personatus, quibus animarum cura nulla subest, clerici alioquin idonei et XXII. annis non minores adsciscantur. Provisi etiam de beneficiis quibuscunque curam animarum habentibus teneantur a die adeptae possessionis ad minus intra duos menses in manibus ipsius episcopi, vel eo impedito coram generali eius vicario seu officiali, orthodoxae suae fidei publicam facere professionem, et in ecclesiae Romanae obedientia se permansuros spondeant ac iurent. Provisi autem de canonicatibus et dignitatibus in ecclesiis cathedralibus non solum coram episcopo seu eius officiali, sed etiam in capitulo idem facere teneantur; alioquin praedicti omnes provisi ut supra fructus

non faciant suo, nec illis possessio suffragetur. Neminem etiam deinceps ad dignitatem, canonicatum aut portionem recipiant, nisi qui eo ordine sacro aut sit initiatus, quem illa dignitas, praebenda aut portio requirit, aut in tali aetate, ut infra tempus a iure et ab hac sancta synodo statutum initiari valeant. In omnibus vero ecclesiis cathedralibus omnes canonicatus ac portiones habeant annexum ordinem presbyterii, diaconatus vel subdiaconatus; episcopus autem cum consilio capituli designet ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat; ita tamen, ut dimidia saltem pars presbyteri sint, ceteri vero diaconi aut subdiaconi. Ubi vero consuetudo laudabilior habet, ut plures vel omnes sint presbyteri, omnino observetur. Hortatur etiam sancta synodus, ut in provinciis, ubi id commode fieri potest, dignitates omnes et saltem dimidia pars canonicatuum in cathedralibus ecclesiis et collegiatis insignibus conferantur tantum magistris vel doctoribus, aut etiam licentiatis in theologia vel iure canonico. Praeterea obtinentibus in eisdem cathedralibus aut collegiatis dignitates, canonicatus, praebendas aut portiones non liceat vigore cuiuslibet statuti aut consuetudinis ultra tres menses ab eidem ecclesiis quolibet anno abesse; salvis nihilominus earum ecclesiarum constitutionibus, quae longius servitii tempus requirunt. Alioquin primo anno privetur unusquisque dimidia parte fructuum, quos ratione etiam praebendae ac residentiae fecit suos. Quod si iterum eadem fuerit usus negligentia, privetur omnibus fructibus, quos eodem anno lucratus fuerit. Crescente vero contumacia contra eos iuxta sacrorum canonum constitutiones procedatur. Distributiones vero qui statis horis interfuerint recipiant; reliqui, quavis collusione aut remissione exclusa, his careant iuxta Bonifacii VIII. decretum, quod incipit: *Consuetudinem,* quod sancta synodus in usum revocat, non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus. Omnes vero divina per se et non per substitutos compellantur obire officia, et episcopo celebranti aut alia pontificalia exercenti assistere et asservire, atque in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare. Vestitu insuper decenti tam in ecclesia quam extra assidue utantur; ab illicitisque venationibus, aucupiis, choreis, taberniis lusibusque abstineant, atque ea morum integritate polleant, ut merito ecclesiae senatus dici possit. Cetera, quae ad debitum in divinis officiis regimen spectant, deque congrua in his canendi seu modulandi ratione, de certa lege in choro conveniendi et permanendi, simulque de omnibus ecclesiae ministris, quae necessaria erunt, et si qua huiusmodi, synodus provincialis pro cuiusque provinciae utilitate et moribus certam cuique formulam praescribet. Interea vero episcopus non minus quam cum duobus canonicis, quorum unus ab episcopo, alter a capitulo eligatur, in iis, quae expedire videbuntur, poterit providere. [l. c. pag. 348—349.]

XII. VICARII ET COADIUTORES EPISCOPORUM.

Thomassinus, *Vetus et nova eccl. disciplina.* P. I. lib. 2. c. I seq. P. III. lib. 2. c. 32 seq. Andreucci, *Tractatus de episcopo titulari.* Romae 1732. Held, *Das Recht der Aufstellung eines Coadiutors mit der Nachfolge.* Münster 1849. Phillips, *Die Coadiutoren der Bischöfe* (*Vermischte Schriften.* 1856. Tom. II. p. 304 seq.) Weissäcker. *Der Kampf gegen den Chorepiscopat.* Leipzig 1859. Grunau, *De Coadiutoribus episcoporum.* Breslau 1894. Schröder, *Die Entwicklung des Archidiaconats bis zum XI. Jahrhundert.* München 1890. Schmalz, *De instituto officialis sive vicarii generalis.* Parisot, *Les chorévêques* (*Revue de l'Orient chrétien.* 1901. p. 157 seq.). Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. §§ 85—87. Scherer, *Kirchenrecht.* Tom. II. § 91. Friedberg, *Lehrbuch.* §§ 67—70. Sägmüller, *Lehrbuch.* §§ 96—98. Stutz, *Kirchenrecht,* §§ 75—78.

---

249. CONCILIUM LAODICENUM (int. a. 343 et 381 hab.)

c. 57 = c. 5. D. LXXX.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 280. Bruns, *Canones Apostolorum et Conciliorum.* Tom. I. p. 79. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. I. p. 773.

In quibus locis Primates uel Patriarchae debeant ordinari. *(Decr. Grat.)*

Non debere in uicis et uillis episcopos ordinari, sed uisitatores, id est qui circumeant, constitui; his autem qui ante hoc ordinati sunt, nichil agere censemus sine conscientia episcopi ciuitatis. Similiter autem presbiteri sine precepto et consilio episcopi nichil agant.

250. GREGORIUS I. (590—604).

a) Ex Registro Gregorii Papae Lib. IX. Ep. 41. = c. 1. C. VII. q. 1.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 566. Jaffé-Wattenbach, n. 1397.

Pro molestia corporis suo honore non priuetur episcopus. *(Decr. Grat.).*

Scripsit mihi dilectio tua, me reuerentissimo fratri meo Iohanni primae Iustinianae episcopo pro egritudine capitis, quam patitur, episcopum pre-

cipere succedi, ne fortasse, dum episcopi iura eadem ciuitas non habeat, (quod absit) ab hoste depereat. Et quod nusquam canones precipiunt, ut pro egritudine episcopi episcopus succedat, et ideo iniustum est, ut, si molestia corporis irruit, honore suo priuetur egrotus. Sed suggerendum est, ut si quis, in regimine, egrotat, dispensator illi talis requiratur, qui possit eius curam omnem agere, et locum illius in regimine ecclesiae (ipso non deposito) conseruare, ut neque Deus omnipotens offendatur, neque ciuitas neglecta esse inueuiatur.

b) Gregorius ad Eleutherium Episcopum (Lib. VII. Ep. 49. c. 233), in c. 14. C. VII. q. 1.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 572.

Episcopo grauato infermitate alius subrogari potest *(Decr. Grat.)*

Quamuis triste nobis sit ualde quod loquimur, atque fraterna nos conpassione potius arguat, quam aliquid de auditis diffinire permittat, suscepti tamen sollicitudo regiminis cor nostrum instanti pulsat aculeo, magna nos ecclesiis cura prospicere, ne qua earum possit utilitas deperire. Peruenit igitur ad nos quibusdam referentibus, quemdam episcopum ita passionem capitis incurrisse, ut quod mente alienata agere soleat gemitus et fletus audire sit. Ne ergo languente pastore grex (quod absit) insidiatoris laniandus dentibus exponatur, uel ecclesiae ipsius utilitates depereant, cauta nos necesse est prouisione tractare. Et ideo, quia uiuentem episcopum ab offitio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco eius (nisi recusante eo) nulla sinit ratio ordinari; sed si interualla egritudinis habere est solitus, ipse data petitione non se ulterius ad hoc ministerium subuertente infirmitate posse fateatur assurgere, et alium, loco suo expetat ordinandum. Quo facto omnium solempniter electione alter, qui dignus fuerit, episcopus ordinetur, sic tamen, ut quousque eundem episcopum in hoc seculo uita tenuerit, sumptus ei debiti de eadem ecclesia ministrentur. Enim uero si nullo tempore ad sanae mentis redit offitium, persona fidelis ac uitae probabilis est eligenda, que ad regimen ecclesiae idonea possit existere, atque de animarum utilitate cogitare, inquieto sub disciplinae uinculo constringere, ecclesiasticarum rerum curam gerere, et maturum atque efficacem in omnibus se exhibere, qui etiam episcopo, qui nunc egrotat, superstes, loco eius debeat consecrari.

251. YSIDORUS ISPALENSIS EPISCOPUS († 636).

Ysidorus in Epistola ad Ludifredum, c. 1. D. XXV.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 89 seq. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. p. 185.

§ 11. Archidiaconus enim imperat subdiaconis et Leuitis; ad quem pertinent ipsa ministeria: ordinatio uestiendi altaris a Leuitis cura incensi

et sacrificii necessaria sollicitudo, quis Leuitarum Apostolum et Euangelium legat, quis preces dicat seu responsoria in dominicis diebus aut solempnitatibus decantet. Sollicitudo quoque parochiarum et ordinatio et iurgia ad eius pertinent curam, pro reparandis diocesanis basilicis ipse suggerit sacerdoti; ipse inquirit parrochias cum iussione episcopi et ornamenta uel res basilicarum uel parochiarum, gesta libertatum ecclesiasticarum episcopo idem refert, collectam pecuniam de communione ipse accipit et episcopo defert, et clericis partes proprias idem distribuit. Ab Archidiacono nuntiantur episcopo excessus diaconorum, ipse denuntiat sacerdoti in sacrario ieiuniorum dies atque solempnitatum et ab ipso publice in ecclesia predicatur; quando vero archidiaconus absens est, uices eius diaconus sequens adimplet.

252. CONCILIUM MELDENSE hab. a. 845.

* Mansi, *SS. Concil. nova et ampl. collectio.* Tom. XIV. p. 829. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. p. 166.

c. 44. Ut chorepiscopus modum suum iuxta canonicam institutionem teneat et nec sanctum chrisma nec sanctum paracletum spiritum, solis Episcopis iuxta decreta Innocentii [c. 119 D. IV. de consecr.] tribuere debitum tradere tentet; nec ecclesias consecret neque ecclesiasticos qui per impositionem manus tribuuntur i. e., nonnisi usque ad subdiaconatum et hoc iubente episcopo et in locis quibus canones agere designant, agere praesumant. Impositioni autem poenitentiae aut poenitentium reconciliationi per parochiam secundum mandatum episcopi sui inserviat.

253. INNOCENTIUS III. (1198—1216).

Innocentius III. Arelatensi Archiepiscopo, in c. 5. X. *de clerico aegrotante vel debilitato.* III. 6.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. T. II. col. 482. Potthast, n. 2335.

Episcopo, qui propter morbum incurabilem pastorale officium exercere non potest, dandus est coadiutor.

Ex parte fuit propositum *coram nobis,* quod, quum *venerabilis frater noster* Aurasiensis episcopus gravi et incurabili morbo fere *iam* per quadriennium laboraverit ita, quod pastorale officium non *potuit, nec* potest ullatenus exercere, *nobilis vir de Baucio* princeps terrae illius, *consules* ac cives civitatis eiusdem a te postulant incessanter, ut *tam* ipsis *quam Aurasicensi ecclesiae,* quum sis metropolitanus eorum, studeas providere. Verum quum *tu* ipsum ad cessionem compellere non possis, nec debeas ullo modo, nec afflicto afflictio sit addenda, immo potius *sit* ipsius miseriae miserendum, eo, quod idem vir bonus extiterit *et honestus,* et ecclesiam salubriter sibi commissam gubernaverit, *quid super his agere debeas, sedem duxisti apostolicam consulendam.* Nos *igitur* volentes tam *praefato* episcopo quam

ecclesiae *suae salubriter* providere, *fraternitati tuae taliter respondemus et per apostolica scripta* mandamus, quatenus illi coadiutorem associes virum providum et honestum, per quem tam episcopo quam populo *sibi commisso* utiliter consulatur. [*Dat. Rom. ap. S. Petr. IV. Non. Dec. Pont. nostr. Ao. VII.* 1204].

254. GREGORIUS IX. (1227—1241).

Gregorius IX. Archiepiscopo Colocensi, in c. 16. X. *de maioritate et obedientia.* I. 33.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 202. Potthast. n. 8899.

Si ecclesia sita in aliquo archidiaconatu erigitur in cathedralem, a iurisdictione archidiaconatus eximitur.

Quum inferior superiorem solvere nequeat vel ligare, sed superior inferiorem liget regulariter et absolvat, et satis [*indignum et*] absonum videatur, ut [*maior subditus sit minori et*] filius potestatem habeat in parentem, miramur [*non modicum et movemur*], quod quum tu monasterium de Cheur constitutum in Firmiensi archidiaconatu tuae dioecesis ecclesiam erexeris cathedralem, [*venerabilem fratrem nostrum Sirmiensem episcopum ad titulum ipsius ecclesiae in episcopum consecrando*], archidiaconus Firminensis in tantam prorupit temeritatis audaciam, ut in episcopum ibi consecratum et ecclesiam suam iurisdictionem exercere praesumat. [*Quare idem episcopus nobis humiliter supplicavit ut quum eodem archidiacono in ipsum et dictam ecclesiam iurisdictionem huiusmodi exercente, ipse in eadem ecclesia episcopus quoddammodo non existat, provideri sibi super hoc salubriter dignaremur. Nos igitur eiusdem episcopi et ecclesiae paterno compatientes affectu, ipsos cum omnibus iuribus et pertinentiis eorundem, a iurisdictione ipsius archidiaconi penitus eximentes*] Mandamus, quatenus praefato archidiacono [*ne in eis iurisdictionem aliquam de cetero exercere praesumat, ex parte nostra districte studeas inhibere*], a cuius iurisdictione dictum episcopum denunciamus exemptum, id districte studeas inhibere, provisio [*prudenter*] ut, si ex hoc archidiaconi Firmiensis iura laeduntur, in dioecesi tua, ubi expedire videris, absque alieni iuris praeiudicio recompensationem illi facias congruentem. [*Contradictores etc. Dat. Reat. XII. Kal. April. ao. V. 1232*].

255. BONIFATIUS VIII. (1294—1303).

a) Bonifacius VIII., in c. 2. in VI°. *de officio vicarii.* I. 13.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 978.

Ex generali commissione non potest officialis inquirere, corrigere, deponere, et punire subditorum excessus. Ioann. Andr.

Licet in officialem episcopi per commissionem officii, generaliter sibi factam, causarum cognitio transferatur, potestatem tamen inquirendi, cor-

rigendi aut puniendi aliquorum excessus, seu aliquos a suis beneficiis, officiis vel administrationibus amovendi, transferri nolumus in eundem, nisi sibi specialiter haec committantur.

b) Bonifacius VIII., in c. 3. in VI°. *de officio vicarii.* I. 13.

• *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 978.

Ex generali commissione officialis beneficia conferre non potest. Ioann. Andr.

Quum in generali concessione nequaquam illa veniant, quae non esset quis verisimiliter in specie concessurus, nec regulariter donare valeat is, cui bonorum administratio etiam libera est concessa: officialis aut vicarius generalis episcopi beneficia conferre non possunt, nisi beneficiorum collatio ipsis specialiter sit commissa.

256. CONCILIUM TRIDENTINUM. (1543—1565).

• *Canones et Decreta Concilii Tridentini.* ed. Schulte-Richter. p. 39. 447.

Sess. VI. *De reformatione.*

Episcopi in aliena dioecesi nec pontificalia exerceant, nec ordines conferant.

C. V. Nulli episcopo liceat cuiusvis privilegii praetextu pontificalia in alterius dioecesi exercere, nisi de ordinarii loci expressa licentia, et in personas eidem ordinario subiectas tantum. Si secus factum fuerit, episcopus ab exercitio pontificalium, et sic ordinati ab exsecutione ordinum sint ipso iure suspensi. [l. c. pag. 39.]

Sess. XXV. *De reformatione.*

Accessus et regressus ad beneficia tolluntur. Coadiutor quo modo, cui et ex qua causa concedendus.

C. VII. Quum in beneficiis ecclesiasticis ea, quae hereditariae successionis imaginem referunt, sacris constitutionibus sint odiosa et Patrum decretis contraria, nemini in posterum accessus aut regressus, etiam de consensu, ad beneficium ecclesiasticum cuiuscunque qualitatis concedatur, nec hactenus concessi suspendantur, extendantur aut transferantur. Hocque decretum in quibuscunque beneficiis ecclesiasticis, ac in quibuscunque personis, etiam cardinalatus honore fulgentibus, locum habeat. In coadiutoriis quoque cum futura successione idem posthac observetur, ut nemini in quibuscunque beneficiis ecclesiasticis permittantur. Quod si quando ecclesiae cathedralis aut monasterii urgens necessitas aut evidens utilitas postulet praelato dari coadiutorem, is non alias cum futura successione detur, quam haec causa prius diligenter a sanctissimo Romano Pontifice sit cognita, et qualitates omnes in illo concurrere certum sit, quae a iure et decretis huius sanctae synodi in episcopis et praelatis requiruntur. Alias concessiones super his factae surreptitiae esse censeantur. [l. c. pag. 447.]

XIII. PAROCHI.

Thomassinus, *Vetus et nova eccl. disciplina.* P. I. lib. 2. c. 21—28. Barbosa, *De officio et potestate parochi.* Lugduni 1640. Böhmer, *Tractatus de iure parochiali.* Hal. 1720. Nardi, *Dei Parrochi.* Pesaro 1829. Helfert, *Von den Rechten und Pflichten der Pfarrer und derer Gehilfen und Stellvertreter.* Prag 1832. Seitz, *Das Recht des Pfarramtes in der kathol. Kirche.* Regensburg 1840—1855. Bouix, *Tractatus de parocho.* Paris. 1850. 1880. George, *De parocho putativo.* Vratislaviae 1859. Uhrig, *Der Rechtsbegriff von der Pfarrei.* (*Theol. Quartalschrift* 1890.) Marie, *Traité du régime légal des paroisses catholiques.* Rennes 1892. Bertollotti, *Il parroco italiano.* Torino 1898. Corazzini, *La parrocchia nel diritto italiano.* Torino 1902. Imbart de la Tour, *[Les origines relig. de la France] Les paroisses rurales du IV au XI siècle.* Paris 1900. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. §§ 92, 93. Scherer, *Kirchenrecht.* Tom. I. p. 627 segg. Sägmüller, *Lehrbuch.* § 101. Friedberg, *Lehrbuch.* § 71. Stutz, *Kirchenrecht.* § 80. Idem, *Geschichte des kirchlichen Benefizialwesens.* I. Berlin 1896.

---

257. CONCILIUM CARTHAGINENSE I. (hab. a. 348).

c. 6. = c. 6. D. LXXI. [Conc. Carth. II. c. 5].

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 259. Bruns, *Canones Apost. et Conc.* Tom. I. p. 113. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. I. p. 633. Hoffmann, (*Zeitschrift für kathol. Theologie.* 1900. p. 92 seq.)

Sine litteris sui episcopi in aliqua ecclesia clericus non suscipiatur. *(Decr. Grat.)*

Privatus episcopus Begeselitanus dixit: Suggero sanctitati uestrae, ut statuatis, non licere clericum alienum ab aliquo suscipi sine litteris episcopi sui, neque apud se retinere, nec laicum usurpare sibi de plebe aliena, ut eum obtineat sine conscientia eius episcopi, de cuius plebe est. Gratus episcopus dixit: Hec obseruantia pacem custodit; nam et memini in sanctissimo concilio Sardicensi similiter statutum, ut nemo alterius plebis hominem usurpet: sed si forte erit necessarius, petat a collega suo, et per consensum sui episcopi habeat.

258. CONCILIUM AGATHENSE (hab. a. 506).

c. 21. = c. 35. *de consecratione.* D. I.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg, Tom. I. col. 1302. Bruns, *Canones Apost. et Concil.* Tom. II. p. 150. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. II. p. 654.

Qui extra parrochias habent oratoria, his diebus ad parrochias redire cogantur. *(Decr. Grat.)*

Si quis etiam extra parrochias, in quibus legitimus est ordinariusque conuentus, oratorium habere uoluerit, reliquis festiuitatibus, ut ibi missas audiat, propter fatigationem familiae iusto ordine permittimus. Pasca uero, Natale Domini, Epiphaniam, Ascensionem Domini, Pentecosten et Natale S. Iohannis Baptistae, et si que maximae dies in festiuitatibus habentur, non nisi in ciuitatibus aut in parrochiis audiant. Clerici uero, si qui in his festiuitatibus, quas supra diximus in oratoriis (nisi iubente aut permittente episcopo) missas celebrare uoluerint, a communione pellantur.

259. CONCILIUM AURELIANENSE. (hab. a. 511).

c. 27. = c. 5. *de consecratione.* D. III.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg, Tom. II. col. 1354. Bruns, *Canones Apost. et Conc.* Tom. II. p. 165. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. II. p. 664.

Hos dies ciuibus in uilla celebrare non licet. *(Decr. Grat.)*

Nulli ciuium umquam Pascae, Natalis Domini, uel Quadragesimae solempnitatem in uilla liceat celebrare, nisi quem infirmitas probabitur tenuisse.

260. CONCILIUM BRACARENSE II. (hab. a. 572).

c. 1. = c. 12. C. X. q. I.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. I. col. 615. Bruns, *Canones Apost. et Conc.* Tom. II. p. 39. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. III. p. 29.

Que uisitantes episcopi a clericis suis exquirere debent. *(Decr. Grat.)*

Placuit omnibus episcopis, ut per singulas ecclesias episcopi et per dioceses ambulantes primum discutiant clericos, quomodo ordinem baptismi teneant uel missarum, et qualiter quecumque offitia in ecclesia peragant. Et si recte quidem inuenerint, Deo gratias; sin autem minime, docere debent ignaros, et hoc modis omnibus precipere, sicut antiqui canones iubent, ut ante dies uiginti baptismi ad purgationem exorcismi cathecumini currant, in quibus uiginti diebus omnino cathecumini symbolum, quod est «Credo in Deum Patrem omnipotentem», specialiter doceantur. Postquam ergo hoc suos clericos discusserint uel docuerint episcopi, alia die, conuocata

plebe ipsius ecclesiae, doceant illos, ut errores fugiant ydolorum, uel diuersa crimina, id est homicidium, adulterium, periurium, falsum testimonium et reliqua peccata mortifera, et quod nolunt sibi fieri alteri ne faciant, et ut credant resurrectionem omnium et diem iudicii, in quo unusquisque secundum opera sua recepturus sit. Et sic postea episcopus de ecclesia illa proficiscatur ad aliam.

261. CONCILIUM TOLETANUM XVI. (hab. a. 693).

* Bruns, *Canones Apostol. et Conc.* Tom. I. p. 370. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. III. p. 324. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. p. 267.

c. 5. . . . Sed et hoc necessario instituendum delegimus, ut plures ecclesiae uni nequaquam committantur presbytero, quia solus per totas ecclesias nec officium valet persolvere, nec populi sacerdotali iure occurrere, sed nec rebus earum necessariam curam impendere: ea scilicet ratione, ut ecclesia quae usque ad decem habuerit mancipia, super se habeat sacerdotem; quae vero minus decem mancipia habuerit aliis coniungatur ecclesiis.

262. CONCILIUM TICINENSE (hab. a. 855).

* *Monumenta Germaniae historica. Leges.* Tom. I. p. 442. Hinschius, *Kirchenrecht.* Tom. II. p. 266.

c. 11. In sacris canonibus praefixum est, ut decimae iuxta episcopi dispositionem distribuantur; quidam autem laici, qui vel in propriis vel in beneficiis suas habent basilicas, contempta episcopi dispositione non ad ecclesias ubi baptismum et predicationem et manus impositionem et alia Christi sacramenta percipiunt, decimas suas dant, set vel propriis basilicis vel suis clericis pro libitu tribuunt. Quod omnimodis divinae legi et sacris canonibus constat esse contrarium.

263. ALEXANDER III. (1159—1181).

Alexander III. Florentino Episcopo, in c. 3. X. *de officio iudicis ordinarii.* I. 31.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 187. Jaffé-Wattenbach n. 13936 (9001).

Si ordinarius subiectus episcopo profert in sibi subiectum iustam censuram ecclesiasticam, episcopus illam servare debet, et illam sine satisfactione et conscientia proferentis relaxare non debet.

Quum ab ecclesiarum praelatis ecclesiastica sententia in malefactores aliquos promulgatur, rata debet et firma consistere, et usque ad condignam

satisfactionem inviolabiliter observari. Quapropter *discretioni vestrae per apostolica scripta [praecipiendo]* mandamus, quatenus, si quando *dilectus filius noster Lan.,* plebanus sancti P. *de Lucar,* in clericos vel laicos parrochianos suos interdicti vel excommunicationis sententiam rationabiliter tulerit, ipsam facias inviolabiliter observari, et eam sine congrua satisfactione et absque eiusdem plebani conscientia non relaxes.

264. COELESTINUS III. (1191—1198).

Coelestinus III., in c. 5. X. *de parochis, et alienis parochianis.* III. 29.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 555. Jaffé-Wattenbach, n. 16547 (10190). [Clemens III.] Potthast n. 500. [Innocentius III.]

Si parochianus seu dioecesanus domicilium transfert, primus praelatus in eo iura episcopalia seu dioecesana sibi non vendicat; decimae tamen praediales illius parochiae sibi debentur, nisi alteri debeantur ex consuetudine.

Significavit nobis *venerabilis frater noster* Aconensis episcopus, quod, quum post recuperationem Aconensis civitatis ad habitandum in ea se quam plurimi contulissent, qui ante generalem occupationem terrae sanctae in aliis civitatibus regni Hierosolymitani *[perpetuam]* elegerant mansionem, † *et in ea residentiam fecerint aliquantam, et adhuc etiam resident in eadem, praelati praedictarum civitatum eos ad solvendum sibi iura ecclesiastica compellunt. Quia vero transgredi non debemus terminos a patribus constitutos, aut falcem in messem mittere alienam,* Fraternitati tuae *[per apostolica scripta]* mandamus, quatenus praedictorum locorum praelatos, ut sibi nullam in praedictos Aconenses habitatores iurisdictionem usurpent, nec ab eis temporalia exigant, quibus spiritualia non ministrant, *[monitione praemissa]* districtione, qua convenit, compellatis ita *tamen,* quod si de agris in eorum parochia constitutis fructus percipiunt, et in ultramarinis partibus ratione praediorum decimae persolvuntur, deinceps eis ipsas *decimas* cum integritate persolvant, dicto vero Aconensi tanquam dioecesano suo cogantur de ceteris respondere. [*Quod si non omnes etc. Dat. Lat. X, Kal. Ian.* 1198.]

265. INNOCENTIUS III. (1198—1216).

a) Innocentius III. in Concilio Lateran. IV. a. 1215. hab. c. 21 = c. 12. X. *de poenitentiis et remissionibus.* V. 38.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 887—888. Hefele. *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 888.

Famosum est et multum allegabile, et hoc dicit. Quilibet doli capax tenetur saltem semel in anno confiteri proprio sacerdoti, vel de eius licentia alteri, et eucharistiae sacramentum ad minus in Pascha recipere. Et sacerdos, revelans confessionem,

deponendus est, et in monasterio ad agendum perpetuam poenitentiam detrudendus.

Omnis utriusque sexus fidelis, postquam ad annos discretionis pervenerit, omnia sua solus peccata saltem semel in anno fideliter confiteatur proprio sacerdoti, et iniunctam sibi poenitentiam propriis viribus studeat adimplere, suscipiens reverenter ad minus in Pascha eucharistiae sacramentum, nisi forte de proprii sacerdotis consilio ob aliquam rationabilem causam ad tempus ab huiusmodi perceptione duxerit abstinendum; alioquin et vivens ab ingressu ecclesiae arceatur, et moriens Christiana careat sepultura. Unde hoc salutare statutum frequenter in ecclesiis publicetur, ne quisquam ignorantiae caecitate velamen excusationis assumat. Si quis autem alieno sacerdoti voluerit iusta de causa sua confiteri peccata, licentiam prius postulet et obtineat a proprio sacerdote, quum aliter ipse illum non possit absolvere vel ligare. Sacerdos autem sit discretus et cautus, ut more periti medici superinfundat vinum et oleum vulneribus sauciati, diligenter inquirens et peccatoris circumstantias et peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei praebere consilium, et cuiusmodi remedium adhibere, diversis experimentis utendo ad salvandum aegrotum. Caveat autem omnino, ne verbo aut signo aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem. Sed, si prudentiori consilio indiguerit, illud absque ulla expressione personae caute requirat, quoniam, qui peccatum in poenitentiali iudicio sibi detectum praesumpserit revelare, non solum a sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam perpetuam poenitentiam in arctum monasterium detrudendum.

b) Innocentius III. in Conc. Later. IV. (1215) c. 32. = c. 30. X. *de praebendis et dignitatibus.* III. 5.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 478—479. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. pag. 892.

Rector ecclesiae, non obstante consuetudine episcopi, vel patroni, debet de reditibus ecclesiae sufficientem habere portionem. H. d. usque ad §. Qui vero. (Qui vero etc.:) Privatus est parochiali ecclesia rector in ea non residens, nisi sit annexa dignitati vel praebendae, quo casu debet ibi habere perpetuum vicarium. Et in fine prohibet, in fraudem rectoribus de ipsius proventibus pensionem in beneficium dari. H. d. Vel sic: non residens in ecclesia parochiali, vel non ponens vicarium, quando est annexa beneficio maiori, privatus est ea. H. d.

Exstirpandae consuetudinis vitium in quibusdam partibus inolevit, quod scilicet parochialium ecclesiarum patroni et aliae quaedam personae proventus ipsarum sibi *[paene]* penitus vindicantes, presbyteris earundem servitiis deputatis relinquunt adeo exiguam portionem, quod ex ea nequeant congrue sustentari. Nam, ut pro certo didicimus in quibusdam regionibus parochiales presbyteri pro sua sustentatione non obtinent nisi quartam quartae, id est sextam decimam decimarum. Unde fit, ut in his regio-

nibus paene nullus inveniatur sacerdos parochialis, qui ullam vel modicam habeat peritiam literarum. Quum igitur os bovis ligari non debeat triturantis, sed qui altario servit de altari vivere debeat, statuimus, ut, consuetudine qualibet episcopi vel patroni, seu cuiuslibet alterius non obstante, portio presbyteris ipsis sufficiens assignetur. Qui vero parochialem habet ecclesiam, non per vicarium, sed per se ipsum illi deserviat in ordine, quem ipsius ecclesiae cura requirit, nisi forte dignitati vel praebendae parochialis ecclesia sit annexa. In quo casu concedimus, ut *is*, qui talem habet praebendam vel dignitatem, quum oporteat eum in maiori ecclesia deservire, in ipsa parochiali ecclesia idoneum et perpetuum habeat vicarium canonice institutum, qui, ut praedictum est, congruentem habeat de ipsius ecclesiae proventibus portionem; alioquin illa se sciat auctoritate huius decreti privatum, libere alii conferenda, qui velit et possit quod dictum est adimplere. Illud autem penitus interdicimus, ne quis in fraudem de proventibus ecclesiae, quae curam habere debet proprii sacerdotis, pensionem alii quasi pro beneficio conferre praesumat.

268. BONIFACIUS VIII. (1294—1303).

a) Bonifacius VIII., in c. 3. in VI°. *de sepulturis.* III. 12.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1047.

Translatio personae, ad certum locum facta ad tempus, ecclesiae ius sepulturae non aufert. H. d. secundum Zenz. — § 1. Mulier mortua, quae pluribus nupsit, cum viro ultimo sepelitur. Hoc dicit.

Is, qui habet domicilium in civitate vel castro, quandoque ad villam ruralem se transfert recreationis causa, vel ut ruralia exerceat in eadem, si non electa sepultura decedat ibidem. non in ecclesia dictae villae, sed in sua parochiali, vel in ea potius, in qua maiorum ipsius ab antiquo sepultura exstitit, sepeliri debebit, dummodo absque periculo ad ipsam valeat deportari. § 1. Mulier autem, quae plures viros habuit successive, si sepulturam non eligat, est cum viro ultimo, cuius domicilium retinet et honorem, tumulanda.

b) Bonifacius VIII., in c. un. in VI°. *de capellis monachorum.* III. 18.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 1055.

Instituti in ecclesiis monachorum ad curam populi per episcopum ad ipsorum praesentationem, per eundem, si causa subsit, sunt destituendi. H. d. Dominicus.

Presbyteri, qui ad curam populi per monachos in eorum ecclesiis praesentantur episcopis, et instituuntur ab ipsis, quum debeant esse perpetui, consuetudine vel statuto quovis contrario non obstante, ab eisdem nequeunt ecclesiis nisi per episcopos et ex causa rationabili amoveri.

267. CONCILIUM TRIDENTINUM (1543—1565).

Sess. XXIV. *De reformatione.*

* *Canones et Decreta Conc. Trid.* ed. Schulte-Richter. p. 366, 378.

C. XIII. *Quomodo tenuioribus cathedralibus ecclesiis et parochiis consulendum. Parochiae certis finibus distinguendae.*

Quoniam pleraeque cathedrales ecclesiae tam tenuis reditus sunt et angustae, ut episcopali dignitati nullo modo respondeant, neque ecclesiarum necessitati sufficiant, examinet concilium provinciale, vocatis iis quorum interest, et diligenter expendat, quas propter angustias tenuitatemque vicinis unire vel novis proventibus augere expediat; confectaque de praemissis instrumenta ad summum Romanum Pontificem mittat, quibus instructus summus Pontifex ex prudentia sua, prout expedire iudicaverit, aut tenues invicem uniat aut aliqua accessione ex fructibus augeat. Interim vero, donec praedicta effectum sortiantur, huiusmodi episcopis, qui fructum subventione pro dioecesis suae tenuitate indigent, poterit de beneficiis aliquibus, dum tamen curata non sint, nec dignitates, seu canonicatus et praebendae, nec monasteria, in quibus viget regularis observantia vel quae capitulis generalibus et certis visitatoribus subduntur, a summo Romano Pontifice provideri. In parochialibus etiam ecclesiis, quarum fructus aeque adeo exigui sunt, ut debitis nequeant oneribus satisfacere, curabit episcopus, si per beneficiorum unionem, non tamen regularium, id fieri non possit, ut primitiarum vel decimarum assignatione, aut per parochianorum symbola ac collectas, aut qua commodiori ei videbitur ratione tantum redigatur, quod pro rectoris ac parochiae necessitate decenter sufficiat. In unionibus vero quibuslibet, seu ex supradictis, seu aliis causis faciendis, ecclesiae parochiales monasteriis quibuscunque, aut abbatiis, seu dignitatibus sive praebendis ecclesiae cathedralis vel collegiatae, sive aliis beneficiis simplicibus, aut hospitalibus militiisve non uniantur, et quae unitae sunt revideantur ab ordinariis iuxta alias decretum in eadem synodo sub fel. rec. Paulo III., quod etiam in unitis ab eo tempore citra aeque observetur; non obstantibus in iis quibuscunque verborum formis, quae hic pro sufficienter expressis habeantur. Ad haec in posterum omnes hae cathedrales ecclesiae, quarum reditus summam ducatorum mille, et parochiales, quae summam ducatorum centum secundum verum annuum valorem non excedunt, nullis pensionibus aut reservationibus fructuum graventur. In iis quoque civitatibus ac locis, ubi parochiales ecclesiae certos non habent fines, nec earum rectores proprium populum, quem regant, sed promiscue petentibus sacramenta administrant, mandat sancta synodus episcopis pro tutiori animarum eis commissarum salute, ut distincto populo in certas propriasque parochias unicuique suum perpetuum peculiaremque parochum

assignent, qui eas cognoscere valeat, et a quo solo licite sacramenta suscipiant, aut alio utiliori modo, prout loci qualitas exegerit, provideant. Idemque in iis civitatibus ac locis, ubi nullae sunt parochiales, quamprimum fieri curent, non obstantibus quibuscunque privilegiis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus. [l. c. pag. 366—367.]

C. XVIII. *Ecclesia parochiali vacante deputandus ab episcopo vicarius, donec illi provideatur de parocho. Nominati ad parochiales qua forma et a quibus examinari debent.*

Expedit maxime animarum saluti, a dignis atque idoneis parochis gubernari. Id ut diligentius ac rectius perficiatur, statuit sancta synodus, ut, quum parochialis ecclesiae vacatio, etiamsi cura ecclesiae vel episcopo incumbere dicatur, et per unum vel plures administretur, etiam in ecclesiis patrimonialibus seu receptivis nuncupatis, in quibus consuevit episcopus uni vel pluribus curam animarum dare, quos omnes ad, infra scriptum examen teneri mandat, per obitum vel resignationem, etiam in curia seu aliter quomodocunque contigerit, etiam si ipsa parochialis ecclesia reservata vel affecta fuerit generaliter vel specialiter, etiam vigore indulti seu privilegii in favorem sanctae Romane ecclesiae cardinalium, seu abbatum vel capitulorum: debeat episcopus statim, habita notitia vacationis ecclesiae, si opus fuerit, idoneum in ea vicarium cum congrua eius arbitrio fructuum portionis assignatione constituere, qui onera ipsius ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur. Porro episcopus, et qui ius patronatus habet, intra decem dies vel aliud tempus ab episcopo praescribendum idoneos aliquot clericos ad regendam ecclesiam coram deputandis examinatoribus nominet. Liberum sit tamen etiam aliis, qui aliquos ad id aptos noverint, eorum nomina deferre, ut possit postea de cuiuslibet aetate, moribus et sufficientia fieri diligens inquisitio. Et si episcopo aut synodo provinciali pro regionis more videbitur magis expedire, per edictum etiam publicum vocentur qui volent examinari. Transacto constituto tempore omnes, qui descripti fuerint, examinentur ab episcopo, sive eo impedito ab eius vicario generali atque ab aliis examinatoribus non paucioribus quam tribus, quorum votis, si pares aut singulares fuerint, accedere possit episcopus vel vicarius, quibus magis videbitur. Examinatores autem singulis annis in dioecesana synodo ab episcopo vel eius vicario ad minus sex proponantur, qui synodo satisfaciant et ab ea probentur. Advenienteque vacatione cuiuslibet ecclesiae tres ex illis eligat episcopus, qui cum eo examen perficiant, indeque succedente alia vacatione aut eosdem, aut alios tres, quos maluerit, ex praedictis illis sex eligat. Sint vero hi examinatores magistri seu doctores aut licentiati in theologia aut iure canonico, vel alii clerici seu regulares, etiam ex ordine mendicantium aut etiam saeculares, qui ad id videbuntur magis idonei, iurentque omnes ad sancta Dei evangelia, se quacunque humana affe-

ctione postposita fideliter munus exsecuturos. Caveantque, ne quicquam prorsus occasione huius examinis nec ante nec post accipiant; alioquin simoniae vitium tam ipsi quam alii dantes incurrant, a quo absolvi nequeant nisi dimissis beneficiis, quae quomodocunque etiam antea obtinebant, et ad alia in posterum inhabiles reddantur. Et de his omnibus non solum coram Deo, sed etiam in synodo provinciali, si opus erit, rationem reddere teneantur, a qua, si quid contra officium eos fecisse compertum fuerit, graviter eius arbitrio puniri possint. Peracto deinde examine renuncietur quotcunque ab his idonei iudicati fuerint aetate, moribus, doctrina, prudentia et aliis rebus ad vacantem ecclesiam gubernandam opportunis. Ex hisque episcopus eum eligat, quem ceteris magis idoneum iudicaverit, atque illi, et non alteri, collatio ecclesiae ab eo fiat, ad quem spectabit eam conferre. Si vero iuris patronatus ecclesiastici erit, ac institutio ad episcopum, et non ad alium pertineat, is, quem patronus digniorem inter probatos ab examinatoribus iudicabit, episcopo praesentare teneatur, ut ab eo instituatur. Quum vero istitutio ab alio, quam ab episcopo, erit facienda, tunc episcopus solus ex dignis eligat digniorem, quem patronus ei praesentet, ad quem institutio spectat. Quod si iuris patronatus laicorum fuerit, debeat qui a patrono praesentatus fuerit ab eisdem deputatis ut supra examinari, et non nisi idoneus repertus fuerit admitti. In omnibusque supradictis casibus non cuiquam alteri, quam uni ex praedictis examinatis et ab examinatoribus approbatis, iuxta supradictam regulam, de ecclesia provideatur, nec praedictorum examinatorum relationem, quo minus exsecutionem habeat, ullo devolutio aut appellatio, etiam ad sedem apostolicam sive eiusdem sedis legatos aut vicelegatos aut nuncios, seu episcopos aut metropolitanos, primates vel patriarchas interposita impediat aut suspendat; alioquin vicarius quem ecclesiae vacanti antea episcopus arbitrio suo ad tempus deputavit, vel forsan postea deputabit, ab eius ecclesiae custodia et administratione non amoveatur, donec aut eidem, aut alteri, qui probatus et electus fuerit, ut supra, sit provisum. Alias provisiones omnes seu institutiones, praeter supradictam formam factae, surreptitiae esse censeantur, non obstantibus huic decreto exemptionibus, indultis, privilegiis, praeventionibus, affectionibus, novis provisionibus, indultis concessis quibuscunque universitatibus, etiam ad certam summam, et aliis impedimentis quibuscunque. Si tamen adeo exigui reditus dictae parochiales fuerint, ut totius huius examinationis operam non ferant, aut nemo sit qui se examini quaerat subiicere, aut ob apertas factiones seu dissidia, quae in aliquibus locis reperiuntur, facile graviores rixae ac tumultus possint excitari: poterit ordinarius, si pro sua conscientia cum deputatorum consilio ita expedire arbitrabitur, hac forma omissa privatum aliud examen, ceteris tamen ut supra servatis, adhibere. Licebit etiam synodo provinciali, si qua in supradictis circa examinationis formam addenda remittendave esse censuerit, providere. [l. c. pag. 378—379.]

268. PIUS VI. (1775—1799).

Bulla Pii VI. («*Auctorem fidei*») qua damnatur Synodus Pistoriensis (a. 1794).

* *Corpus iur. can.* ed. Richter. Tom. II. Appendix p. 148. Friedberg, *Lehrbuch.* § 71. Scaduto, *Stato e Chiesa sotto Leopoldo I. Granduca di Toscana (1765—1790).* Firenze 1885. §§ 2, 3, 5.

De potestate communitati Ecclesiae attributa, ut per hanc Pastoribus communicetur. (Epist. convoc.)

II. Propositio quae statuit: «Potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt eius ministri pro salute animarum» — sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas: Haeretica.

XIV. ORDINES ET CONGREGATIONES.

Miraeus, *Originum monasticarum Libri IV.* Col. 1620. Altessera, *Asceticon sive originum rei monast. Libri X.* Paris. 1674. 4. ed. Glück, Hal. 1782. Helyot, *Histoire des ordres monastiques.* Par. 1714. Henrion, *Histoire des ordres religieux.* Paris 1835. Montalambert, *Les moines de l' Occident.* Paris 1860 seq. Heré Bazin, *Les grands ordres et congregations de femmes.* Paris 1889. Heimbucher, *Die Orden und Congregationen der kathol. Kirche.* Paderborn 1896—1897. Harnack, *Das Mönchtum, seine Ideale und seine Geschichte.* Giessen 1903. 6. ed. Allies, *The monastic life from the Fathers of the Desert to Charlemagne.* London 1896. Woodhouse, *Monasticism ancient and modern.* London 1896. Whishart, *History of Monks and Monasteries.* London 1900. Völter, *Der Ursprung des Mönchtums.* Tübingen 1900. Vermeerch, *Praelectiones canonicae.* Tom. I. Brug. 1902. Scherer, *Kirchenrecht.* Tom. II. p. 708. seq. Friedberg, *Lehrbuch.* §§ 86—89. Sägmüller, *Lehrbuch.* § 183—190. Stutz, *Kirchenrecht.* § 82.

---

269. REGULA S. BENEDICTI ABBATIS CASINENSIS († 593).[1]

* Holstenius, *Codex Regularum monasticarum et canonicarum.* Aug. Vindelicorum 1759. T. I. p. 115 seq. Marténe, *Commentarius in Regulam S. Benedicti litteralis, moralis, historicus.* Par. 1690. Calmet, *Commentaire litérale, hist. et morale sur la régle de S. Benoit.* Par. 1734. Wölflin, (*Sitzungsberichte der bayr. Akademie.* 1895. Tom. III. p. 429 seq.). Traube, *Textgeschichte der Regel des heil. Benedikts.* München 1898. Grützmacher, *Bedeutung Benedikts von Nursia und seiner Regel in der Geschichte des Mönchtums.* Berlin 1892. Clausse, *Les origines bénédictines.* Paris 1899. *Regulae Benedictinae.* Monticass. 1900. *Explication ascétique et historique de la régle de St. Benoit par un Bénédictin.* Paris 1901. Heimbucher, *Die Orden und Congregationen.* T. I. § 18.

Cap. I. *De generibus vel vita Monachorum.* Monachorum quatuor esse genera manifestum est. Primum, Coenobitarum: hoc est, monasteriale, militans sub Regula, vel Abbate. Deinde secundum genus est Ana-

[1]) *Omittuntur:* Cap. IV. Quae sunt instrumenta bonorum operum. C. VII. De humilitate. C. VIII. De officiis divinis in noctibus. C. IX. Quanti Psalmi dicendi sunt nocturnis horis. C. X. Qualiter aestatis tempore agatur nocturna

choretarum, id est, Eremitarum; horum, qui non conversionis fervore novitio, sed Monasterii probatione diuturna didicerunt contra diabolum multorum solatio jam docti pugnare: et bene instructi fraterna ex acie ad singularem pugnam Eremi, securi jam sine consolatione alterius, sola manu vel brachio contra vitia carnis, vel cogitationum, Deo auxiliante, pugnare sufficiunt. Tertium vero Monachorum teterrimum genus est Sarabitarum, qui nulla regula approbati, vel experientia magistra, sicut aurum fornacis: sed in plumbi natura molliti, adhuc operibus servantes saeculo fidem, mentiri Deo per tonsuram noscuntur. Qui bini, aut terni, aut certe singuli sine pastore, non Dominicis, sed suis inclusi ovilibus, pro lege eis est desideriorum voluptas: cum quidquid putaverint, vel elegerint, hoc dicunt sanctum; et noluerint, hoc putant non licere. Quartum vero genus est Monachorum, quod nominatur gyrovagum; qui tota vita sua per diversas Provincias ternis aut quaternis diebus per diversorum cellas hospitantur, semper vagi, et nunquam stabiles, et propriis voluptatibus, et gulae illecebris servientes; et per omnia deteriores Sarabaitis: de quorum omnium miserrima conversatione melius est silere quam loqui. His ergo omissis, ad Coenobitarum fortissimum genus disponendum, adjuvante Domino, veniamus.

Cap. II. *Qualis debeat Abbas esse.* Abbas, qui praeesse dignus est Monasterio, semper meminere debet, quod dicitur, et nomen majoris factis implere. Christi enim agere vices in Monasterio creditur, quando ipsius vocatur pronomine, dicente Apostolo: *Accepistis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba Pater.* Ideoque Abbas nihil extra praeceptum Domini (quod absit) debet docere aut constituere, vel jubere: sed jussio ejus

---

laus. C. XI. Qualiter diebus dominicis vigiliae agantur. C. XII. Quomodo matutinorum solemnitas agatur. C. XIII. Privatis diebus qualiter matutini agantur. C. XIV. In natalitiis sanctorum qualiter agantur vigiliae. C. XV. Alleluja quibus temporibus dicatur. C. XVI. Qualiter divina opera per diem agantur. C. XVII. Quot psalmi per easdem horas canendi sunt. C. XVIII. Quo ordine ipsi Psalmi dicendi sint. C. XIX. De disciplina psallendi. C. XX. De reverentia orationis. C. XLI. Quibus horis oporteat reficere fratres. C. XLII. Ut post completorium nemo loquatur. C. XLIII. De iis, qui ad opus Dei vel ad mensam tarde occurrunt. C. XLIV. De iis, qui excommunicantur, quomodo satisfaciant. C. XLV. De iis, qui falluntur in Oratorio. C. XLVI. De iis, qui in aliis quibuslibet rebus delinquunt. C. XLVII. De significanda hora operis Dei. C. XLXIX. De Quadragesimae observatione. C. L. De fratribus qui longe ab oratorio laborant, aut in via sunt. C. LI. De fratribus qui non satis longe proficiscuntur. C. LII. De Oratorio Monasterii. C. LVI. De mensa Abbatis. C. LVII. De artificibus Monasterii. C. LX. De sacerdotibus qui voluerint in Monasterio habitare. C. LXI. De monachis peregrinis qualiter suscipiantur. C. LXII. De sacerdotibus monasterii. C. LXIII. De ordine Congregationis. C. LXV. De praeposito Monasterii. C. LXVI. De ostiario Monasterii. C. LXVII. De fratribus in via directis. C. LXXI. Ut obedientes sint sibi invicem fratres. C. LXXII. De zelo bono, quem debent Monachi habere. C. LXXIII. De eo, quod non omnis observatio iustitiae in hac sit regula constituta.

vel doctrina fermentum divinae justitiae in discipulorum mentibus conspergatur. Memor sit semper Abbas, quia doctrinae suae, vel discipulorum obedientiae, utrarumque rerum in tremendo judicio Dei facienda erit discussio. Sciatque Abbas culpae Pastoris incumbere, quidquid in ovibus paterfamilias utilitatis minus potuerit invenire. Tantundem iterum erit liber, ut si inquieto vel inobedienti gregi pastoris fuerit omnis diligentia attributa, et morbidis earum actibus universa fuerit cura exhibita, pastor earum in judicio Domini absolutus, dicat cum Propheta Domino: *Justitiam tuam non abscondi in corde meo; veritatem tuam, et salutare tuum dixi:* ipsi autem contemnentes spreverunt me. Et tunc demum inobedientibus curae suae ovibus poena sit eis praevalens ipsa mors.

Ergo cum aliquis suscipit nomen Abbatis, duplici debet doctrina suis praeesse discipulis; id est, omnia bona et sancta factis amplius quam verbis ostendat: ut capacibus discipulis mandata Domini verbis proponat; duris vero corde et simplicioribus, factis suis divina praecepta demonstret. Omnia vero, quae discipulis docuerit esse contraria, in suis factis indicet non agenda: ne aliis praedicans, ipse reprobus inveniatur. Ne quando illi dicat Deus peccanti: *Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Tu vero odisti disciplinam, et projecisti sermones meos post te.* Et qui in fratris tui oculo festucam videbas, in tuo trabem non vidisti? Non ab eo persona in Monasterio discernatur: non unus plus ametur quam alius, nisi quem in bonis actibus, aut obedientia invenerit meliorem. Non convertenti ex servitio praeponatur ingenuus; nisi alia rationabilis causa existat. Quod si ita justitia dictante Abbati visum fuerit, et de cujuslibet ordine id faciat; sin alias, propria teneant loca: quia sive servus, sive liber, omnes in Christo unum sumus; et sub uno Domino aequalem servitutis militiam bajulamus: quia non est apud Deum personarum acceptio. Solummodo in hac parte apud ipsum discernimur, si meliores ab aliis in operibus bonis, et humiles inveniamur. Ergo aequalis sit ab eo omnibus charitas; una praebeatur omnibus, secundum merita, disciplina.

In doctrina sua namque Abbas Apostolicam debet illam semper formam servare, in qua dicit: *Argue, obsecra, increpa;* id est, miscens temporibus tempora, terroribus blandimenta, dirum magistri, pium patris ostendat affectum: id est, indisciplinatos et inquietos debet durius arguere; obedientes autem et mites et patientes, ut in melius proficiant, obsecrare. Negligentes et contemnentes ut increpet et corripiat, admonemus. Neque dissimulet peccata delinquentium; sed mox ut coeperint oriri, radicitus ea, ut praevalet, amputet: memor periculi Heli Sacerdotis de Silo. Et honestiores quidem atque intelligibiles animos prima vel secunda admonitione verbis corripiat: improbos autem et duros, ac superbos, vel inobedientes verberum vel corporis castigatione, in ipso initio peccati coërceat; sciens

scriptum: *Stultus verbis non corrigitur.* Et iterum: *Percute filium tuum virga, et liberabis animam ejus a morte.*

Meminere debet semper Abbas, quod est; meminere, quod dicitur; et scire, quia cui plus committitur, plus ab eo exigitur: sciatque quam difficilem et arduam rem suscepit, regere animas, et multorum servire moribus. Et alium quidem blandimentis, alium vero increpationibus, alium suasionibus: et secundum uniuscujusque qualitatem vel intelligentiam, ita se omnibus conformet et aptet, ut non solum detrimenta gregis sibi commissi non patiatur; verum in augmentatione boni gregis gaudeat. Ante omnia ne dissimulans aut parvipendens salutem animarum sibi commissarum, plus gerat solicitudinem de rebus transitoriis et terrenis, atque caducis; sed semper cogitet, quia animas suscepit regendas, de quibus et rationem redditurus est. Et ne causetur de minori forte substantia, meminerit scriptum: *Primum quaerite regnum Dei, et justitiam ejus et haec omnia adijcientur vobis.* Et iterum: *Nihil deest timentibus eum.* Sciatque, quia qui suscipit animas regendas, praeparet se ad rationem reddendam. Et quantum sub cura sua fratrum se habere scierit numerum, agnoscat pro certo, quia in die judicii ipsarum omnium animarum est redditurus Domino rationem, sine dubbio addita et suae animae: et ita timens semper futuram discussionem pastoris de creditis ovibus, cum de alienis ratiociniis cavet, redditur de suis solicitus: et cum de admonitionibus suis emendationem aliis subministrat, ipse quoque efficitur a vitiis emendatus.

Cap. III. *De adhibendis ad consilium fratribus.* Quoties aliqua praecipua agenda sunt in Monasterio, convocet Abbas omnem Congregationem, et dicat ipse unde agitur: et audiens consilium fratrum, tractet apud se, et quod utilius judicaverit, faciat. Ideo autem omnes ad consilium vocari diximus; quia saepe juniori Dominus revelat, quod melius est. Sic autem dent fratres consilium cum omni humilitatis subjectione; et non praesumant procaciter defendere, quod eis visum fuerit: sed magis in Abbatis pendeat arbitrio; ut quod salubrius esse judicaverit, ei cuncti obediant. Sed sicut discipulis convenit obedire magistro, ita et ipsum provide et juste condecet cuncta disponere. In omnibus igitur omnes magistram sequantur Regulam, neque ab ea temere declinetur a quoquam.

Nullus in Monasterio proprii sequatur cordis voluntatem: neque praesumat quisquam cum Abbate suo proterve intus aut foris Monasterium contendere, quod si praesumpserit regulari disciplinae subjaceat. Ipse tamen Abbas cum timore Dei et observatione Regulae omnia faciat; sciens se procul dubio de omnibus judiciis suis aequissimo judici Deo rationem redditurum. Si qua vero minora agenda sunt in Monasterii utilitatibus, seniorum tantum utatur consilio; sicut scriptum est: *Omnia fac cum consilio, et post factum non poenitebis.*

Cap. V. *De Obedientia.* Primus humilitatis gradus est obedientia sine

mora. Haec convenit iis, qui nihil sibi a Christo charius aliquid existimant, propter servitium sanctum, quod professi sunt, seu propter metum gehennae; vel gloriam vitae aeternae; mox ut aliquid imperatum a majore fuerit, ac si divinitus imperetur, moram pati nesciunt in faciendo: de quibus Dominus dicit: *Obauditu auris obedivit mihi.* Et item dicit Doctoribus: *Qui vos audit, me audit.* Ergo hi tales relinquentes statim quae sua sunt, et voluntatem propriam deserentes mox ex occupatis manibus, et quod agebant imperfectum relinquentes, vicino obedientiae pede jubentis vocem factis sequuntur; et veluti uno momento praedicta Magistri jussio, et perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei, ambae res communiter citius explicantur, quibus ad vitam aeternam gradiendi amor incumbit. Ideo angustam viam arripiunt: unde Dominus dicit: *Angusta via est, quae ducit ad vitam,* ut non suo arbitrio viventes, vel desideriis suis et voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio et imperio, in coenobiis degentes, Abbatem sibi praeesse desiderant. Sine dubio hi tales illam Domini imitantur sententiam qua dicit: *Non veni facere voluntatem meam, sed ejus qui misit me.* Sed haec ipsa obedientia tunc acceptabilis erit Deo, et dulcis hominibus; si quod jubetur, non trepide, non tarde, non tepide, aut cum murmure, vel cum responso nolentis efficiatur: quia obedientia quae majoribus praebetur, Deo exhibetur. Ipse enim dixit: *Qui vos audit, me audit.* Et cum bono animo a discipulis praeberi oportet: *quia hilarem datorem diligit Deus.* Nam cum malo animo si obedit discipulus, et non solum ore, sed etiam in corde si murmuraverit; etiamsi impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Et pro tali facto nullam consequitur gratiam: imo poenam murmurantium incurrit, si non cum satisfactione emendaverit.

Cap. VI. *De Taciturnitate.* Faciamus, quod ait Propheta: *Dixit, custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea: posui ori meo custodiam: obmutui, et humiliatus sum, et silui a bonis.* Hic ostendit Propheta, si a bonis eloquiis interdum propter taciturnitatem debet tacere, quanto magis a malis verbis propter poenam peccati debet cassare? Ergo quamvis de bonis et sanctis, et aedificationum eloquiis, perfectis discipulis, propter taciturnitatis gravitatem, rara loquendi concedatur licentia: quia scriptum est: *In multiloquio non effugies peccatum.* Et alibi: *Mors et vita in manibus linguae.* Nam loqui et docere Magistrum condecet; tacere et audire discipulo convenit. Et ideo si qua requirenda sunt a Priore, cum omni humilitate et subjectione reverentiae requirantur. Scurrilitates vero, vel verba otiosa et risum moventia, aeterna clausura in omnibus locis damnamus; et ad talia eloquia discipulum aperire os non permittimus.

Cap. XXI. *De Decanis Monasterii.* Si major fuerit Congregatio, eligantur de ipsis fratres boni testimonii, et sanctae conversationis, et constituantur Decani; qui solicitudinem gerant super Decanias suas in omnibus

secundum mandata Dei, et praecepta Abbatis sui. Qui Decani tales eligantur, in quibus securus Abbas partiatur onera sua, et non eligantur per ordinem, sed secundum vitae meritum, et sapientiae doctrinam. Quique Decani, si ex eis aliqua forte quis inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel et iterum, atque tertio, si emendare noluerit, deijciatur; et alter in loco ejus, qui dignus sit, subrogetur. Et de praeposito eadem constituimus.

Cap. XXII. *Quomodo dormiant Monachi.* Singuli per singula lecta dormiant. Lectisternia pro modo conversationis secundum dispensationem Abbatis sui accipiant. Si potest fieri, omnes in uno loco dormiant; sin autem multitudo non sinit, deni aut viceni cum senioribus, qui super eos soliciti sint, pausent. Candela jugiter in eadem cella ardeat usque mane. Vestiti dormiant, et cincti cingulis aut funibus, et cultellos ad latus suum non habeant, dum dormiunt, ne forte per somnum vulnerentur dormientes: et ut parati sint Monachi semper, et facto signo absque mora surgentes festinent invicem se praevenire ad opus Dei, cum omni tamen gravitate et modestia. Adolescentiores fratres juxta se non habeant lecta, sed permixti cum senioribus: surgentes vero ad opus Dei invicem se moderate cohortentur, propter somnolentorum excusationes.

Cap. XXIII. *De excommunicatione culparum.* Si quis frater contumax, aut inobediens, aut superbus, aut murmurans, vel in alio contrarius existens sanctae Regulae, et praeceptis seniorum suorum contemptor repertus fuerit, hic secundum Domini nostri praeceptum admoneatur semel et secundo secrete a senioribus suis. Si non emendaverit, objurgetur publice coram omnibus. Si vero neque sic correxerit, si intelligit qualis poena sit, excommunicationi subjaceat. Sin autem improbus est, vindictae corporali subdatur.

Cap. XXIV. *Qualis debeat esse modus excommunicationis.* Secundum modum culpae, excommunicationis vel disciplinae mensura debet extendi; qui culparum modus in Abbatis pendeat judicio. Si quis tamen frater in levioribus culpis invenitur, a mensae participatione privetur. Privati autem a mensae consortio ista erit ratio, ut in Oratorio Psalmum aut Antiphonam non imponat, neque lectionem recitet usque ad satisfactionem. Refectionem autem cibi post fratrum refectionem solus accipiat, mensura, vel hora qua praeviderit Abbas ei competere; ut si verbi gratia fratres reficiunt sexta hora, ille frater nona: si frater nona, ille vespertina, usque dum satisfactione congrua veniam consequatur.

Cap. XXV. *De gravioribus culpis.* Is autem frater, qui gravioris culpae noxa tenetur, suspendatur a mensa simul et ab oratorio. Nullus ei fratrum in ullo jungatur consortio, neque in colloquio. Solus sit ad opus sibi injunctum, persistens in poenitentiae luctu; sciens illam terribilem Apostoli sententiam dicentis: *Traditum hujusmodi hominem satanae in interitum carnis, ut spiritus salvus sit in die Domini.* Cibi autem refectionem

solus percipiat, mensura, vel hora, qua praeviderit ei Abbas competere. Nec a quoquam benedicatur transeunte, nec cibus, qui ei datur.

Cap. XXVI. *De iis, qui sine jussione Abbatis junguntur excommunicatis.* Si quis frater praesumpserit sine jussione Abbatis fratri excommunicato quolibet modo se jungere, aut loqui cum eo, vel mandatum ei dirigere, similem sortiatur excommunicationis vindictam.

Cap. XXVII. *Qualiter debeat Abbas solicitus esse circa excommunicatos.* Omni solicitudine curam gerat Abbas circa delinquentes fratres; quia *non est opus sanis medicus, sed male habentibus.* Et ideo uti debet omni modo, ut sapiens medicus: immittere synpaectas, id est, seniores sapientes fratres, qui quasi secrete consolentur fratrem fluctuantem, et provocent ad humilitatis satisfactionem: et consolentur eum, ne abundantiori tristitia absorbeatur; sed sicut ait Apostolus: *Confirmetur in eo charitas, et oretur pro eo ab omnibus.* Magnopere enim debet solicitudinem gerere Abbas, et omni sagacitate et industria curare, ne aliquam de ovibus sibi creditis perdat. Noverit enim se infirmarum curam suscepisse animarum, non super sanas tyrannidem: et metuat Prophetae comminationem, per quem dicit Deus: *Quod crassum videbatis, assumebatis; et quod debile erat projiciebatis.* Et pastoris boni pium imitetur exemplum, qui relictis nonaginta novem ovibus in montibus, abiit unam ovem, quae erraverat, quaerere; cujus infirmitati in tantum compassus est, ut eam in sacris humeris suis dignaretur imponere, et sic reportare ad gregem.

Cap. XXVIII. *De iis, qui saepius correpti non emendaverint.* Si quis frater frequenter correptus pro qualibet culpa, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correptio; id est, ut verberum vindicta in eum procedat. Quod si nec ita correxerit, aut forte, quod absit, in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua; tunc Abbas faciat, quod sapiens medicus. Si exhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, si medicamina scripturarum divinarum, si ad ultimum ustionem excommunicationis, vel plagarum virgas, etiam si viderit nihil suam praevalere industriam; adhibeat etiam, quod majus est, suam et omnium fratrum pro eo orationem; ut Dominus, qui omnia potens est, operetur salutem circa infirmum fratrem. Quod si nec isto modo sanatus fuerit, tunc jam utatur Abbas ferro abscissionis, ut ait Apostolus: *Auferte malum ex vobis:* Et iterum: *Infidelis si discedit, discedat;* ne una ovis morbida omnem gregem contaminet.

Cap. XXIX. *Si debeant iterum recipi fratres exeuntes de Monasterio.* Frater, qui proprio vitio egreditur de Monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egressus est; et sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus humilitas comprobetur. Quod si denuo exierit, usque tertio ita recipiatur; jam postea sciens omnem sibi reversionis aditum denegari.

Cap. XXX. *De pueris minori aetate, qualiter corripiantur.* Omnis aetas vel intellectus proprias debet habere mensuras. Ideoque quoties pueri vel adolescentiores aetate, aut qui minus intelligere possunt, quanta poena sit excommunicationis, hi tales, dum delinquunt, aut jejuniis nimiis affligantur, aut acribus verberibus coërceantur, ut sanentur.

Cap. XXXI. *De cellario Monasterii qualis debeat esse.* Cellarius Monasterii eligatur de Congregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, non multum edax, non elatus, non turbulentus, non injuriosus, non tardus, non prodigus, sed timens Deum: qui omni Congregationi sit sicut Pater. Curam gerat de omnibus: sine jussione Abbatis nihil faciat. Quae jubentur, custodiat; fratres non contristet. Si quis frater ab eo forte aliqua irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet; sed rationabiliter cum humilitate male petenti deneget. Animam suam custodiat, memor semper illud Apostolicum: *Quia qui bene ministraverit, gradum bonum sibi acquirit.* Infirmorum, infantium, hospitum, pauperumque cum omni solicitudine curam gerat: sciens sine dubio, quia pro his omnibus in die judicii rationem redditurus est.

Omnia vasa Monasterii, cunctamque substantiam, ac si altaris vasa sacrata, conspiciat. Nihil ducat negligendum, neque avaritiae studeat, neque prodigus sit, et exstirpator substantiae Monasterii: sed omnia mensurate faciat, et secundum jussionem Abbatis sui. Humilitatem ante omnia habeat: et cui substantia non est quae tribuatur, sermo responsionis porrigatur bonus: quia scriptum est: *Sermo bonus super datum optimum.* Omnia quae ei injunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua; a quibus eum prohibuerit, non praesumat. Fratribus constitutam annonam sine aliquo typho, vel mora offerat, ut non scandalizentur: memor divini eloquii, quid mereatur, qui scandalizaverit unum de pusillis. Si Congregatio major fuerit, solatia ei dentur; a quibus adjutus et ipse aequo animo impleat officium sibi commissum. Horis competentibus dentur quae danda sunt, et petantur quae petenda sunt: ut nemo perturbetur, neque contristetur in domo Dei.

Cap. XXXII. *De ferramentis, vel rebus Monasterii.* Substantia Monasterii in ferramentis, vel vestibus, seu quibuslibet rebus, provideat Abbas fratres, de quorum vita et moribus securus sit, et eis singula, ut utile judicaverit, consignet custodienda atque recolligenda. Ex quibus Abbas breve teneat: ut dum sibi in ipsa assignata fratres vicibus succedunt; sciat quid dat, aut quid recipit. Si quis autem sordide aut negligenter res Monasterii tractaverit, corripiatur: si non emendaverit, disciplinae regulari subjaceat.

Cap. XXXIII. *Si quid debeant Monachi proprium habere.* Praecipue hoc vitium peculiare radicitus amputandum est de Monasterio; ne quis praesumat aliquid dare aut accipere sine jussione Abbatis, neque aliquid habere proprium, nullam omnino rem, neque codicem, neque tabulas, neque graphium, sed nihil omnino: quippe quibus nec corpora sua, nec vo-

luntates licet habere in propria potestate. Omnia vero necessaria a Patre sperare Monasterii: nec quidquam liceat habere, quod Abbas non dederit, aut permiserit. Omniaque omnibus sint communia, ut scriptum est: nec quisquam suum esse aliquid dicat, aut praesumat. Quod si quisquam hoc nequissimo vitio deprehensus fuerit delectari, admoneatur semel et iterum; si non emendaverit, correptioni subjaceat.

Cap. XXXIV. *Si omnes aequaliter debeant necessaria accipere.* Sicut scriptum est: *Dividebatur singulis, prout cuique opus erat.* Ubi non dicimus, quod personarum, quod absit, acceptio sit; sed infirmitatum consideratio. Ubi qui minus indiget, agat Deo gratias, et non contristetur; qui vero plus indiget, humilietur pro infirmitate, et non extollatur pro misericordia; et ita omnia membra erunt in pace. Ante omnia ne murmurationis malum pro qualicunque causa, in aliquo qualicunque verbo vel significatione appareat. Quod si deprehensus fuerit, districtiori disciplinae subdatur.

Cap. XXXV. *De Septimanariis coquinae.* Fratres sibi invicem serviant, ut nullus excusetur a coquinae officio; nisi aut aegritudine, aut in causa gravis utilitatis quis occupatus fuerit: quia exinde maior merces et charitas acquiritur. Imbecillibus autem procurentur solatia, ut non cum tristitia hoc faciant; sed habeant omnes solatia secundum modum congregationis, aut positionem loci. Si major fuerit Congregatio, Cellarius excusetur a coquina, vel si qui, ut diximus, majoribus utilitatibus occupantur; caeteri sibi charitate invicem serviant. Egressurus de septimana Sabbato munditias faciat. Lintea cum quibus sibi fratres manus ac pedes tergunt, lavet. Pedes vero tam ipse, qui egreditur, quam ille qui intraturus est, omnibus lavent. Vasa ministerii sui munda et sana Cellario reconsignet. Qui Cellarius item intranti consignet, ut sciat quid dat, aut quid recipit.

Septimanarii autem ante unam horam refectionis accipiant super statutam annonam singulos biberes, et panem; ut hora refectionis sine murmuratione, et gravi labore serviant fratribus suis. In diebus tamen solemnibus usque ad Missas sustineant. Intrantes autem et exeuntes hebdomadarii in oratorio, mox Matutinis finitis Dominica omnium genibus provolvantur, postulantes pro se orari. Egrediens autem de septimana dicat hunc versum: *Benedictus es Domine Deus qui adjuvisti me, et consolatus es me.* Quo dicto tertio, accepta benedictione egrediens, subsequatur ingrediens, et dicat: *Deus in adjutorium meum intende, Domine ad adjuvandum me festina.* Et hoc idem tertio repetatur ab omnibus, et accepta benedictione ingrediatur.

Cap. XXXVI. *De infirmis fratribus.* Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda est; ut sicut revera Christo, ita eis serviatur; quia ipse dixit: *Infirmus fui, et visitastis me.* Et: *Quod fecistis uni de his minimis meis, mihi fecistis.* Sed et ipsi infirmi considerent in honorem Dei sibi serviri; et non superfluitate sua contristent fratres suos servientes

sibi. Qui tamen patienter portandi sunt; quia de talibus copiosior merces acquiritur. Ergo cura maxima sit Abbati, ne aliquam negligentiam patiantur. Quibus fratribus infirmis sit cella super se deputata, et servitor timens Deum, et diligens, ac solicitus.

Balneorum usus infirmis, quoties expedit, offeratur. Sanis autem, et maxime juvenibus, tardius concedatur. Sed et carnium esus infirmis omnino debilibus pro reparatione concedatur. At ubi meliorati fuerint, a carnibus more solito omnes abstineant. Curam autem maximam habeat Abbas ne a cellariis, aut servitoribus negligantur infirmi: quia ad ipsum respicit, quidquid a discipulis delinquitur.

Cap. XXXVII. *De senibus, vel infantibus.* Licet ipsa natura humana trahatur ad misericordiam in his aetatibus, senum videlicet et infantum; tamen et Regulae auctoritas ei prospiciat. Consideretur semper in eis imbecillitas, et nullatenus eis districtio Regulae teneatur in alimentis: sed sit in eis pia consideratio, et praeveniant Horas Canonicas.

Cap. XXXVIII. *De hebdomadario lectore.* Mensis fratrum edentium lectio deesse non debet: nec fortuito casu qui arripuerit codicem, legere audeat ibi; sed lecturus tota hebdomada, die Dominica ingrediatur. Qui ingrediens post missas et communionem, petat ab omnibus pro se orari, ut avertat ab ipso Deus spiritum elationis. Et dicatur hic versus in oratorio tertio ab omnibus, ipso tamen incipiente: *Domine labia mea aperies, et os meum annunciabit laudem tuam.* Et sic accepta benedictione, ingrediatur ad legendum: et summum fiat silentium ad mensam, ut nullius mussitatio, vel vox nisi solius legentis, ibi audiatur. Quae vero necessaria sunt comedentibus et bibentibus, sic sibi vicissim ministrent fratres, ut nullus indigeat petere aliquid. Si quid tamen opus fuerit, sonitu cujuscumque signi potius petatur, quam voce. Nec praesumat ibi aliquis de ipsa lectione, aut aliunde quidquam requirere, ne detur occasio maligno: nisi forte Prior voluerit pro aedificatione aliquid breviter dicere. Frater autem hebdomadarius accipiat mixtum priusquam incipiat legere, propter communionem sanctam, et ne forte grave sit ei jejunium sustinere. Postea autem cum coquinae hebdomadariis, et servitoribus reficiat. Fratres autem non per ordinem legant, aut cantent; sed qui aedificent audientes.

Cap. XXXIX. *De mensura ciborum.* Sufficere credimus ad refectionem quotidianam, tam Sextae, quam Nonae, omnibus mensis cocta duo pulmentaria, propter diversorum infirmitates; ut forte, qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur. Ergo duo pulmentaria cocta fratribus omnibus sufficiant; et si fuerint inde poma: aut nascentia leguminum, addatur et tertium. Panis libra una propensa sufficiat in die, sive una sit refectio, sive prandii, et coenae. Quod si coenaturi sunt, de eadem libra, tertia pars a Cellario servetur, reddenda coenaturis. Quod si labor forte factus fuerit major, in arbitrio et potestate Abbatis erit, si expediat aliquid augere, re-

mota prae omnibus crapula, et ut nunquam surripiat Monacho indigeries. Quia nihil sic contrarium est omni Christiano, quomodo crapula, sicut ait Dominus noster: *Videte ne graventur corda vestra in crapula.* Pueris vero minori aetate non eadem servetur quantitas, sed minor quam majoribus, servata in omnibus parcitate. Carnium vero quadrupedum ab omnibus abstineatur comestio, praeter omnino debiles et aegrotos.

Cap. XL. *De mensura potus. Unusquisque proprium habet donum ex Deo; alius sic, alius vero sic.* Et ideo cum aliqua scrupulositate a nobis mensura victus aliorum constituitur; tamen infirmorum contuentes imbecillitatem, credimus heminam vini per singulos sufficere per diem. Quibus autem donat Deus tolerantiam abstinentiae, propriam se habituros mercedem sciant. Quod si aut loci necessitas, vel labor, aut ardor aestatis amplius poposcerit; in arbitrio Prioris consistat: considerans in omnibus, ne surrepat satietas, aut ebrietas. Licet legamus, vinum omnino Monachorum non esse; sed quia nostris temporibus id Monachis persuaderi non potest, saltem vel hoc consentiamus, ut non usque ad satietatem bibamus, sed parcius: quia vinum apostatare facit etiam sapientes. Ubi autem necessitas loci exposcit, ut nec suprascripta mensura inveniri possit, sed multo minus, aut ex toto nihil; benedicant Deum, qui ibi habitant, et non murmurent. Hoc omnino admonentes, ut absque murmurationibus sint.

Cap. XLVIII. *De opere manuum quotidiano.* Otiositas inimica est animae: et ideo certis temporibus occupari debent fratres in labore manuum, certis iterum horis in lectione divina. Ideoque hac dispositione credimus utraque tempora ordinari; id est, ut a Pascha usque ad Kalendas Octobres, mane exeuntes a prima usque ad horam pene quartam laborent, quod necessarium fuerit. Ab hora autem quarta usque ad horam quasi sextam lectioni vacent. Post sextam autem surgentes a mensa pausent in lectis suis, cum omni silentio: aut forte, qui voluerit legere, sibi sic legat, ut alium non inquietet: et agatur nona temperius, mediante octava hora; et iterum quod faciendum est operentur usque ad Vesperam. Si autem necessitas loci, aut paupertas exegerit, ut ad fruges colligendas per se occupentur, non contristentur: quia tunc vere Monachi sunt, si labore manuum suarum vivunt, sicut et Patres nostri, et Apostoli: omnia tamen mensurate fiant propter pusillanimes.

A Kalendis autem Octobris usque ad caput Quadragesimae, usque in horam secundam plenam, lectioni vacent. Hora secunda agatur Tertia: et usque ad nonam omnes in opus suum laborent, quod eis injungitur. Facto autem primo signo nonae horae, disjungant ab opere singuli, et sint parati, dum secundum signum pulsaverit. Post refectionem autem vacent lectionibus suis, aut Psalmis.

In Quadragesimae vero diebus a mane usque ad Tertiam plenam lectioni vacent: et usque ad decimam horam plenam operentur quod eis

iniungitur. In quibus diebus Quadragesimae, accipiant omnes singulos codices de Bibliotheca, quos per ordinem ex integro legant. Qui codices in caput Quadragesimae dandi sunt. Ante omnia sane deputentur unus aut duo seniores, qui circumeant Monasterium horis, quibus vacant fratres lectioni: et videant, ne forte inveniatur frater accidiosus, qui vacet otio aut fabulis, et non sit intentus lectioni: et non solum sibi inutilis sit, sed etiam alios extollat. Hic talis si, quod absit, repertus fuerit, corripiatur semel et secundo: si non emendaverit, correctioni regulari subjaceat taliter, ut caeteri timeant. Neque frater ad fratrem jungatur horis incompetentibus; Dominico item die lectioni vacent omnes; exceptis his, qui variis officiis deputati sunt. Si quis vero ita negligens et desidiosus fuerit, ut non velit, aut non possit meditari, aut legere; injungatur ei opus, quod faciat, ut non vacet. Fratribus infirmis, aut delicatis talis opera aut ars injungatur, ut nec otiosi sint, nec violentia laboris opprimantur, ut effugentur: quorum imbecillitas ab Abbate consideranda est.

Cap. LIII. *De hospitibus suscipiendis.* Omnes supervenientes hospites tanquam Christus suscipiantur; quia ipse dicturus est: *Hospes fui, et suscepistis me.* Et omnibus congruus honor exhibeatur; maxime tamen domesticis fidei, et peregrinis. Ut ergo nuntiatus fuerit hospes, occurratur ei a Priore, vel a fratribus, cum omni officio charitatis: et primitus orent pariter, et sic sibi socientur in pace: quod pacis osculum non prius offeratur, nisi oratione praemissa, propter illusiones diabolicas. In ipsa autem salutatione omnis exhibeatur humilitas. Omnibus venientibus, sive discedentibus hospitibus, inclinato capite, vel prostrato omni corpore in terra, Christus in eis adoretur, qui et suscipitur.

Suscepti autem hospites ducantur ad orationem: et postea sedeat cum eis Prior, aut cui jusserit ipse. Legatur coram hospite lex divina, ut aedificetur: et post haec omnis ei exhibeatur humanitas. Jejunium a Priore frangatur propter hospitem; nisi forte praecipuus sit ille dies jejunii, qui non possit violari. Fratres autem consuetudines jejuniorum prosequantur. Aquam in manibus Abbas hospitibus det: pedes hospitibus omnibus tam Abbas, quam cuncta Congregatio lavet: quibus lotis, hunc versum dicant: *Suscepimus Deus misericordiam tuam in medio templi tui.* Pauperum autem et peregrinorum maxime susceptio omni cura solicite exhibeatur: quia in ipsis magis Christus suscipitur. Nam divitum terror ipse sibi exigit honorem.

Coquina abbatis et hospitum per se sit, ut incertis horis supervenientes hospites, qui nunquam desunt Monasterio, non inquietent fratres. In qua coquina ad annum ingrediantur duo fratres, qui ipsum officium bene impleant: quibus, ut indigent, solatia administrentur; ut absque murmuratione serviant. Et iterum, quando occupationem minorem habent, exeant, ubi eis imperatur, in opera. Et non solum in ipsis, sed et in omnibus officiis Monasterii ista sit consideratio, ut quando indigent, solatia accomoden-

tur eis: et iterum quando vacant, obediant imperanti. Item et cellam hospitum habeat assignatam frater, cujus animam timor Dei possideat: ubi sint lectisternia sufficienter, et domus Dei a sapientibus sapienter administretur. Hospitibus autem, cui non praecipitur, nullatenus societur, neque colloquatur: sed si obviaverit, aut viderit, salutatis humiliter, ut dictum est, et petita benedictione, pertranseat dicens, sibi non licere colloqui cum hospite.

Cap. LIV. *Si debet Monachus literas, vel aliquid suscipere.* Nullatenus liceat Monacho nec a parentibus suis, nec a quoquam hominum, nec sibi invicem literas, eulogias, vel quaelibet munuscula accipere aut dare sine praecepto Abbatis. Quod si etiam a parentibus suis ei quidquam directum fuerit, non praesumat suscipere illud, nisi prius indicatum fuerit Abbati: quod si jusserit suscipi, in Abbatis sit potestate, cui illud jubeat dari. Et non contristetur frater, cui forte directum fuerat; ut non detur occasio diabolo. Qui autem aliter praesumpserit, disciplinae regulari subjaceat.

Cap. LV. *De vestiariis, et calceariis fratrum.* Vestimenta fratribus secundum locorum qualitatem ubi habitant, vel aërum temperiem, dentur: quia in frigidis regionibus amplius indigetur; in calidis vero minus Haec ergo consideratio penes Abbatem est. Nos autem mediocribus locis. sufficere credimus Monachis per singulos cucullam, et tunicam: cucullam in hyeme villosam, in aestate puram, aut vetustam, et scapulare propter opera, indumenta pedum, pedules et caligas. De quarum rerum omnium colore aut grossitudine non causentur Monachi: sed quales inveniri possunt in Provincia, qua degunt, aut quod vilius comparari possit.

Abbas autem de mensura provideat, ut non sint curta ipsa vestimenta utentibus, sed mensurata. Accipientes nova, vetera semper reddant in praesenti, reponenda in vestiario, propter pauperes. Sufficit enim Monacho duas tunicas et duas cucullas habere propter noctes, et propter lavare ipsas res. Jam quod superfluum est amputari debet. Et pedules, et quodcumque est vetus reddant, dum accipiunt novum. Femoralia ii, qui diriguntur in via, de vestiario accipiant; qui revertentes lota ibi restituant. Et cucullae et tunicae sint aliquando a solito, quas habent, modice meliores; quas exeuntes in viam accipiant de vestiario, et revertentes restituant.

Stramenta autem lectorum sufficiant, matta, sagum, laena, et capitale. Quae tamen lecta frequenter ab Abbate scrutanda sunt; propter opus peculiare ne inveniatur. Et si cui inventum fuerit, quod ab Abbate non accepit, gravissimae disciplinae subjaceat. Et ut hoc vitium peculiare radicitus amputetur, dentur ab Abbate omnia, quae sunt necessaria; id est, cuculla, tunica, pedules, caligae, bracile, cultellus, graphium, acus, mappula, tabula: ut omnis auferatur necessitatis excusatio. A quo tamen Abbate semper consideretur illa sententia Actuum Apostolorum: *Quia dabatur singulis, prout*

cuique opus erat. Ita ergo et Abbas consideret infirmitates indigentium, et non malam voluntatem invidentium. In omnibus tamen judiciis suis Dei retributionem cogitet.

Cap. LVIII. *De disciplina suscipiendorum.* Noviter veniens quis ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus; sed sicut ait Apostolus: *Probate spiritus, si ex Deo sunt.* Ergo si veniens perseveraverit pulsans, et illatas sibi iniurias et difficultatem ingressus, post quatuor aut quinque dies visus fuerit patienter portare, et persistere petitioni suae: annuatur ei ingressus, et sit in cella hospitum paucis diebus. Postea sit in cella novitiorum, ubi meditetur, et manducet, et dormiat. Et senior ei talis deputetur, qui aptus sit ad lucrandas animas: qui super eum omnino curiose intendat, et solicitus sit, si revera Deum quaerit, si solicitus est ad opus Dei, ad obedientiam, ad opprobria. Praedicentur ei omnia dura et aspera, per quae itur ad Deum. Si promiserit de stabilitatis suae perseverantia, post duorum mensium circulum legatur ei haec Regula per ordinem, et dicatur ei: Ecce lex, sub qua militare vis: si potes observare, ingredere; si vero non potes, liber discede. Si adhuc steterit, tunc ducatur in supradictam cellam novitiorum, et iterum probetur in omni patientia. Et post sex mensium circuitum legatur ei Regula; ut sciat ad quod ingreditur. Et si adhuc stat, post quatuor menses iterum relegatur ei eadem Regula. Et si habita secum deliberatione promiserit se omnia custodire, et cuncta sibi imperata servare, tunc suscipiatur in Congregatione, sciens se jam sub lege Regulae constitutum; quod ei ex illa die non liceat egredi de Monasterio, nec collum excutere de sub jugo Regulae, quam sub tam morosa deliberatione licuit, aut excusare, aut suspicere.

Suscipiendus autem in Oratorio coram omnibus promittat de stabilitate sua, et conversione morum suorum, et obedientia, coram Deo et Sanctis ejus: ut si aliquando aliter fecerit, ab eo se damnandum sciat, quem irridet. De qua promissione sua faciat petitionem ad nomen Sanctorum, quorum reliquiae ibi sunt, et Abbatis praesentis. Quam petitionem manu sua scribat, aut certe si non scit literas, alter ab eo rogatus scribat. Et ille novitius signum faciat, et manu sua eam super altare ponat. Quam dum posuerit, incipiat ipse novitius mox hunc versum: *Suscipe me Domine secundum eloquium tuum, et vivam; et non confundas me ab expectatione mea.* Quem versum omnis Congregatio tertio respondeat, adjungentes: *Gloria Patri,* etc. Tunc ille frater novitius prosternatur singulorum pedibus, ut orent pro eo; et jam ex illa die in Congregetione reputetur. Res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione, conferat Monasterio, nihil sibi reservans ex omnibus: quippe qui ex illo die nec proprii corporis potestatem se habiturum sciat. Mox ergo in Oratorio exuatur rebus propriis, quibus vestitus est, et induatur rebus Monasterii. Illa autem vestimenta, quibus exutus est, reponantur in vestiario

conservanda; ut si aliquando suadente diabolo consenserit, ut egrediatur de Monasterio, quod absit, tunc exutus rebus Monasterii proijciatur. Illam tamen petitionem, quam desuper altare Abbas tulit, non recipiat; sed in Monasterio reservetur.

Cap. LIX. *De filiis nobilium, vel pauperum, qui offeruntur.* Si quis forte de nobilibus offert filium suum Deo in Monasterio, si ipse puer minori aetate est, parentes ejus faciant petitionem, quam supra diximus. Et cum oblatione ipsam petitionem, et manum pueri involvant in palla altaris, et sic eum offerant. De rebus autem suis, aut in praesenti petitione promittant sub jurejurando, quia nunquam per se, nunquam per suffectam personam, nec quolibet modo ei aliquando aliquid dent, aut tribuant occasionem habendi. Vel certe si hoc facere noluerint, et aliquid offerre volunt in eleemosynam Monasterio pro mercede sua; faciant ex rebus quas dare volunt Monasterio, donationem, reservato sibi, si ita voluerint, usufructuario. Atque ita omnia obstruantur, ut nulla suspicio remaneat puero; per quam deceptus perire possit, quod absit; quod experimento didicimus. Similiter autem et pauperiores faciant. Qui vero ex toto nihil habent, simpliciter petitionem faciant, et cum oblatione offerant filium suum coram testibus.

Cap. LXIV. *De ordinando Abbate.* In Abbatis ordinatione illa semper consideretur ratio, ut hic constituatur, quem sibi omnis concors Congregatio secundum timorem Dei, sive etiam pars, quamvis parva Congregationis, saniori consilio elegerit. Vitae autem merito, et sapientiae doctrina eligatur, qui ordinandus est; etiamsi ultimus fuerit in ordine Congregationis. Quod si etiam omnis Congregatio vitiis suis (quod quidem absit) consentientem personam pari consilio elegerit, et vitia ipsa aliquatenus in notitiam Episcopi, ad cujus dioecesim pertinet locus ipse, vel Abbatibus, aut Christianis vicinis claruerint; prohibeant pravorum praevalere consensum, et domui Dei dignum constituant dispensatorem: scientes pro hoc se recepturos mercedem bonam, si illud caste et zelo Dei faciant; sicut e diverso peccatum incursuros, si negligant.

Ordinatus autem Abbas cogitet semper quale onus suscepit, et cui redditurus est rationem villicationis suae: sciatque sibi oportere prodesse magis, quam praeesse. Oportet ergo eum esse doctum lege divina: ut sciat et sit unde proferat nova et vetera: castum, sobrium, misericordem, et semper superexaltet misericordiam judicio, ut idem ipse consequatur. Oderit vitia, diligat fratres. In ipsa autem correptione prudenter agat, et ne quid nimis: ne dum nimis eradere cupit aeruginem, frangatur vas; suamque fragilitatem semper suspectus sit, memineritque calamum quassatum non conterendum. In quibus non dicimus, ut permittat nutriri vitia: sed prudenter, et cum charitate ea amputet, ut viderit cuique expedire, sicut jam diximus; et studeat plus amari, quam timeri. Non sit turbulentus et

anxius; non sit nimius et obstinatus; non sit zelotypus, et nimis suspiciosus; quia nunquam requiescet. In ipsis imperiis suis sit providus et consideratus: sive secundum saeculum sint. Opera quae injungit, discernat, et temperet, cogitans discretionem S. Jacobi dicentis: *Si greges meos plus in ambulando fecero laborare, morientur cuncti una die.* Haec ergo aliaque testimonia discretionis matris virtutum sumens, sic omnia temperet, ut sit, quod et fortes cupiant, et infirmi non refugiant. Et praecipue ut praesentem Regulam in omnibus conservet: ut dum bene ministraverit, audiat a Domino; quod servus bonus, qui erogavit triticum conservis suis in tempore suo: *Amen dico vobis,* ait, *super omnia bona sua constituet eum.*

Cap. LXVIII. *Si fratri impossibilia injungantur.* Si cui fratri aliqua forte gravia aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine et obedientia. Quod si omnino virium suarum mensuram viderit pondus excedere, impossibilitatis suae causas ei, qui sibi praeest, patienter et opportune suggerat, non superbiendo, aut resistendo vel contradicendo. Quod si post suggestionem suam in sua sententia Prioris imperium perduraverit, sciat junior ita sibi expedire, et ex charitate confidens de adjutorio Dei obediat.

Cap. LXIX. *Ut in Monasterio non praesumat alter alium defendere.* Praecavendum est, ne quavis occasione praesumat alter alium defendere Monachum in Monasterio, aut quasi tueri; etiamsi qualibet consanguinitatis propinquitate jungantur. Nec quolibet modo id a Monachis praesumatur; quia exinde gravissima occasio scandalorum oriri potest. Quod si quis haec transgressus fuerit, acrius coërceatur.

Cap. LXX. *Ut non praesumat quisquam alium caedere, aut excommunicare.* Ut vitetur in Monasterio omnis praesumptionis occasio, constituimus, ut nulli liceat quemquam fratrum suorum excommunicare aut caedere, nisi cui potestas ab Abbate data fuerit. Peccantes autem coram omnibus arguantur, ut caeteri metum habeant. Infantibus vero usque ad quintumdecimum annum aetatis disciplinae diligentia adhibeatur, et custodia sit ab omnibus. Sed et hoc cum omni mensura et ratione. Nam in fortiori aetate, qui praesumpserit aliquatenus sine praecepto Abbatis, vel in ipsis infantibus sine discretione exarserit disciplinae Regulari subjaceat; quia scriptum est: *Quod tibi non vis fieri, alii ne feceris.*

270. ALEXANDER III. (1159—1181).

Alexander III. in Concilio Lateranen. III. (1179) c. 9. = c. 3. X. *de privilegiis et excessibus privilegiatorum.* V. 33.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 849—850. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 713.

Religiosi etiam exempti ecclesias et decimas non debent a laicis recipere, sine consensu dioecesanorum. Hoc dicit usque ad §. Excommunicatos. — § 1. Excom-

municati et interdicti omnino non debent admitti ad divina, etiam per religiosos exemptos. H. d. usque ad §. In ecclesiis. Abbas Siculus. — § 2. Religiosi etiam exempti in ecclesiis, non pertinentibus ad eos, pleno iure non instituunt nec destituunt inconsultis episcopis; sed rationem exigunt in temporalibus ab institutis. H. d. usque ad §. Quodsi. — § 3. Hospitalarii et Templarii semel in anno celebrant in ecclesia, posita in loco interdicto; ibi tamen non sepeliuntur corpora mortuorum. H. d. usque ad §. De confratribus. Abbas. — § 4. Confratres exemptorum, seu ipsorum oblati, qui in totum non se transtulerunt, iudicari possunt ab ordinariis locorum. H. d. usque ad fin. Abbas siculus.

Quum et plantare sacram religionem, et plantatam fovere modis omnibus debeamus, nusquam hoc melius exsequimur, quam si nutrire ea, quae recta sunt, et corrigere, quae profectum virtutis impediunt, commissa nobis *a Deo* auctoritate curemus. Fratrum autem et coepiscoporum nostrorum *vehementi* conquestione comperimus, quod fratres Templi et Hospitalis, et alii *quoque* religiosi, indulta sibi ab apostolica sede privilegia excedentes, contra episcopalem auctoritatem multa praesumunt, quae et scandalum faciunt *populo Dei* et grave pariunt periculum animarum. † *Proposuerunt enim, quod ecclesias recipiant de manibus laicorum, excommunicatos et interdictos ad ecclesiastica sacramenta et sepulturam admittant in ecclesiis suis praeter eorum conscientiam, et instituant et amoveant sacerdotes, et fratribus eorum ad eleemosynas quaerendas euntibus, quum indultum sit eis, ut in eorum adventu semel in anno aperiantur ecclesiae atque in eis divina celebrentur officia, plures ex eis, de una sive diversis domibus ad interdictum locum saepius accedentes, indulgentia privilegiorum in celebrandis officiis et sepeliendis mortuis abutuntur, et tunc mortuos apud interdictas ecclesias sepelire praesumunt. Occasione quoque fraternitatum, quas in pluribus locis faciunt, robur episcopalis auctoritatis enervant, dum contra eorum sententiam sub privilegiorum aliquorum obtentu munire cunctos intendunt, qui ad eorum fraternitatem voluerint se conferre. In his autem, quia non tam de maiorum conscientia vel consilio, quam de minorum indiscretione [quorundam] exceditur, et removenda ea, in quibus excedunt, et quae dubitationem faciunt decrevimus declaranda.* Ecclesias igitur et decimas de manu laicorum sine consensu episcoporum tam illos quam etiam quoscunque alios religiosos recipere prohibemus, dimissis *etiam,* quascunque contra tenorem istum aliquo tempore receperunt. § 1. Excommunicatos quoque et nominatim interdictos tam ab illis quam ab aliis omnibus iuxta episcoporum sententiam statuimus evitandos. § 2. In ecclesiis vero suis, quae ad eos pleno iure non pertinent, instituendos presbyteros episcopis repraesentent; ut eis *quidem* de plebis cura respondeant, ipsis vero pro rebus temporalibus rationem exhibeant competentem. Institutos etiam inconsultis episcopis non audeant removere. § 3. Quodsi Templarii vel Hospitalarii ad ecclesiam venerint interdictam, non nisi semel in anno ad ecclesiasticum officium admittantur, nec tunc ibi sepelliantur corpora defunctorum. § 4. De confratribus *autem* hoc constituimus, ut, si non se prae-

dictis fratribus omnino reddiderint, sed in proprietatibus suis omnimodo duxerint remanendum, propter hoc ab episcoporum suorum sententia nullatenus eximantur, sed potestatem suam in eos, sicut in alios parochianos suos exerceant, quum pro suis fuerint excessibus corrigendi. Quod autem de praedictis fratribus dictum est, ab aliis quoque religiosis, qui praesumptione sua episcoporum percipiunt iura, et contra canonicas eorum sententias et tenorem privilegiorum nostrorum venire praesumunt, praecipimus observari. Si enim contra institutum hoc venerint, et ecclesiae, in quibus ista praesumpserint, subiaceant interdicto, et quod egerint irritum habeatur *et vacuum.*

271. INNOCENTIUS III. (1198—1216).

a) Innocentius III. Abbati et Conventui Cassensi, in c. 8. X. *de probationibus.* II. 19.

Corpus iur. can. ed. Friedberg. Tom. II. col. 310—311. Potthast, n. 1547. Singer, *Die Behebung der für Ordenspersonen bestehenden Beschränkungen in commercio mortis causae.* Innsbruck 1880.

Si rogatus restituere totam hereditatem, eo sine liberis decedente intret monasterium, evanescit fideicommissum, et hereditas applicatur monasterio; nec ad invalidandum ingressum sufficit probare minorem aetatem tempore ingressus, si ex adverso geminatus probetur ingressus. H. d. intelligendo, quod substitutio fuit fideicommissaria. Si vero fuit directa, summa sic: substitutio facta filio, eo decente sine liberis, evanescit per ingressum monasterii. Et tunc adde id, quod est in primo summario ibi: nec ad invalidandum etc., usque ad finem, et uterque intellectus est verus in se. Dico tamen, quod primus est verior, quod hic fuit substitutio fideicommissaria, licet Dom. Anton. hic dicat, quod fuit compendiosa.

In praesentia *dilecti filii nostri* G. sancti Hadriani diaconi cardinalis G. *subdiaconus* et B. *mulier soror eius, Verulanenses* fratres *cum* vestro syndico constituto coram ipso fecere proponi, quod, quum quondam A. frater ipsorum conderet testamentum, M. filium suum sibi heredem instituit, et praecepit, ut, si absque liberis *forte* decederet, ad eos *G. et B* bona devolverentur ipsius, unde illa, quae de bonis ipsius vestrum monasterium detinebat, sibi restitui postulabant, et petebant vos super hoc a sua molestatione compesci. Verum syndicus ipse proposuit ex adverso, quod praedictus M. monasterio vestro obtulit se et sua, unde universa, quae habuerat, erant ad monasterium devoluta, quare universa, quae ipsi de bonis eius invaserant, restitui monasterio vestro petebat, et super ceteris silentium illis imponi. Ad haec autem pars altera replicavit, quod dictus M. oblationis suae tempore fuerat, minor annis, *sicut per testes legitime comprobavit,* et quod voti facti poenitens *id,* quod fervore infirmitatis fecerat, post convalescentiam revocavit. † *Unde tum ex eo, quod Milo infra aetatem legitimam monasterio Casemarii obtulit se et sua, tum quia quod inconsulte fecerat postmodum revocavit, eius oblatio non tenebat.* Unde quum sine liberis decessisset, ex testamento patris *illius* ad ipsos erat eius hereditas devoluta.

Verum *ad haec* syndicus respondere curavit, quod, licet dictus M. de monasterio *ipso de tua licentia, fili abbas,* fuisset egressus, eidem postmodum, *cum avo suo, qui eius erat procurator, ad presentiam tuam quum Verulas ivisses, accedens,* se et sua obtulit humiliter et devote, et, quod nec contra oblationem *et donationem* suam veniret *ulterius,* iuramento firmavit, *sicut publicum continet instrumentum.* Quare quum constet *ex his,* quod idem M. bis monasterio vestro contulit se et sua, nec ex adverso probetur, quod utriusque oblationis tempore *M.* fuerit minor annis, probationem vestram huiusmodi exceptionis probatio non elidit, quum, etsi primae oblationis tempore fuerit minor annis, secundae tamen potuit maior exstitisse. Praeterea quum verbum illud «minor annis» duobus potuerit modis intelligi, quum et qui minor est quatuordecim annis, et qui viginti quinque *minor fuerit,* dici soleat minor annis, intentioni vestrae verbum dubium non nocebat, quum infra viginti quinque annos teneret donatio *praesertim* iuramento firmata. Sed etsi teneret quod factum fuerat a dicto A., qui tamen intelligendum non erat sine herede decedere qui monasterium sibi heredem instituit, hoc monasterio non nocebat. † *Quumque cardinalis praedictus ea, quae coram ipso proposita fuerant, in nostra et fratrum nostrorum audientia retulisset, nos ad consilium dilectum filium H. sancti Eustachii diaconum cardinalem duximus deputandum. Idem igitur* Dilectus filius H. sancti Eustachii cardinalis *causae meritis plenius intellectis* attendens, quod syndicus vester intentionem suam plene fundasset, et quod nihil fuisset ex adverso sufficienter probatum, quum, etsi ostensum esset per testes, quod M. suae oblationis tempore fuerit minor annis, utrum tamen primae vel secundae oblationis tempore minor fuerit, et quot annis minor, non fuisset expressum, de mandato nostro sententiam protulit, et praedictis G. et B. silentium imponens super his, quae a monasterio postulabant, eos ad restitutionem illorum, quae de bonis praedicti M. propria temeritate invaserant, condemnavit. Nos igitur sententiam ipsam auctoritate apostolica confirmamus. (a. 1201.)

b) Innocentius III. Abbati et Conventui Sublacensibus, in c. 6. X. *de statu monachorum et canonicorum regularium.* III. 35.

* *Corp. iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 599—600. Potthast, n. 1734.

Primo tractat de vestibus monachorum. Secundo de abdicatione proprietatis. Tertio de silentio. Quarto de cibis. Quinto de officiis in genere et in specie.

Quum ad monasterium Sublacense † *personaliter venissemus: (Et infra:)* Firmiter inhibuimus, ne quis de cetero monachorum lineis camisiis uteretur. † *Ad defectum autem hospitalitatis supplendum mouturam unius molendini, concessit, ampliora pro tempore concessurus, ita tamen, quod ad necessitatem pauperum sublevandam eleemosyna de cellerario conferatur.*

Nos autem praefatas ecclesias, quae clericis saecularibus fuerant in beneficium assignatae, ad usum revocavimus infirmorum, concessionem hospilalis, quae facta fuerat episcopo Anagnino, irritam decernentes, et statuentes, ne cuiquam ulterius in beneficium concedantur; sed infirmarius disponat de illis ecclesiis, prout ad necessitates infirmorum magis noverit expedire. Prohibemus quoque districte in virtute obedientiae sub obtestatione divini iudicii, ne quis *de cetero* monachorum proprium aliquo modo possideat; sed, si quis aliquid habeat proprii, totum in continenti resignet. Si vero post hoc proprietatem aliquam fuerit deprehensus habere, regulari monitione praemissa de monasterio expellatur, nec recipiatur ulterius, nisi poeniteat secundum monasticam disciplinam. Quodsi proprietas apud quemquam inventa fuerit in morte, ipsa cum eo in signum perditionis extra monasterium in sterquilinio subterretur, secundum quod beatus Gregorius narrat in Dialogo se fecisse. *Abbas tamen et prior frequenter inquirant et diligenter explorent, ne quis fratrum proprietatem possit habere.* Unde, si quicquam alicui fuerit specialiter destinatum, non praesumat illud accipere, sed abbati, vel priori vel cellerario assignetur. In oratorio vero, refectorio et dormitorio continuum semper silentium observetur, in claustro quoque certis horis et locis, secundum antiquam consuetudinem monasterii laudabiliter observatam, *sed amodo laudabilius observandam.* In refectorio vero, nullus omnino carne vescatur. Nec in quibusdam solennitatibus, sicut aliquando fieri consuevit, conventus exeat cum abbate, paucis ibi relictis, ut extra refectorium edant carnes; quum *in* illis diebus praecipue regularis disciplina sit studiosius observanda. Sed nec extra refectorium, nisi *tantum* in infirmitorio, esum carnium credant sibi licere, quanquam ex indulgentia possit abbas interdum aliquos fratrum, nunc hos, nunc illos, prout necessitas postulaverit, advocare, ipsosque secum in camera sua melius et plenius exhibere. Porro debiles et infirmi, qui minutione indigent vel aliqua medicina, non seorsum in cameris, sed omnes in infirmitorio quae necessaria fuerint sibi tam in carnibus quam in aliis recipiant competenter. Quodsi quis eorum debilis fuerit, aut etiam delicatus, ut non possit communibus cibis esse contentus, sic ei provideatur sine scandalo aliorum, ut, si abbas vel prior voluerit in refectorio misericordiam *ei* facere specialem, cibum aliquem competentem, non ante illum, sed ante se faciat apportari, de quo ipse illi faciat pitantiam pro sustentatione naturae. Tales autem ad agenda officia monasterii deputentur, qui fideles fuerint et discreti. Nec alicui committatur aliqua obedientia perpetuo possidenda, tanquam in sua sibi vita locetur; sed, quum oportuerit amoveri, sine contradictione qualibet revocetur. Prior autem prae ceteris post abbatem potens sit in opere et sermone, ut exemplo vitae verboque doctrinae fratres suos et instruere possit in bono, et a malo etiam revocare; zelum religionis habens secundum conscientiam, ut delinquentes corripiat et castiget, obedientes *vero* foveat et

confortet. Abbas vero, cui omnes in omnibus reverenter obediant, quanto frequentius poterit, sit cum fratribus in conventu, vigilem curam et diligentem sollicitudinem gerens de omnibus, ut de officio sibi commisso dignam Deo possit reddere rationem. Quodsi praevaricator ordinis fuerit aut contemptor, seu negligens aut remissus, pro certo se noverit non solum ab officio deponendum, sed et alio modo secundum regulam [*graviter*] castigandum: quum offensa non solum propria, verum etiam aliena de suis manibus requiratur. Nec aestimet abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa regulae monachali, ut contra eam nec summus Pontifex possit licentiam indulgere. (a. 1202.)

c) Innocentius III. in Concilio Lateransi IV. a. 1215. hab. c. 12. = c. 7. X. *de statu monachorum et canonicorum regularium.* III. 35.

* *Corpus iur. can.* ed. Friedberg. Tom. II. col. 600—601. Hefele, *Conciliengeschichte.* Tom. V. p. 885.

Primo statuit de conciliis regularium provincialibus celebrandis singulis trienniis. Secundo moderatur numerum evectionum et personarum venientium. Tertio disponit de instructoribus et praesidentibus capitulo. Quarto de tempore, quo duret capitulum, et quid ibi fiet. Quinto quod observetur quod ibi fiet. Sexto de capitulo sequenti. Septimo de comuni vita ducenda. Octavo de visitatoribus eligendis et ipsorum officio. Nono extendit ad canonicos regulares. Decimo providet super discordia visitatorum. Undecimo hortatur dioecesanos ad monasteriorum reformationem. Duodecimo praecipit protervos et similes compesci ab offensis monasteriorum. Et haec divisio sufficit pro summario.

In singulis regnis sive provinciis fiat de triennio in triennium, salvo iure dioecesanorum pontificum, communi capitulum abbatum atque priorum, abbates proprios non habentium qui non consueverunt tale capitulum celebrare; ad quod universi conveniant, praepeditionem canonicam non habentes, apud unum de monasteriis ad hoc aptum; hoc adhibito moderamine, ut nullus eorum plus quam sex evectiones et octo personas adducat. Advocent autem *[caritative]* in huiusmodi novitatis primordiis duos cisterciensis ordinis vicinos abbates ad praestandum sibi consilium et auxilium opportunum, quum sint in huiusmodi capitulis celebrandis ex longa consuetudine plenius informati; qui absque contradictione duos sibi de ipsis associent, quos viderint expedire, ac ipsi quatuor praesint capitulo universo ita, quod ex hoc nullus eorum sibi auctoritatem praelationis assumat, unde, quum expedierit, provida possit deliberatione mutari. Huiusmodi vero capitulum aliquot certis diebus continue iuxta morem Cisterciensis ordinis celebretur, in quo diligens habeatur tractatus de reformatione ordinis et observantia regulari. Et quod statutum fuerit illis quatuor approbantibus, *[ab omnibus]* inviolabiliter observetur omni excusatione *[et]* contradictione et appellatione remotis, proviso nihilominus, ubi sequenti termino, debeat capitulum celebrare. Et qui convenerint vitam ducant communem, et faciant

proportionabiliter simul omnes communes expensas ita, quod, si non omnes poterunt in eisdem, saltem plures simul in diversis domibus commorentur. Ordinentur etiam in eodem capitulo religiosae ac circumspectae personae, quae singulas abbatias eiusdem regni seu provinciae non solum monachorum, sed etiam monialium, secundum formam sibi praefixam, vice nostra studeant visitare, corrigentes et reformantes, quae correctionis et reformationis officio viderint indigere, ita quod, si rectorem loci cognoverint ab administratione penitus amovendum, denuncient episcopo proprio, ut illum amovere procuret. Quod si non fecerit, ipsi visitatores hoc referant ad apostolicae sedis examen. Hoc ipsum regulares canonicos secundum ordinem suum volumus et praecipimus observare. Si vero in hac novitate quicquam difficultatis emerserit, quod per praedictas personas nequeat expediri, ad apostolicae sedis iudicium absque scandalo referatur, caeteris irrefragabiliter observatis, quae concordi fuerit deliberatione provisa. Porro dioecesani episcopi monasteria sibi subiecta ita studeant reformare, ut, quum ad ea praedicti visitatores accesserint, plus in illis inveniant, quod commendatione, quam quod correctione sit dignum, attentissime praecaventes, ne per eos dicta monasteria indebitis oneribus aggraventur, quia, sicut volumus superiorum iura observari, ita inferiores nolumus iniurias sustinere. Ad hoc districte praecipimus tam dioecesanis episcopis quam personis, quae praeerunt capitulis celebrandis, ut per censuram ecclesiasticam appellatione remota compescant advocatos, patronos, vicedominos, rectores et consules, magnates et milites, seu quoslibet alios, ne monasteria praesumant offendere in personis aut rebus, et, si forsitan offenderint, eos ad satisfactionem compellere non omittant, ut liberius et quietius omnipotenti Deo valeant famulari.

272. HONORIUS III. (1216—1227).

Approbatio regulae et ordinis fratrum minorum S. Francisci.

* *Bullarium Romanum.* Editio Taurinensis Tom. III. p. 394—399. Wadding, *Annales Minorum seu trium ordinum a S. Francisco institutorum.* Editio secunda opere J. M. Fonseca. Romae 1731 seq. Confetius, *Privilegiorum S. Ordinum Fratrum Mendicantium collectio.* Venetiis 1604. *Codex redactus legum Fratrum Minorum in synopsim.* Romae 1796. Sabatier, *Vie de S. François.* 3. ed. Paris 1894. Labanca, *Francesco d'Assisi e i Francescani dal 1226 al 1328.* Roma 1894. Mariano, *Francesco d'Assisi.* Napoli 1896. Sabatier, *Regula antiqua fratrum et sororum poenitentiae seu tertii ordinis S. Francisci.* Paris 1901. *Actus B. Francisci et sociorum eius.* Edidit P. Sabatier. Paris 1902. Idem, *Nouveaux traveaux sur les documents franciscains.* Paris 1904. Heimbucher, *Orden und Congregationen.* I. p. 164 seq.

Honorius episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis fratri Francisco, et aliis fratribus de ordine fratrum Minorum, salutem et apostolicam beneditionem.

Solet annuere Sedes Apostolica piis votis, et honestis petentium desideriis favorem benevolum impartiri. Ea propter, dilecti in Domino filii,

vestris piis precibus inclinati, ordinis vestri regulam a bonae memoriae Innocentio Papa praedecessore nostro approbatam, annotatam praesentibus, auctoritate vobis apostolica confirmamus, et praesentis scripti patrocinio communimus. Quae talis est:

In nomine Domini. Incipit regula et vita fratrum Minorum.

Cap. I. Regula et vita fratrum Minorum haec est, scilicet Domini nostri Iesu Christi sanctum Evangelium observare, vivendo in obedientia, sine proprio, et in castitate. Frater Franciscus promittit obedientiam et reverentiam domino Papae Honorio ac successoribus eius canonice intrantibus, et Ecclesiae Romanae. Et alii fratres teneantur fratri Francisco et eius successoribus obedire.

Cap. II. Si qui voluerint hanc vitam accipere, et venerint ad fratres nostros, mittant eos ad suos ministros provinciales, quibus solummodo, et non aliis, fratres recipiendi licentia concedatur. Ministri vero diligenter examinent eos de fide catholica, et ecclesiasticis sacramentis. Et si haec omnia credant, et velint ea fideliter confiteri, et usque in finem firmiter observare, et uxores non habeant, vel si habent, et monasterium iam intraverint uxores, vel licentiam eis dederint, auctoritate dioecesani episcopi voto continentiae iam emisso, et illius sint aetatis uxores, quod non possit de eis oriri suspicio, dicant illis verbum sancti Evangelii, quod vadant et vendant omnia sua bona, et ea studeant pauperibus erogare. Quod si facere non potuerint, sufficit eis bona voluntas. Et caveant fratres, et eorum ministri, ne soliciti sint de rebus suis temporalibus, ut libere faciant de rebus suis quicquid Dominus inspiraverit eis. Si tamen consilium requiratur, licentiam habeant ministri mittendi eos ad aliquos Deum timentes, quorum consilio bona sua pauperibus erogentur. Postea concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine capucio, et cingulum, et brachas, et caparonem usque ad cingulum, nisi eisdem ministris aliud secundum Deum aliquando videatur. Finito vero anno probationis, recipiantur ad obedientiam; promittentes vitam istam, et regulam semper observare. Et nullo modo licebit eis de ista religione exire iuxta mandatum domini Papae. Quia secundum sanctum Evangelium nemo mittens manum ad aratrum, et aspiciens retro aptus est regno Dei. Et qui iam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum capucio, et aliam sine capucio, qui voluerint habere. Et qui necessitate coguntur, possint portare calciamenta. Et fratres omnes vestimentis vilibus induantur, et possint ea repetiare de saccis et aliis petiis cum benedictione Dei. Quos moneo et exhortor, ne despiciant, neque iudicent homines, quos mollibus viderint vestimentis et coloratis indutos, uti cibis et potibus delicatis; sed magis unusquisque iudicet et despiciat semetipsum.

Cap. III. Clerici faciant divinum Officium secundum ordinem Sanctae Romanae Ecclesiae, excepto psalterio, ex quo habere poterunt breviaria. Laici vero dicant vigintiquatuor *Pater noster* pro matutino, pro laudibus quinque, pro prima, tertia, sexta, nona, pro qualibet istarum septem, pro vesperis autem duodecim, pro completorio septem, et orent pro defunctis. Et ieiunent a festo Omnium Sanctorum usque ad Nativitatem Domini; sanctam vero quadragesimam, quae incipit ab Epiphania Domini usque ad continuos quadraginta dies, quam Dominus suo sancto ieiunio consecravit, qui voluntarie eam ieiunant, benedicti sint a Domino, et qui nolunt, non sunt adstricti, sed aliam usque ad Resurrectionem Domini ieiunent. Aliis autem temporibus non teneantur fratres nisi feria sexta ieiunare; tempore vero manifestae necessitatis non teneantur fratres ieiunio corporali. Consulo vero, moneo et exhortor fratres meos in Domino Iesu Christo, ut quando vadunt per mundum, non litigent, neque contendant verbis, nec alios iudicent. Sed sint mites, pacifici et modesti, mansueti et humiles, honeste loquentes omnibus sicut decet. Et non debeant equitare, nisi manifesta necessitate vel infirmitate cogantur. In quamcumque domum intraverint, primum dicant: Pax huic domui. Et secundum sanctum Evangelium de omnibus cibis qui apponuntur eis liceat manducare.

Cap. IV. Praecipio firmiter fratribus universis, ut nullo modo denarios, vel pecuniam recipiant, per se vel per interpositam personam. Tamen pro necessitatibus infirmorum, et aliis fratribus induendis, per amicos spirituales, ministri tantum, et custodes sollicitam curam gerant secundum loca, et tempora, et frigidas regiones, sicut necessitati viderint expedire. Eo semper salvo, ut, sicut dictum est, denarios vel pecuniam non recipiant.

Cap. V. Fratres illi, quibus gratiam dedit Dominus laborandi, laborent fideliter et devote, ita quod, excluso ocio animae inimico, sanctae orationis et devotionis spiritum non extinguant, cui debent caetera temporalia deservire. De mercede vero laboris pro se et suis fratribus necessaria corporis recipiant, praeter denarios, vel pecuniam, et hoc humiliter, sicut decet servos Dei et paupertatis sanctissimae sectatores.

Cap. VI. Fratres nihil sibi approprient, nec domum, nec locum, nec aliquam rem, sed tamquam peregrini et advenae in hoc saeculo, in paupertate et humilitate Domino famulantes, vadant pro eleemosyna confidenter. Nec oportet eos verecundari, quia Dominus pro nobis se fecit pauperem in hoc mundo. Haec est illa celsitudo altissimae paupertatis, quae vos carissimos fratres meos, haeredes et reges regni coelorum instituit, pauperes rebus fecit, virtutibus sublimavit. Haec sit portio vestra quae perducit in terram viventium, cui, dilectissimi fratres, totaliter inhaerentes, nihil aliud pro nomine Domini nostri Iesu Christi in perpetuum sub coelo habere velitis. Et ubicumque sunt, et se invenerint fratres, ostendant se domesticos

invicem inter se, et secure manifestet unus alteri necessitatem suam. Quia si mater diligit et nutrit filium suum carnalem, quanto diligentius quis debet diligere et nutrire fratrem suum spiritualem? Et si quis eorum in infirmitate ceciderit, alii fratres debent ei servire, sicut vellent sibi serviri.

Cap. VII. Si qui fratrum, instigante inimico, mortaliter peccaverint, pro illis peccatis, de quibus ordinatum fuerit inter fratres, ut recurratur ad ministros provinciales, teneantur praedicti fratres ad eos recurrere quam citius poterunt sine mora. Ipsi vero ministri si presbyteri sunt, cum misericordia iniungant illis poenitentiam. Si vero presbyteri non sunt, iniungi faciant per alios sacerdotes ordinis, sicut eis secundum Deum melius videbitur expedire. Et cavere debent, ne irascantur et conturbentur propter peccatum alicuius, quia ira et conturbatio in se et in aliis impediunt charitatem.

Cap. VIII. Universi fratres unum de fratribus istius religionis teneantur semper habere generalem ministrum, et servum totius fraternitatis, et ei teneantur firmiter obedire. Quo decedente, electio successoris fiat a ministris provincialibus et custodibus in capitulo Pentecostes, in quo provinciales ministri teneantur semper insimul convenire, ubicumque a generali ministro fuerit constitutum. Et hoc semel in tribus annis, vel ad alium terminum maiorem vel minorem, sicut a praedicto ministro fuerit ordinatum. Et si aliquo tempore appareret universitati ministrorum provincialium et custodum, praedictum ministrum non esse sufficientem ad servitium et communem utilitatem fratrum, teneantur praedicti fratres quibus electio data est, in nomine Domini alium sibi eligere in custodem. Post capitulum vero Pentecostes ministri, et custodes possint, si voluerint, et eis expedire videbitur, eodem anno in suis custodiis semel fratres suos ad capitulum convocare.

Cap. IX. Fratres non praedicent in episcopatu alicuius episcopi, cum ab eo illis fuerit contradictum. Et nullus fratrum populo penitus audeat praedicare, nisi a ministro generali huius fraternitatis fuerit examinatus et approbatus, et ab eo officium praedicationis sibi concessum. Moneo quoque, et eosdem fratres, ut in praedicatione, quam faciunt, sint examinata et casta eorum eloquia, ad utilitatem et aedificationem populi, annunciando eis vitia et virtutes, poenam et gloriam, cum brevitate sermonis, quia verbum abbreviatum fecit Dominus super terram.

Cap. X. Fratres, qui sunt ministri et servi aliorum fratrum, visitent, et moneant fratres suos, et humiliter et caritative corrigant eos, non praecipientes eis aliquid, quod sit contra animam suam, et regulam nostram. Fratres vero qui sunt subditi, recordentur, quod propter Deum abnegaverunt proprias voluntates. Unde firmiter praecipio eis, ut obediant suis ministris in omnibus, quae promiserunt Domino observare, et non sint con-

traria animae et regulae nostrae Et ubicumque sunt fratres, qui scirent et cognoscerent se non posse regulam spiritualiter observare, ad suos ministros debeant et possint recurrere. Ministri vero caritative et benigne eos recipiant, et tantam familiaritatem habeant circa ipsos, ut dicere possint eis, et facere sicut domini servis suis; nam ita debet esse, quod ministri sint servi omnium fratrum. Moneo quoque, et exhortor in Domino Iesu Christo, ut caveant fratres ab omni superbia, vanagloria, invidia, avaritia, cura et sollicitudine huius saeculi, detractione et murmuratione. Et non curent nescientes litteras discere, sed attendant, quod super omnia desiderare debent habere spiritum Domini et sanctam eius operationem, orare semper ad Deum puro corde, et habere humilitatem, patientiam in persecutione et in infirmitate, et diligere eos, qui nos persequuntur, reprehendunt et arguunt, quia dicit Dominus: Diligite inimicos vestros, et orate pro persequentibus et calumniatibus vos; Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum coelorum; Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit.

Cap. XI. Praecipio firmiter fratribus universis ne habeant suspecta consortia, vel consilia mulierum. Et ne ingrediantur monasteria monacharum, praeter illos quibus a Sede Apostolica concessa est licentia specialis. Nec fiant compatres virorum vel mulierum, ne hac occasione, inter fratres, vel de fratribus scandalum oriatur.

Cap. XII. Quicumque fratrum divina inspiratione voluerint ire inter Saracenos et alios infideles, petant inde licentiam a suis ministris provincialibus. Ministri vero nullis eundi licentiam tribuant, nisi eis quos viderint idoneos ad mittendum.

Ad haec, per obedientiam iniungo ministris, ut petant a domino Papa unum de sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus, qui sit gubernator, et protector et corrector illius fraternitatis, ut semper subditi et subiecti pedibus eiusdem S. Ecclesiae stabiles in fide catholica paupertatem et humilitatem, et sanctum Evangelium Domini nostri Iesu Christi, quod firmiter promisimus, observemus.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae confirmationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem etc.

Datum Laterani tertio kalendas decembris, pontificatus nostri anno octavo.

Dat. die 29 novem. 1223, pont. an. VIII.

Sequitur hic testamentum B. Francisci.

§ 1. Dominus dedit mihi fratri Francisco ita incipere facere poenitentiam, quia cum essem in peccatis, nimis mihi videbatur amarum videre leprosos; sed ipse Dominus conduxit me inter ipsos, et fecit misericordiam

cum ipsis; et recedente me ab ipsis, id quod videbatur mihi amarum, conversum fuit mihi in dulcedinem animae et corporis. Et postea parum steti, et exivi de saeculo.

§ 2. Et Dominus dedit mihi talem fidem in Ecclesiis, ut ita simpliciter adorarem et dicerem; Adoramus te, sanctissime Domine Iesu Christe, et ad omnes Ecclesias tuas, quae sunt in toto mundo, et benedicimus tibi quia per sanctam Crucem tuam redimisti mundum.

§ 3. Postea dedit mihi Dominus, et dat tantam fidem in sacerdotibus, qui vivunt secundum formam sanctae Romanae Ecclesiae propter ordinem ipsorum, quod si facerent mihi persecutionem, volo recurrere ad ipsos. Et si haberem tantam sapientiam quantam Salomon habuit, et invenirem pauperculos sacerdotes huius saeculi in Ecclesiis in quibus morantur, nolo praedicare ultra voluntatem ipsorum. Et ipsos, et omnes alios volo timere, amare et honorare sicut meos dominos, et nolo in ipsos considerare pec-peccatum, quia filium Dei discerno in eis, et domini mei sunt, et propter hoc facio, quia nihil video corporaliter in hoc saeculo de ipso altissimo Filio Dei, nisi sanctissimum Corpus, et sanctissimum Sanguinem suum, quem ipsi recipiunt, et ipsi soli aliis administrant.

§ 4. Et haec sanctissima mysteria super omnia volo honorare et venerari, et in locis preciosis collocare.

§ 5. Sanctissima nomina et verba ipsius ubicumque invenero in locis illicitis volo colligere, et rogo quod colligantur, et in locis honestis collocentur.

§ 6. Necnon omnes theologos, qui ministrant nobis verba divina, debemus honorare et venerari, sicut qui ministrant nobis spiritum et vitam.

§ 7. Et postquam dedit mihi Dominus de fratribus, nemo ostendebat mihi quid deberem facere, sed ipse Dominus revelavit mihi, quod deberem vivere secundum formam sancti Evangelii, et ego paucis verbis et simplicibus feci scribi.

§ 8. Et dominus Papa confirmavit mihi. Et illi, qui veniebant ad recipiendum vitam istam, omnia quae habere poterant, dabant pauperibus. Et eramus contenti tunica una, intus et foris repeciata, qui volebant, et cingulo et brachis.

§ 9. Officium dicebamus nos clerici secundum alios clericos, laici dicebant *Pater noster,* et satis libenter manebamus in ecclesiis, et eramus idiotae, et subditi omnes.

§ 10. Et ego manibus meis laborabam, et volo laborare, et omnes alii fratres mei firmiter volo quod laborent de laboritio quod pertinet ad honestatem. Et qui nesciunt discant, non propter cupiditatem recipiendi precium laboris, sed propter bonum exemplum, et ad repellendam ociositatem.

§ 11. Et quando non daretur nobis precium laboris, recurramus ad mensam Domini, petendo eleemosynas ostiatim.

§ 12. Salutationem mihi Dominus revelavit, ut diceremus Dominus det tibi pacem.

§ 13. Caveant sibi fratres, ut ecclesias et habitacula, quae pro ipsis construuntur, penitus non recipiant, nisi essent sicut decet sanctam paupertatem, quam in regula promisimus observare, semper ibi habitantes sicut peregrini et advenae.

§ 14. Praecipio firmiter per obedientiam fratribus universis, quod ubicumque sunt, non audeant petere aliquam literam in Curia Romana, per se, vel per interpositam personam, neque pro Ecclesia, neque pro aliquo loco, neque sub spem praedicationis, neque pro persecutione suorum corporum; sed ubicumque non fuerint recepti, fugiant in aliam terram ad faciendam poenitentiam cum benedictione Dei.

§ 15. Et firmiter volo obedire ministro generali huius fraternitatis, et illi guardiano quem sibi placuerit mihi dare, et ita volo esse captus in manibus eius, ut non possim ire vel facere contra voluntatem suam, quia dominus meus est.

§ 16. Et quamvis sim simplex et infirmus, tamen volo semper habere clericum, qui mihi faciat officium sicut in regula continetur. Et omnes alii fratres teneantur per obedientiam obedire guardianis suis, et facere officium secundum regulam.

§ 17. Et qui inventi essent, quod non facerent officium secundum regulam, et vellent alio modo variare, aut non essent catholici, omnes fratres ubicumque sunt teneantur per obedientiam, quod ubicumque invenerint aliquem ipsorum, proximiori custodi illius loci, ubi ipsum invenerint, debeant praesentare, et custos teneatur per obedientiam ipsum custodire fortiter, sicut hominem in vinculis, die noctuque, ita quod non possit eripi de manibus suis, donec repraesentet eum in manibus sui ministri. Minister vero teneatur per obedientiam mittere eum, per tales fratres, qui die noctuque custodiant eum sicut hominem in vinculis, donec repraesentet eum coram domino Hostiense, qui est dominus protector, et corrector istius fraternitatis.

§ 18. Et non dicant fratres, haec est alia regula, quia haec est recordatio, admonitio et exhortatio, et meum testamentum, quod ego frater Franciscus parvulus, vester facio vobis fratribus meis benedictis, propter quod, regulam quam Domino promisimus, catholice observemus.

§ 19. Et generalis minister, et omnes alii ministri et custodes teneantur per obedientiam in istis verbis non addere, vel minuere; sed hoc scriptum semper habeant iuxta regulam, et in omnibus capitulis quae faciunt, quando legunt regulam, legant et ista verba. Et omnibus fratribus

meis clericis et laicis praecipio firmiter per obedientiam, ut non mittant glossas in regula, nec istis verbis dicendo, ita volunt intelligi, sed sicut dedit mihi Dominus simpliciter et pure dicere et scribere regulam, et ista verba, ita simpliciter et pure sine glossa intelligatis, et cum sancta operatione observetis usque in finem.

§ 20. Et quicumque haec observaverit, in coelo repleatur benedictione altissimi Patris coelestis, et in terra repleatur benedictione Filii sui, cum sanctissimo Spiritu Paraclito, et omnibus virtutibus coelorum et omnibus sanctis.

Et ego frater Franciscus parvulus vester, et servus, quantumcumque possum confirmo vobis intus et foris istam sanctissimam benedictionem. Amen. [l. c. pag. 394—399.]

278. PAULUS III. (1534—1539).

Approbatio instituti et religionis Clericorum Regularium Societatis Jesu.

* *Bullarium Romanum.* Ed. Taurinensis. Tom. VI. p. 303—306. *Institutum Societatis Jesu.* Editio novissima. Romae 1869. *Literae apostolicae et varia rescripta et indulta S. Sedis Societatem Jesus spectantia.* Florentiae 1886. Cavaron, *Bibliothèque historique de la Compagnie de Jésus.* Paris 1864. *Monumenta historica Societatis Jesus nunc primum edita a patribus eiusdem Societatis.* Matriti 1894. Müller, *Les origines de la Compagnie de Jésu.* Paris 1898. Duhr, *Jesuitenfabeln.* Freiburg 1889[8]. Wetzke u. Welte, *Kirchenlexicon.* s. v. *Jesuiten.* Tom. VI. 1374—1424. Heimbucher, *Die Orden und Congregationen.* Tom. II. p. 37 seq.

Paulus episcopus servus servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

Regimini militantis Ecclesiae, meritis licet imparibus, disponente Domino, praesidentes, et animarum salutem, prout ex debito pastoralis officii tenemur, solicitis studiis exquirentes, fideles quoslibet, qui vota sua in id exponunt, apostolici favoris gratia confovemus, aliasque desuper disponimus, prout, temporum et locorum qualitate pensata, id in Domino conspicimus salubriter expedire.

§ 1. Nuper siquidem accepimus quod dilecti filii Ignatius de Loyola et Petrus Faber ac Iacobus Laynez, necnon Claudius Iayus et Paschasius Broet ac Franciscus Xavier, necnon Alphonsus Salmeron et Simon Rodericus ac Ioannes Coduri et Nicolaus de Bobadilla, presbyteri Pampilonensis, Gebennensis, Seguntinae, Toletanensis, Visensis, Ebredunensis et Palentinae civitatum et dioecesum respective, in artibus magistri in Universitate Parisiensi graduati, et in theologicis studiis per plures annos exercitati, Spiritu Sancto (ut pie creditur) afflati, iamdudum, e diversis mundi regionibus descendentes, in unum convenerunt, et socii effecti, abdicatis huius saeculi illecebris, eorum vitam perpetuo Domini nostri Iesu Christi atque nostro

et aliorum successorum nostrorum Romanorum Pontificum servitio dedicarunt, et iam quampluribus annis laudabiliter in vinea Domini se exercuerunt, verbum Dei, praevia sufficienti licentia, publice praedicando, fideles privatim ad bene beateque vivendum exortando, et ad pias meditationes excitando, hospitalibus inserviendo, pueros et personas rudes ea, quae ad christianam hominis institutionem sunt necessaria, docendo, et demum omnia caritatis officia et quae ad animarum consolationem faciunt, ubique terrarum, ubi peregrinati sunt, multa cum laude obeundo.

§ 2. Cumque ad hanc almam Urbem se contulerint, et in caritatis vinculo persistentes, ad perficiendam et conservandam eorum societatis in Christo unionem, quamdam vivendi formulam, iuxta ea, quae ad propositum sibi finem conducere usu didicerunt, evangelicis consiliis et canonicis patrum sanctionibus conformem, ediderint, factum est ut ipsorum sociorum vitae institutum, sub dicta formula comprehensum, non solum a multis probis viris et Deum zelantibus laudetur, verum etiam a quibusdam ita approbetur, ut illud etiam sequi velint.

§ 3. Formulae autem praedictae tenor sequitur et est talis:

§ 4. Quicumque in Societate nostra, quam Iesu nomine insigniri cupimus, vult sub crucis vexillo Deo militare, et soli Domino atque Romano Pontifici, eius in terris vicario, servire, post solemne perpetuae castitatis votum, proponat sibi in animo se partem esse Societatis ad hoc potissimum institutae ut ad profectum animarum in vita et doctrina christiana, ad fidei propagationem per publicas praedicationes et verbi Dei ministerium, spiritualia exercitia et caritatis opera, et nominatim per puerorum ac rudium in christianismo institutionem, ac christifidelium in confessionibus audiendis spiritualem consolationem, praecipue intendat; curetque primo Deum, deinde huius sui instituti rationem, quae via quaedam est ad Illum, semper ante oculos habere, et finem hunc sibi a Deo propositum totis viribus assequi. Unusquisque tamen, secundum gratiam sibi a Spiritu Sancto subministratam et vocationis suae proprium gradum, ne quis forte zelo utatur, sed non secundum scientiam; cuius proprii cuiusque gradus iudicium et officiorum discretio ac distributio tota sit in manu praepositi seu praelati per nos eligendi, ut congruus ordo servetur, in omni bene instituta communitate necessarius.

§ 5. Qui quidem praepositus, de consilio consociorum, constitutiones, ad consecutionem huius propositi nobis finis conducentes, in consilio condendi auctoritatem habeat, maiori suffragiorum parte semper statuendi ius habente. Consilium vero intelligatur esse, in rebus quidem gravioribus ac perpetuis, maior pars totius Societatis, quae a praeposito commode convocari poterit; in levioribus autem et temporaneis, omnes illi, quos in loco, ubi praepositus noster residebit, praesentes esse contigerit; iubendi autem ius, totum penes praepositum erit.

§ 6. Sciant omnes socii, et non solum in primis professionis suae foribus, sed quoad vixerint quotidie animo volvant societatem hanc universam et singulos, sub sanctissimi domini nostri Papae et aliorum Romanorum Pontificum successorum eius fideli obedientia, Deo militare; et quamvis Evangelio doceamur, et fide orthodoxa cognoscamus ac firmiter profiteamur omnes christifideles Romano Pontifici, tamquam capiti ac Iesu Christi vicario, subesse, ad maiorem tamen nostrae Societatis humilitatem ac perfectam uniuscuiusque mortificationem et voluntatum nostrarum abnegationem, summopere conducere iudicavimus, singulos nos, ultra illud commune vinculum, speciali voto adstringi, ita ut quicquid modernus et alii Romani Pontifices pro tempore existentes iusserint, ad profectum animarum et fidei propagationem pertinens, et ad quascumque provincias nos mittere voluerit, sine ulla tergiversatione aut excusatione, illico, quantum in nobis fuerit, exequi teneamur, sive miserit nos ad Turcas sive ad quoscumque alios infideles, etiam in partibus, quas Indias vocant, existentes, sive ad quoscumque haereticos seu schismaticos seu etiam ad quosvis fideles. Quamobrem qui ad nos accessuri sunt et antequam huic oneri humeros supponant, diu multumque meditentur an tantum pecuniae spiritualis in bonis habeant, ut turrim hanc, iuxta consilium dominicum, possint consummare; hoc est an Spiritus Sanctus, qui illos impellit, tantum illis gratiae polliceatur ut huius vocationis pondus, Illo adiuvante, se laturos sperent; et postquam, Domino inspirante, huic Iesu Christi militiae nomen dederint, die noctuque succincti lumbos et ad tam grandis debiti solutionem prompti esse debebunt.

§ 7. Ne qua autem possit esse inter nos missionum ac provinciarum huiuscemodi aut ambitio vel detractio, profiteantur singuli se numquam, directe aut indirecte, de huiusmodi missionibus quicquam cum Romano Pontifice curaturos, sed omnem hanc curam Deo et ipsi Pontifici, tamquam eius vicario, et Societatis praeposito dimissuros. Qui praepositus, sicut ceteri, etiam profiteatur se nihil de suimet ipsius missione in alterutram partem, nisi de Societatis consilio, cum dicto Pontifice esse curaturum.

§ 8. Voveant singuli se in omnibus, quae ad Regulae huius nostrae observationem faciunt, obedientes fore Societatis praeposito.

§ 9. Ille autem iubeat ea, quae ad constructionem propositi sibi a Deo et a Societaie finis cognoverit esse opportuna. In praelatione autem sua, benignitatis ac mansuetudinis caritatisque Christi, Petri Paulique formulae semper sit memor, et tam ipse quam consilium ad normam hanc assidue spectent. Et nominatim commendatam habeant institutionem puerorum ac rudium in christiana doctrina decem praeceptorum, atque aliorum similium rudimentorum, quaecumque secundum circumstantias personarum, locorum ac temporum illis congrua videbuntur. Est enim maxime necessarium, circa providentiam huius rei, diligenter praepositum et consilium invigilare, cum et in proximis aedificium fidei sine fundamento

non possit consurgere, et in nostris periculum sit ne, ut quisque erit doctior, ita provinciam hanc, tamquam primo aspectu minus speciosam, forsitan detrectare conetur, cum tamen revera nulla sit fructuosior vel proximis ad aedificationem, vel nostris ad caritatis et humilitatis simul officia exercenda. Subditi vero, tum propter numquam satis laudatum humilitatis assiduum exercitium, praeposito in omnibus ad institutum Societatis pertinentibus parere semper teneantur, et in illo Christum veluti praesentem agnoscant et quantum decet venerentur.

§ 10. Cum autem experti fuerimus iucundiorem, puriorem et ad proximi aedificationem aptiorem esse vitam ab omni avaritiae contagione quam remotissimam, et evangelicae paupertati quam simillimam; cumque sciamus Dominum nostrum Iesum Christum servis suis regnum Dei solum inquirentibus necessaria ad victum et vestitum esse subministraturum, voveant singuli et universi perpetuam paupertatem, declarantes quod non solum privatim, sed neque etiam communiter, possint, pro societatis sustentatione aut usu, ad bona aliqua stabilia aut ad proventus seu introitus aliquos, ius aliquod civile acquirere, sed sint contenti usu tantum rerum sibi donatarum, ad necessaria sibi comparanda recipere.

§ 11. Possint tamen habere in universitatibus collegium seu collegia habentia reditus, census seu possessiones, usibus et necessariis studentium applicandas, retenta penes praepositum et Societatem omnimoda gubernatione seu superintendentia super dicta collegia et praedictos studentes, quoad gubernatoris seu gubernatorum ac studentium electionem ac eorumdem admissionem, emissionem, receptionem, exclusionem, statutorum circa studentium instructionem, aedificationem ac correctionem, victus vestitusque eis ministrandi modum atque aliam omnimodam gubernationem, regimen ac curam. Sic tamen ut neque studentes dictis bonis abuti, neque Societas in proprios usus convertere possit, sed studentium necessitati subvenire. Qui quidem, post cognitum in spiritu et literis eorum profectum, et post sufficientem probationem, in Societatem nostram admitti possint.

§ 12. Socii omnes quicumque in sacris fuerint, quamvis beneficia ecclesiastica aut eorum reditus non habeant, teneantur tamen singuli, privatim ac particulariter et non communiter, ad dicendum officium secundum Ecclesiae ritum.

§ 13. Haec sunt quae, sub praefati domini nostri Pauli et Sedis Apostolicae beneplacito, de nostra professione typo quodam explicare potuimus; quod nunc fecimus ut summatim scriptione hac informaremus tum illos qui nos de nostro vitae intituto interrogant, tum etiam posteros nostros, si quos, Deo volente, imitatores umquam habebimus huius vitae; quam cum multas magnasque habere annexas difficultates fuerimus experti, opportunum iudicavimus etiam statuere ne quis in hac Societate recipiatur, nisi diu ac diligentissime fuerit probatus. Cumque prudens in Christo et vel do-

ctrina seu vitae christianae puritate apparuerit conspicuus, tunc demum admittatur ad Iesu Christi militiam, qui tenuibus coeptis nostris favere dignetur, ad gloriam Dei Patris, cui soli sit semper decus et honor in saecula. Amen.

§ 14. Cum autem nil in praemissis reperiatur quod pium non sit aut sanctum, nos (ut iidem socii, qui nobis super hoc humillime supplicari fecerunt, in eorum pio vivendi proposito eo promptiores existant, quo se maiori Sedis Apostolicae gratia completi cognoverint, et praemissa per nos approbari viderint) praemissa omnia et singula, tamquam ad spiritualem profectum eorumdem sociorum et reliqui christiani gregis opportuna, apostolica auctoritate, tenore praesentium, ex certa scientia approbamus, confirmamus et benedicimus, ac perpetuae firmitatis munimine roboramus; ipsosque socios sub nostra et huius sanctae Sedis Apostolicae protectione suscipimus, eis nihilominus concedentes quod particulares inter eos constitutiones, quas ad Societatis huiusmodi finem et Iesu Christi Domini nostri gloriam ac proximi utilitatem conformes esse iudicaverint, condere libere et licite valeant.

§ 15. Non obstantibus generalis concilii et felicis recordationis Gregorii Papae X, praedecessoris nostri, ac quibusvis aliis constitutionibus et ordinationibus apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

§ 16. Volumus autem quod in Societate huiusmodi usque ad numerum sexaginta personarum, formulam vivendi huiusmodi profiteri cupientium, et non ultra, admitti et Societati praefatae aggregari dumtaxat valeant.

Nulli ergo etc. Si quis etc.

Datum Romae apud Sanctum Marcum, anno Incarnationis dominicae millesimo quingentesimo quadragesimo, v kalendas octobris, pontificatus nostri anno VI.

Dat. die 27. sep. 1540, pontif. anno VI.

274. LEO XIII. (1878–1903).

Constitutio de religiosorum institutis vota simplicia profitentium.

* *Acta S. Sedis.* Tom. 33. p. 341—347. Arndt, *Die kirchlichen Rechtsbestimmungen für die Frauencongregationen.* Mainz 1901. Nardelli, *Les congrègations religieuses à voeux simples dans leur rapport avec les évêques d'apres la bulle «Conditae» de Leon XIII.* Paris 1901. Boudinon, *Les congrègations religieuses à voeux simples (Le canoniste contemporain* 1901, 1902.) Moresco, *La separazione della Chiesa dallo Stato in Francia.* Torino 1906. p. 14 seq.

Leo episcopus servus servorum dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Conditae a Christo Ecclesiae ea vis divinitus inest ac fecunditas, ut multas anteactis temporibus, plurimas aetate hac elabente utriusque sexus

tamquam familias ediderit, quae, sacro *votorum simplicium* suscepto vinculo, sese variis religionis et misericordiae operibus sancte devovere contendunt. Quae quidem pleraeque, urgente caritate Christi, singularis civitatis vel dioecesis praetergressae angustias, adeptaeque, unius eiusdemque vi legis communisque regiminis, perfectae quamdam consociationis speciem, latius in dies proferuntur. — Duplex porro earumdem est ratio: aliae, quae Episcoporum solummodo approbationem nactae, ob eam rem *dioecesanae* appellantur; aliae vero de quibus praeterea romani Pontificis sententia intercessit, seu quod ipsarum leges ac statuta recognoverit, seu quod insuper commendationem ipsis approbationemve impertiverit.

Iam in binas huiusmodi religiosarum Familiarum classes quaenam Episcoporum iura esse oporteat, quaeque vicissim illarum in Episcopos officia, sunt qui opinentur incertum controversumque manere. — Profecto ad *dioecesanas* consociationes quod attinet res non ita se dat laboriosam ad expediendum; eae quippe una inductae sunt atque vigent Antistitum sacrorum auctoritate. At gravior sane quaestio de ceteris oritur, quae Apostolicae Sedis comprobatione sunt auctae. Quia nimirum in dioeceses plures propagantur, eodemque ubique iure unoque utuntur regimine: ideo Episcoporum in illas auctoritatem opus est temperationem quamdam admittere certosque limites. Qui limites quatenus pertinere debeant, colligere licet ex ipsa decernendi ratione Sedis Apostolicae consueta in eiusmodi consociationibus approbandis, scilicet certam aliquam Congregationem approbari ut piam Societatem votorum simplicium, *sub regimine Moderatoris generalis, salva ordinariorum iurisdictione, ad formam sacrorum Canonum et Apostolicarum constitutionum.* — Iamvero perspicuum inde fit, tales Consociationes neque in *dioecesanis* censeri, neque episcopis subesse posse nisi intra fines dioecesis cuiusque, incolumi tamen supremi earumdem Moderatoris administratione ac regimine. Qua igitur ratione summis societatum harum Praesidibus in Episcoporum iura et potestatem nefas et invadere; eadem Episcopi prohibentur ne quid sibi de Praesidum ipsorum auctoritate arrogent. Secus enim si fieret, tot moderatores istis Congregationibus accederent, quot Episcopi, quorum in dioecesibus alumni earum versentur; actumque esset de administrationis unitate ac regiminis. — Concordem atque unanimem Praesidum Congregationum atque episcoporum auctoritatem esse oportet; at ideo necesse est alteros alterorum iura pernoscere atque integra custodire.

Id autem ut, omni submota controversia, plene in posterum fiat, et ut Antistitum sacrorum potestas quam Nos, uti par est, inviolatam usquequaque volumus, nihil uspiam detrimenti capiat; ex consulto sacri Consilii Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositi, duo praescriptionum capita edicere visum est, alterum de Sodalitatibus quae Sedis Apostolicae commendationem vel approbationem nondum sunt assecutae, alterum de ceteris,

quarum Sedes Apostolica vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit.

Caput primum haec habet servanda:

I. Episcopi est quamlibet recens natam sodalitatem non prius in dioecesim recipere, quam leges eius constitutionesque cognorit itemque probarit: si videlicet neque fidei honestative morum, neque sacris canonibus et Pontificum decretis adversentur, et si apte statuto fini conveniant.

II. Domus nulla novarum sodalitatum iusto iure fundabitur, nisi annuente probante Episcopo. Episcopus vero fundandi veniam ne impertiat, nisi inquisitione diligenter acta quales sint qui id poscant: an recte probeque sentiant, an prudentia praediti, an studio divinae gloriae, suaeque et alienae salutis praecipue ducti.

III. Episcopi, quoad fieri possit, potius quam novam in aliquo genere sodalitatem condant vel approbent utilius unam quamdam adsciscent de iam approbatis, quae actionis institutum profiteatur adsimile. — Nullae fere, ni forte in *Missionum* regionibus, probentur sodalitates, quae, certo proprioque fine non praestituto, quaevis universae pietatis ac beneficientiae opera, etiamsi penitus inter se disiuncta, exercenda amplectantur.

Episcopi sodalitatem condi ullam ne sinerint, quae redditibus careat ad sodalium victum necessariis. — Sodalitia, quae stipe collaticia vivant; item muliebres familias, quae aegrotis, domi ipsorum, interdiu noctuque adsint, cautissime, quin etiam difficulter comprobent. — Si quae autem nova feminarum sodalitas eo spectet ut suis in aedibus valetudinaria aperiat viris promiscue mulieribusve excipiendis; vel similes domos excipiendis sacerdotibus, qui Sororum cura atque opera aegrotantes leventur; eiusmodi proposita Episcopi ne probent, nisi maturo adhibito severoque consilio. — Praeterea Episcopi religiosarum domus, ubi viris feminisve peregre advenientibus hospitium victusque accepto pretio suppeditetur, nequaquam permittant.

IV. Sodalitas quaevis dioecesana ad dioeceses alias ne transgrediatur, nisi consentiente utroque Episcopo, tum loci unde excedat, tum loci quo velit commigrare.

V. Sodalitatem dioecesanam si ad dioeceses alias propagari accidat, nihil de ipsius natura et legibus mutari liceat, nisi singulorum Episcoporum consensu, quorum in dioecesibus aedes habeat.

VI. Semel approbatae sodalitates ne extinguantur, nisi gravibus de causis, et consentientibus Episcopis, quorum in ditione fuerint. Singulares tamen domos Episcopis, in sua cuique dioecesi, tollere fas est.

VII. De puellis habitum religiosum petentibus, item de iis quae, probatione expleta, emissurae sint vota, Episcopus singulatim certior fiat; eiusdem erit illas et de more explorare et, nihil si obstet, admittere.

VIII. Episcopo alumnas sodalitatum dioecesanarum professas dimittendi potestas est, votis perpetuis aeque ac temporariis remissis, uno dempto (ex auctoritate saltem propria) colendae perpetuo castitatis. Cavendum tamen ne istiusmodi remissione ius alienum laedatur; laedetur autem, si insciis moderatoribus id fiat iusteque dissentientibus.

IX. Antistitae, ex constitutionum iure, a Sororibus eligantur. Episcopus tamen, vel ipse vel delegato munere, suffragiis ferendis praeerit: peractam electionem confirmare vel rescindere integrum ipsi est pro conscientiae officio.

X. Dioecesanae cuiusvis sodalitatis domos Episcopus invisendi ius habet, itemque de virtutum studio, de disciplina, de oeconomicis rationibus cognoscendi.

XI. Sacerdotes a sacris, a confessionibus, a concionibus designare, item de sacramentorum dispensatione statuere munus Episcoporum est, pro sodalitatibus dioecesanis pariter ac pro ceteris; id quod in capite consequenti (n. VIII.) explicate praefinitur.

Alterum praescriptionum caput, de Sodalitatibus quarum Apostolica Sedes vel leges recognovit vel institutum commendavit aut approbavit, haec habet servanda:

I. Candidatos cooptare, eosdem ad sacrum habitum vel ad profitenda vota admittere, partes sunt Praesidum sodalitatum; integra tamen Episcopi facultate a Synodo Tridentina tributa [Sess. XXV, cap. XVII, de Regul. et Monial.], ut quum de feminis agitur, eas et ante suscipiendum habitum et ante professionem emittendam ex officio exploret. Praesidum similiter est familias singulas ordinare, tirones ac professos dimittere, iis tamen servatis quaecumque ex instituti legibus pontificiisque decretis servari oportet. — Demandandi munera et procurationes, tum quae ad universam sodalitatem pertinent, tum quae in domibus singulis exercentur, Conventus seu *Capitula* et Consilia propria ius habent. In muliebrium autem sodalitatum Conventibus ad munerum assignationem, Episcopus, cuius in dioecesi habentur, per se vel per alium praeerit, ut Sedis Apostolicae delegatus.

II. Condonare vota, sive ea temporaria sint sive perpetua, unius est romani Pontificis. Immutandi constitutiones, utpote quae probatae a Sede Apostolica, nemini Episcoporum ius datur. Item regimen, quod penes moderatores est sive sodalitatis universae sive familiarum singularum ad constitutionum normam, Episcopis mutare temperare ne liceat.

III. Episcoporum sunt iura, in dioecesi cuiusque sua, permittere vel prohibere novas domos sodalitatum condi, item nova ab illis templa excitari, oratoria seu publica seu semipublica aperiri, sacrum fieri in domesticis sacellis, Sacramentum augustum proponi palam venerationi fidelium. Epi-

scoporum similiter est sollemnia et supplicationes, quae publica sint, ordinare.

IV. Domus sodalitatum huiusmodi si *clausura episcopali* utantur, Episcopis iura manent integra, quae de hac re a pontificiis legibus tribuuntur. Si quae autem *clausura,* ut inquiunt, *partiali,* utantur, episcopi erit curare ut rite servetur, et quidquid in eam irrepat vitii cohibere.

V. Alumni alumnaeve sodalitatum harum, ad *forum internum* quod attinet, Episcopi potestati subsunt. In *foro* autem *externo,* eidem subsunt quod spectat ad censuras, reservationem casuum, votorum relaxationem ubae non sint uni summo Pontifici reservata, publicarum precum indictionem, dispensationes concessionesque ceteras quas Antistites sacrorum fidelibus suis impertire queant.

VI. Si qui vero ad sacros ordines promoveri postulent, eos Episcopus, etsi in dioecesi degentes, initiare caveant, nisi hisce conditionibus: ut a moderatoribus quisque suis proponantur; ut quae a iure sacro sancita sunt de *litteris dimissorialibus* vel *testimonialibus* sint rite impleta; ut *titulo sacrae ordinationis* ne careant, vel certe eo legitime eximantur; ut theologiae studiis operam dederint, secundum decretum *Auctis admodum,* die datum 4. novembris anno 1892.

VII. In sodalitates, quae mendicato vivunt, ea Episcopis stent iura, quae habet decretum *Singulare quidem* a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito promulgatum die 27. martii anno 1896.

VIII. In iis quae ad spiritualia pertinent subduntur sodalitates Episcopis dioecesium in quibus versantur. Horum igitur erit sacerdotes ipsos et a sacris designare et a concionibus probare. Quod si sodalitates mulie-bres sint, designabit item Episcopus sacerdotes a confessionibus tum ordinarios tum extra ordinem, ad normam Constitutionis *Pastoralis curae* a Benedicto XIV. decessore Nostro editae, ac decreti *Quemadmodum* dati a sacro Consilio Episcopis et Religiosorum ordinibus praeposito, die 17. decembris anno 1890; quod quidem decretum ad [illegible]orum etiam consociationes pertinet, qui sacris minime ini[illegible]

IX. Bonorum, quibus Sodal[illegible]la potiuntur, administratio penes Moderatorem supremum maxi[illegible]ntistitam eorumque Consilia esse debet: singularum vero familia[illegible]ditus a praesidibus singulis administrari oportet, pro instituti cuiusque legibus. De iis nullam Episcopus rationem potest exigere. Qui vero fundi certae domui tributi legative sint ad Dei cultum beneficentiamve eo ipso loco impendendam; horum administrationem moderator quidem domus gerat, referat tamen ad Episcopum, eique se omnino praebeat obnoxium: ita nimirum ut neque Praeposito neque Antistitae sodalitii universi liceat quidquam ex iis bonis Episcopo occultare, distrahere, vel in alienos usus convertere. Talium igitur bonorum

Episcopus rationes accepti impensique, quoties videbitur, expendet: idem ne sortes minuatur, redditus ne perperam erogentur, curabit.

X. Sicubi sodalitatum aedibus instituta curanda adiecta sint, uti gynaecea, orphanotrophia, valetudinaria, scholae, asyla pueris erudiendis, Episcopali vigilantiae ea omnia subsint quod spectat ad religionis magisteria, honestatem morum, exercitationes pietatis, sacrorum administrationem, integris tamen privilegiis, quae collegiis, scholis, institutisve eiusmodi a Sede Apostolica sint tributa.

XI. In quarumlibet sodalitatum domibus vota simplicia profitentium, Episcopis cuiusque dioecesis ius est invisendi templa, sacraria, oratoria publica, sedes ad sacramentum poenitentiae, de iisque opportune statuendi iubendi. — In presbyterorum sodalitiis, de conscientia ac disciplina, item de re oeconomica uni praesides cognoscent. In consociationibus vero feminarum, aeque ac virorum qui sacerdotio abstinent, Episcopi erit inquirere num disciplina ad legum normam vigeat, num quid sana doctrina morumve probitas detrimenti ceperit, num contra clausuram peccatum, num sacramenta aequa stataque frequentia suscipiantur. — Reprehensione dignum si quid Episcopus forte offenderit, ne decernat illico: moderatores uti prospiciant moneat; qui si neglexerint, ipse per se consulat. Si quae tamen maioris momenti occurrant quae moram non expectent, decernat statim: decretum vero ad sacrum Consilium deferat Episcopis ac Religiosorum ordinibus praepositum.

Episcopus, in visitatione potissimum, iuribus, quae supra diximus, utatur suis quod spectat ad scholas, asyla ceteraque memorata instituta. — Ad rem vero oeconomicam quod attinet muliebrium sodalitatum itemque virorum sacerdotio carentium, Episcopus ne cognoscat nisi de fundorum legatorumve administratione, quae sacris sint attributa, vel loci aut dioecesis incolis iuvandis.

His porro, quae hactenus ediximus sancivimus nihil penitus derogari volumus de facultatibus vel privilegiis, tum Nostro aut quovis alio Sedis Apostolicae decreto concessis, tum immemorabili aut saeculari consuetudine confirmatis, tum etiam quae in aliis Sodalitatis legibus a Romano Pontifice approbatis contineantur.

Praesentes vero litteras et quaecumque in ipsis habentur nullo unquam tempore de subreptionis sive intentionis Nostrae vitio aliove quovis defectu notari vel impugnari posse, sed semper validas et in suo robore fore et esse, atque ab omnibus cuiusvis gradus et praeeminentiae inviolabiliter in iudicio et extra observari debere decernimus: irritum quoque et inane declarantes si secus super his a quoquam, quavis auctoritate vel praetextu scienter vel ignoranter contigerit attentari; contrariis non obstantibus quibuscumque.

Volumus autem ut harum litterarum exemplis, etiam impressis, manu tamen Notarii subscriptis et per constitutum in ecclesiastica dignitate virum sigillo munitis, eadem habeatur fides, quae Nostrae voluntatis significationi his praesentibus ostensis haberetur.

Datum Romae apud S. Petrum anno Incarnationis Dominicae millesimo noningentesimo, sexto idus decembris, Pontificatus Nostri vicesimo tertio.

C. Card. *Aloisi-Masella* Pro-Dat. — A. Card. *Macchi.* Visa.

De Curia I. *De Aquila e Vicecomitibus.*

Loco † Plumbi. — Reg. in Secret. Brevium. — *I. Cugnonius.*

APPENDIX I.

SERIES PONTIFICUM ROMANORUM SECUNDUM CHRONOTAXIM S. SEDIS.[1]

1.	S.	Petrus	† 64—67
2.	»	Linus	67—76 (?)
3.	»	Anacletus	76—88 (?)
4.	»	Clemens	88—97 (?)
5.	»	Evaristus	97—105 (?)
6.	»	Alexander	105—115 (?)
7.	»	Sixtus	115—125 (?)
8.	»	Telesphorus	125—136 (?)
9.	»	Hyginus	136—140 (?)
10.	»	Pius	140—155 (?)
11.	»	Anicetus	155—166
12.	»	Soter	166—175
13.	»	Eleutherus	175—189
14.	»	Victor	189—199
15.	»	Zephyrinus	199—217
16.	»	Calixtus	217—222
		Hippolytus	217—235
17.	»	Urbanus	222—230
18.	»	Pontianus	230—235
19.	»	Anterus	235—236
20.	»	Fabianus	236—250
21.	»	Cornelius	251—253
		Novatianus	251—258 (?)
22.	»	Lucius I.	253—254
23.	»	Stephanus I.	254—257
24.	»	Sixtus II.	257—258
25.	»	Dionysius	259—268
26.	»	Felix I.	269—274
27.	»	Eutychianus	275—283
28.	»	Caius	283—296
29.	S.	Marcellinus	296—304
30.	»	Marcellus	308—309
31.	»	Eusebius	309 (?) 310
32.	»	Miltiades	311—314
33.	»	Silvester I.	314—335
34.	»	Marcus	336
35.	»	Iulius I.	337—352
36.	»	Liberius	352—366
		Felix II.	355—365
37.	»	Damasus I.	366—384
		Ursinus	366—367
38.	»	Siricius	384—399
39.	»	Anastasius I.	399—401
40.	»	Innocentius I.	401—417
41.	»	Zosimus	417—418
42.	»	Bonifatius I.	418—422
		Eulalius	418—419
43.	»	Coelestinus I.	422—432
44.	»	Sixtus III.	432—440
45.	»	Leo I.	440—461
46.	»	Hilarus	461—468
47.	»	Simplicius	468—483
48.	»	Felix II. (III)	483—492
49.	»	Gelasius I.	492—496
50.	»	Anastasius II.	496—498
51.	»	Symmachus	498—514
		Laurentius	498—505
52.	»	Hormisda	514—523
53.	»	Iohannes I.	523—526
54.	»	Felix III. (IV)	526—530

[1]) Conf. *La Gerarchia cattolica, la Famiglia e la Cappella Pontificia.* Roma 1905. p. 9—27. Ferrari, *I sommi Pontefici da S. Pietro a Pio X.* Milano 1903. Funk, *Kirchenlexicon.* Tom. IX. p. 1478.

55.	Bonifatius II.	530—532
	Dioscorus	530
56.	Iohannes II.	532—535
57.	S. Agapitus I.	535—536
58.	» Silverius	536—538(?)
59.	Vigilius	538—555
60.	Pelagius I.	555—561
61.	Iohannes III.	561—574
62.	Benedictus I.	575—579
63.	Pelagius II.	579—590
64.	S. Gregorius I.	590—604
65.	Sabinianus	604—606
66.	Bonifatius III.	607
67.	S. Bonifatius IV.	608—615
68.	S. Deusdedit	615—618
69.	Bonifatius V.	619—625
70.	Honorius I.	625—638
71.	Severinus	640
72.	Iohannes IV.	640—642
73.	Theodorus I.	642—649
74.	S. Martinus I.	649—655
75.	» Eugenius I.	655—657
76.	» Vitalianus	657—672
77.	Adeodatus	672—676
78.	Donus	676—678
79.	S. Agatho	678—681
80.	» Leo II.	682—683
81.	» Benedictus II.	684—685
82.	Iohannes V.	685—686
83.	Conon	686—687
	Theodorus	687
	Paschalis	687—692(?)
84.	S. Sergius	687—701
85.	Iohannes VI.	701—705
86.	Iohannes VII.	705—707
87.	Sisinnius	708
88.	Constantinus I.	708—715
89.	S. Gregorius II.	715—731
90.	» Gregorius III.	731—741
91.	» Zacharias	741—752
92.	Stephanus II.	752
93.	Stephanus III.	752—757
94.	S. Paulus I.	757—767
	Constantinus II.	767—768
	Philippus	768
95.	Stephanus IV.	768—772
96.	Hadrianus I.	772—795
97.	S. Leo III.	795—816
98.	Stephanus V.	816—817
99.	S. Paschalis I.	817—824

100.	Eugenius II.	824—827
101.	Valentinus	827
102.	Gregorius IV.	828—844
	Iohannes	844
103.	Sergius II.	844—847
104.	S. Leo IV.	847—855
105.	Benedictus III.	855—858
	Anastasius	855
106.	S. Nicolaus I.	858—867
107.	Hadrianus II.	867—872
108.	Iohannes VIII.	872—882
109.	Marinus I.	882—884
110.	Hadrianus III.	884—885
111.	Stephanus VI.	885—891
112.	Formosus	891—896
113.	Bonifatius VI.	896
114.	Stephanus VII.	896—897
115.	Romanus	897
116.	Theodorus II.	897
117.	Iohannes IX.	898—900
118.	Benedictus IV.	900—903
119.	Leo V.	903
	Christophorus	903—904
120.	Sergius III.	904—911
121.	Anastasius III.	911—913
122.	Lando	913—914
123.	Iohannes X.	914—928
124.	Leo VI.	928
125.	Stephanus VIII.	929—931
126.	Iohannes XI.	931—935
127.	Leo VII.	936—939
128.	Stephanus VIII.	939—942
129.	Marinus II.	942—946
130.	Agapitus II.	946—955
131.	Iohannes XII.	955—964
132.	Leo VIII.	964—965
133.	Benedictus V.	963—966
134.	Iohannes XIII.	963—972
135.	Benedictus VI.	973—974
	Bonifatius VII.	974, 984—85
136.	Benedictus VII.	974—983
137.	Iohannes XIV.	983—984
138.	Iohannes XV.	985—996
139.	Gregorius V.	996—999
	Iohannes XVI.	997—998
140.	Silvester II.	999—1003
141.	Iohannes XVII.	1003
142.	Iohannes XVIII.	1003—1009
143.	Sergius IV.	1009—1012
144.	Benedictus VIII.	1012—1024

	Gregorius	1012
145.	Iohannes XIX.	1024—1032
146.	Benedictus IX.	1032—1044
147.	Silvester III.	1045
148.	Benedictus IX.	1045
149.	Gregorius VI.	1045—1046
150.	Clemens II.	1046—1047
151.	Benedictus IX.	1047—1048
152.	Damasus II.	1048
153.	S. Leo IX.	1049—1054
154.	Victor II.	1055—1057
155.	Stephanus X.	1057—1058
	Benedictus X.	1058—1059
156.	Nicolaus II.	1059—1061
157.	Alexander II.	1061—1073
	Honorius II.	1061—1072
158.	S. Gregorius VII.	1073—1085
	Clemens III.	1080—1100
159.	Victor III.	1087
160.	Urbanus II.	1088—1099
161.	Paschalis II.	1099—1118
	Theodericus	1100—1102
	Albertus	1102
	Silvester IV.	1105—1111
162.	Gelasius II.	1118—1119
	Gregorius VIII.	1118—1121
163.	Calixtus II.	1119—1124
164.	Honorius II.	1124—1130
	Coelestinus II.	1124
165.	Innocentius II.	1130—1143
	Anacletus II.	1130—1138
	Victor IV.	1138
166	Coelestinus II.	1143—1144
167	Lucius II.	1144—1145
168	Eugenius III.	1145—1153
169.	Anastasius IV.	1153—1154
170.	Hadrianus IV.	1154—1159
171.	Alexander III.	1159—1181
	Victor IV.	1159—1164
	Paschalis III.	1164—1168
	Calixtus III.	1168—1178
	Innocentius III.	1179—1180
172.	Lucius III.	1181—1185
173.	Urbanus III.	1185—1187
174.	Gregorius VIII.	1187
175.	Clemens III.	1187—1191
176.	Coelestinus III.	1191—1198
177.	Innocentius III.	1198—1216
178.	Honorius III.	1216—1227
179.	Gregorius IX.	1227—1241
180.	Coelestinus IV.	1241
181.	Innocentius IV.	1243—1254
182.	Alexander IV.	1254—1261
183.	Urbanus IV.	1261—1264
184.	Clemens IV.	1265—1268
185.	S. Gregorius X.	1271—1276
186.	Innocentius V	1276
187.	Hadrianus V.	1276
188.	Iohannes XXI.	1276—1277
189.	Nicolaus III.	1277—1280
190.	Martinus IV.	1281—1285
191.	Honorius IV.	1285—1287
192.	Nicolaus IV.	1288—1292
193.	S. Coelestinus V.	1294
194.	Bonifatius VIII.	1294—1303
195.	Benedictus XI.	1303—1304
196.	Clemens V.	1305—1314
197.	Iohannes XXII.	1316—1334
	Nicolaus V.	1328—1330
198.	Benedictus XII.	1334—1342
199.	Clemens VI.	1342—1352
200.	Innocentius VI.	1352—1362
201.	Urbanus V.	1362—1370
202.	Gregorius XI.	1370—1378
203.	Urbanus VI.	1378—1389
	[Clemens VII.]	1378—1394
204.	Bonifatius IX.	1389—1404
	[Benedictus XIII.]	1394—1424
205.	Innocentius VII.	1404—1406
206.	Gregorius XII.	1406—1415
	[Alexander V.]	1409—1410
	[Iohannes XXIII.]	1410—1415
207.	Martinus V.	1417—1431
	Clemens VIII.	1424—1429
	Benedictus XIV.	1424— (?)
208.	Eugenius IV.	1431—1447
	Felix V.	1439—1449
209.	Nicolaus V.	1447—1455
210.	Calixtus III.	1455—1458
211.	Pius II.	1458—1464
212.	Paulus II.	1464—1471
213.	Sixtus IV.	1471—1484
214.	Innocentius VIII.	1484—1492
215.	Alexander VI.	1492—1503
216.	Pius III.	1503
217.	Iulius II.	1503—1513
218.	Leo X.	1513—1521
219.	Hadrianus VI.	1522—1523
220.	Clemens VII.	1523—1534
221.	Paulus III.	1534—1549

222.	Iulius III.	1550—1555
223.	Marcellus II.	1555
224.	Paulus IV.	1555—1559
225.	Pius IV.	1559—1565
226.	S. Pius V.	1566—1572
227.	Gregorius XIII.	1572—1585
228.	Sixtus V.	1585—1590
229.	Urbanus VII.	1590
230.	Gregorius XIV.	1590—1591
231.	Innocentius IX.	1591
232.	Clemens VIII.	1592—1605
233.	Leo XI.	1605
234.	Paulus V.	1605—1621
235.	Gregorius XV.	1621—1623
236.	Urbanus VIII.	1623—1644
237.	Innocentius X.	1644—1655
238.	Alexander VII.	1655—1667
239.	Clemens IX.	1667—1669
240.	Clemens X.	1670—1676
241.	Innocentius XI.	1676—1689
242.	Alexander VIII.	1689—1691
243.	Innocentius XII.	1691—1700
244.	Clemens XI.	1700—1721
245.	Innocentius XIII.	1721—1724
246.	Benedictus XIII.	1724—1730
247.	Clemens XII.	1730—1740
248.	Benedictus XIV.	1740—1758
249.	Clemens XIII.	1758—1769
250.	Clemens XIV.	1769—1774
251.	Pius VI.	1774—1799
252.	Pius VII.	1800—1823
253.	Leo XII.	1823—1829
254.	Pius VIII.	1829—1830
255.	Gregorius XVI.	1831—1846
256.	Pius IX.	1846—1878
257.	Leo XIII.	1878—1903
258.	Pius X.	1903

APPENDIX II.

SYNOPSIS TITULORUM SECUNDAE PARTIS CORPORIS IURIS CANONICI.

Decretales Gregorii IX.	In Sexto.	In Clementinis.	In Extravag. Joann. XXII.	In Extravag. communib.
Liber I.	Lib. I.	Lib. I.	Tit.	Lib. I.
Tit. 1. De summa Trinitate et fide catholica .	Tit. 1.	Tit. 1.	—	—
2. De constitutionibus	2	—	—	—
3. De rescriptis	3	2	—	1
4. De consuetudine	4	—	—	—
5. De postulatione Praelatorum	5	—	—	2
6. De electione et electi potestate . . .	6	3	1	3
7. De translatione Episcopi	—	—	—	—
8. De auctoritate et usu pallii	—	—	—	4
9. De renunciatione	7	4	—	—
10. De supplenda negligentia Praelatorum .	8	5	—	—
11. De temporibus ordinationum et qualitate ordinandorum	9	—	—	—
12. De scrutinio in ordine faciendo . . .	—	—	—	—
13. De ordinatis ab Episcopo, qui resignavit Episcopatui	—	—	—	—
14. De aetate et qualitate et ordine praeficiendorum	10	6	—	—
15. De sacra unctione	—	—	—	—
16. De sacramentis non iterandis	—	—	—	—
17. De filiis presbyterorum ordinandis vel non.	11	—	—	—
18. De servis non ordinandis et eorum manumissione	—	—	—	—
19. De obligatis ad ratiocinia ordinandis vel non.	—	—	—	—
20. De corpore vitiatis ordinandis vel non .	—	—	—	—
21. De bigamis non ordinandis	12	—	—	—
22. De clericis peregrinis	—	—	—	—
23. De officio Archidiaconi	—	—	—	—
24. De officio Archipresbyteri	—	—	—	—

Decretales Gregorii IX.	In Sexto.	In Clementinis.	In Extravag. Joann. XXII.	In Extravag. communib.
(Liber I.)	Lib. I.	Lib. I.	Tit.	Lib. I.
25. De officio Primicerii.	—	—	—	—
26. De officio Sacristae	—	—	—	—
27. De officio Custodis	—	—	—	5
28. De officio Vicarii	13	7	—	—
29. De officio et potestate judicis delegati	14	8	—	6
30. De officio Legati	15	—	—	—
31. De officio judicis ordinarii	16	9	—	7
32. De officio iudicis	—	—	—	—
33. De maioritate et obedientia	17	—	2	8
34. De treuga et pace	—	—	—	9
35. De pactis	18	—	—	—
36. De transactionibus	—	—	—	—
37. De postulando	—	—	—	—
38. De procuratoribus	19	10	—	—
39. De Syndico	—	—	—	—
40. De hi, quae vi metusve causa fiunt	20	—	—	—
41. De in integrum restitutione	12	11	—	—
42. De alienatione judicii mutandi causa facta	22	—	—	—
43. De arbitris	—	—	—	—
Liber II.	Lib. II.	Lib. II.		Lib. II.
Tit. 1. De iudiciis	1	1	—	1
2. De foro competenti	2	2	—	—
3. De libelli oblatione	—	—	—	—
4. De mutuis petitionibus	—	—	—	—
5. De litis contestatione	3	—	—	—
6. Ut lite non contestata non procedatur ad testium receptionem vel ad sententiam diffinitivam	—	—	—	—
7. De iuramento calumniae	4	—	—	—
8. De dilationibus	—	—	—	2
9. De feriis	—	—	—	—
10. De ordine cognitionum	—	—	—	—
11. De plus-petitionibus	—	—	—	—
12. De causa possessionis et proprietatis	—	3	—	—
13. De restitutione spoliatorum	5	—	—	—
14. De dolo et contumacia	6	4	—	3
15. De eo, qui mittitur in possessionem causa rei servandae	7	—	—	—
16. Ut lite pendente nihil innovetur	8	5	—	—
17. De sequestratione possessionis et fructuum	—	6	—	—
18. De confessis	9	—	—	—
19. De probationibus	—	7	—	—
20. De testibus et attestationibus	10	8	—	—

Decretales Gregorii IX.	In Sexto.	In Clementinis.	In Extravag. Joann. XXII.	In Extravag. communib.
(Liber II.)	Lib. II.	Lib. II.	Tit.	Lib. II.
21. De testibus cogendis vel non	—	—	—	—
22. De fide instrumentorum	—	—	—	—
23. De praesumptionibus	—	—	—	—
24. De iureiurando	11	9	—	—
25. De exceptionibus	12	10	—	—
26. De praescriptionibus	13	—	—	—
27. De sententia et re judicata	14	11	—	—
28. De appellationibus, recusationibus et relationibus	15	12	—	—
29. De clericis peregrinantibus	—	—	—	—
30. De confirmatione utili vel inutili . . .	—	—	—	—
Liber III.	Lib. III.	Lib. III.		Lib. III.
Tit. 1. De vita et honestate clericorum . .	1	1	—	1
2. De cohabitatione clericorum et mulierum .	—	—	—	—
3. De clericis coniugatis	2	—	—	—
4. De clericis non residentibus in ecclesia vel praebendis	3	—	—	—
5. De praebendis et dignitatibus	4	2	3	2
6. De clerico aegrotante vel debilitato . .	5	—	—	—
7. De institutionibus	6	—	—	—
8. De concessione praebendae et ecclesiae non vacantis	7	3	4	—
9. Ne sede vacante aliquid innovetur . .	—	—	5	3
10. De his, quae fiunt a praelatis sine consensu capituli	8	—	—	—
11. De iis, quae fiunt a maiori parte capituli .	—	—	—	—
12. Ut ecclesiastica beneficia sine deminutione conferantur	—	—	—	—
13. De rebus ecclesiae alienandis vel non .	9	4	—	4
14. De precariis	—	—	—	—
15. De commodato	—	—	—	—
16. De deposito	—	—	—	—
17. De emptione et venditione	—	—	—	5
18. De locato et conducto		—	—	—
19. De rerum permutatione	10	5	—	—
20. De feudis	—	—	—	—
21. De pignoribus et aliis cautionibus . .	—	—	—	—
22. De fideiussoribus	—	—	—	—
23. De solutionibus	—	—	—	—
24. De donationibus	—	—	—	—
25. De peculio clericorum	—	—	—	—
26. De testamentis et ultimis volutatibus . .	11	6	—	—

Decretales Gregorii IX.	In Sexto.	In Clementinis.	In extravag. Joann. XXII.	In Extravag. communib.
(Liber III.)	Lib. III.	Lib. III.	Tit.	Lib. III.
27. De successionibus ab intestato . . .	—	—	—	—
28. De sepulturis	12	7	—	6
29. De parochis et alienis parochianis . .	—	—	—	—
30. De decimis, primitiis et oblationibus . .	13	8	—	7
31. De regularibus et transeuntibus ad religionem	14	9	—	8
32. De conversione coniugatorum . . .	—	—	—	—
33. De conversione infidelium	—	—	—	—
34. De voto et voti redemptione . . .	15	—	6	—
35. De statu monachorum et canonicorum regularium	16	10	—	—
36. De religiosis domibus, ut episcopo sint subjectae	17	11	7	9
37. De capellis monachorum et aliorum religiosorum	18	—	—	—
38. De jure patronatus	19	12	—	—
39. De censibus, exactionibus et procurationibus	20	13	—	10
40. De consecratione ecclesiae vel altaris . .	21	—	—	—
41. De celebratione missarum et sacramento Eucharistiae et divinis officiis . . .	—	14	—	11
42. De baptismo et ejus effectu	—	15	—	—
43. De presbytero non baptizato . . .	—	—	—	—
44. De custodia Eucharistiae, chrismatis et aliorum sacramentorum	—	—	—	—
45. De reliquiis et veneratione Sanctorum .	22	16	—	12
46. De observatione ieiuniorum	—	—	—	—
47. De purificatione post partum . . .	—	—	—	—
48. De ecclesiis aedificandis vel reparandis .	—	—	—	—
49. De immunitate ecclesiarum, coemeterii . . et rerum ad eas pertinentium . . .	23	17	—	13
50. Ne clerici vel monachi saecularibus negotiis se immisceant	24	—	—	—
Liber IV.	Lib. IV.	Lib. IV.		Lib. IV. vacat.
Tit. 1. De sponsalibus et matrimoniis . .	1	—	—	—
2. De desponsatione impuberum . . .	2	—	—	—
3. De clandestina desponsatione . . .	—	—	—	—
4. De sponsa duorum	—	—	—	—
5. De conditionibus appositis in desponsatione vel aliis contractibus	—	—	—	—
6. Qui clerici vel voventes matrimonium contrahere possunt	—	—	—	—
7. De eo, qui duxit in matrimonium, quam polluit per adulterium	—	—	—	—

Decretales Gregorii IX.	In Sexto.	In Clementinis.	In Extravag. Joann. XXII.	In extravag. communib.
Liber IV.	Lib. IV.	Lib. IV.	Tit.	Lib. IV.
8. De coniugio leprosorum	—	—	—	—
9. De coniugio servorum	—	—	—	—
10. De natis ex libero ventre	—	—	—	—
11. De cognatione spirituali	3	—	—	—
12. De cognatione legali	—	—	—	—
13. De eo, qui cognovit consanguineam uxoris suae vel sponsae	—	—	—	—
14. De consanguinitate et affinitate . . .	—	1	—	—
15. De frigidis et maleficiatis et impotentia coëundi	—	—	—	—
16. De matrimonio contracto contra interdictum ecclesiae	—	—	—	—
17. Qui filii sint legitimi	—	—	—	—
18. Qui matrimonium accusare possunt vel contra illud testari	—	—	—	—
19. De divortiis	—	—	—	—
20. De donationibus inter virum et uxorem, et de dote post divortium restituenda .	—	—	—	—
21. De secundis nuptiis	—	—	—	—
Liber V.	Lib. V.	Lib. V.		Lib. V.
Tit. 1. De accusationibus, inquisitionibus et denuntiationibus	1	—	—	—
2. De calumniatoribus	—	—	—	—
3. De simonia et ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur	—	—	—	1
4. Ne praelati vices suas vel ecclesias sub annuo censu concedant	—	—	—	—
5. De magistris et ne aliquid exigatur pro licentia docendi	—	1	—	—
6. De Judaeis, Sarracenis et eorum servis .	—	2	8	2
7. De haereticis	2	3	—	3
8. De schismaticis et ordinatis ab eis . .	3	—	—	4
9. De apostatis et reiterantibus baptisma .	—	—	—	—
10. De his, qui filios occiderunt	—	—	—	—
11. De infantibus et languidis expositis . .	—	—	—	—
12. De homicidio voluntario vel causali . .	4	4	—	—
13. De torneamentis	—	—	9	—
14. De clericis pugnantibus in duello . . .	—	—	—	—
15. De sagittariis	—	—	—	—
16. De adulteriis et strupro	—	—	—	—
17. De raptoribus, incendiariis et violatoribus ecclesiarum	—	—	—	—

Decretales Gregorii IX.	In Sexto.	In Clementinis.	In extravag. Joann. XXII.	In Extravag. communib.
(Liber V.)	Lib. V.	Lib. V.	Tit.	Lib. V.
18. De furtis	—	—	—	5
19. De usuris	5	5	—	—
20. De crimine falsi	—	—	10	6
21. De sortilegiis	—	—	—	—
22. De collusione detegenda	—	—	—	—
23. De delictis puerorum	—	—	—	—
24. De clerico venatore	—	—	—	—
25. De clerico percussore	—	—	—	—
26. De maledicis	—	—	—	—
27. De clerico excommunicato, deposito vel interdicto ministrante	—	—	—	—
28. De clerico non ordinato ministrante . .	—	—	—	—
29. De clerico per saltum promoto . . .	—	—	—	—
30. De eo, qui furtive ordinem suscepit . .	—	—	—	—
31. De excessibus Praelatorum et subditorum	6	6	—	—
32. De novi operis nuntiatione	—	—	—	—
33. De privilegiis et excessibus privilegiatorum	7	7	11	7
34. De purgatione canonica	—	—	—	—
35. De purgatione vulgari	—	—	—	—
36. De iniuriis et damno dato	8	—	—	—
37. De poenis	9	8	12	8
38. De poenitentiis et remissionibus . . .	10	9	—	9
39. De sententia excommunicationis	11	10	13	10
40. De verborum significatione	12	11	14	—
41. De regulis iuris	13	—	—	—

INDEX AUCTORUM ET FONTIUM PER LITERAS DIGESTUS.

Numeri singulos fontes huius voluminis indicant.

A

B

C

ERRATA-CORRIGE.

Pag.	104	lin.	29	XVI, 10. 6.	***corrige***	XVI. 10. 7.
»	115	»	24	V. 5.	»	V. 4.
»	160	»	20	Reg.	»	Reg. IV
»	185	»	11	c. b. X.	»	c. 6. X.
»	213	»	23	**1592**	»	**1502**
»	272	»	25	Messidon	»	Messidor
»	335	»	31	**98**	»	**97 A**
»	336	»	11	**97**	»	**97 B**
»	338	»	11	c. 19. D.	»	c. 11. D.
»	364	»	21	c. 11	»	c. 11. X.
»	352	»	27	c. 3	»	c. 3
»	379	»	29	VII	»	VIII
»	380	»	12	175	»	157
»	383	»	2	c. 1. 10.	»	c. 1. X.
»	387	»	11	**Thomas**	»	**Thomae.**
»	392	»	15	I. 13.	»	I. 15.
»	398	»	6	c. 1. X.	»	c. 1. in VI°.
»	398	»	14	c. 15. X.	»	c. 15. in VI.
»	409	»	10	sinodole	»	sinodale
»	416	»	28	(a. 1179)	»	(a. 1179) c. 6. X. I. 6.
»	558	»	10	c. 177	»	17
»	560	»	30—31	sed. Apostolico	»	Cardinali
»	562	»	15	in *Extrav.*	»	*Extrav.*
»	563	»	28	**1902**	»	**1903**
»	567	»	29	D. G.	»	D. C.
»	597	»	2	c. 24. D.	»	c. 35. D.
»	602	»	14	c. 55.	»	c. 55. X.

NB. Pag. 372 lin. 37 deleatur adnot. [1]).